Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/operaomniainunum13deni

DOCTORIS ECSTATICI

DIONYSII CARTUSIANI

OPERA OMNIA





DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

IN OMNES B. PAULI EPISTOLAS,
IN VII EPISTOLAS CANONICAS (B. JACOBI, B. PETRI I, II)

MONSTROLII

TYPIS CARTUSIÆ S. M. DE PRATIS

MDCCCCI





THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.

JAN 16 1932
3923

ENARRATIONES
IN OMNES BEATI PAULI EPISTOLAS

BQ
6522
.A2


D.DIONYSIVS CARTHVSIEÑ
DOCTOR EXTATICVS.
BENEDIC
TVS DEVS
IN SECVIA

D. DIONYSII

CARTUSIANI

ENARRATIONES PIÆ AC ERUDITÆ

IN OMNES BEATI PAULI EPISTOLAS

HOC EST

AD ROMANOS; AD CORINTHIOS I, II;

AD GALATAS; AD EPHESIOS; AD PHILIPPENSES; AD COLOSSENSES;


AD THESSALONICENSES I, II; AD TIMOTHEUM I, II;

AD TITUM; AD PHILEMONEM; AD HEBRÆOS

EX EDITIONIBUS COLONIÆ

(S. T. N.) MDXXX; PETRI QUENTEL, MDXXXII; ITEM MDXXXIII;

ITEM MDXXXVIII; ITEM MDXLV.



Carolus dux Geldriæ et Juliæ, comesque Zutphaniæ, Gruningensium, Covordiæ, Drenthiæque dominus, eximiis dominis Theologis Coloniensibus S.

Quum nihil unquam esse magis proprium et dignius officio nostro existimaverimus, V. P., quam totis semper viribus conari ut fidei christianæ nedum cultus in vigore suo perseveret et crescat, sed etiam doctrina ejus sincera permanens et libera, perfectam teneat sui fulgoris potentiam, qua et hæreticorum nebulas discutere et æmula eorum fulgura atque incendia possit exstinguere et obscurare : intelligentes itaque non admodum multos ante annos fuisse Dionysium quemdam a Rickel, virum sanctimonia vitæ admirabilem, et sacrarum litterarum scientia ultra communem sortis humanæ facultatem vehementer exercitatum, qui in oppido nostro Ruremunda, sacri Ordinis Cartusiani monachus quum esset, plurima ibi conscripsisse opera, ad reipublicæ christianæ bonum valde conducentia, dicitur (referente scilicet id nobis et indicante pio ac religioso patre Lamberto Pascuali Cartusianorum apud Confluentinos rectore primario, aliisque pluribus viris doctis), operæ pretium esse duximus vestris illud eruditis excellentiis indicare, rogantes ut conquisita ejus opera jam dicta, vobis exhiberi faciatis, et doctrinarum vestrarum solita diligentia examinetis, proque utilitate religionis christianæ existimetis ipsa, approbantes auctoritate vestra quæcumque digna sunt ut in publicum edita legantur, ad christianæ

fidei, jam apud plurimos (proh dolor) vacillantis, robur et reparandum et confirmandum. Eorum enim per typographos editionem mox fieri ad limas et approbationes vestras mirum in modum cupimus, sperantes in hoc negotio rem fieri utilem et acceptabilem Christo Domino, qui vos ad Ecclesiæ suæ sanctæ custodiam et defensionem in doctrina perfecta et vita sancta, sanos et longævos conservet. Datum ex oppido nostro Arnhem, die vicesima tertia Februarii, anno, etc. XXX.

CAROLUS.

Ut piissimæ Principis petitioni morem gereremus, quando et id studiosissimis quibusque lectoribus arbitrati sumus gratissimum, visum est nobis ut ex innumeris a præfato Dionysio Cartusiano, viro undecumque doctissimo, examinatis operibus, Commentarii in Paulinas epistolas primum omnium prodirent in lucem, ut si illi placebunt, et reliqua postea ederentur.

Decanus et Magistri
Facultatis sacræ theologiæ generalis studii Coloniensis.

PROŒMIUM

AUDITE me, quoniam de rebus magnis locuturus sum; et aperientur labia mea, ut recta prædicent. Justi sunt omnes sermones mei. Prov. VIII, 6, 8.

Deus sublimis et benedictus, qui omnia in sapientia fecit, qui dixit de tenebris *Ps.* CIII, 24.
lumen splendescere, qui ad sui ipsius similitudinem atque imaginem condidit II *Cor.* IV, 6. *Gen.* I, 26,
genus humanum propter adipiscendam vitam æternam, quæ consistit in hoc ut 27.
cognoscamus verum Deum et quem misit Jesum Christum, ordinatissimo quodam *Joann.* XVII,
processu et convenientissimo modo reduxit perditum hominum genus ad felicitatem 3.
amissam.

Primo quippe, ab exordio mundi multifarie multisque modis locutus est ho- *Hebr.* I, 1.
minibus per Prophetas et Patriarchas. At ubi venit temporis plenitudo, misit (sicut *Galat.* IV, 4.
promisit) unigenitum Filium suum, ut salvaretur mundus per ipsum. In quo quum *Joann.* III, 17.
consummata fuissent omnia quæ de eo prænuntiata erant per os sanctorum, qui *Luc.* I, 70.
a sæculo sunt, Prophetarum ejus : paucis elapsis diebus, misit electis et veris *Act.* II, 1-4.
Israelitis, sanctis Apostolis, aliis quoque quibusdam primitivæ Ecclesiæ personis,
paracletum Spiritum Sanctum, qui corda eorum, omnium veritatum notitia, omnium
gratiarum decore, omniumque virtutum sanctitate implevit. Ipsi nempe primitias *Rom.* VIII,
Spiritus receperunt, quemadmodum Christus passioni jam proximus spopondisse 23.
describitur : Paracletus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille *Joann.* XIV,
vos docebit omnia. 26.

Insuper, reparator, salvator et medicus perditorum, Agnus Dei qui tollit piacula *Ibid.* I, 29.
mundi, qui venit quærere et salvare quod periit, demonstrare volens cunctis *Luc.* XIX,
hominibus artis suæ industriam, pietatis suæ liberalitatem et operationis suæ 10.
potentiam, quemdam languidissimum impiissimumque curare aggressus est. Qui
quum vastasset Ecclesiam, viros et feminas trahens ad mortem, et demum ad *Act.* IX, 1
aliam urbem transiret ut in ea omnes Christianos caperet, et ad principes sacer- *et seq.*
dotum deduceret; in ipso itinere, immensa Dei misericordia admonitus est atque
correctus, et tanta mox sapientia illustratur, tantaque gratia decoratur, tanta
donorum Spiritus Sancti plenitudine perfunditur, ut de ipso actor et fons gratiæ
protestetur : Vas electionis est mihi iste. Unde et ipse gratias referens Deo : Fui, *Ibid.* 15.
inquit, blasphemus et contumeliosus; sed ideo misericordiam consecutus sum, ut I *Tim.* I, 13, 16.

in me primo ostenderet Christus virtutem suam, et omnem patientiam, ad informationem credentium.

Itaque propter profunditatem et excellentiam epistolarum Pauli, merito in ejus persona dicitur, quod modo pro themate est assumptum : Audite me, quoniam de rebus magnis locuturus sum, etc. In quibus utique verbis, primo monemur ad sollicitam advertentiam scripturarum sancti Apostoli. Deinde ratio hujus admonitionis annectitur, quoniam de sublimibus rebus tractatur. Quam enim sublimia sint de quibus in libro Epistolarum Apostoli agitur, in processu clarebit. Præterea, ne putemus hanc sublimitatem esse verbalem ac frivolam, subditur : Et aperientur labia mea, ut recta prædicent.

Prov. VIII, 6.

ENARRATIO
IN EPISTOLAM BEATI PAULI
AD ROMANOS

ENARRATIO

IN EPISTOLAM BEATI PAULI

AD ROMANOS

ARTICULUS PRIMUS

DE VERITATE, FIRMITATE AC CERTITUDINE CHRISTIANÆ SAPIENTIÆ.

II *Cor.* XII, 2-4. SCIO hominem in Christo raptum us-
que ad tertium cœlum; et scio quo-
niam raptus est in paradisum, et audi-
vit arcana verba quæ non licet homini
loqui. Hæc de se ipso asserit sanctus at-
que divinus Apostolus. Sed dicet ei ali-
Joann. VIII, 13. quis : Tu de te ipso testimonium perhi-
bes, testimonium tuum non est verum. Ad
quod respondere potest Apostolus ver-
Ibid. 14, 16, 18. bis Salvatoris, dicentis : Etsi ego testi-
monium perhibeo de me ipso, testimo-
nium meum verum est : quia non sum
solus, sed ego, et qui misit me Christus.
Denique ipse testimonium perhibet de
Ibid. V, 36. me, quoniam opera quæ dedit mihi, te-
stantur me verum esse famulum Dei. De
his enim operibus miraculosis scribit
Apostolus iis quibus mentiri non potuit,
puta Corinthiis, in quorum conspectu pa-
II *Cor.* XII, 12. trata sunt : Signa (inquit) apostolatus
mei facta sunt super vos, in omni pa-
tientia, in signis et prodigiis et virtuti-
I *Cor.* II, 4, 5. bus ; itemque : Prædicatio mea fuit, non
in persuasibilibus humanæ sapientiæ ver-
bis, sed in ostensione spiritus et virtu-
tis, ut fides vestra non sit in sapientia
hominum, sed in virtute Dei. Hæc sunt
A christianæ fidei supernaturalia argumen-
ta, de quibus alibi ait Apostolus : Quo- *Hebr.* II, 3,
modo effugiemus, si tantam neglexeri- 4.
mus salutem, quæ in nos confirmata est,
contestante Deo signis, et portentis, et
virtutibus, et Spiritus Sancti distributio-
nibus? Quæ autem fuerint magnalia ista
Apostoli opera, in Actibus Apostolorum
plenius edocetur.

Denique testimonium perhibet Paulo
Christus, qui ait : Vas electionis est mi- *Act.* IX, 15.
hi iste. Sed et princeps Apostolorum in
B fine secundæ suæ Canonicæ gloriosum
testimonium perhibet Paulo : Carissimus II *Petr.* III,
(inquiens) frater noster Paulus, secun- 15, 16.
dum datam sibi sapientiam scripsit vo-
bis in epistolis, in quibus sunt quædam
difficilia intellectu. Lucas quoque evan-
gelista quid protestetur de Paulo, in Ac-
tibus Apostolorum recolitur.

Proinde ipsa tam subitanea Pauli con-
versio, nonne evidentissimum signum est
veritatis suæ doctrinæ? Ex crudelissimo
persecutore, mutatus repente est in fi- *Act.* IX.
C delissimum prædicatorem ; et in omni
catholicæ fidei theoria, omniumque lin-
guarum notitia, imo in omni sanctitate

et justitia, copiosissime adimpletus est
Act. IX, 9. intra triduum quo erat non videns, nec
vescens, nec cum homine loquens. Unde
constat verissimum esse, quod ipse ait
Galat. I, 11, 12. ad Galatas : Notum vobis facio evange-
lium, quod evangelizatum est a me, quia
non est secundum hominem. Neque enim
ego ab homine accepi illud, neque di-
dici, sed per revelationem Jesu Christi.
Hinc ergo firmissime credimus sancto
II Cor. XII, 2, 4. Apostolo de semetipso testanti, quod ra-
ptus sit in tertium cœlum, audieritque
in contemplatione illa ecstatica verba ar-
cana.

Ex quo innotescit fidem christianam,
non humanæ rationi, sed increatæ veri-
tati inniti, et in divino ac supernaturali
lumine stabiliri. Propter quod tanta est
certitudo et firmitas ejus, ut nec angelo
credendum esset si quidpiam contra eam
proferret. Ideo namque ait Apostolus :
Galat. I, 8. Licet angelus de cœlo evangelizet vobis
præter id quod audistis, anathema sit.
Imo, quam certum est Deum non esse
confirmatorem aut testem falsitatis, tam
certum est fidem apostolicam esse a Deo.
Ipse enim per infinita miracula digna-
tus est eam confirmare, quemadmodum
Marc. XVI, 20. de Apostolis scriptum est : Illi autem
profecti prædicaverunt ubique, Domino
cooperante, et sermonem confirmante se-
quentibus signis. Quæ utique signa in
A suo effectu, videlicet in conversione mun-
di ad tam supernaturalem et arduam le-
gem atque incomprehensibilem fidem,
sufficienter relucent, nec opus est ea re-
petere, quamvis ubertim repetita sint ad
instructionem humanam.

Ex his innotescit verum esse quod
expositores dicere solent, videlicet, quod
scriptura seu libri Epistolarum Pauli,
præ ceteris Scripturis in tribus, et forte
in pluribus, præeminent, scilicet, in pro-
funditate sententiæ, in fidei assertione,
B et in spei sublevatione, seu gratiæ com-
mendatione. Quemadmodum enim in ip-
sum pelagus lucis divinæ ineffabili et
excellentissimo modo absorptus erat in
raptu præfato, sic rediens profundissime
est locutus. Et quia non solum a Spiritu
Sancto, sed etiam ad pedes Gamalielis Act. XXII, 3.
instructus fuit in lege et Prophetis ; id-
eo ad fidem probandam convenientissi-
ma et copiosissima introduxit testimonia
ex Prophetis et lege. Postremo, sicut in
semetipso specialiter expertus erat mi-
C sericordiam Salvatoris, sic præ ceteris
gratiam Dei specialius commendavit, os-
tendens eam non esse ex meritis, nec
aliquem propriis viribus posse salvari.
Sicque totam spem nostram erexit ad
clementiam Creatoris, quatenus in sola
bonitate ipsius speremus, ejus gratiam
incessabiliter invocantes.

ARTICULUS II

DE PROLOGO HIERONYMI SUPER EPISTOLAS PAULI.

SECUNDUM Hieronymum, quæritur pri-
mo, cur post evangelia, quæ legem
perficiunt, in quibus præcepta, consilia
atque exempla vivendi plenissime propo-
nuntur, scripsit Apostolus istas epistolas.
Cujus rationem assignat Hieronymus, sci-
licet ut in exordio nascentis seu primitivæ
D Ecclesiæ, novis causis emergentibus, tam
præsentia quam futura vitia exstirparet,
inutiles quæstiones excluderet, contra hæ-
reticos quoque armaret Ecclesias : se-
quens in hoc vestigia Prophetarum, qui
post scriptam Moysis legem, libros scri-
pserunt quatenus rediviva populi refre-

narent peccata, virtutes instruerent, et ad cultum divinum auditores inducerent suppliciorum comminatione, beneficiorum divinorum commemoratione, præmiorumque sponsione.

Deinde quæritur de causa numeri epistolarum. Decem enim scripsit Ecclesiis, quatuor vero discipulis, sicut patebit. Hujus ratio est, ut ostendat utriusque Testamenti plenam esse concordiam, summamque utriusque legis in harum epistolarum scriptura includi. Per decem quippe figuratur Testamentum antiquum, propter Decalogum mandatorum Moysi datum ; per quatuor vero signatur Testamentum novum, propter quatuor evangelia. Decem itaque scripsit epistolas ad Ecclesias, ut demonstraret se non discordare a Moyse ; quatuor vero misit discipulis, quoniam eadem est materia evangeliorum et epistolarum, videlicet documenta et opera Christi. — Porro epistolam ad Hebræos quidam dixerunt non esse Pauli, sed Lucæ, vel Barnabæ, vel Clementis, eo quod, contra ceterarum consuetudinem epistolarum, titulo careat, facundiorque sit. Hoc autem a sanctis doctoribus reprobatur. Tacuit enim Apostolus in illius epistolæ principio nomen suum, ne Hebræi, nomine suo audito, ipsam epistolam spernerent atque rejicerent, quoniam Paulus apud eos habebatur suspectus, tanquam legis destructor. Præterea, mirum A non est quod eloquentior fuit in idiomate proprio, id est Hebræo, quam alieno, utpote Græco, quo scriptæ sunt epistolæ ceteræ. Nam et gratia perficit naturam, secundum dispositionem ipsius. Unde donum linguarum, seu gratia sermonis, magis perfecit Apostolum in idiomate proprio quam alieno.

De ordine quoque epistolarum inquiritur, cur epistola ad Romanos ceteris præordinetur, quum ante ceteras non fuerit edita. Quod ideo factum est, quoniam B ista epistola ceteris est profundior ; vel, quia Romani monarchiam orbis tenebant ; vel, quia in ista epistola contra primum peccatum, quod est superbia, disputat. In Ecclesia enim Romanorum, mixti erant conversi ex Judaismo et gentilitate, et hi inter se contendebant de dignitate, et quidam eorum propriis meritis se putabant salvandos. Horum ergo errorem atque superbiam reprobans sanctus Apostolus, revocat eos ad unitatem, humilitatem ac pacem, ostendens Judæos legem scri- C ptam, gentiles vero legem naturalem transgressos.

Postremo, omnium epistolarum generalis intentio principalisque finis est, ad plenam observantiam evangelicæ doctrinæ, ac per hoc ad vitam æternam inducere. Singulæ quoque epistolæ proprias sortiuntur materias ac proprium finem.

ARTICULUS III

EXPOSITIO PRIMI CAPITULI EPISTOLÆ AD ROMANOS.

P*AULUS, servus Jesu Christi, vocatus apostolus, segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo,* etc. In hac epistola, sicut in conscriptione epistolarum fieri solet, præmittit sa- D lutationem : et primo exprimit personam salutantem, id est se ipsum, dicendo : Paulus, servus Jesu Christi. In hoc autem quod ait, Paulus, commendat personam suam a nomine ; quum vero adjungit, Servus, commendat eam a conditione. Com-

mendat quoque eam a dignitate, quum A
dicit, Vocatus apostolus. Commendat etiam
eam ab officio, subdens, Segregatus in
Evangelium Dei.
1 Itaque, *Paulus :* qui secundum Orige-
nem binomius erat (ad quod allegat illud
Act. xiii, 9. Actuum : Saulus, qui et Paulus), secundum
alios primo appellatus est Saulus, dein-
de post conversionem dictus est Paulus,
id est parvus seu modicus. Sic enim,
secundum Augustinum et Bedam, ex hu-
militate vocavit se ipsum. Secundum Hie-
ronymum autem, dictus est Paulus, a B
Sergio Paulo, quem convertit. *Servus,* ser-
vitute spontanea, non coacta, servitute ca-
ritatis, non puri timoris. De servo enim
qui servit solo timore aut solo mercedis
Joann. viii, 35. intuitu, ait Salvator : Servus non manet
Ibid. xv, 15. in domo in æternum ; et iterum, Jam non
dicam vos servos, sed amicos meos. Lo-
quendo autem de servitute amoris, ele-
cti sunt servi, quoniam Deo obediunt.
Itaque, Servus *Jesu Christi :* cui servi-
re, regnare est ; et sicut beata Agatha
dixit, Summa ingenuitas sive nobilitas est, C
Christi servum exsistere, atque sub ejus
dominio permanere.
Vocatus apostolus : vocatus, inquam,
a Deo, non ab hominibus, id est per gra-
tiam Dei ad apostolatum promotus, at-
que a Deo immediate in apostolum con-
secratus. Unde de se ipso hoc modo
Galat. i, 1. scribit : Paulus apostolus, non ab homi-
nibus, neque per hominem, sed per Je-
Hebr. v, 4. sum Christum et Deum Patrem. Nemo
quippe assumit sibi honorem, sed qui
vocatur a Deo tanquam Aaron. Puto au- D
tem quod ait, Vocatus apostolus, ex hu-
militate, quasi dicere volens : Exsistens
apostolus, sed vocatus, id est ab homi-
nibus sic æstimatus et dictus, quamvis
ego me ipsum non arbitrer dignum apo-
stoli nomine. Ideo namque alio loco fa-
I Cor. xv, 9. tetur : Ego sum minimus Apostolorum,
qui non sum dignus vocari apostolus. Vo-
catur quoque Paulus per excellentiam
quamdam Apostolus, non propter aucto-
ritatem, sed prædicationis efficaciam seu
generalitatem. Juxta quod ait : Plus om- I Cor. xv, 10.
nibus laboravi.
Segregatus in Evangelium Dei, id est
ab aliis separatus, quatenus evangelicam
legem annuntiem. Dicitur autem, Segre-
gatus, id est a grege infidelium Judæo-
rum divisus, mente seu fide, loco et cor-
pore. De quibus loquitur : Non acquievi Galat. i, 16.
carni et sanguini. Vel, Segregatus a gre-
ge Apostolorum et aliorum discipulorum,
secundum quod aiebat Spiritus Sanctus :
Segregate mihi Paulum et Barnabam in Act. xiii, 2.
opus ad quod assumpsi eos. Ab his se-
gregatus est corpore, non mentis unione.
Denique nomine Dei, hoc loco intelligitur
Deus Pater. Subditur enim :
Quod, scilicet Evangelium, *ante,* vide- 2
licet a principio mundi, maxime tamen
a tempore Moysis, vel etiam Abrahæ, *pro-
miserat,* ex sua pietate, non hominum
merito, *per Prophetas suos in Scripturis
sanctis,* id est libris a Prophetis conscri-
ptis, *de Filio suo* unigenito, naturali ac 3
vero, non adoptivo. Adam autem prophe-
ta erat : similiter Enoch et Noe. Scriptu-
ram vero Enoch allegat Judas apostolus. Judæ 14.
Et quamvis liber Enoch non inter Scriptu-
ras sanctas reputetur, sed inter apocrypha,
eo quod perversi aliqua inconvenientia
libro illi miscuerint, certum est tamen
librum illum, secundum quod ab Enoch
editus est, sacram fuisse Scripturam. Et
forsitan plures Sancti ante diluvium scri-
pserunt de Christo. Moyses quoque et
Josue memoriam faciunt libri Justorum, Josue x, 13;
quem constat esse vetustum, de Evange- II Reg. i, 18.
lio Christi saltem mystice seu figurative
loquentem. Hinc etiam Judæorum magi-
stri testantur, quod omnes Prophetæ non
sunt locuti nisi super dies Messiæ. Pro-
pter quod Petrus in Actibus de Christo
loquens : Huic, inquit, omnes Prophetæ Act. x, 43.
testimonium perhibent ; et iterum, Om- Ibid. iii, 24.
nes, ait, Prophetæ a Samuele, prænuntia-
verunt dies istos. Sed et ipse Salvator sic
loquitur : Oportet impleri omnia quæ scri- Luc. xxiv, 44.
pta sunt in lege Moysis et Prophetis et
Psalmis de me. De lege autem et Evan-

(*Is.* LI, 4.) gelio Christi promissum legimus : Lex a me exiet, et judicium meum in lucem populorum requiescet. Et alius Propheta : (*Jer.* XXXI, 31.) Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et feriam domui Israel pactum novum, etc.

Qui Filius *factus*, id est natus, *est ei*, scilicet Deo Patri, utpote ad honorem et gloriam ejus, *ex semine*, id est posteritate, *David* prophetæ ac regis, *secundum carnem* assumptam (*Joann* I, 14.) (de qua dicitur, Verbum caro factum est), id est secundum naturam humanam, quam assumpsit ex Virgine benedicta, ex David progenie orta. Immediatum autem semen corporis Christi, erat purissimus sanguis sacratissimæ Virginis. Si vero sumatur semen pro solito semine quod ceteræ matres in generatione ministrant, videlicet pro superfluo illo naturæ coagulato impuroque sanguine : sic non est natus ex semine virginis Mariæ, quæ quum mundissima fuerit, tale semen non præbuit; sed neque ex semine David, nisi mediate, non immediate.

Cur autem Apostolus dicit Christum ex semine David factum secundum carnem, et non potius natum? imo et alibi loquitur, (*Galat.* IV, 4.) Misit Deus Filium suum factum ex muliere : quum tamen ab Evangelista dicatur, (*Luc.* I, 35.) Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei ; (*Is.* IX, 6.) et Isaias, Parvulus natus est nobis. Et respondendum, quod ideo, ut ostendat humanam Christi generationem non fuisse naturali et solito modo, sed supernaturali quodam Spiritus Sancti artificio, juxta illud propheticum : (*Jer.* XXXI, 22.) Novum creavit Dominus super terram, Mulier circumdabit virum; (*Luc.* I, 35.) et illud, Spiritus Sanctus superveniet in te. Verumtamen advertendum, quod licet Christus secundum carnem factus seu natus sit ex semine David, atque ex felicissima Virgine, non tamen simpliciter et absolute conceditur quod Christus sit creatus vel creatura, quoniam non subsistit in esse creato, nec per generationem temporalem adeptus est novam subsistentiam. Et etiam ne videamur aliquo modo communicare

A Arianis, ceterisque hæreticis, qui Christum dixerunt esse puram creaturam. Ipse equidem est verus Creator ac Deus, et Verbum quod erat in principio, per quod facta sunt omnia. (*Joann.* I, 1-3.) Quum ergo sancti doctores leguntur Christum vocare creaturam, exponendi sunt sapienter.

Præterea Christus Filius Dei Patris, dicitur factus secundum carnem ad gloriam Patris, quia ob id incarnatus et in mundo conversatus est, ut nomen Dei Patris hominibus revelaret, eosque ad cultum

B ipsius induceret, juxta illud : Ego non quæro gloriam meam, sed glorifico Patrem meum. (*Ibid.* VIII, 50, 49.) Et alibi Joannes ait : Pater, manifestavi nomen tuum hominibus; opus consummavi quod dedisti mihi ut facerem. (*Ibid.* XVII, 6, 4.)

Circa hunc locum sic ait Origenes : Factus est autem Filius Dei, sine dubio quod prius non erat secundum carnem; secundum divinitatem vero erat prius, et non erat quando non erat. — Postremo sciendum quod in Christo sunt duæ ge-

C nerationes seu nativitates, videlicet divina et humana, sed una dumtaxat filiatio. Generatio enim concernit naturam, quæ in Christo duplex consistit; filiatio vero personam, quæ non est nisi una in Christo. Nihilo minus Christus vere est filius Virginis, quia ex ea veraciter natus.

Qui prædestinatus est Filius Dei in 4
virtute, secundum Spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri. Verba hæc difficultatibus plena sunt. Denique de ipsa

D prædestinatione multa dici possent : quæ infra tangentur. Nunc vero, breviter percurrendo, sciendum quod divina providentia universa complectitur, ita quod Deus gloriosus et sapiens, omnium rerum providentiam habet. Singula namque propter certum finem creavit, eisque desiderium finis impressit, atque de mediis ad finis adeptionem requisitis providit. Quemadmodum vero intellectualis creatura ceteris rebus est sublimior, sic providentia Dei nobiliori modo ei adscribitur, ita

quod providentia mentis divinæ, respe- A
ctu intellectualium creaturarum, præde-
stinatio dicitur. Est enim prædestinatio,
secundum Augustinum, præordinatio ali-
cujus ad gloriam, seu præparatio gratiæ
in præsenti, et gloriæ in futuro. In quan-
tum itaque Deus quosdam ad supernatu-
ralem beatitudinem præordinavit, et me-
dia perveniendi ad eam dare decrevit ac
præparavit, dicitur eos prædestinasse seu
præmisisse. Prædestinatio enim est quæ-
dam præmissio : talis autem prædestina-
tio dilectionem ac electionem, secundum B
modum nostræ conceptionis, præsuppo-
nit, et inde procedit. Prædestinatio igitur
antecessionem quamdam prædestinantis
ante prædestinatum et gratuitum donum
includit.

Quum ergo sit ita, mirum videtur quo-
modo nunc sanctus Apostolus dicat, Fi-
lium Dei prædestinatum in virtute, etc.
Unde, ut fertur, Origenes corrigit litte-
ram, loco prædestinati ponens destinatum,
quia ut ait, prædestinatio est nondum
entis, destinatio vero est entis. Filius au- C
tem Dei est ens æternum. Aliqui quoque
sic secernunt textum : Qui prædestina-
tus (ut ibi sit punctus), est Filius Dei in
virtute. Sicque prædestinatus nominaliter
sumitur, et est sensus : *Qui* Filius, exsi-
stens *prædestinatus* secundum humanam
naturam, *est Filius Dei* unigenitus secun-
dum naturam divinam, *in virtute*, id est
in divina potentia, quæ sibi et Deo Patri
communis est.

Verumtamen, quoniam littera nostra
habet, Qui prædestinatus est, consideran- D
dum qualiter hoc ipsum intelligi debeat.
Haymo ergo ita exponit : *Qui*, id est Chri-
stus seu Filius Dei, secundum quod homo
prædestinatus est, id est, ejus humanitas
prædestinata est et præordinata sine suis
meritis, ut esset *Filius Dei in virtute*,
hoc est assumpta a Verbo exsistente in
eadem virtute divinitatis cum Patre, et
esset unita illi in unitate personæ. Quod
vero subjungitur, *secundum Spiritum san-
ctificationis*, refert Haymo ad illud quod
dictum est, Qui factus est ex semine Da-
vid secundum carnem, ut sit sensus : Fi-
lius Dei factus est homo ex semine David
secundum Spiritum sanctificationis, id est
secundum operationem Spiritus Sancti ho-
mines sanctificantis. Ipse enim operatus
est hanc superbenedictam Verbi incarna-
tionem seu humanationem. Nam, quam-
vis facta sit a tota supergloriosissima Tri-
nitate, tribuitur tamen Spiritui Sancto.
Unde in Symbolo legitur : Qui conceptus
est de Spiritu Sancto. Incarnatio etenim
Verbi, est opus summæ pietatis ; pietas
autem appropriatur Spiritui Sancto. Quod
vero mox sequitur, *ex resurrectione mor-
tuorum*, refert Haymo ad illud quod di-
ctum est, Prædestinatus est Filius Dei.
Eritque sensus : Quod ipse sit Filius Dei,
cui natura humana unita est, manife-
statum est ex resurrectione mortuorum
Jesu Christi Domini nostri, hoc est eorum
qui simul cum Christo surrexerunt. De
quibus scribit Matthæus : Multa sanctorum *Matth.*
corpora qui dormierant, surrexerunt, et xxvii, 52, 53.
venientes in sanctam civitatem, apparu-
erunt multis. Per hoc enim quod Chri-
stus secum mortuos surgere fecit, tan-
quam ex præclaro miraculo patuit eum
esse verum Filium Dei, de cujus passio-
ne cecinerunt Prophetæ. Quamvis autem
expositio ista sit vera atque catholica, vi-
detur tamen a verbis litteræ aliqualiter
aliena. — Ambrosius vero refert præde-
stinationem hanc Filii Dei, ad manifesta-
tionem hominibus factam, qua ab æterno
præscitum est ut in tempore manifesta-
retur esse Filius Dei in virtute.

Sed ut maneamus in ipso textus teno-
re atque contextu, quantum possibile est,
advertendum quod esse prædestinatum
competit Christo seu Filio Dei secundum
quod homo. Dictum est enim, quod præ-
destinatio est æterna præordinatio horum
quæ per gratiam fiunt in tempore. Quod
autem homo est Deus, et Deus homo, in
tempore factum est per gratiam unionis,
non tantum per gratiam habitualem. Et
hoc utique ab æterno fuit præordinatum.

Quamvis ergo non concedatur simplici-
ter, Christus factus est Filius Dei (sensus
enim est, quod persona quæ Christus est,
facta est Filius Dei, eo quod fieri refera-
tur ad rem secundum quod in se est), hoc
tamen conceditur, Christus prædestinatus
est Filius Dei esse, quoniam prædestinari
convenit rei prout est in apprehensione
præordinantis. Persona autem seu hypo-
stasis Verbi apprehendi potest prout in
humana natura subsistit. Sed, ut dictum
est, prædestinatio ista adscribitur Christo
ratione naturæ assumptæ. Nam anteces-
sio et donum gratuitum Christo conveni-
unt ratione humanitatis dumtaxat.

Sic ergo exponenda est littera : *Qui*
Filius Dei, scilicet Christus, in duabus
naturis subsistens, secundum quod ho-
mo *prædestinatus est,* hoc est, sola gratia
seu Dei benevolentia sine propriis meritis
(*Coloss.* I, 18.) præelectus est, non solum ut sit caput
Ecclesiæ, et a principio suæ conceptio-
nis in Virgine confirmatus esset in bono
et comprehensor perfectus, verum etiam
ut esset *Filius Dei,* non adoptivus, sed
naturalis, *in virtute,* id est divina pote-
state, per quam prædestinatio ista effe-
ctum sortita est, seu ad actum deducta,
secundum Spiritum sanctificationis, id
est per Spiritum Sanctum : quoniam ope-
ratione Spiritus Sancti facta est incarna-
(*Matth.* I, 20.) tio Christi, juxta illud, Quod natum est
in ea, de Spiritu Sancto est ; incarnatio
autem est prædestinationis effectus : se-
cundum Spiritum, inquam, sanctificatio-
nis *ex resurrectione mortuorum,* hoc est
secundum Spiritum Sanctum, per cujus
sanctificantem gratiam spiritualiter mor-
tui reviviscunt : qui vocantur mortui *Je-
su Christi Domini nostri,* quoniam merito
ejus gratiam Spiritus Sancti recipiunt, at-
que salvantur.

5 *Per quem,* scilicet Jesum Christum, *ac-
cepimus* ego Paulus ceterique Apostoli a
(*Rom.* VIII, 23.) summa Trinitate, *gratiam,* id est primi-
tias Spiritus Sancti, seu divinorum mu-
nerum supernaturalem infusionem. Gratia
autem proprie sumpta, est donum seu
A habitus supernaturalis, a solo Creatore per
creationem infusus, essentiam rationalis
creaturæ immediate perficiens, eamque in
esse divino ac meritorio statuens. Hæc
est gratia gratum faciens, quæ a virtuti-
bus, fructibus ac donis Spiritus Sancti
distinguitur. *Et apostolatum,* id est po-
testatem seu auctoritatem, præcipuamque
commissionem ac legationem prædicandi
Evangelium Christi. *Ad obediendum fi-
dei,* id est ad hoc, ut eos quibus evan-
gelizamus, hortemur et faciamus obedi-
B re fidei christianæ, videlicet, ut naturali
ratione postposita, intellectum suum hu-
militer subdant incomprehensibilibus et
supernaturalibus testimoniis fidei. Unde
inferius ait Apostolus : In captivitatem (II *Cor.* X, 5.)
redigentes omnem intellectum in obse-
quium Christi.

Hæc autem accepimus facere *in omni-
bus gentibus,* id est ubique terrarum, non
solum in una aut paucis nationibus : ut
impleremus quod de nobis prædixit Pro-
pheta, In omnem terram exivit sonus eo- (*Ps.* XVIII, 5.)
C rum. Hinc enim Christus aiebat Aposto-
lis : Eritis mihi testes in omni Judæa et (*Act.* I, 8.)
Samaria, et usque ad ultimum terræ. Qui
etiam per Isaiam de Apostolis loquitur :
Mittam ex eis qui salvati fuerint ad gen- (*Is.* LXVI, 19.)
tes in mare, in Africam et Lydiam, te-
nentes sagittam, in Italiam et Græciam,
ad insulas longe ; et annuntiabunt glo-
riam meam gentibus. Omnia vero hæc
fecimus *pro nomine ejus,* id est pro no-
mine Christi glorificando ac dilatando, ut
omnes convertantur ad ipsum. Denique
D de Romanis, qui erant Italici, subdit : *in* 6
quibus, id est inter quas gentes, ad quas
missi sumus, *estis et vos,* Romani, *vocati
Jesu Christi,* id est, vocati a Deo per in-
spirationem et gratiam ad fidem catholi-
cam, ut sitis Jesu Christi, pertinendo ad
oves servosque ejus.

In Evangelio scriptum est, quemadmo-
dum Christus vocaverit ad se duodecim (*Luc.* VI, 13.)
discipulos, eos appellans Apostolos, qui-
bus et ait, Nonne ego vos duodecim ele- (*Joann.* VI, 71.)
gi? quomodo ergo nunc dictum est Aposto-

los accepisse apostolatum a Deo Trinitate A
per Jesum Christum? Et respondendum,
quod apostolatus, qui est gratia gratis da-
ta, et gratia gratum faciens, sunt quidem
a Deo, et etiam a Christo secundum quod
Deus est, auctoritative, primo et princi-
paliter. A Christo autem secundum quod
I *Tim.* II, 5. mediator est Dei et hominum, sunt me-
diate et exsecutive, seu dispositive, et
quodammodo instrumentaliter. Per Chri-
stum enim seu per meritum ejus, omnia
divinarum munera gratiarum nobis præ-
stantur, secundum quod ipse testatur : B
Joann. XVI, 23. Quidquid petieritis Patrem in nomine meo,
dabit vobis. Propter quod in conclusi-
onibus Orationum Ecclesiæ communiter
dicitur : Per Dominum nostrum Jesum
Christum.
7 *Omnibus qui sunt Romæ dilectis Dei,*
I *Joann.* IV, 10. id est a Deo æternaliter præamatis : ipse
enim prior dilexit nos; *vocatis sanctis,* id
est fidelibus per divinæ vocationis gra-
tiam sanctificatis, qui etiam veraciter san-
cti appellantur.
Gratia, de qua nunc factus est sermo, C
quæ est principium omnis actionis me-
ritoriæ, ponens animam in esse spirituali
et grato, *vobis, et pax* interna, quæ est
tranquillitas mentis, et quies in debita
interiorum ordinatione consistens, de qua
Is. XLVIII, 22. Propheta, Non est (inquit) pax impiis, di-
Ps. CXVIII, 165. cit Dominus ; et in Psalmo, Pax multa
diligentibus legem tuam : præstetur et
insit vobis *a Deo Patre nostro,* qui est
Pater Christi per naturam, et Pater noster
per gratiæ infusionem, sive adoptionem :
Joann. XX, 17. de quo Christus in Evangelio, Ascendo D
ad Patrem meum et Patrem vestrum.
Quum ergo sit Pater noster, cum omni
fiducia ab eo gratiam postulare debemus,
quia ut indulgentissimus pater, libenter
tribuet egenis mendicisque filiis quidquid
rationabiliter petunt ac jugiter. Ideo nam-
Luc. XI, 13. que in Evangelio ait Salvator : Si vos,
quum sitis mali, nostis bona data dare
filiis vestris, quanto magis Pater vester
cœlestis dabit spiritum bonum petentibus
se? *Et Domino Jesu Christo.* Ex hoc ar-
guitur Christum esse verum Deum, quum
nullus sit actor aut dator pacis internæ
et gratiæ, nisi Deus omnipotens. Sequi-
tur quoque, Deum Patrem et Christum
esse unum ac idem causale principium
pacis et gratiæ, quoniam solus Creator est
causa hujus pacis et gratiæ. Unde con-
stat utriusque esse eamdem deitatem, eam-
demque virtutem et operationem, juxta
illud : Quæcumque facit Pater, hæc et *Joann.* V, 19.
Filius similiter facit. Et idem rite senti-
tur de Spiritu Sancto, qui hic non expri-
mitur, quoniam Patre et Filio nomina-
tis, intelligitur tanquam amor et nexus
osculumque amborum.
Præmissa persona scribentis, et eis qui-
bus scribitur commemoratis, forma quo-
que salutationis præhabita, sequitur nar-
ratio. *Primum quidem,* id est ante cetera 8
quæ dicturus sive acturus sum; vel, Pri-
mum, id est præcipue ; *gratias ago Deo
meo,* simplici in essentia, et trino in Per-
sonis : qui licet sit omnium Deus ratio-
ne creationis, est tamen specialiter Deus
meus, propter singularem caritatem et
pietatem ejus super me ; et item propter
præcipuam spem, dilectionem ac cultum
quibus ei inhæreo, dicens cum Psalmi-
sta : Deus cordis mei et pars mea Deus *Ps.* LXXII, 26.
in æternum. Solet autem Apostolus (et
ita fieri decet) a gratiarum actione in-
cipere. *Per Jesum Christum,* secundum
quod homo est et Dei ac hominum me-
diator : ita quod Christus est mihi causa
gratias agendi Deo meo, quoniam bene-
ficia ejus, et omnia quæ ipse pro nobis
fecit ac pertulit, excitant et obligant me
ad gratias Deo altissimo referendas, qui
tanta bona hominibus per Christum lar-
gitus est. *Pro omnibus vobis,* id est pro-
pter beneficia Dei vobis collata ; vel, Pro
omnibus vobis, id est pro vestro profe-
ctu atque salute, quatenus me pro vobis
gratias referente, augeatur in vobis sa-
lus et gratia Christi ; vel, Pro omnibus
vobis, supplendo vestrum imperfectum ;
vel, Pro omnibus vobis, id est in persona
omnium vestrum, seu vice vestra. *Quia*

fides vestra annuntiatur in universo mun- A
do, id est in multis ac principalibus fi-
nibus mundi. Romani enim, quoniam toti
mundo præsidebant, famosissimi erant, et
ideo fides eorum per omnia ora fideli-
um volitabat. Dixerunt enim aliæ Eccle-
siæ gentium : Ecce Roma, quæ est caput
ac domina mundi, fidem suscepit. Sic-
que confirmabantur in fide exemplo fi-
dei Romanorum.
In his verbis commendatur nobis cari-
tas sancti Apostoli, qui de proximorum
salute sicut de propria exsultavit et gra-
tias retulit. Ita et nos agere competit, ut
scilicet gratias Deo agamus, quum audi-
mus aut scimus proximos nostros spiri-
tualiter prosperari. Unde infra scriptum
Ephes. v, 20. est : Gratias agentes Deo pro omnibus
semper. Asserit quoque Apostolus se gra-
tias agere de fide Romanorum, quoniam
fides fundamentum est universarum vir-
tutum. In fide tamen includit cetera dona
gratiæ Dei.
9 *Testis enim mihi est Deus, cui servio*
cultu latriæ *in spiritu meo,* id est in su-
perioribus viribus animæ meæ, videlicet :
in intellectu, credendo, orando, contem-
plando ; et voluntate, sperando, amando,
et cetera bona opera agendo ; *in Evan-*
gelio Filii ejus, quod aliis prædico, cui
obedio, et pro quo multa sustineo. Evan-
gelium autem Filii Dei seu Christi, est
annuntiatio bona, et sancta doctrina, quam
Christus primo edocuit, et per Apostolos
aliis nuntiavit. Hoc loco, sicut et alias
sæpe, jurat Apostolus, quatenus melius
sibi credatur. Quod fecit propter infirmi-
tatem eorum quibus loquebatur. Nec ta-
men fecit contra illud Salvatoris in Evan-
Matth. v, 34. gelio : Ego dico vobis, non jurare omnino ;
Ibid. 37. et iterum : Sit sermo vester, Est, est, Non,
Jacob. v, 12. non. Unde et Jacobus dicit : Ante omnia
nolite jurare. His enim verbis prohibe-
tur juratio falsa, consulitur jurationis dis-
suefactio, permittitur juratio necessaria.
Matth. v, 37. Propter quod Christus adjecit : Quod am-
plius est, a malo est. Non dixit, Malum
est, sed, A malo est, id est ab imperfe-
ctione vel incredulitate ejus propter quem
juratio adhibetur. Imo juratio debite cir-
cumstantionata, est actus virtutis quæ la-
tria nuncupatur. Unde scriptum est : Do- Deut. vi, 13.
minum Deum tuum timebis, et per nomen
ejus jurabis ; et in Psalmo, Laudabuntur Ps. lxii, 12.
omnes qui jurant in eo.
Hujus itaque rei testis est mihi Deus,
quod sine intermissione, id est omnibus
congruis horis seu aptis temporibus, *me-*
moriam vestri facio, id est, vestri remi-
niscor, et coram Deo memor sum vestri,
B *semper,* id est in omni tempore conve- 10
nienti : juxta quem sensum ait Salvator,
Oportet semper orare, et non deficere ; *in* Luc. xviii, 1.
orationibus meis. Ex isto elucescit, quod
interdum licet et expedit ut unus alii
manifestet dilectionem, sollicitudinem et
laborem, quibus pro ipso afficitur et fa-
tigatur, non ad accipiendum humanum
favorem, aut temporalem mercedem, sed
ut alius ex hoc ad meliora provocetur,
atque de proximo suo melius sentiat et
confidat. Quod tunc maxime fieri debet,
C quum unus de alio sinistre aut impie
suspicatur. *Obsecrans,* hoc est, per sa-
crorum commemorationem orans : sicut
quum dicitur, Per passionem tuam libe-
ra nos ; *si quo modo,* id est ut aliquo
modo, *tandem aliquando,* post multa ac
longa desideria, *prosperum iter habeam*
in voluntate Dei, hoc est secundum di-
vinæ voluntatis beneplacitum : non enim
illud absolute oro aut appeto, nisi divi-
na voluntate supposita, semper dicens,
Fiat voluntas tua ; *veniendi ad vos,* o Ro- Matth. vi, 10;
D mani. Nam et ideo creditur Paulus Cæsa- Act. xxv,
rem appellasse, etc., quatenus occasionem 11.
haberet veniendi Romam.
Desidero enim videre vos, ut aliquid 11
impertiar vobis gratiæ spiritualis, id est,
gratiam mihi collatam vobis communi-
cem, instruendo vos plenius de evange-
lica lege, et disponendo corda vestra per
meam exhortationem ad abundantiora do-
na Spiritus Sancti : quemadmodum Petrus
monet, Unusquisque sicut accepit grati- I Petr. iv,
am, in alterutrum illam administrantes, 10.

sicut boni dispensatores multiformis gra-
tiæ Dei. Non enim debet homo, præsertim
prælatus, prædicator, aut doctor, talen-
tum sibi concessum abscondere, quia ut
Eccli. XLI, 17. in Ecclesiastico habetur : Sapientia abs-
condita et thesaurus invisus, quæ utili-
tas in utrisque? *Ad confirmandos vos* in
veritate fidei, et observatione evangelicæ
12 legis. *Id est simul consolari in vobis,* hoc
est, ad hoc cupio vobis gratiam imperti-
ri, ut ex vestra confirmatione, ego quoque
in vestro profectu consoler et gaudeam :
quoniam sicut de vestra imperfectione
contristor, ita de vestra perfectione ju-
cundor; *per eam quæ invicem est, fidem
vestram atque meam,* hoc est per com-
munem ac mutuam fidem nostram : quæ
est fides catholica, in qua fundatur, et
ex qua oritur consolatio, qua unus fi-
delium de profectu et bono alterius con-
solatur. Hæc quippe consolatio fundatur
in hoc, quod credimus et speramus simul
ad æternam felicitatem pertingere. Loqui-
tur autem de fide formata, quæ per di-
lectionem operatur, non de fide informi.
13 *Nolo enim vos ignorare, fratres, quia
sæpe proposui venire ad vos,* si tamen
Deus permitteret, *et prohibitus sum,* id
est, impeditus, vel ex divina revelatio-
ne vetitus sum ab exsecutione propositi
mei, *usque adhuc* quum præsentem scri-
bo epistolam. Impeditus autem fuit Apo-
stolus per captivitatem seu aliam occupa-
tionem. Vel propter Romanorum peccata
nondum permisit eum Christus pergere
A Romam, quomodo in Actibus legitur :
Vetati sunt Paulus et sui a Spiritu San- *Act.* XVI, 6, 7.
cto loqui verbum Dei in Asia; et non
permisit eos Spiritus Jesu. Postea tamen
prædicavit Paulus in Asia. *Ibid.* XIX, 10, etc.
Ideo autem proposui venire ad vos, *ut
aliquem fructum habeam in vobis,* id
est, spiritualem profectum in vobis pro-
ducam, vosque in gratia Dei ac bonis
operibus fructificare faciam, et etiam ut
vobis prædicando, majus meritum in præ-
senti, majusque præmium in futuro ac-
B quiram : quæ omnia finaliter refero ad
gloriam Dei sublimis ac omnipotentis;
sicut et in ceteris gentibus quibus præ-
dicavi, fructum aliquem habeo. *Græcis* 14
qui naturali ingenio pollent, et philoso-
phiæ inventores fuerunt, *ac Barbaris,* id
est hominibus duris, et quasi sine lege
viventibus (omnes autem præter Latinos,
Hebræos et Græcos, Barbari appellantur),
sapientibus et insipientibus, id est fide-
libus et infidelibus, doctis et indoctis,
unum Deum verum noscentibus, et idola
C venerantibus, *debitor sum* prædicare eis
Evangelium regni cœlestis, non propter
eorum merita, aut dona ab eis recepta,
sed ex commissione divina, et propter
beneficia mihi divinitus condonata, quæ
ordinantur ad hoc ut omnibus prædi-
cem. Gratiæ enim gratis datæ, ordinantur
ad proximum. *Ita quod in me promptum* 15
est, id est, sic quod ego ob hanc obligati-
onem, magis tamen ex caritate, paratus
sum *et vobis qui Romæ estis, evangelizare.*

ARTICULUS IV

PROSECUTIO EXPOSITIONIS HUJUS PRIMI CAPITULI, AB EO LOCO QUO DICITUR :
NON ENIM ERUBESCO EVANGELIUM.

MERITO dixi me esse paratum evan-
16 gelizare et vobis Romanis : *Non
enim erubesco Evangelium,* hoc est, non
confundor publice annuntiare crucem et
D passionem ac cetera mysteria Christi, quæ
in Evangelio describuntur, atque a re-
probis irridentur. Paratus sum namque
pro nomine Jesu contumeliam pati, quo- *Act.* V, 41.

Luc. IX, 26. niam ipse ait : Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, quum venerit in regno suo. Huic conso-
Ps. CXVIII, 46. nat illud Psalmistæ : Et loquebar in testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar. Ratio hujus subjicitur : *Virtus enim Dei est in salutem omni credenti*, hoc est, Evangelium Christi est virtus, id est potens effectus divinæ potestatis, seu fortis doctrina, proficiens in salutem æternam omni credenti per fidem formatam ac perseverantem, *Judæo primum*, hoc est ex Judaismo conversis, videlicet primitivæ Ecclesiæ, quæ ex Judæis constabat. Nam et Christus dice-
Matth. XV, 24. bat : Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel, hoc est, ad Synagogam primo ac principaliter missus
Act. XIII, 46. sum. Ideo Paulus aiebat Judæis : Vobis oportebat primum loqui verbum Dei. Deinde *et Græco*, hoc est ex gentilitate conversis, valet Evangelium. Per Græcos, quasi a digniori, gentiles significat. Repulsa enim prædicatione Apostolorum a Judæis, justa facta est transmigratio ad gentiles, secundum quod Paulus testa-
Ibidem. tur : Quia repulistis illud, et indignos vos judicastis vitæ æternæ, ecce convertimur ad gentes. Secundum Haymonem, Evangelium dicitur virtus Dei, quoniam
I *Cor.* I, 24. Christum Dei virtutem annuntiat. Secundum Ambrosium vero, dicitur virtus Dei, quoniam valet ad indulgentiam peccatorum, et ad operationem miraculorum.

Quod autem Evangelium sit virtus Dei, proficiens in salutem omni credenti, con-
17 sequenter declarat. *Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem*. Hæc justitia Dei, quæ revelatur seu manifestatur in Evangelio, sicut in scriptura veraci, vel in Judæo et Græco, sicut in subjecto justificato, tripliciter intelligi potest : Primo, de increata justitia Creatoris, quæ est ipsemet Deus sanctus et justus. In Evangelio quippe increata Dei Patris justitia declaratur sive describitur : quomodo scilicet maluit Unigenitum suum pati et mori, quam peccata manere in-

A ulta ; et quomodo Christus per viam justitiæ mundum redemit ; quomodo etiam Pater omne judicium præstitit Christo, *Joann.* V, 22.
et per ipsum judicaturus est omnes, da- II *Tim.* IV, 1.
turusque singulis quod merentur. Nunc tamen potissimum loquitur sanctus Apostolus de justitia Dei qua infideles et impii justificati sunt gratis. — Sed quum hoc ad misericordiam Dei pertineat, mirum videtur quomodo illud justitiæ adscribatur. Et respondendum, secundum Anselmum, quod tanta est bonitas atque B benignitas Dei, ut justum sit eum etiam indignis et impiis misereri ac parcere. Sicque, ut hujusmodi actu attenditur justitia ex parte bonitatis divinæ secundum se ipsam acceptæ, misericordia quoque in eo attenditur ex parte bonitatis divinæ ad indignos relatæ.

Secundo exponitur de justitia Dei creata, quam ipse causat in nobis : per quam justificamur formaliter, quia per eam Deus justificat nos gratis, per fidem sine operibus legis. Dando enim animæ fi- C dem et gratiam, confert justitiam, per quam anima justificatur. Hæc justitia in Evangelio revelatur, et in Christianorum cordibus manifestatur. — Tertio exponitur de fideli ac vera divinarum promissionum adimpletione, qua Deus in Ecclesia et in Evangelio adimplevit quod in veteri Testamento prædixit, atque in populo Synagogæ præsignavit. Hæc justitia in Evangelio revelatur, Christo testante : Oportet impleri omnia quæ scripta *Luc.* XXIV, 44.
sunt in lege et Prophetis et Psalmis de D me ; et alibi, Unum iota non peribit de *Matth.* V, 18.
lege, donec omnia fiant.

De prædicta justitia Dei secundo modo accepta, alio loco dicit Apostolus, loquens de Judæis : Ignorantes Dei justiti- *Rom.* X, 3.
am, et suam volentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti ; et rursus, Inve- *Philipp.* III, 9.
niar in illo, non habens meam justitiam quæ ex lege est, sed quæ ex fide. Unde per Prophetam Dominus ait : Prope est *Is.* LVI, 1.
justitia mea ut reveletur. Erat namque in veteri lege velata, sed in Evangelio

est revelata. De qua justitia dicit Salva-
Marc. xvi, 16. tor : Qui crediderit et baptizatus fuerit,
salvus erit; et alibi, Fides tua te salvam
Matth. ix, 22. fecit; itemque, Qui credit in me, habet
Joann. vi, 47. vitam æternam.
Quælibet justitia Dei nunc prædicta,
revelatur *ex fide in fidem,* hoc est, ex
fide Prophetarum et Patriarcharum, in
fidem Apostolorum atque Ecclesiæ : quia
quod illi crediderunt futurum, isti cre-
diderunt impletum. Vel, Ex fide, id est
ex actu fidei unius articuli, in fidem, hoc
est in actum fidei alterius articuli. Om-
nia namque testimonia fidei sunt con-
nexa, et unum ex alio magis credibile
redditur, imo et quodammodo declara-
tur, magisque planum ac rationale judi-
Habac. ii, 4. catur. *Sicut scriptum est : Justus autem
ex fide vivit.* Hoc allegat Apostolus ad
probandum, quod justitia Dei revelatur
in Evangelio, vel in Christiano, ex fide
in fidem.
Sed quum fides sit una, juxta illud,
Ephes. iv, 5. Unus Dominus, una fides, unum bapti-
sma : quomodo nunc dicitur, Ex fide
in fidem, quasi sint fides diversæ? Et
respondendum, quod fides est una ex
parte objecti. Numeratur autem et diver-
sificatur ex parte subjectorum : in eo-
dem tamen fides non est nisi una nu-
mero, sicut et caritas. Unde, ut dictum
est, per fidem intelligitur actus fidei,
qui diversificatur. — Auctoritas vero ab
Apostolo introducta, habetur in Habacuc,
Habac. ii, 4. ubi legitur : Ecce qui incredulus est, non
erit recta anima ejus in semetipso ; ju-
stus autem in sua fide vivet. Cui concor-
Is. xxi, 2. dat illud quoque Isaiæ : Qui incredulus
est, infideliter agit. Unde in Ecclesiastico
Eccli. ii, 8. inducitur : Qui timetis Dominum, credite
illi, et non evacuabitur merces vestra.
Nullus etenim proprie justus est, nisi re-
ferat opera sua ad ultimum finem, qui
est supernaturalis felicitas. Hunc autem
finem non agnoscimus, nisi per fidem,
quæ in omni actu meritorio dirigit ra-
tionem. Idcirco in fide, tanquam in basi
seu fundamento virtutum, vivit justus.

A Hinc etiam ait Scriptura : Domine, oculi *Jer.* v, 3.
tui respiciunt fidem.
Porro, quod ex fide sit salus justitia-
que credentium, declarat consequenter
Apostolus ex opposito. *Revelatur enim* 18
ira Dei, id est justa ultio divinæ justi-
tiæ, *de cœlo,* per revelationes cœlestes
ab angelis factas, qui hominibus divi-
nam districtionem ac ultionem, seu pœ-
nas inferni, revelaverunt. Vel, Ira Dei de
cœlo, id est Dei cœli, seu Dei cœlestis,
de quo canitur, Laudate Dominum de *Ps.* cxlviii, 1.
B cœlis ; vel, Dei jùdicis, de cœlo venturi
ad judicandum vivos ac mortuos. Vel di-
citur ira Dei revelari de cœlo, quia in
die novissimo cœli ardentes (secundum II *Petr.* iii, 12.
Petrum apostolum), et angeli cum Judice *Matth.* xvi, 27.
venientes, ostendent iram Dei contra ini-
quos. Itaque revelatur ira, indignatio, de-
testatio Dei, *super omnem impietatem,*
qua peccatur in Deum, *et injustitiam,* qua
peccatur in proximum, *hominum* perver-
sorum, *eorum* videlicet *qui veritatem Dei*
quam agnoscunt, hoc est divinorum no-
C titiam, seu divinam justitiam, quæ fre-
quenter veritas nominatur, *in injustitia
detinent,* id est, injuste vivendo apud se
retinent, non procedentes in actum vir-
tutis, sed ipsam veritatem ab operis ex-
secutione retrahunt atque abscondunt :
quibus competit illud, Scienti bonum et *Jacob.* iv, 17.
non facienti, peccatum est illi ; et illud,
Melius erat non cognoscere viam justitiæ, II *Petr.* ii, 21.
quam post agnitionem retrorsum reverti.
Hoc loco incipit loqui Apostolus contra
peccata gentilium idololatrarum. De hac
D revelatione iræ Dei super impietatem et
injustitiam hominum, ipse Dominus per
Prophetam protestatur : Visitabo super *Is.* xiii, 11.
orbis mala, et contra impios iniquitatem
ipsorum ; et requiescere faciam superbi-
am infidelium, et arrogantiam fortium
humiliabo.
Insuper causa punitionis istorum sub-
jungitur. *Quia quod notum est Dei,* hoc 19
est, quod per naturalem rationem de Deo
sciri potest, videlicet quod Deus sit ju-
stus et sapiens, approbans bona et re-

probans mala, et quod ipsi soli sit cultus perfectissimus, utpote honor latriæ, exhibendus, *manifestum est in illis,* hoc est, gentilibus notum fuit. *Deus enim illis revelavit* per influentiam luminis naturalis, per quod anima rationalis ex creaturis intelligit Creatorem. De quo lumine *Ps.* iv, 7. scriptum est : Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. Unde Origenes ait : Notum Dei, est hoc quod ex mundi hujus dispositione et naturali ratione assequi possumus ; ignotum vero Dei, est ratio substantiæ ejus, quæ omnem latet creaturam, similiter et mysterium humanæ liberationis.

Pluribus autem modis Deus revelavit hominibus veritatem, videlicet per sapientiæ infusionem, per angelicam revelationem, per Sanctorum instructionem, per naturalem rationem. Secundum Damascenum quoque, omnibus naturaliter inserta est cognitio exsistendi Deum. Nunc tamen agit Apostolus de revelatione quæ fit per naturalem rationem, quæ ex creaturis ascendit ad Creatoris notitiam. Sub-
20 ditur namque : *Invisibilia enim ipsius,* id est divina natura incorporea, simplex et invisibilis, et perfectiones ejus quæ naturaliter sciri possunt, videlicet justitia, potentia, providentia, etc., quæ dicuntur invisibilia Dei, quoniam licet sint unum in Deo et ipsa divina essentia, tamen secundum rationem distinguuntur, diversimode significantur, et per diversa cognoscuntur. Hæc ergo invisibilia Dei, *a creatura mundi,* id est ab homine, qui inter creaturas hujus sensibilis mundi primatum sortitur : de quo Dominus di- *Marc.* xvi, 15. cebat, Prædicate Evangelium omni creaturæ, id est omni homini ; *per ea quæ facta sunt,* id est per res creatas, *intellecta,* id est intellectualiter contemplata : oportet enim invisibilia Dei intellectuali puroque oculo intueri ; *conspiciuntur,* id est, agnoscuntur. Vel, Per ea quæ facta sunt intellecta, id est per creata rite considerata. *Sempiterna quoque virtus ejus,* id est æterna potestas Dei, *et divinitas,*

A ab homine conspiciuntur per ea quæ facta sunt, non utique per speciem, vel quid sint, sed quia sunt, et quid non sunt.

Quum enim omnis creatura sit quidam radius sui creatoris, et omnis effectus sit quædam participata similitudo suæ causæ, quoniam unumquodque producit sibi simile : hinc certum est quod ex naturis creatis aliquo modo cognoscatur increata natura. Videntes quippe philosophi ordinem esse in rebus, et quod unum procedit, causatur et gubernatur ab alio,
B pervenerunt ad notitiam unius primi summique entis, quod oportuit esse æternum, perfectum et independens. Et uniformi quoque motu cœlestium corporum, et stabili consistentia mundi atque gubernatione inferiorum a superioribus, perpenderunt esse in universo unum quemdam summum provisorem, dominatorem ac principem. Quam multa autem vera, profunda ac mira agnoverint Plato cum suis, et Aristoteles cum Peripateticis, de invisibilibus Dei, de sempiterna virtute ac
C divinitate ipsius, patet in libris eorum. Sed et Proclus Platonicus in Elementatione sua theologica, de Deo atque divinis subtilissime loquitur, quamvis in multis aberret.

Prædictis autem verbis Apostoli consonat illud quoque Sapientis : A magni- *Sap.* xiii, 5. tudine speciei creaturæ poterit creator horum cognoscibiliter videri. Omnia enim, *Prov.* xvi, 4. ut Salomon ait, propter se ipsum operatus est Dominus, scilicet ut in creaturis divina majestas atque perfectio relucerent,
D sicque ex consideratione creaturarum incitaretur homo ad contemplationem, amorem, ac reverentiam Creatoris. Hinc scriptum est : Fecit Deus opera sua *Eccle.* iii, 14. ut timeatur ; et iterum, Levate in excel- *Is.* xl, 26. sum oculos vestros, et videte quis creavit hæc.

In tantum igitur cognoverunt Deum, *ita ut sint inexcusabiles* de suis peccatis, præsertim de idololatria. Non enim excusat eos ignorantia. *Quia quum cognovis-* 21
sent Deum per naturalem rationem, se-

cundum modum prætactum, *non sicut*
Deum glorificaverunt, serviendo ei cum
debita reverentia, *aut gratias egerunt* Deo
pro beneficiis suis; *sed evanuerunt,* hoc
est, inanes effecti sunt, *in cogitationibus*
suis vanis ac frivolis, glorificantes et ma-
gnipendentes se ipsos; *et obscuratum,* lu-
ce gratiæ privatum, et splendore divinæ
sapientiæ destitutum, *est insipiens cor eo-*
rum, impletumque est caligine vitiorum,
propter vanitatem cogitationum suarum.
Mich. II, 1. Unde scriptum est : Væ qui cogitatis in-
Is. I, 16. utile. Et alibi admonet Dominus : Auferte
malum cogitationum vestrarum ab oculis
meis. Per Salomonem quoque Sapientia
Prov. VIII, 12. Dei, Christus Dominus, contestatur : Ego,
inquiens, Sapientia habito in consilio, et
eruditis intersum cogitationibus.

22 *Dicentes enim se esse sapientes,* id est,
se ipsos de sua sapientia jactantes, atque
in se ipsis, non in fonte sapientiæ glo-
riantes, *stulti facti sunt* coram Deo seu
I *Cor.* I, 20. divino judicio, qui stultam fecit sapien-
tiam hujus mundi. Qui enim scientiam
creaturarum et naturalem sapientiam di-
vinorum non ordinat ad salutarem ac
supernaturalem sapientiam, et Dei hono-
rem, veraciter stultus est, tanquam con-
tra ordinem rerum faciens, et contra cen-
suram æternæ sapientiæ agens. Propter
Jer. LI, 17. quod scriptum est : Stultus factus est
omnis homo a scientia sua; et iterum,
Is. XLVII, 10. Sapientia tua et scientia tua decepit te;
Ibid. V, 21. et rursus, Væ qui sapientes estis in ocu-
lis vestris. — Sed videntur hæc de phi-
losophis verificari non posse. Quum enim
quidam interrogasset Pythagoram, an sa-
piens esset, dixit se sapientem non esse,
sed philosophum, id est sapientiæ ama-
torem. Et ejus exemplo posteri ejus se
non vocaverunt sapientes, sed philoso-
phos. Et respondendum, quod licet non
dicerent ore, corde tamen dicebant se
sapientes, paucissimis forsan exceptis, qui
nec idola coluerunt : de quibus modo non
agitur.

23 *Et mutaverunt gloriam incorruptibilis*
Dei, in similitudinem imaginis corrupti-
A *bilis hominis,* id est, cultum, honorem
et gloriam immortali et invariabili Deo
impendendam, exhibuerunt imaginibus,
statuis seu idolis hominum mortuorum,
et volucrum, et quadrupedum, et serpen-
tium. Quam verum sit hoc, in libro Sapi- *Sap.* XIII-XV.
entiæ prolixe describitur. Quomodo etiam
populus Judæorum tanto errori subjacuit,
talpasque ac vespertiliones adoravit, Isa- *Is.* II, 20; *Ezech.* VIII, 10, 11.
ias atque Ezechiel prosequuntur. Quidam
autem gentilium ipsas imagines, quidam
vero res significatas per imagines colu-
B erunt. *Propter quod,* id est propter ido- 24
lolatriam jam prædictam, quæ omnis pec-
cati origo efficitur, juxta illud Sapientis :
Infandorum idolorum cultura, omnis mali *Sap.* XIV, 27.
causa est, et principium et finis; *tra-*
didit illos Deus, non effective, sed per-
missive, gratiam suam justissime sub-
trahendo, *in desideria cordis eorum,* id
est in inordinatos appetitus et concupi-
scentias carnis, videlicet, *in immunditi-*
am luxuriæ, vel potius Sodomiticæ ma-
culæ; *ut contumeliis,* hoc est actibus ipsi
C naturæ injuriosis, nocivis atque contra-
riis, *afficiant corpora sua in semetipsis,*
hoc est, in eodem sexu atque supposi-
to, committendo peccata contra naturam.
Vel, In semetipsis, id est ad invicem :
nam et qui fornicatur, peccat in corpus I *Cor.* VI, 18.
suum.

Qui commutaverunt veritatem Dei in 25
mendacium, id est, divinitatem, honorem
et gloriam, soli vero omnipotentique Deo
adscribenda et exhibenda, transtulerunt
ad deos falsos seu idola, *et coluerunt, et*
D *servierunt creaturæ,* videlicet idolis suis,
potius quam Creatori, qui est Deus *be-*
nedictus in sæcula, amen. Ecce quanta
perversitas. Hæc traditio impiorum in de-
sideria cordis eorum, est gravissima pœ-
na quam Deus in præsenti infligit. Et
est pœna damni, cui in inferno corre-
spondet carentia beatificæ fruitionis. Un-
de Dominus ait in Psalmo : Dimisi eos *Ps.* LXXX, 13.
secundum desideria cordis eorum; ibunt
in adinventionibus suis. Unum namque
peccatum trahit ad aliud, idemque pec-

catum est peccatum et causa peccati, seu A
culpa et pœna culpæ. Nam homo unum
committendo peccatum, meretur a Deo
relinqui, atque in aliud prolabi. Et quanto aliquis se ipsum erigit altius, inaniusque extollit, tanto meretur profundius
Is. v, 21. cadere. Maxime quoque, qui tam sapientes sunt in propriis oculis, merentur relinqui, in tantum ut vitia carnis incidant, quæ sunt præcipue bestialia atque turpissima. Unde jam subditur :

26 *Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ,* id est in innominabilia B
vitia carnis, quæ sunt peccata contra naturam. Ignominia enim dicitur, quasi sine nomine dignitatis, quoniam talia scelera non faciliter explicantur. Prosequitur tamen Apostolus species tanti facinoris. *Nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum, in eum usum qui est contra naturam,* hoc est, organo sui sexus, quod ordinatur ad conceptionem prolis, abusæ sunt, ita ut femina feminæ misce-
27 retur. *Similiter autem et masculi, relicto naturali usu feminæ,* id est legitima seu C
naturali commixtione ac copula cum muliere, *exarserunt* igne libidinis *in desideriis suis* turpissimis *in invicem,* scilicet, *masculi in masculos turpitudinem operantes,* polluendo se mutuo variis modis. Sed et si masculus feminæ commisceatur alio modo, loco, seu organo, quam natura concessit, contra naturam peccatur. *Et mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes.* Sic construenda et intelligenda est littera : Prædicti idololatræ ac Sodomitici, *recipientes* a Deo D
permissive, a se ipsis autem causaliter : recipientes, inquam, et sustinentes *in semetipsis,* id est in propria natura, *mercedem sui erroris,* id est retributionem seu præmium suæ idololatriæ, scilicet traditionem et lapsum in passiones ignominiæ : *quam* mercedem *oportuit* vel decuit eos recipere secundum dictamen ac ordinem divinæ justitiæ, qua vitia vitiis proportionabiliter puniuntur. Unde quemadmodum jactantia propriæ sapientiæ meruit ut in idololatriam caderent, sic idololatria, propter gravissimam suam deformitatem, meruit ut innominabilia carnis peccata inciderent.

Et sicut non probaverunt, hoc est, non 28
putaverunt nec opere ostenderunt, *Deum habere in notitia* actus humanos, id est, æstimaverunt Deum non cognoscere peccata hominum, dicentes illud Job : Deus *Job* XXII, 12, 14.
excelsior cœlo est, nec nostra considerat, et circa cardines cœli perambulat ; et illud Ezechielis, Dereliquit Dominus ter- *Ezech.* IX, 9.
ram, et Dominus nos non videt ; *tradidit illos Deus in reprobum sensum,* hoc est in intellectum perversum, privando eos lumine gratiæ ac veræ sapientiæ, quatenus, sicut circa divinum intellectum erraverunt, sic in suo intellectu punirentur. Tales sunt omnes qui divinam providentiam negant. De quibus ait Psalmista : Dixerunt, Non videbit Dominus, nec in- *Ps.* XCIII, 7.
telliget Deus Jacob ; et Sophonias, Dicunt, *Soph.* I, 12.
Non faciet Dominus bene, et non faciet male. Contra quos Dominus loquitur per Amos prophetam : Cognovi multa scelera *Amos* V, 12.
vestra, et fortia peccata vestra. Vel sic : Sicut non probaverunt, hoc est, non curaverunt, Deum habere in notitia, id est cognoscere Deum veraciter, tradidit illos in reprobum sensum, excæcando corda ipsorum permissive, ita quod eis convenit illud propheticum : Sapientes sunt ut *Jer.* IV, 22.
faciant mala, bene autem facere nescierunt. *Ut faciant ea quæ non conveniunt,* hoc est, quæ Deo, rationi, atque Ecclesiæ contrariantur. Hæc dictio, Ut, non tenetur hoc loco causaliter, sed concomitanter. Non enim idcirco tradidit illos in reprobum sensum directe, ut faciant mala ; sed operatio mali consecuta est traditionem, seu derelictionem ipsorum prædictam. Sicque frequenter in libro isto accipitur.

Sic ergo tradidit illos Deus *repletos om-* 29
ni iniquitate, hoc est omni peccato. Pec- I *Joann.* III, 4.
catum enim iniquitas est, id est contra justitiam, secundum Joannem. Præterea, ponit partes seu species iniquitatis : *ma-*

litia, qua alter alteri damnum inferre A
conatur; *fornicatione,* hoc est illegitimo
cum muliere concubitu; *avaritia,* hoc est
inordinato appetitu temporalium rerum,
nequitia, id est perversitate, seu teme-
ritate nefaria, *plenos invidia,* quæ est
tristitia de bono alterius; *homicidiis, con-*
tentione, dolo; malignitate, hoc est vo-
luntate igne malitiæ inflammata; *susur-*
rones, hoc est discordiæ seminatores :
Lev. XIX, 16. contra quos Moyses præcipit, Non eris
susurro in populo; et Ecclesiasticus ait :
Eccli. XXVIII, 15. Susurro et bilinguis maledictus; multos B
30 enim turbavit pacem habentes. *Detracto-*
res, hoc est aliorum famam denigrantes,
de eorum defectibus inordinate loquen-
do, vel falsa imponendo. *Deo odibiles*
Sap. XIV, 9. quantum ad culpam. Odio enim Deo sunt
impius, et impietas ejus. Unde Ecclesia-
Eccle. X, 11. stes ait : Si mordeat serpens in silentio,
nihil minus eo habet qui occulte detra-
hit. Agendum est ergo quod ait vir san-
Ps. C, 5. ctus : Detrahentem secreto proximo suo,
hunc persequebar. *Contumeliosos,* id est
verbis vel actibus injuriantes. Quod val- C

de iniquum est, juxta illud : Homo assue- Eccli. XXIII, 20.
tus in verbis improperii, omnibus diebus
vitæ suæ non dirigetur. *Superbos,* appe-
tendo honores; *elatos,* nolendo habere
æqualem aut superiorem; *inventores ma-*
lorum, excogitando novos errores, aut cul-
pas; *parentibus non obedientes; insipi-* 31
entes, male sentiendo de rebus divinis;
incompositos moribus, *sine affectione,* id
est tepidos, carentes zelo justitiæ et ca-
ritatis fervore, *absque fœdere,* id est ob-
servatione pacti, societatis et amicitiæ.
Unde scriptum est : Qui dissolvit pactum, Ezech. XVII, 15.
numquid effugiet? *Sine misericordia,* id
est crudeles. Viscera namque impiorum Prov. XII, 10.
crudelia. In talibus adimpletur quod Ja-
cobus ait : Judicium sine misericordia fiet Jacob. II, 13.
ei qui non fecerit misericordiam.

Qui quum justitiam Dei, hoc est ju- 32
stum Deum, *cognovissent, non* tamen *in-*
tellexerunt, hoc scilicet, *quoniam qui ta-*
lia agunt, digni sunt morte æterna; *et*
non solum qui ea faciunt sunt digni
morte, *sed etiam qui consentiunt facien-*
tibus, ut nullus excusetur.

ARTICULUS V

EXPOSITIO CAPITULI SECUNDI : PROPTER QUOD INEXCUSABILIS ES, O HOMO.

Rom. I, 32. QUONIAM itaque digni sunt morte æter-
na, non solum qui peccata prædicta
committunt, sed etiam quicumque con- D
sentiunt, vel quum possint, non impedi-
1 unt : *Propter quod inexcusabilis es* a pec-
cato, *o homo omnis qui judicas,* id est,
damnas seu reprobas alium, non secundum
ordinem æquitatis ac regulas juris, sed
inordinato judicio. *In quo enim alterum*
judicas hoc modo, *te ipsum condemnas,*
id est, damnatione dignum ostendis ac
profiteris. Juxta quem sensum scriptum
Eccli. XXI, 30. est : Dum maledicit impius diabolum,
maledicit ipse animam suam. Unde ait

Salvator : Ex ore tuo te judico, serve ne- Luc. XIX, 22.
quam. Et alibi : Hoc tuum est judicium, III Reg. XX, 40.
quod ipse decrevisti.

Verumtamen, quoniam sacra Scriptura
frequenter hortatur nos ad judicandum
(juxta illud Prophetæ : Indicabo tibi, ho- Mich. VI, 8.
mo, quid sit bonum, aut quid Dominus
requirat a te : facere judicium; et infra
dicit Apostolus : Spiritualis homo omnia I Cor. II, 15.
judicat), frequenter quoque prohibet nos
judicare, præsertim in hoc libro Episto-
larum Pauli : ad agnoscendum ergo quo-
modo hæc omnia intelligi debeant, scire
oportet quod judicium proprie sumptum

est actus virtutis, videlicet determinatio juris seu definitio justi. Talis autem determinatio juris, est actus justitiæ : ideo judicium est actus justitiæ, tanquam inclinantis et disponentis judicantem, ut dignus atque idoneus sit ad judicandum. Actus namque virtutis ex virtute procedit. Nec potest bene judicare de operibus virtutis, qui habitum virtutis non habet. Unde castus bene judicat de pertinentibus ad castitatem, et fortis, de his quæ ad fortitudinem pertinent. Judicium tamen est actus rationis seu prudentiæ, tanquam dirigentis atque sententiam proferentis. In quantum itaque judicium procedit ex quadam connaturalitate judicantis ad judicata, requirit habitum virtutis in judicante.

Quoniam ergo judicium actus justitiæ est, in tantum licitum perhibetur, in quantum ex justitia oritur. Ad hoc autem quod judicium sit actus justitiæ, tria sunt necessaria : primo, ut procedat ex inclinatione virtutis, non ex impetu passionis aut suspicionis; secundo, ut procedat ex auctoritate præsidentis ; tertio, ut proferatur secundum rectam rationem prudentiæ. Quodcumque horum defuerit, erit inordinatum illicitumque judicium. Si etenim primum defuerit, vocatur perversum ; si secundum, dicitur usurpatum ; si tertium desit, temerarium appellatur. Unde Chrysostomus super Matthæum : Qui in magnis peccatis sunt, eos judicare non debent qui in eisdem peccatis aut certe minoribus sunt. Et hoc, secundum Thomam, potissimum verum est, quando peccata prælati aut judicis publica sunt, et quando non est necesse judicare de alio ratione officii. Si vero peccata occulta sint, et necesse sit judicare ratione injuncti officii, potest cum timore ac humilitate judicare sive arguere. Si autem peccata sint manifesta, et nihilo minus judicare oporteat, debet primo intra se pœnitere. Nobis vero diligenter pensandum est illud S. Ambrosii : Judicet de errore et culpa alterius, qui in se ipso

A non habet quod judicet, ne quum de alio judicat, in se ipsum ferat sententiam.

De prædictis ergo inordinatis judiciis intelligenda sunt loca Scripturæ in quibus vetatur judicium : sicut quum dicitur, Nolite judicare, et non judicabimini. *Luc.* VI, 37.
Potest autem et debet quilibet nostrum judicare, reprobare, et castigare se ipsum. In communi quoque possumus judicare de actibus atque generibus hominum, secundum doctrinam et determinationem Scripturæ : ut, quod omnis homicida damB nabitur, et omnis superbia sit peccatum. Duo vero sunt in quibus, secundum Augustinum, vitare debemus judicium : Primo, quum ignoramus quo animo aliquid fiat. Idcirco de occultis ac dubiis judicare prohibemur. Secundo, dum ignoramus qualis futurus sit qui judicandus videtur. Et quia hoc semper ignoramus, non debemus absolute personam alterius judicare, præsertim quum ignoremus an dignus sit amore, an odio, possitque om- *Eccle.* IX, 1.
ni momento a Deo tangi, compungi, pœC nitere, et purificari. De actibus tamen manifestis, et quæ animo bono fieri nequeunt, judicare permittimur, compatiendo potius quam spernendo.

Denique judicium duplex est, scilicet discretionis, quo inter bonum et malum discernitur, et remunerationis, quo de præmio sententiatur. Horum judiciorum utrumque laudabile est, servatis circumstantiis et conditionibus debitis. De judicio quippe discretionis Dominus loquitur per Prophetam : Si separaveris pretio- *Jer.* XV, 19.
D sum a vili, quasi os meum eris. De quo in Job habetur : Judicium eligamus, et *Job* XXXIV, 4.
inter nos videamus quid sit melius ; itemque, Numquid qui non amat judicium, *Ibid.* 17.
potest sanari ? Judicium autem remunerationis est duplex, videlicet approbationis, quantum ad bonos, et reprobationis, quantum ad malos.

Sciendum quoque quod Paulus hoc loco ad litteram loquitur contra Ecclesiam Romanorum, quæ ex Judæis et gentilibus collecta erat, qui se mutuo judicabant.

Judæus enim judicavit gentilem de transgressione legis naturalis, gentilis vero Judæum de prævaricatione legis divinæ. Quilibet vero istorum, secundum Apostolum, inexcusabilis est. Cujus ratio subditur. *Eadem enim agis,* hoc est, similia, vel eadem genere aut specie, tu Judæe, operaris, *quæ* in gentili *judicas,* id est redarguis atque condemnas; vel, eadem agis, tu gentilis, quæ in Judæo judicas. Hoc generaliter accipi potest de unoquoque nostrum qui de illo peccato alium judicat, quod ipse in se ipso non corrigit. Quod consequenter declarat Apostolus.

2 *Scimus enim* per naturalem rationem, vel supernaturalem illuminationem, *quoniam judicium Dei est secundum veritatem,* id est secundum justitiam, qua reddit singulis quod merentur, hoc est, scimus quod judicium Dei sit justum, *in eos,* id est adversus eos, *qui talia agunt,* id est, se invicem temerarie judicant, sicut jam dictum est. Tales enim reprobat Deus. Circa quod Origenes sic ait : Illud hoc loco videtur ostendi, quod solius Dei sit secundum veritatem judicium, quia corda hominum nosse et mentis secreta dignoscere, solius est Dei. Sunt enim quædam quæ committuntur, opere quidem malo, animo autem non malo : ut si quis, verbi causa, hominem non voluntate occiderit. Alia vero fiunt opere bono, sed animo non bono : ut si quis misericordiæ opus, non pro Dei mandato, sed ut laudetur ab hominibus, faciat. Hoc tamen non est sic accipiendum, quasi judicia hominum non sint justa et vera, sed quod non sunt tam universaliter vera et justa, nec adeo certa, maxime subtracta illuminatione divina.

3 *Existimas autem hoc, o homo omnis, qui judicas* inordinate *eos qui talia agunt,* id est, præmemorata peccata committunt, *et facis ea* quæ in aliis judicas, *quia tu effugies judicium Dei,* hoc est, damnationis sententiam et justa tormenta? quasi dicat : Noli hoc æstimare. Loquitur Apostolus interrogative.

A *An divitias bonitatis ejus,* id est pleni- 4
tudinem seu abundantiam pietatis divinæ, *et patientiæ,* qua non statim ulciscitur illatam sibi injuriam, *et longanimitatis,* qua diu iniquorum conversionem exspectat, ut indulgentiam consequantur : juxta illud Prophetæ, Propterea exspectat Dominus, ut misereatur vestri. (*Is.* xxx, 18.) Non enim vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. (*Ezech.* xxxiii, 11.) Patientia autem quum sit virtus moralis passionem tristitiæ ordinans, non proprie competit Deo nisi per B similitudinem operis. An ergo ista *contemnis?* quasi dicat : Mirum est si tantam pietatem et gratiam Dei non pensas neque honoras. Hanc contemnit, qui ex pia dilatione ultionis divinæ pejoratur, peccando securius, et concessa pœnitentiæ tempora expendendo in actibus pravis : quemadmodum scriptum est de ingrato ac impio, Dedit illi Deus locum pœnitentiæ, et ille abutitur eo in superbiam. (*Job* xxiv, 23.) *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* id est, hoc meC rito ignorare non debes, quod misericordia Dei te patienter ac longanimiter sustinendo, quantum in se est instigat et ducit te ad pœnitentiam peragendam. (II *Petr.* iii, 9.) Per inspirationem enim angelicam ac divinum instinctum admonentur iniqui converti ad Dominum. Unde Sapiens, Misereris (inquit) omnium, Domine, et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. (*Sap.* xi, 24.)

Deinde ostendit Apostolus quid homo meretur incidere, non attendendo bonitatem longanimitatis ac patientiæ Dei, qui
D pie præstolatur pœnitentiam nostram. *Se-* 5
cundum duritiam autem tuam, per obstinationem ac pertinaciam qua divinæ inspirationi resistis, nec verbo Dei mentem tuam aperis, *et impœnitens cor tuum,* quod de pristinis malis non dolet, nec futura vitare molitur, *thesaurizas,* id est multiplicas, *tibi iram,* id est districtam vindictam exercendam, *in die iræ et revelationis justi judicii Dei,* id est in die novissimo, in quo Deus maxime iratus videbitur, et secreta producet in lucem.

I Cor. iv, 5. Tunc enim revelabit abscondita tenebra- A
rum, et manifestabit consilia cordium.
Eccli. iii, 27. Hinc scriptum est : Cor durum male ha-
bebit in novissimo. Et de peccatore indu-
Is. xlviii, 4. rato Dominus ait per Prophetam : Scio,
quia durus es tu, et nervus ferreus cervix
6 tua, et frons tua ærea. *Qui reddet uni-
cuique secundum opera ejus : juxta illud
Apoc. xxii, 12. Apocalypsis : Ecce venio cito, et merces
mea mecum est, dare unicuique secun-
dum opera sua. Hoc novi et veteris Te-
stamenti Scriptura concorditer clamat. Un-
Eccle. xii, 14. de in Ecclesiaste scribitur : Cuncta quæ B
fiunt adducet Deus in judicium pro omni
errato, sive bonum, sive malum. Et Je-
Jer. xxxii, 19. remias propheta : Domine, cujus oculi
aperti sunt super omnes filios Adam, ut
reddas unicuique secundum vias suas. In
his autem atque similibus locis Scriptu-
ræ, per vias seu opera, intelligendi sunt
quicumque actus humani, tam interiores
quam exteriores, videlicet cogitatio, affe-
ctio, locutio, operatio.

Consequenter ostenditur in specie, quod
7 dicebatur in genere. *His quidem qui se-* C
*cundum patientiam boni operis, gloriam
et honorem.* Sic legenda est littera : Deus
reddet singulis secundum opera sua : *his
quidem qui* sunt *boni operis,* id est bo-
næ vitæ, *secundum patientiam* Dei, qui
eorum conversionem longanimiter exspe-
ctavit, et ita bene usi sunt patientia Dei,
reddet pro præmio *gloriam,* id est bea-
titudinem sive lætitiam, vel claram cum
laude notitiam, clarificando eos in cor-
dibus aliorum, *et honorem,* id est reve-
rentiæ exhibitionem in signum virtutis D
ipsorum : nam et Deus honorabit eos,
constituendo eos secum in regno cœlo-
rum; *et incorruptionem,* id est immorta-
litatem, impassibilitatem, atque perpetu-
am securitatem : his, inquam, *quærentibus
vitam æternam,* id est referentibus cun-
cta quæ agunt, ad ultimum finem seu
veram felicitatem, quæ est vita æterna,
non ad temporale commodum aut laudem
Matth. vi, 33. humanam. Unde ait Salvator : Primum
quærite regnum Dei; et Apostolus, Quæ
sursum sunt quærite. Hoc modo exponitur Coloss. iii, 1.
littera ista communiter. — Videtur quo-
que sic posse exponi : His qui secundum
patientiam boni operis sunt, id est, qui
opera bona patienter egerunt, et per pa-
tientiam custodierunt, dabit gloriam et
honorem. Propter quod dicit Salvator :
In patientia vestra possidebitis animas ve- Luc. xxi, 19.
stras. Vel sic : His qui secundum patien-
tiam ambulaverunt, id est, patienter con-
versati sunt, retribuet Deus boni operis, id
est pro bono opere, gloriam et honorem,
tanquam condignam mercedem.

His autem qui sunt ex contentione, id 8
est, insimul litigant et pacis jura violant,
vel Deo resistere satagunt, *et qui non ac-
quiescunt veritati,* id est justitiæ seu sa-
næ doctrinæ qua admonentur converti ad
Deum, *credunt autem iniquitati,* id est
vanis erroribus ac falsis dogmatibus : quo
contra dicit Apostolus ad Hebræos, Doctri- Hebr. xiii, 9.
nis variis et peregrinis nolite abduci. His
itaque superveniet *ira,* id est divina ul-
tio, *et indignatio,* id est detestatio qua
Judex æternus eos contemnet, *tribulatio* 9
corporis, *et angustia* mentis : venient,
inquam, hæc, *in omnem animam homi-
nis operantis malum,* nisi pœniteat (nam
et corporis pœna redundat in animam,
et econverso), *Judæi primum,* id est præ-
cipue, quoniam propter legem divinam
ei traditam gravius peccavit, et fortius
punietur, *et Græci.* Si per Græcos intel-
ligatur gens illa specialis, tunc Græcus
post Judæum exprimitur, quia præ ce-
teris gentibus magis peccavit atque pu-
nitus est, eo quod in naturali philoso-
phia et subtilitate ingenii præfulgebat.
Ubi enim majus donum scientiæ, ibi Luc. xii, 47.
prævaricator graviori subjacet culpæ et
pœnæ. Si vero per Græcum intelligantur
gentiles communiter, tunc post Judæum
ponitur Græcus, quoniam minus peccavit,
loquendo in genere, et ceteris paribus.

His verbis Apostoli consonat illud Pro-
verbiorum, quod ex persona æternæ Sa-
pientiæ dicitur : Quia vocavi, et renui- Prov. i, 24-27.
stis, et increpationes meas neglexistis, ego

quoque in interitu vestro ridebo, quum
irruerit repentina calamitas, et interitus
quasi tempestas ingruerit, quando vene-
rit super vos tribulatio et angustia. Hoc
loco Apostolus contentiosos redarguit. Un-
Jacob. III, 14. de et Jacobus apostolus dicit : Si zelum
amarum habetis, et contentiones sunt in-
ter vos, nolite gloriari, et mendaces esse
adversus veritatem. Denique tanta est cul-
pa contentionis, ut propter ipsam corpo-
ralis exercitatio reprobetur, dicente Do-
Is. LVIII, 4, 5. mino per Prophetam : Ecce ad lites et
contentiones jejunatis : numquid tale est
jejunium quod elegi ?
10 *Gloria autem et honor,* de quibus jam
dictum est, *et pax,* id est tranquillitas
mentis, seu securitas ab impugnatione
hostili, dabuntur pro præmio *omni ope-
ranti bonum* ex caritate, *Judæo primum,*
id est præcipue : quia in genere plus
aliis meruerunt Judæi ad Christum con-
versi, videlicet sancti Apostoli, ac primi-
tiva Ecclesia ; *et Græco,* id est gentilibus.
11 *Non est enim acceptio personarum apud
Deum :* id est, Deus in judicando non
attendit personam, et ea quæ non habent
rationem meriti sive demeriti, sed sola
opera pensat, et unumquemque secun-
dum merita sua judicat. Propter quod
Act. X, 34, 35. asserebat Petrus : In veritate comperi
quoniam non est personarum acceptor
Deus ; sed in omni gente, qui timet Deum
et operatur justitiam, acceptus est illi.
Et per Prophetam Dominus loquitur :
Ezech. XXXIII, 20. Unumquemque juxta vias suas judicabo.
Ad hanc perfectionem hortatur nos ser-
Lev. XIX, 15. mo divinus, per Moysen dicens : Juste
judicabis, nec consideres personam pau-
peris, neque honores vultum potentis.
Porro, quod apud Deum non sit per-
sonarum acceptio, sed justum judicium,
12 probat. *Quicumque enim sine lege* scri-
pta atque Mosaica *peccaverunt,* videlicet
non habendo legem, id est gentiles qui
peccatum commiserunt, non quia legem
scriptam transgressi sunt, quia nec eam
habuerunt, *sine lege peribunt,* id est, non
propter hujus legis prævaricationem dam-

A nabuntur, sed propter hoc quod legem
naturalem non servaverunt cum fide Sal-
vatoris saltem implicita, ut plenius os-
tendetur. Quum autem dicat Ambrosius,
Peccatum est prævaricatio legis divinæ,
quæri potest, quomodo aliquis peccare
valeat sine lege. Et respondendum, quod
in definitione Ambrosii, per legem divi-
nam intelligitur quælibet lex data a Deo,
a quo constat naturalem legem fluxisse,
datamque esse. *Et quicumque in lege*
scripta *peccaverunt,* eam non observan-
B do, sicut Judæi, *per legem,* id est ex ipsa
lege scripta, vel propter legis transgres-
sionem, *judicabuntur* judicio reprobati-
onis. Unde Christus aiebat Judæis : Est *Joann.* V, 45.
qui accusat vos Moyses, in quo vos spe-
ratis. *Non enim auditores legis* divinitus 13
datæ, *justi sunt apud Deum,* nisi obedi-
ant legi : ideo subditur, *sed factores le-
gis,* id est, qui legis mandata adimplent,
justificabuntur, id est, justi erunt ac
reputabuntur apud Deum. Nam et fides *Jacob.* II, 20.
sine operibus mortua est. Et in Evange-
C lio Christus testatur : Omnis qui audit *Matth.* VII, 26.
verba hæc, et non facit ea, assimilabitur
viro stulto qui ædificavit domum suam
supra arenam ; et alibi, Beati qui audi- *Luc.* XI, 28.
unt verbum Dei, et custodiunt illud. Ip-
sa ergo impletio legis per gratiam, ex
qua procedit impletio, justificat homi-
nem, estque justificatio ejus.
Denique, quod ipsa observatio legis ju-
stificet, elucescit ex hoc : *Quum enim* 14
gentes, id est gentiles, *quæ legem* scri-
ptam seu Moysis *non habent,* quia non
D tenebantur ad eam, *naturaliter,* id est
ex naturalis rationis dictamine, adjuti ta-
men lumine gratiæ, sine qua nemo un-
quam salvatus est : non enim ex puris
naturalibus quisquam salvatur, quum sa-
lus nostra sit supernaturalis felicitas, sci-
licet visio per speciem, ad quam sine
fide, caritate et gratia Dei nullus viator
pertingit ; *ea quæ legis sunt faciunt,* id
est, legem scriptam observant, quantum
ad præcepta moralia Decalogi, quæ sunt
de dictamine rationis naturalis ; *ejusmo-*

di gentes *legem* Mosaicam *non habentes, ipsi sibi sunt lex,* id est, propria ratio
15 est eis pro lege; *qui ostendunt,* bene vivendo, *opus legis,* quod a lege scripta præcipitur fieri aut vitari, *scriptum in cordibus suis,* id est intellectui naturali impressum : ita quod ratio dictat eis quod dictat lex scripta. Dum enim non
Tob. IV, 16; Matth. VII, 12. faciunt alteri quod sibi nolunt fieri, quod utique naturalis ratio dictat, implent ea quæ jubet lex scripta. Nam et secundum
Rom. XIII, 8. Apostolum, Qui diligit proximum, legem implevit.

Hi ergo qui naturaliter agunt ea quæ legis sunt, sibi sunt lex : quod declarat Apostolus per effectum, videlicet per conscientiæ testimonium. Subditur enim, *testimonium* boni vel mali *reddente illis conscientia ipsorum,* quæ ex naturali judicio rationis reprobat malum, et approbat bonum : recalcitrat enim quodammodo operi vitioso, consentitque actui virtuoso; *et inter se invicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium.* More Græcorum ponit genitivum pro ablativo, ut sit sensus : Cogitationibus se invicem accusantibus, id est perversis cogitationibus quæ malos accusant, aut etiam defendentibus, id est cogitationibus bonis quæ bonos excusant atque defendunt : his, inquam, cogitationibus testimonium damnationis vel salutis reddentibus illis, id est prædictis gentilibus. Istæ cogitationes accusantes ac defendentes, hoc est malæ ac bonæ, examinantur, dijudicantur et declarantur coram naturali judicatorio hominis, quasi coram judice, per prima agibilium principia naturaliter inserta et cognita, sicut est illud :
Matth. VII, 12. Quod tibi vis fieri, fac alteri. Quamvis autem testimonium istud modo reddat conscientia, tamen in futuro extremo judicio clarius perhibebit. Tunc namque quilibet conscius erit sibi de propriis bo-
16 nis ac malis. Idcirco subjungitur, *in die quum judicabit Deus occulta hominum,* id est in die judicii, quando aperientur conscientiarum libri, *secundum evange-*
A *lium meum,* id est secundum quod ego evangelizo ac prædico. Evangelium enim est Christi, tanquam auctoris : Joannis vero, Matthæi, Lucæ, et Marci, tanquam scriptorum; Pauli autem et aliorum Apostolorum, tanquam prædicatorum. Quod vero mox subditur, *per Jesum Christum,* referri potest ad illud quod dictum est, Judicabit Deus, etc., quia per Christum hominem exercebitur illud judicium, ita quod ipse ut homo erit exsecutor judicii (Pater enim non judicat quemquam, Joann. V, 22.
B sed judicium omne dedit Filio); vel ad illud quod dictum est, Secundum evangelium meum. Per Christum enim factum est evangelium Pauli, sicut superius ait : Per quem accepimus gratiam et apostolatum. Rom. I, 5.

Potest quoque ita exponi : Testimonium illis reddente conscientia ipsorum, id est conscientia operum; nec solum conscientia operum, sed et conscientia cogitationum inter se invicem accusantium aut defendentium, juxta sensum præha-
C bitum. Dicit autem glossator, quod in die judicii cogitationes accusabunt animam vel defendent, non quæ tunc erunt, sed quæ nunc sunt in nobis : quarum quædam notæ atque signacula relinquuntur in corde nostro, velut in cera, quæ in occulto nunc pectoris posita, tunc revelari dicuntur per Christum. Sed contraire huic videtur quod ait Anselmus, et alii Sancti, quod etiam certum est, scilicet quod in die judicii erit in reprobis conscientia urens atque remordens,
D in electis vero conscientia bonæ fiduciæ. Omnium enim opera cunctis patebunt. Sciendum ergo, quod cogitationes quæ nunc sunt, tunc accusabunt vel defendent per modum meriti sive demeriti. Cogitationes vero quæ tunc erunt, accusabunt aut defendent, non per modum meriti vel demeriti, quia non erit tunc locus merendi aut demerendi, quum via sit finita, sed tanquam signa præteritorum meritorum aut demeritorum. Et sic glossator salvatur per distinctionem.

Consequenter Apostolus Judæos aggre- A
ditur, probans eos, quantum ad aliquid,
deteriores gentilibus. Quo enim plura be-
neficia atque auxilia contra peccatum
receperunt, eo gravius peccaverunt in
eodem genere culpæ : quia quo status
sublimior, eo ruina est major. Denique
excellentia status Judæorum fuit in hoc,
quod legem divinam, præcepta moralia,
judicialia ac cærimonialia, diversaque alia
gratiarum munera receperunt. Unde Moy-
Deut. IV, 8. ses loquebatur : Quæ est alia gens sic
inclyta, ut habeat cærimonias, justaque B
judicia, et universam legem, ut populus
tuus, Israel? Ipsi vero ingrati Deo fue-
runt. Propter quod Dominus conqueritur
Is. I, 2. per Prophetam : Filios, inquiens, enutri-
vi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me.
His ergo nunc ait Apostolus :
17 *Si autem,* id est quia, *tu Judæus co-*
gnominaris a Juda patriarcha, qui inter
I *Par.* V, 2. fratres suos fortissimus erat, ut dicit Scri-
ptura. Primo siquidem appellati sunt He-
Gen. X, 21. bræi ab Heber, in quo remansit lingua
Hebraica, quæ ante constructionem tur- C
ris Babylonicæ omnibus erat communis,
Ibid. XI, 1. juxta illud : Erat autem terra labii unius.
Postmodum dicti sunt Israelitæ a Jacob,
Ibid. XXXII, 28; XXXV, 10. qui vocatus est Israel. Tertio dicti sunt
Judæi a Juda. Hoc tamen nomine speci-
aliter vocabantur duæ tribus. Nam Israel
III *Reg.* XII, 19, 20. dictæ sunt aliæ decem tribus, a tempore
separationis suæ a domo David. *Et re-*
quiescis, id est persistis, *in lege* Mosai-
ca, non evagando per diversos errores
more gentilium, *et gloriaris in Deo,* id
18 est in cognitione ipsius, *et nosti volun-* D
tatem ejus ex doctrina legis ac Prophe-
tarum, *et probas,* id est, approbas seu
commendas, *utiliora,* id est perfectiora
et viciniora saluti, *instructus per legem,*
in qua diversi gradus perfectionum do-
19 centur; *confidis,* id est, præsumis et æsti-
mas, *te ipsum ducem esse cæcorum,* id
est tantæ perfectionis, ut aliis spiritua-
liter excæcatis possis viam virtutis os-
tendere, eosque in via Dei præcedere, at-
que ad rectum finem perducere; confidis

quoque te *lumen* esse *eorum qui in te-*
nebris ignorantiæ *sunt,* id est tantæ gra-
tiæ ac scientiæ, ut ignorantes valeas il-
lustrare, *eruditorem insipientium,* id est 20
divinorum cognitione carentium, scilicet
infidelium, quos Judæi sæpe converte-
runt ad Deum, *magistrum infantium,* hoc
est parvulorum seu imperfectorum, qui
solidum cibum capere non valentes, ex- *Hebr.* V, 12.
pertes sunt sermonis justitiæ, *habentem*
formam, id est perfectionem aliis exem-
plarem, *scientiæ* in agendis, *et veritatis*
in lege, id est in credendis ac specula-
tivis.
Porro, quod subditur, interrogative, ad-
mirative et increpative intelligendum est.
Qui ergo alium doces, te ipsum non do- 21
ces? id est, quum alium docere præsumas,
cur te ipsum non doces? Et mirum est
quod te ipsum non doces; et male agis,
eo quod te ipsum non doceas. Simili mo-
do legenda sunt quæ sequuntur. *Qui præ-*
dicas non furandum, furaris? Qui dicis 22
non mœchandum, mœcharis? Commise-
runt autem Judæi et spirituale furtum
ac mœchationem, subtrahendo a lege sen-
sum de Christo ac mysticum intellectum.
Qui abominaris idola, id est idololatriæ
cultum, *sacrilegium facis,* id est furtum
atque abusum rei sacræ? Aliqua enim
divino cultui deputata, propriis usibus
applicabant Judæi, quia avarissimi erant *Luc.* XVI, 14.
sacerdotes, Scribæ ac Pharisæi. Nam di-
vina præcepta suis superstitiosis tradi-
tionibus irrita fecerunt, ut Evangelium *Matth.* XV, 6.
loquitur. *Qui in lege,* id est de legis ac- 23
ceptione, *gloriaris,* dicendo, Quanta au- *Ps.* LXXVII, 3.
divimus et cognovimus ea; et, Non fecit
taliter omni nationi; *per prævaricationem* *Ps.* CXLVII, 20.
legis Deum inhonoras, non exhibendo ei
reverentiam debitam, obediendo manda-
tis ipsius? *Nomen enim Dei per vos,* id 24
est occasione vestri, *blasphematur inter*
gentes, id est a gentibus perfidis, quæ
videntes vestram perversitatem, Deum ve-
strum blasphemant, æstimantes eum in-
justum qui tales servos asseritur elegis-
se, *sicut scriptum est* in Ezechiele, ubi *Ezech.* XXXVI, 20.

prædicta verba habentur secundum trans- A
lationem Septuaginta interpretum. Nostra
autem translatio talis est : Ingressi sunt
ad gentes, et polluerunt nomen meum.
Et sicut Ezechiel ista dicebat de Judæis
sibi contemporaneis, ad quos missus erat,
sic Paulus hæc applicat Judæis sui tem-
poris.
Subinde ostendit Apostolus gravitatem
excessus Judæorum ex conditione circum-
cisionis. Circumcisio namque erat signum
justitiæ, et quædam professio legis ser-
vandæ, juxta illud Apostoli ad Galatas : B
Galat. v, 3. Testificor omni homini circumcidenti se,
quod debitor sit universæ legis facien-
dæ. Quemadmodum ergo nunc prodest
professio vitæ claustralis, si regula ob-
servetur; si vero regula omittatur, plu-
rimum obest, et peccatum gravatur : sic
de circumcisione erat tempore veteris Te-
stamenti. Hoc est quod Apostolus sub-
jungit.
25 *Circumcisio quidem prodest* ad gratiam
promerendam, videlicet tempore veteris
Testamenti, non autem Evangelio divul- C
gato, *si legem observes. Si autem præva-
ricator legis* Mosaicæ *sis, circumcisio tua*
carnalis *præputium facta est,* id est præ-
putio similis, non plus valens quam il-
26 lud. *Si ergo præputium,* id est gentilis
incircumcisus, *justitias legis,* id est præ-
cepta moralia, quæ sunt de dictamine
rationis naturalis, *custodiat* cum fide et
cultu unius Dei, ut tactum est, *nonne
præputium illius in circumcisionem re-
putabitur,* id est, tantum sibi proficiet ad
salutem, ut tibi, o Judæe, circumcisio D
tua? quasi dicat, Ita. Custodiendo enim
justitias legis modo præfato, spiritualiter
circumciditur, et filius Abrahæ reputatur.
27 *Et judicabit id quod ex natura est præ-
putium,* id est gentilis præputium natu-
raliter habens, ex gentilibus ortus et in
præputio natus, *legem consummans,* hoc
est, justitias legis scriptæ adimplens ex
naturali dictamine rationis : judicabit, in-
quam, id est, sui comparatione judicio
damnationis dignum ostendet, *te,* Judæe,
qui per litteram, id est legis scripturam,
et circumcisionem prævaricator legis es,
id est, nec per Scripturam sacram, neque
per circumcisionis significationem a pec-
cato retraheris, a quo gentilis retrahitur
per legem naturalem sine circumcisione
ac littera Scripturarum?
Quod autem gentilis juste vivens, me-
lior est Judæo circumciso injuste vivente,
et eum condemnet, probat Apostolus, eo
quod duplex sit circumcisio, scilicet spi-
ritualis, et carnalis. Quarum prima facit
spiritualem Judæum, secunda carnalem.
Unde Propheta : Omnes, inquit, gentes *Jer.* IX, 26.
habent præputium, omnis autem domus
Israel incircumcisi sunt corde. Ad spiritu-
alem vero circumcisionem admonet Moy-
ses : Circumcidite, inquiens, præputium *Deut.* X, 16.
cordis vestri, et cervicem vestram ne in-
duretis amplius. Et quantum caro est in-
ferior spiritu, tantum circumcisio carnalis
et carnalis Judæus inferiores sunt spiritu-
ali circumcisione atque Judæo. Ait itaque:
Non enim qui in manifesto, id est, 28
qui circumcisus est carne, et potest ho-
minibus signum Judaismi ostendere, *Ju-
dæus est* solum et vere : Judæus enim
interpretatur confitens, quod competit
non solum circumciso ; *neque quæ in
manifesto, in carne, est circumcisio,* id
est, circumcisio illa exterior pelliculam
tollens, est circumcisio perfecta ac vera.
Sed qui in abscondito, id est, qui corde 29
circumcisus est (quæ circumcisio homi-
nes latet, Deoque patet), *Judæus est* vere
ac spiritualiter, confitens Domino confes-
sione laudis divinæ : *et circumcisio cor-
dis,* id est circumcisio spiritualis facta
in spiritu, id est secundum spiritualem
intellectum Scripturæ veteris Testamenti,
non littera, id est non secundum sen-
sum litteralem ipsius ; vel, In spiritu, id
est virtute Spiritus Sancti, non littera,
id est litteralibus cultris legis. *Cujus,* vi-
delicet spiritualis circumcisionis, *laus non
ex hominibus,* qui in interiora tueri non
valent, neque de eis certum quidpiam I *Reg.* XVI, 7; *Prov.*
judicant, *sed ex Deo est :* qui inspector XXIV, 12.

est cordis, et spiritualem circumcisio-
nem, qua vitia præscinduntur, commen-
dat potius quam carnalem ; qui ab exor-
dio sæculi multos salvavit sine corporali
circumcisione, neminem vero sine cir-
A cumcisione spirituali. His verbis Apostoli
consonat, quod de carnalibus Judæis ait
Joannes in Apocalypsi : Dicunt se Judæ- *Apoc.* II, 9.
os esse, et non sunt, sed sunt synagoga
Satanæ.

ARTICULUS VI

ELUCIDATIO CAPITULI TERTII : QUID ERGO AMPLIUS EST JUDÆO ?

DECLARATO in quibus Judæi deteri-
ores erant gentilibus, nunc ostendit
in quibus eos præcellant. Movet autem
et solvit quæstionem quæ ex præindu-
1 ctis consurgit. *Quid ergo amplius est Ju-*
dæo? aut quæ utilitas circumcisionis?
id est, si tanta est vilitas atque iniquitas
Judæorum, ut eis præferantur gentiles,
sicut jam patuit, Quid ergo amplius, id
est majus aut dignius, est Judæo circum-
ciso, quam gentili incircumciso? aut quæ
utilitas fuit circumcisionis ? Omnia ista
referenda sunt ad tempus legis scriptæ,
2 non evangelicæ. Et respondet : *Multum*
melius est Judæo secundum statum pri-
orem, quam gentili solam naturalem le-
gem habenti, *per omnem modum* in ge-
nere, scilicet in omnibus quæ ad salutem
requiruntur. *Primum quidem* melius est
Judæis, *quia credita*, hoc est ex speciali
gratia tanquam amicis et familiaribus ad-
ministrata ac data, *sunt illis eloquia Dei*,
id est Scripturæ sacræ legis ac Prophe-
tarum. Nec obstat, quod quidam eorum
3 non crediderunt, sicut subjungit. *Quid*
enim obest prædictæ prærogativæ Judæ-
orum, *si quidam illorum non credide-*
runt eloquiis Dei de mysteriis Christi?
Numquid incredulitas illorum fidem Dei,
id est fidem divinam, quam alii habue-
runt de Deo, *evacuavit*, id est, inanem
effecit? vel, Fidem, id est fidelitatem Dei
de adimplendo quod promisit, evacuavit,
id est ab opere impedivit? *Absit*. Uni-
B uscujusque enim malitia in se ipsum
redundat.

Insuper, quod hominum incredulitas
fidelitatem Dei non evacuet, probat Apo-
stolus. *Est autem Deus verax* in sui ip- 4
sius natura, in opere atque sermone :
quoniam invariabile esse habet, et om-
nia juste dispensat, impletque veraciter
quidquid promittit simpliciter. Aliqua au-
tem promittit sub conditione, quæ non
semper implentur. *Omnis autem homo*
mendax, id est a vero atque incommu-
C tabili esse deficiens, vanitati subjectus, et *Eccle.* III,
per consequens, peccare potens et men- 19 ; *Rom.* VIII, 20.
tiri ac falli : quod subintelligendum est
de omni viatore secundum legem com-
munem. Unde ait Psalmista : Verumtamen *Ps.* XXXVIII,
universa vanitas, omnis homo vivens; et 6.
rursus, Ego dixi in excessu meo, Omnis *Ps.* CXV, 11.
homo mendax. In Numeris quoque scri-
ptum est : Non est Deus ut homo, ut *Num.* XXIII,
mentiatur, neque ut filius hominis, ut 19.
mutetur.

Sicut scriptum est : Ut justificeris in *Ps.* L, 6.
D *sermonibus tuis, et vincas quum judi-*
caris. Hoc allegat Apostolus ad ostenden-
dum quod Deus sit verax, implendo pro-
missa. Hæc enim verba locutus est David,
homicidio adulterioque perpetratis, ut sit
sensus : Ego David tibi soli peccavi et
malum coram te feci, *ut* tu, Domine Deus,
justificeris, id est, justus et verax agno-
scaris, non infringendo nec omittendo
propter mea facinora tuam promissio-

nem, qua mihi pollicitus es quod ex A semine meo humanam naturam assumeres : ex quo constat te verum esse in promissis ; *et vincas,* id est, prævaleas aliis, *quum judicaris* ab eis non debere promissionem tuam mihi de Christo factam implere propter scelera mea. Quum
II *Reg.* XI, 4, 15-17. enim David uxorem Uriæ violasset et cognovisset, ejusque virum occidisset, multi dicebant prædictam promissionem evacuatam, quoniam non deceret Christum de homicida et adultero nasci. Quum ergo Deus hujus dicti oppositum fecit, præ- B valuit istis. Hunc sensum intendit hoc loco Apostolus. Possunt quoque prædicta verba adhuc tribus modis exponi, sicut in expositione libri Psalmorum induxi ; sed hoc loco iste sufficiat. Sciendum vero quod hæc dictio, Ut, secundum hunc sensum, tenetur consecutive, non autem causaliter : quia non ideo David peccavit, ut Deus justificaretur, sed ex ejus peccato occasionaliter consecuta est manifestatio divinæ justitiæ, juxta modum expositum. C

Sed quoniam ex prædictis verbis David, quibus ait, Malum coram te feci ut justificeris, etc., quidam sumpserunt occasionem erroris, dicentes, quod nostra peccata atque mendacia directe faciunt ad gloriam Dei, videlicet ad manifestationem divinæ veritatis atque justitiæ, et per consequens, quod Deus vellet nos peccare et mentiri, quatenus comparatione nostri justior ac verior, imo solus justus ac verus appareret, et ut misericors agnosceretur dum nobis ignosceret : D hoc sanctus Apostolus reprobat, ducendo ad inconveniens. Ait ergo :

5 *Si autem iniquitas nostra justitiam Dei commendat,* id est, directe et per se commendabilem seu laudabilem facit, ut aliqui asserunt, *quid dicemus?* id est, quid respondere poterimus ad ea quæ sequuntur ex hoc? Primo enim sequeretur Deum esse injustum, qui peccata ulciscitur. Ideo subdit : *Numquid iniquus est Deus qui infert iram,* id est pœnam
pro culpa? *Secundum hominem dico. Ab-* 6
sit : hoc est, sic ego esse non assero, sed secundum carnales hoc sequitur. Quod enim per se facit ad gloriam Dei, non est puniendum, sed præmiandum ut bonum, quia per se ordinatur ad finem laudabilem. Si ergo iniquitas nostra per se facit ad gloriam Dei, injustus est Deus qui vindicat eam per tormenta. *Alioqui, quomodo judicabit Deus hunc mundum,* id est homines peregrinantes in terra? Si enim injustus est Deus, non poterit mundum hunc juste judicare, quia justitia maxime spectat ad judicem, prout Sapiens dicit : Diligite justitiam, qui judi- *Sap.* I, 1. catis terram. Quod autem non sit Deus injustus, elucescit ex verbo Psalmistæ dicentis : Quoniam rectus Dominus Deus *Ps.* XCI, 16. noster, et non est iniquitas in eo. Unde Josaphat aiebat : Non est apud Dominum II *Par.* XIX, 7. Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, neque acceptio munerum. Deus quippe gloriosus et fortis est ipsa essentia bonitatis, mensura et causa totius æquitatis : ideo culpa ei placere non potest. Quod confirmat Apostolus, subdens :

Si enim veritas, id est æquitas, *Dei in* 7
meo mendacio, id est per meum peccatum, *abundavit,* id est, quantum ad sui manifestationem directe crevit, clariusque innotuit : et hoc, *in gloriam ipsius* Dei, ita quod ex meo peccato per se gloriosior perfectiorque apparet ; *quid adhuc et ego tanquam peccator judicor?* id est, cur nunc usque injustus existimor? tanquam dicat : Si sic esset, non essem reputandus iniquus, quia non displiceret Deo iniquitas mea, ut dictum est.

Deinde destruit præmemoratum erro-
rem, ducendo ad aliud inconveniens. *Et* 8
non sicut blasphemamur, hoc est, si nostra peccata directe ordinantur ac operantur ad glorificationem divinæ justitiæ, sicut illi dixerunt, cur ita non est sicut nobis blaspheme imponitur? *et sicut aiunt quidam nos dicere,* id est, sicut pseudoapostoli affirmant me aliosque veros Apostolos prædicare illud quod se-

quitur, *faciamus mala ut veniant bona?* A
quorum pseudoapostolorum, qui nobis is-
ta imponunt, *damnatio justa est,* quia
mortaliter peccant. Quoniam enim Apo-
Rom. v, 20. stolus ait inferius, Ubi abundavit deli-
ctum, abundavit et gratia; et nunc simile
aliquid dixit, allegando verba Psalmi-
stæ; alii quoque Apostoli talia prædica-
verunt : ex his moti sunt æmuli Aposto-
lorum, dicentes quod prædicarent peccata
esse patranda et continuanda, quatenus
ex hoc sequerentur bona, videlicet glori-
ficatio seu manifestatio divinæ æquitatis B
ac pietatis.

Præterea advertendum, quod quum pec-
catum sit aversio mentis a Deo, et re-
cessus ab ordine, secundum Dionysium,
et ab eo quod est secundum naturam,
secundum Damascenum; idcirco per pec-
catum irrogatur Deo injuria, et directe
inhonoratur Deus, non glorificatur. Ve-
rumtamen, quoniam tanta est bonitas Dei,
ut non permitteret malum, nisi præno-
sceret aliud bonum inde venturum; et
tanta est virtus ejus, quod malum om- C
nino impediret, nisi aliquod bonum ex
malo elicere posset : propterea malum
culpæ indirecte atque per accidens, sci-
licet præter propriam conditionem, et
præter peccantis intentionem, ordinatur
et valet ad declarationem divinæ justi-
tiæ, secundum quod Deus per pœnam
ordinat culpam. In quo divina sapientia
atque justitia manifeste refulget : quem-
admodum etiam ex crudelitate tyranno-
rum, præter intentionem ipsorum, manife-
stavit Deus patientiam atque constantiam D
martyrum.

Jam declaravit Apostolus, Judæos ex-
cellentiores fuisse gentilibus pro tempore
legis scriptæ; nunc sciscitatur, an etiam
tempore evangelicæ legis Judæi excellant
9 gentiles. *Quid ergo* restat? *Præcellimus*
nos Judæi *eos,* id est gentiles ad fidem
conversos? *Nequaquam.* Loquitur autem
Apostolus de utroque populo isto in ge-
nere. Certum est enim, quod in speciali
loquendo, ipsi beati Apostoli, qui erant
Judæi, et primitias Spiritus receperunt, Rom. viii, 23.
ceteris eminebant. Loquendo vero in ge-
nerali, omnes pares sunt in gratia Evan-
gelii, sicut clarius ostendetur. Cur autem
non excellant Judæi gentiles, annectitur.
Causati enim sumus, id est, rationabiliter
declaravimus, *Judæos et Græcos,* id est
gentiles, *omnes sub peccato esse,* quia Ju-
dæi transgressi sunt legem scriptam, gen-
tiles legem naturalem, *sicut scriptum est* 10
in Psalmo, quantum ad sensum :
Quia non est justus quisquam, justitia Ps. xiii, 1-3.
meritoria, propriis viribus; *non est in-* 11
telligens ea quæ Dei sunt, per fidem for-
matam, sine lumine gratiæ, *non est re-*
quirens Deum per opera sancta, propria
potestate. *Omnes* isti jam dicti *declinave-* 12
runt a Deo atque justitia, *simul inutiles,*
id est vani, *facti sunt,* non pertingendo
ad ultimum finem, seu veram felicita-
tem; *non est qui faciat* per se, sine au-
xilio gratiæ, *bonum,* id est opus meri-
torium, *non est usque ad unum,* id est,
omnino nullus est. Vel, Non est usque
ad unum, id est, non est alius præter
Christum Deum et hominem, qui sub pec-
cato non fuit, et ea quæ placuerunt Pa- Joann. viii, 29.
tri, semper effecit. *Sepulcrum patens est* 13
guttur eorum, id est simile monumento
aperto, quoniam sicut ex tali sepulcro
ascendit fœtor cadaveris, sic ex ore is-
torum procedunt verba mortua atque fœ-
tentia; *linguis suis dolose agebant,* alios
decipiendo, vel sophistica et adulatoria
verba loquendo. Unde ait Scriptura : Qui Eccli. xxxvii, 23, 24.
sophistice loquitur, odibilis est; in omni
re defraudabitur. Non est illi data a Deo
gratia : omni enim sapientia defraudatus
est. Quocontra de electis Judæis scriptum
est : Reliquiæ Israel non facient iniqui- Soph. iii, 13.
tatem, nec loquentur mendacium; et non
invenietur in ore eorum lingua dolosa.
Venenum aspidum, id est verba venenata
ac detractoria, seu odium insanabile, *sub*
labiis eorum, quia parati sunt talia verba
evomere, aliosque inficere. *Quorum os* 14
maledictione, hoc est verbis maledicis ac
blasphemis, *et amaritudine,* id est sermo-

15 nibus pungitivis, *plenum est. Veloces pe-* A
des eorum spirituales, puta affectus, et
etiam corporales, ut currant *ad effun-*
16 *dendum sanguinem* innocentem. *Contri-*
tio, hoc est spiritualis destructio, tempo-
ralis punitio, seu omnis boni dissipatio,
et infelicitas, id est miseria, *in viis,* id
est operibus *eorum.* Committendo enim
mala prædicta, amittunt esse gratuitum,
Is. XL, 17. spirituale ac meritorium, et tanquam ina-
ne ac nihilum reputantur a Deo, et mi-
seri sunt, tanquam æterna damnatione
17 condigni. *Et viam pacis,* id est opera bo-
na, per quæ ad veram pacem pertingi-
tur; vel, Viam pacis, id est pacem hujus
viæ et gratiæ perducentem ad plenam
pacem patriæ; *non cognoverunt* per ap-
18 probationem ac imitationem. *Non est ti-*
mor Dei ante oculos eorum, id est, Deum
non metuunt, nec oculis cordis sui di-
vinum proponunt timorem, sed inanis-
sima securitate resolvuntur.

Multi arbitrantur Apostolum, allegatam scripturam sumpsisse ex psalmo in quo prædicta verba conscripta sunt; sed se- C cundum Hieronymum ita non est. Advertendum ergo, quod quum Hieronymus in prologo quintidecimi libri sui super Isaiam dixisset, Christum et Evangelistas atque Apostolos ea dumtaxat verba Scripturæ ex translatione Septuaginta interpretum allegare, quæ cum Hebraica veritate concordant, virgo Christi Eustochium, femina religiosa atque doctissima, objecit Hieronymo, quod Apostolus ad Romanos octo versus allegarit ex psalmo tertiodecimo, qui in Hebræo non D habentur, videlicet, Sepulcrum patens est (*Ps.* XIII, 3.) guttur eorum, usque ad id inclusive, Non est timor Dei ante oculos, etc., et videtur Apostolus ex translatione Septuaginta interpretum allegasse, vel ex psalmo illo, quod in Hebræo non habetur. Ad hanc objectionem stupefactus, pallidusque effectus Hieronymus, prout ipse testatur, quasi a fortissimo pugile cæsus, unius diei spatio postulato, et perlustrata Scriptura respondit, quod tota (Hieron. in prolog. lib. XVI super Isaiam.) pene epistola ad Romanos de veteri Testamento constructa est. Præmemoratum quoque testimonium octo versuum ex Psalmis et Isaia contextum est. Nam duo primi versus, videlicet, Sepulcrum patens est guttur eorum, Linguis suis dolose agebant, in quinto psalmo habentur (*Ps.* V, 11.). Quod autem subjungitur, Venenum aspidum sub labiis eorum, in psalmo centesimo tricesimo nono legitur (*Ps.* CXXXIX, 4.), qui incipit, Eripe me, Domine, ab homine malo. Porro quod subditur, Quorum os B maledictione et amaritudine plenum est (*Ps.* X, 7, sec. Hebr.), ex nono sumptum est psalmo. Alii vero tres versus, Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem, etc., ex quinquagesimo nono capitulo Isaiæ accepti noscuntur, ubi sic legitur : Pedes eorum (*Is.* LIX, 7, 8.) ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem innocentem ; vastitas et contritio in viis eorum, et viam pacis nescierunt. Ultimus vero versiculus, scilicet, Non est timor Dei ante oculos eorum, in principio psalmi tricesimi quinti habetur, quo dicitur, Dixit injustus ut (*Ps.* XXXV, 2.) delinquat in semetipso, non est timor Dei ante oculos ejus : Apostolus tamen allegat pluraliter, quia pluribus loquebatur.

Itaque prædicti versus nec in Hebræo, nec in Septuaginta interpretibus habentur, quantum ad psalmum tertiumdecimum, sed in editione vulgata. Lyra tamen asserit prædicta ex psalmo tertiodecimo allegata. Sed consentiendum est verbis Hieronymi : qui etiam ait, quod Græci expositores exponendo psalmum tertiumdecimum prædictos versus veru prænotant, neque exponunt.

Scimus autem quoniam quæcumque lex 19
loquitur, his qui in lege sunt loquitur.
Ex hoc multi affirmant, præinductam scripturam ad Judæorum populum pertinere, qui soli sub lege Moysis erant, de qua nunc tractat Apostolus. Sed obviat, quod Apostolus istam scripturam inducit ad ostendendum quod Judæi et Græci omnes sub peccato fuerunt, et quod nunc

protinus subditur, *ut omne os obstruatur, et subditus fiat omnis mundus Deo.* Est igitur sensus : *Scimus autem* nos Apostoli, Spiritu Sancto edocti, sacrasque Scripturas ceteris clarius intelligentes, *quoniam quæcumque lex,* id est veteris Testamenti Scriptura, *loquitur, his qui in lege* Moysis *sunt loquitur* primo ac principaliter, quemadmodum ait Salvator : Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel. (*Matth.* xv, 24.) Hoc dicit Apostolus retundendo Judæorum superbiam, scilicet, ne dicerent scripturam prædictam non pertinere ad eos, sed ad gentiles dumtaxat. Itaque lex dicit hæc etiam de Judæis, *ut omne os* præsumptuosum *obstruatur,* id est, ut nec gentilis neque Judæus præsumat se inaniter excusare ac justificare, eo quod, testante Scriptura, omnes peccato obnoxii sint, (*Eccle.* vii, 21.) *et subditus fiat omnis mundus,* id est omnis homo, Judæus et Græcus, *Deo,* cognoscendo propriam vilitatem et culpam, confugiendo quoque ad divinam pietatem ac gratiam, quasi non potens aliter salvari.

Præterea lex vetus tribus modis accipitur : Primo communiter, scilicet pro toto Testamento antiquo : sicque includit omnes libros canonicos veteris Testamenti. Et ita sumitur, dum ait Salvator : Ut impleatur sermo qui in lege eorum scriptus est, Quia odio habuerunt me gratis. (*Joann.* xv, 25.) Hoc enim habetur in Psalmo. (*Ps.* xxiv, 19.) Similiter quum Christus ait Judæis : In lege vestra scriptum est : Ego dixi, Dii estis. (*Joann.* x, 34; *Ps.* lxxxi, 6.) Secundo accipitur proprie pro Pentateucho seu quinque libris Moysis, ut quum dicitur : Oportet impleri omnia quæ scripta sunt in lege, et Prophetis, et Psalmis de me. (*Luc.* xxiv, 44.) Tertio sumitur stricte, pro præceptis cærimonialibus, ut quum subditur :

20 *Quia ex operibus legis,* id est ex observatione cærimonialium præceptorum legis, videlicet sacrificiorum, circumcisionis, et solennitatum custodia, *non justificabitur omnis caro,* id est homo, *coram illo,* scilicet Deo, ut acceptus sit ei per talia. Impossibile etenim est sanguine hircorum (*Hebr.* x, 4.) A et vitulorum auferri peccata, aut gratiam adipisci. Non enim gratiam conferebant, nec meritoria erant ex se, seu opere operato, sed ex fide et devotione observantium, id est ratione operis operantis. Opera vero præceptorum moralium justificabant, non tamen sine fide Christi et gratia Dei. *Per legem enim* scriptam, *cognitio peccati,* id est, ex ipsa lege cognoscitur quid sit malum; non autem vitatur virtute legis, sed per gratiam Dei. Hoc autem non est sic intelligendum, B quasi ante legislationem nescierint homines quæ opera essent vitiosa, sed quia non ita perfecte cognoscebantur peccata secundum gradus et species suas.

Deinde ostendit hominem justificari sine operibus legis, ex perfectione fidei christianæ. *Nunc autem,* id est tempore 21
gratiæ atque evangelicæ legis, *justitia Dei,* id est justificatio quam Deus clementer et gratiose efficit in nobis, peccata tollendo et gratiam infundendo, *sine lege,* id est Mosaicæ legis observatione, *manifestata est* C in gentibus ad fidem conversis per diversa miracula, quibus Deus declaravit fidem eorum sibi esse acceptam, quamvis non observaverint legem : quemadmodum in Actibus legitur, quod Deus in signo visibili dedit Spiritum Sanctum Cornelio centurioni gentili, et his qui erant cum eo. (*Act.* x, 44.) Justitia, inquam, *testificata,* id est prænuntiata ac testimonium habens, *a lege,* id est ex libris Moysis, in quibus multa de Christo et ejus justificatione quam facit in nobis, D prædicuntur verbis et signis, *et Prophetis,* qui de eadem re manifestius vaticinati sunt, et de futura in nobis gratia prædixerunt, secundum principem Apostolorum. (*Ibid.* iii, 22-24; *I Petr.* i, 10.) De missione enim Spiritus Sancti Deus per Joelem prædixit : Effundam de Spiritu meo super omnem carnem. (*Joel* ii, 28.) Propter quod Petrus de Christo loquens : Huic, inquit, omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem percipere peccatorum per nomen ejus omnes qui credunt in eum. (*Act.* x, 43.)

22 *Justitia autem Dei,* id est, nobis a Deo A
collata est, *per fidem* formatam *Jesu Chri-*
sti, id est per fidem catholicam, cujus
objectum et causa est Christus. Fides
enim est fundamentum justitiæ. Unde
Christus frequenter in Evangelio loqui-
Matth. IX, 22; *Luc.* VII, 50; XVIII, 42; etc. tur : Fides tua te salvum fecit. *In omnes*
Judæos, *et super omnes* gentiles, *qui cre-*
dunt in eum, hoc est in Christum per
fidem formatam, secundum quod in Ac-
Act. XIII, 39. tibus dicitur : In hoc omnis qui credit,
Ibid. XV, 9. justificatur ; et rursus : Deus fide puri-
ficans corda eorum. *Non enim est distin-* B
ctio Judæi et Græci tempore evangelicæ
legis, quantum ad justificationem præ-
Ibid. X, 34. dictam, quia non est personarum acce-
Marc. XVI, 16. ptor Deus. Et sicut Salvator aiebat : Qui
crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.
23 *Omnes enim* prædicti *peccaverunt :* et
ergo non propriis meritis, sed gratia Dei
justificantur, suntque consimiles in pec-
cato ac spirituali inopia, sicut subjun-
gitur, *et egent gloria Dei,* hoc est mise-
ratione divina, videlicet gratia, per quam
Deus gloriosus apparet : qui ex sua liber- C
rima bonitate salvat electos, ita ut nul-
lus in se ipso valeat gloriari, sed omne
24 bonum Domino adscribatur. *Justificati* ab
injustitia culpæ, *gratis,* sine præcedenti-
bus meritis, *per gratiam ipsius* Dei, quæ
est causa formalis nostræ justificationis,
sicut albedo est causa formalis albefacti-
onis parietis, *per redemptionem quæ est*
in Christo Jesu, id est per passionem et
sanguinem Christi, in quo est redemptio
nostra sicut in causa efficiente, ita quod
passio ejus est causa instrumentalis ef- D
fectiva ac meritoria nostræ salvationis.
Apoc. I, 5. Unde de eo scriptum est : Qui dilexit
nos, et lavit nos a peccatis nostris in
Is. LIII, 6. sanguine suo. Et Isaias ait : Dominus po-
suit in eo iniquitatem omnium nostrum ;
Ibid. 12. et, Ipse peccata multorum tulit.
25 *Quem,* videlicet Christum, *proposuit,* id
est, nobis manifeste exhibuit, *Deus* Pater
seu Trinitas, *propitiatorem,* id est recon-
ciliatorem ac mediatorem, *per fidem,* me-
diante qua consequimur fructum domini-
cæ passionis, seu gratiam Dei, *in sanguine*
ipsius, id est merito effusionis sangui-
nis Christi. Unde in Isaia propheta scri-
ptum est : Dominus posuit in eo iniqui- *Is.* LIII, 6.
tatem omnium nostrum. Et Joannes ait :
Advocatum habemus apud Patrem, Jesum *I Joann.* II, 1, 2.
Christum justum ; et ipse est propitiatio
pro peccatis nostris. Sic autem Deus pro-
posuit Christum propitiatorem finaliter,
ad ostensionem justitiæ suæ, id est, qua-
tenus se justum manifestaret, implendo
sua promissa, nec deserendo peccata im-
punita, imo in Christo quodammodo vin-
dicans ea, quemadmodum Isaias ait : Pro- *Is.* LIII, 8.
pter scelus populi mei percussi eum ;
et Christus in Psalmo, Quæ non rapui, *Ps.* LXVIII, 5.
tunc exsolvebam. Proposuit quoque sic
Christum propitiatorem ex parte nostri,
propter remissionem præcedentium deli-
ctorum, id est peccatorum quæ Christi
adventum præcesserunt. Vel, Propter re-
missionem delictorum præcedentium, id
est hominum qui ante Christi incarnati-
onem fuerunt, et tenebantur in limbo in-
ferni propter reatum originalis peccati.
Per Christi vero passionem redempti at-
que educti sunt, juxta illud Zachariæ : Tu *Zach.* IX, 11.
quoque, in sanguine testamenti tui, emi-
sisti vinctos tuos de lacu in quo non est
aqua. Delictorum, inquam, exsistentium
in sustentatione, id est in pia atque lon- 26
ganimi patientia, *Dei,* qui non statim
ultus est ea, sed clementer ignovit ; vel,
Præcedentium hominum exsistentium in
sustentatione Dei, qui eos in limbo sus-
tentavit ac conservavit sine pœna sensus.
Utramque vero sustentationem Deus ex-
hibuit *ad ostensionem justitiæ ejus,* id
est propriæ æquitatis vel justitiæ, quam
causat in nobis *in hoc tempore* evange-
licæ legis, *ut sit ipse* Deus *justus* in ope-
ribus suis, et a Christianis justus cogno-
scatur, tanquam auctor justitiæ nostræ,
et justificans eum qui ex fide est Jesu
Christi, id est quemcumque in Christum
credentem, qui in Deo renatus et spiri-
tualis effectus est virtute fidei, non justi-
tia legis.

Ex præinductis ostendit Apostolus va-
27 nitatem jactantiæ Judæorum. *Ubi est ergo*
gloriatio tua, o Judæe? id est, quoniam
Deus proposuit Christum propitiatorem
per fidem ad ostensionem seu manife-
stationem suæ justitiæ (secundum intelli-
gentiam præinductam), ubi jam est, o Ju-
dæe, vana gloriatio tua, qua de justitia
legis præsumens, te gentibus præferebas,
easque spernebas, et sine lege tua eas
non posse salvari putabas? *Exclusa,* id
est ablata, *est* gloriatio ista. *Per quam*
legem? An per legem *factorum,* id est
per legem Mosaicam? *Non* utique : illa
enim non salvavit per se; *sed per legem*
fidei, id est per legem evangelicam, quæ
salvat per fidem sine operibus legis. Ap-
pellatur autem lex Moysis, lex factorum,
præsertim quantum ad præcepta cærimo-
nialia. Sic quippe erat jugum gravis-
simum, laboriosissimis atque innumeris
observantiis plenum. De quo Petrus in
persona fidelium Judæorum loquens, te-
Act. xv, 10. statur : Quod neque nos neque patres
nostri portare potuimus. Secundum Au-
gustinum autem, lex Moysis dicitur, fa-
ctorum, quia minando imperabat, sed
gratiam faciendi non præstabat. Lex ve-
ro evangelica vocatur lex fidei, quoniam
opera mandat, et credendo gratiam faci-
endi acquirit.
28 *Arbitramur enim* nos Apostoli, a Spi-
ritu Sancto instructi, *hominem* quemcum-
que in Christum credentem, *justificari*
per fidem caritate formatam, *sine operi-*
bus legis cærimonialibus ac judicialibus.
Triplicia namque erant præcepta veteris
Testamenti, videlicet moralia, judicialia,
cærimonialia. Præcepta autem cærimoni-
alia, quoniam figurativa erant et pro sta-
tu illo solum accommoda, cessaverunt ve-
ritate veniente ac reserata, id est Christo
passo ac prædicato. Judicialia vero præ-
cepta sicut sine periculo in novo Te-
stamento omittuntur (dummodo a nullo
christiano prælato seu principe auctori-
tatem instituendi habente præcipiantur),
sic sine periculo observantur, si a supe-

A riori instituantur, et Christianorum regi-
mini congruant. Non enim solum figuralia
exstiterunt. Præcepta autem moralia, quæ
ordinantur ad bonos mores, et de acti-
bus virtutum immediate donantur, non
solum manent in novo Testamento, sed
etiam per evangelica Christi consilia per-
ficiuntur, et ad salutem requiruntur, juxta
illud Matthæi : Si vis ingredi ad vitam, *Matth.* xix, 17.
serva mandata.

Denique hominem justificari sine ope-
ribus legis per fidem, declarat Aposto-
B lus. *An Judæorum Deus tantum?* id est, 29
numquid Judæorum dumtaxat est Deus
creator et salus, principium et finis?
Nonne et gentium ipse creator et Deus
est? *Imo et gentium.* Sicut ergo omnium
Deus est, sic omnes uno modo justifi-
cat, puta per fidem. Et sicut omnes pro-
cesserunt ab ipso, sic omnes reducuntur
et convertuntur ad ipsum, per unum at-
que eumdem propitiatorem ac mediato- I *Tim.* II, 5.
rem Dei et hominum Jesum Christum.
Ideo subditur : *Quoniam quidem unus est* 30
C *Deus qui justificat circumcisionem,* id est
Judæos circumcisos, *ex fide* Salvatoris,
hoc est per fidem de Christo, *et* qui ju-
stificat *præputium,* id est incircumcisos
gentiles, *per fidem* eamdem. Eadem enim
fides est fidelium novi ac veteris Testa-
menti, quamvis tempora sint mutata, et
fides sit modo magis explicita. Quod equi-
dem illi credebant futurum, nos credi-
mus factum. Ipse quoque habitus fidei
(quæ est virtus theologica) est unus in
specie in omnibus fidelibus qui unquam
D fuerunt, sunt et erunt, propter formalem
unitatem objecti, quod est veritas prima,
propter quod credimus omnibus quæ ca-
dunt sub fide. Patet ergo quia id quod
ait, Ex fide et per fidem, sit idem in re,
quamvis in ipso modo loquendi videatur
distinctio. Apostolus namque frequenter
mutat præpositiones et modum locutionis
in eodem sensu.

Quoniam vero ex prædictis atque si-
milibus verbis imponebant Judæi Paulo,
quod esset legis destructor, propterea se

31 excusans, adjecit : *Legem ergo* Mosaicam
destruimus per fidem et Evangelium, ut
nobis imponitur ? *Absit. Sed legem sta-
tuimus,* id est, approbamus ac robora-
mus pro statu ac tempore. Quum ergo
lex vetus fuerit via ac dispositio ordinata
ad evangelicam legem, non dicitur de-
strui, sed impleri ac perfici evangelica
lege superveniente : cessat tamen, quan-
tum ad modum prioris observantiæ. Un-
de Ambrosius dicit : Non destruitur lex,
quum impleta secundum spiritum, cessat
A secundum litteram : quia hic, scilicet in
novo Testamento, gratia fidei est qua im-
pletur lex, quæ sine fide esset infirma.
Firmatur equidem lex, quoniam cærimo-
nialia spiritualiter implentur ; et quod
minus in moralibus continebat, in Evan-
gelio additur ; et quod tunc promitteba-
tur futurum, fides advenisse testatur. Tol-
litur autem littera occidens, et moralia II Cor. III, 6.
litteraliter manent ac perficiuntur. Pro-
pter quod ait Salvator : Non veni solvere *Matth.* V, 17.
legem, sed adimplere.

ARTICULUS VII

EXPLANATIO CAPITULI QUARTI : QUID ERGO DICEMUS INVENISSE ABRAHAM ?

DECLARATA insufficientia legis ad sa-
lutem per rationem, jam idem os-
1 tendit per exemplum, et ait : *Quid ergo
dicemus,* id est, si juxta præinducta cir-
cumcisio et præputium, seu Judæus et
gentilis, communiter atque æqualiter ju-
stificantur per fidem, quid tunc dicemus
*invenisse Abraham patrem nostrum se-
cundum carnem,* id est secundum carnis
originem, a quo ego Paulus et ceteri Is-
raelitæ secundum carnalem propagatio-
nem descendimus ? Vel, Secundum car-
nem, id est ex operibus legis carnalibus,
scilicet circumcisione et sacrificiis. Quasi
dicat : Ad quid profuit ei observantia
carnalium operum legis, videlicet imple-
tio cærimonialium præceptorum ? Quid
autem ad hoc responderi oporteat, ex se-
quentibus innotescit.

Respondendum est enim, quod non sit
perfecte et vere justificatus ex operibus
2 legis. *Si enim Abraham ex operibus legis*
prædictis carnalibus *justificatus est* ju-
stitia vera ac meritoria, *habet gloriam,* id
est veram beatitudinem pro mercede, *sed
non* habet eam *apud Deum,* hoc est a
Deo et coram eo, quoniam propria vir-
B tute, non gratia Dei, justificatus esset. Et
quia hoc consequens impossibile est, er-
go et illud ex quo infertur, videlicet quod
Abraham justificatus sit ex operibus le-
gis. Vel sic, et melius : Si Abraham ex
operibus legis justificatus est, habet glo-
riam, id est, dignus est laude ac præmio
pro sua justitia, sed non apud Deum,
quia justitia talis non fecit eum dignum
vita æterna. Ex parte enim operis ope-
rati, non erant præfata opera legis me-
ritoria, nec ipsa lex gratiam contulit per
C quam justificarentur observatores ipsius,
sicut lex nova, quæ gratiam confert pro-
pter sacramenta quæ includit : quæ sunt
signa et causa gratiæ justificantis. Operan-
tur quippe quod significant : quod sacra-
mentis veteris Testamenti non competit.

Deinde probat auctoritate Scripturæ,
quod Abraham justificatus est per fidem,
non per opera legis. *Quid enim Scriptura* 3
dicit ? Credidit Abraham Deo promitten- *Gen.* XV, 6;
ti sibi per angelum propagationem in- *Galat.* III, 6.
numerabilium filiorum instar stellarum ;
D et alibi, In semine tuo benedicentur omnes *Gen.* XXII,
gentes ; *et reputatum est illi ad justitiam,* 18.
hoc est, merito fidei hujus justificatus

est coram Deo, et dignus effectus est vita A æterna per actum interiorem fidei suæ, secundum quod actus ille etiam ex caritate imperative processit.

4 *Ei autem qui operatur, merces non*
imputatur secundum gratiam, sed secun-
5 *dum debitum. Ei vero qui non operatur,*
credenti autem in eum qui justificat im-
pium, reputatur fides ejus ad justitiam
secundum propositum gratiæ Dei. Huc-
usque littera cohæret et condependet : quæ difficultatibus plena est.

Porro, secundum B. Ambrosium, intro- B ducenda, continuanda, et exponenda est ita : Jam dixit Apostolus Abraham non ex operibus, sed ex fide justificatum. Ex quo sequi videtur, fidem sine operibus sufficere ad salutem. Contra quod tamen (*Matth.* VII, 21.) Dominus ait : Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris (*Ibid.* XIX, 17.) mei ; et iterum, Si vis, inquit, ingredi ad vitam, serva mandata. Jacobus quoque (*Jacob.* II, 14, 17.) apostolus testatur : Quid proderit, si quis dicat fidem se habere, opera autem ipsa C non habeat? Fides si non habet opera, mortua est in se ipsa. Hinc etiam paulo (*Rom.* II, 13.) ante dixit Apostolus : Non auditores legis, sed factores legis justificabuntur. — Hanc objectionem solvit Apostolus, dicens : *Ei autem qui operatur,* id est, qui tempus et opportunitatem habet operandi, *merces non imputatur,* id est, præmium non confertur, *secundum gratiam* fidei tantum, id est, non gratis sine operibus præmium consequitur : in tali enim (*Jacob.* II, 20.) fides sine operibus mortua est ; *sed se-* D *cundum debitum* operationis, ad quam ex divino mandato tenetur, merces ei imputatur ac datur. Nam sine operibus salvari non potest. Quod si operari neglexerit, damnabitur. *Ei vero qui non operatur,* id est, opportunitatem seu tempus et locum operandi non habet, *credenti autem in eum qui justificat impium,* hoc est in Christum, qui peccatori gratis ignoscit, gratiamque infundit, ante cujus infusionem peccator veniam promereri non potest de condigno, *reputatur fides ejus,* id est actus fidei suæ interior sine opere exteriore, *ad justitiam,* ita quod sufficit ei ad salutem, ut in latrone : bona enim voluntas seu præparatio animi ad opus, reputatur ei pro opere ; *secundum propositum gratiæ Dei,* id est secundum voluntatem miserationis divinæ, vel secundum ordinem gratiæ Dei nobis oblatæ, qui taliter voluit nos salvare. In quo patet virtus ac sufficientia fidei. Per hoc vero quod ait, Credenti in eum, certum est Apostolum loqui de fide formata, quæ per dilectionem fertur in Deum, et operatur si opportunitas adsit. Hæc expositio procedit de operibus ipsam fidem sequentibus, atque ex ea nascentibus.

Secundo exponitur de operibus præcedentibus fidem, contra illos qui asserebant merito præcedentium operum legis, se gratiam fidei esse adeptos. Quo dato, gratia non reputabitur secundum viam et ordinem gratiæ, sed secundum debitum meriti præcedentis. Quo concesso, gratia jam non erit gratia. Quoniam ergo hoc consequens impossibile est, constat quod gratiam fidei, seu ipsam fidem, nullus meretur. Ait ergo : *Ei autem qui operatur* aliqua bona ante fidem, *merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum,* hoc est, si præmium ei datur pro bonis quæ fecit, hoc non erit gratis, sed ex debito meriti præcedentis : sicque fidem præcedent merita, quum tamen fides sit omnis meritorii actus principium, omniumque virtutum fundamentum. *Ei vero qui non operatur* opera legis cærimonialia atque carnalia, vel quæcumque alia ante fidem, sicut gentilis, *credenti autem* per fidem formatam *in eum qui justificat impium,* id est in Christum, *reputatur fides ejus ad justitiam,* secundum sensum prætactum : et hoc, *secundum propositum gratiæ Dei,* id est secundum gratuitum atque benignum Dei decretum, qui ita decrevit ut onere legis ablato, homines fide justificentur ac salventur.

Tertio exponitur secundum quosdam,
qui ex verbis Apostoli talem rationem
inducunt : Illud quod conceditur alicui
quemadmodum merces operanti, non con-
ceditur ei per viam gratiæ, sed debiti ;
justitia vero de qua sermo est, concedi-
tur per viam gratiæ, sicut jam patuit
quod Abraham justificatus est per fidem
sine operibus legis : ergo justitia hæc
non est ex operibus legis. Hæc autem
expositio irresoluta videtur, et satis am-
bigua. Simili enim ratione posset osten-
di, quod justitia novi Testamenti non es-
set ex operibus evangelicæ legis : quæ
tamen justificant, habitumque justitiæ in-
ducunt, vel augent sive perficiunt etiam
ex parte operis operati, virtute sacramen-
torum Christi. Posset enim sic argui :
Quod conceditur alicui sicut merces ope-
ranti, non conceditur ei per viam gra-
tiæ, sed debiti ; sed justitia novæ legis
I Cor. iv, 7. conceditur per viam gratiæ, Quid enim
habes quod non accepisti ? non ergo est
ex operibus novæ legis. Denique caritas
agens, et ceteræ virtutes per caritatem
agentes, merentur gratiam ampliorem in
præsenti, gloriamque in futuro, et red-
ditur eis merces ista. Nihilo minus red-
ditio hujus mercedis, est secundum viam
gratiæ, et secundum viam debiti, secun-
dum diversos respectus. Quum enim pri-
ma infusio gratiæ sit solum gratuita, om-
nia bona quæ per gratiam illam merentur,
gratuite præmiantur per comparationem
ad gratiam primam.

Satisfeci forsan lectori in expositione
præsentis loci, sed non mihi ipsi, quia
profunditatem verborum istorum intelli-
gere non valeo, neque connexionem eo-
rum cum præcedentibus atque sequenti-
bus plene concipio. Consolatus tamen est
me sermo, quem ex ore viri doctissimi
sacræ Theologiæ professoris condigni au-
divi, qui dixit : In epistolis Pauli habet
elephas ubi submergatur, quanto magis
pulex, ut sum ego ? Unde in similibus
locis comedam quantum possum ; quod
autem residuum fuerit, igne comburam,

A sanctorum et catholicorum doctorum ex-
positionem sequens, et ea contentus. Non
enim quisquam mortalium penetrare va-
let profunditatem epistolarum divi Pauli
apostoli.

Præmissa autem probat Apostolus au-
ctoritate Psalmistæ, subjungens : *Sicut et* 6
David dicit beatitudinem hominis, id est
illum esse beatum, seu beatitudinem es-
se illius in via per spem, et in patria
per speciem, *cui* homini *Deus accepto*, id
est tempore gratiæ, de quo legitur, Ecce II Cor. vi, 2.
B nunc tempus acceptabile ; vel, Accepto,
id est acceptanter, gratis et pie ; *fert*,
donat et ingerit *justitiam*, hoc est remis-
sionem peccati, et gratiæ atque virtutum
infusionem, *sine operibus* legalibus et hu-
manis, quæ per se nequaquam suffici-
unt ad gratiam promerendam. Nec enim
potest peccator per se ipsum resurgere,
sed indiget præveniri ab eo de quo le-
gitur : Allevat Dominus omnes qui cor- Ps. cxliv, 14; cxlv, 8.
ruunt ; et iterum : Dominus erigit elisos.
Nec obstat illud Augustini, Qui creavit
C te sine te, non justificabit te sine te. Hoc
enim ideo dicitur, quia Deus requirit a
nobis ut faciamus quod in nobis est,
disponendo nos ad gratiam ejus.

Deinde ponit verba Psalmistæ : *Beati* 7
quorum remissæ sunt iniquitates origina- Ps. xxxi, 1, 2.
les, et actuales seu personales, in Bapti-
smo, in quo originale peccatum deletur
quantum ad reatum culpæ : quia quod
ante Baptismum erat culpa et pœna, post
Baptismum tantum est pœna, quæ dici-
tur fomes peccati, quæ etiam in Bapti-
D smo per gratiam sacramenti debilitatur,
sed non penitus tollitur. Peccatum autem
originale formaliter unum est, materia-
liter plura, ratione sui effectus. Quatuor
enim vulnera imprimit animæ. Propter
quod ait Psalmista : Ecce enim in ini- Ps. l, 7.
quitatibus conceptus sum. Actualia vero
peccata, per cordis contritionem dimit-
tuntur quantum ad culpam. *Et quorum
tecta sunt peccata*, hoc est ab oculis Dei
abscondita, ita quod non ulciscitur nec
imputat ea, sed avertit faciem suam ab Ibid. 11.

eis, ac si nunquam fuissent. Ideo sequi-
8 tur : *Beatus vir cui non imputavit* nec
imputat *Dominus peccatum,* sed prorsus
Is. xliv, 22. ignoscit, sicut per Isaiam promisit : De-
lebo ut nubem iniquitates tuas, et quasi
caliginem peccata tua.
Applicans autem Apostolus scripturam
9 hanc ad propositum suum, adjecit : *Bea-
titudo ergo hæc,* de qua loquitur David,
in circumcisione tantum manet, id est,
in solis Judæis locum habet, *an etiam in
præputio,* id est gentilibus incircumci-
sis? Et hoc ideo quæro : *Dicimus enim,
quia reputata est Abrahæ fides ad justi-
vers. 3. tiam,* sicut nunc ex Genesi allegatum est.
10 *Quomodo ergo,* id est in quo statu, *re-
putata est* Abrahæ fides ad justitiam? *In
circumcisione,* hoc est pro statu et tem-
pore circumcisionis suæ, *an in præpu-
tio,* id est tempore circumcisionem suam
præcedente? Et respondet : *Non in cir-
cumcisione, sed in præputio.* Quod con-
sequenter declarat.
11 *Et signum accepit circumcisionis,* id
Gen. xvii, 10 et seq. est, ipsam circumcisionem accepit, Deo
jubente, pro signo distinctivo inter ip-
sum et posteros suos fideles, ac inter
infideles, et etiam pro signo fidei suæ,
quam habuit ante circumcisionem. Cir-
cumcisio quippe fuit quædam protestatio
fidei, definiturque sic : Circumcisio est
signum distinguens Israel a gentibus. Pa-
tet ergo quod non frustra circumcisio-
nem accepit, quamvis per eam justifica-
tus non sit ex parte operis operati, sed
operis operantis, videlicet fidei, devotio-
nis ac obedientiæ, per quas abundantio-
rem justificationem adeptus est, quam
ante habuerat. Unde Dominus loqueba-
Ibid. 11. tur : Circumcidetis carnem præputii ve-
stri, ut sit signum fœderis mei inter me
et vos. Sic ergo accepit signum circum-
cisionis, quod est *signaculum,* id est in-
dicium, *justitiæ fidei,* id est, quæ per
fidem habetur, *quæ est in præputio,* id
est in Abraham, vel ceteris gentilibus ju-
stis, sicut in Job, tempore præputii. Nam
Abraham ante circumcisionem suam ju-

A stus fuit, et credidit Deo, sicut jam di- vers. 3.
ctum est. *Ut sit pater* spiritualis et imi-
tatione condignus *omnium credentium,*
non Judæorum dumtaxat, *per præputium,*
id est in statu præputii : quia per fidem
quam in præputio habuit, meruit spiri-
tualem paternitatem omnium gentium.
Vel, Omnium credentium per præputi-
um, id est gentilium cum præputio ad
fidem accedentium. *Ut reputetur et illis,*
videlicet filiis Abrahæ, *ad justitiam* fi-
des, per quam ipsum Abraham assequun-
B tur, sicut et ei reputata est. *Et sit* Abra- 12
ham *pater circumcisionis* spiritualis (quæ
in vitiorum eradicatione consistit), id est
gentilium credentium : pater, inquam,
præbendo exemplum, non conferendo ju-
stitiam, *non his tantum,* id est non so-
lum ad profectum his, *qui sunt ex cir-
cumcisione* carnali, id est Judæis, *sed et
his qui sectantur vestigia fidei,* id est
universis fidelibus imitantibus fidem, *quæ
est in præputio patris nostri Abrahæ,* id
est, quæ erat in Abraham adhuc haben-
C te præputium; vel, Quæ est, id est, con-
sideratur in eo nondum circumciso.
Insuper manifestat Apostolus, quod
Abraham pater sit spiritualis circumcisi-
onis cunctis fidelibus per hoc quod con-
secutus est promissionem hereditatis, non
ex operibus, sed merito fidei, quæ ad
omnes electos communiter pertinet. *Non* 13
enim per legem facta est *promissio Abra-
hæ aut semini ejus,* hoc est de multipli-
catione seminis sui; vel, Semini ejus, id
est Christo de semine Abrahæ nato, se-
D cundum naturam assumptam ; *ut heres
esset mundi,* id est, ut ipse Abraham per
semen suum, vel in semine suo, hoc est
per Christum, possideret omnes terminos
terræ, omnesque populos sæculi. Dictum
enim est Abrahæ : In semine tuo bene- Gen. xxii,
dicentur omnes tribus terræ; et iterum, 18.
Dilataberis ad orientem et occidentem, Ibid. xxviii,
etc. Quum enim facta est Abrahæ ista 14.
promissio, nondum erat lex data, quam
constat per Moysen datam. Hæc vero pro- Joann. i, 17.
missio maxime adimpleta est in Christo

filio Abrahæ, qui de se ipso testatur :
Matth. xxviii, 18. Data est mihi omnis potestas in cœlo et
Ps. ii, 8. in terra. Ad quem Pater in Psalmo : Po-
stula, inquit, a me, et dabo tibi gentes
hereditatem tuam, et possessionem tuam
terminos terræ. *Sed per justitiam fidei,*
id est procedente ex fide, quæ erat in
Abraham. Pro hac namque justitia seu
merito ejus, facta est Abrahæ præinducta
Gen. xxii, 18. promissio, sicut in Genesi legitur.
14 *Si enim qui ex lege* hi tantum *here-
des sunt,* id est, si soli Judæi legem scri-
ptam habentes, hereditatem seu gratiam
benedictionis Abrahæ repromissam adi-
piscuntur; *exinanita,* hoc est frustrata,
est fides Abrahæ Deo credentis, qui ei
Ibidem. prædixit : In semine tuo benedicentur
omnes familiæ terræ; *abolita,* id est eva-
cuata atque ablata, *est promissio* Dei Abra-
hæ facta de hereditatione mundi, et be-
nedictione omnium gentium sæculi.
Præterea, promissionem præfatam non
esse ex lege, sed fide, ostendit Apostolus
15 ex legis imperfectione. *Lex enim iram
operatur,* id est, pœnæ obnoxium facit
legis transgressorem. Nam temporales pœ-
nas determinat, et prævaricatorem legis
magis damnabilem reddit eo qui nun-
quam sortitus est legem. Dat enim lex
manifestiorem notitiam culpæ, quam erat
ante, sicque transgressionem efficit gra-
viorem. Propter quod in Evangelio di-
Luc. xii, 47. citur : Servus qui cognovit voluntatem
domini sui, et non fecit, plagis vapula-
bit multis. *Ubi enim non est lex, nec
prævaricatio.* Si acceperimus legem com-
muniter pro quacumque lege, videlicet
naturali, scripta, vel evangelica, certum
est sine lege non esse prævaricationem,
quum prævaricatio sit transgressio legis.
Si autem sumpserimus legem hoc loco
pro lege scripta, dicendum erit quod ubi
non est lex, non est prævaricatio ad-
eo gravis : quoniam lex occasionaliter
auget peccatum, provocat iram, nec tri-
buit gratiam, sicut ex dictis clarius elu-
cescit.
16 *Ideo ex fide,* id est merito fidei, non

A per opera legis, heredes effecti sunt di
vinæ promissionis omnes qui Abrahæ fi-
dem sectati sunt, *ut secundum gratiam*
Dei, non secundum justitias legis, *fir-
ma sit promissio* facta Abrahæ et semi-
ni ejus : firma, inquam, exsistat atque
salubriter exhibeatur *omni semini,* id est
universis fidelibus ; *non ei qui ex lege
est solum,* id est non tantum Judæis, car-
nalibus Abrahæ filiis, *sed et ei qui ex
fide est Abrahæ,* id est cunctis quoque
gentilibus Abrahæ fidem sequentibus. Si
B enim ista promissio fundaretur in lege,
quæ occasionaliter operatur et provocat
iram, non haberet stabilitatem, quia le-
ge transgressa retractaretur. Nunc vero
quia fundatur in fide viri constantis, vi-
delicet Abrahæ, magis tamen in gratia
Dei, permanet firma omni semini Abra-
hæ. *Qui pater est* spiritualis, seu exem-
plaris institutor ad fidem, *omnium no-
strum,* id est cunctorum credentium, *sicut* 17
scriptum est in Genesi, quantum ad sen- *Gen.* xvii, 4.
sum : *Quia patrem* spiritualem (ut di-
C ctum est) *multarum gentium posui,* id
est institui, *te ante Deum,* id est coram
Deo, videlicet me ipso, *cui credidisti* lo-
quenti tibi per angelum in persona Dei,
qui vivificat mortuos corporaliter, ani-
mas corporibus reuniendo, et spirituali-
ter, gratiam peccatoribus conferendo. Unde
scriptum est : Pater suscitat mortuos et *Joann.* v, 21.
vivificat. *Et vocat* a non esse ad esse, *ea
quæ non sunt,* id est creanda, *tanquam
ea quæ sunt,* id est, sicut exsistentia vo-
cantur ad aliquid. Sic enim Deo impe-
D rante, dicente seu vocante producuntur
multa ex nihilo, id est tam facile ac
obedienter ac si ex præjacenti aliquo
fierent, atque jam essent. Vel sic : *Vo-
cat* ad fidem et gratiam, *ea quæ non
sunt,* id est gentiles, qui coram Deo qua-
si nihil fuerunt, quia spiritualiter mor-
tui erant, quemadmodum in Isaia scribi-
tur : Omnes gentes quasi non sint, sic *Is.* xl, 17.
sunt coram eo, et quasi nihilum et inane
reputatæ sunt ei ; *tanquam ea quæ sunt,*
id est, sicut vocavit Judæos, qui propter

legem et gratiam Dei aliquid erant, spi-
ritualiter coram Deo viventes.
18 *Qui* Abraham *contra spem* naturæ *in*
spem gratiæ *credidit,* credens posse im-
pleri per gratiam, quod erat impossibile
per naturam, ut scilicet ipse jam vetu-
lus, de infecunda ac sterili conjuge sua
filium procrearet, *ut fieret pater multa-*
rum gentium eum per fidem sequenti-
um, *secundum quod dictum est ei* a Deo
Gen. xv, 5. per angelum : *Sic erit semen tuum, sic-*
ut stellæ cœli in multitudine, *et* sicut
arena quæ est in littore *maris,* id est,
præ multitudine numerari non poterit.
Quamvis hoc aliquo modo videatur im-
pletum in carnali semine Abrahæ, quia
Deut. i, 10. et Moyses filiis Israel aiebat, Estis hodie
sicut stellæ cœli plurimi ; verius tamen
atque perfectius in spirituali semine ejus,
id est in gentium conversione et fideli-
um multiplicatione, impletur, præsertim
quum rursus Moyses dicat populo Judæ-
Ibid. vii, 6, 7. orum : Te elegit Dominus, non quia cun-
ctas gentes numero vincebatis, quum si-
tis omnibus populis pauciores. Vel hoc
quod dicitur, Sicut stellæ cœli, refertur
Dan. xii, 3. ad bonos : qui stellis comparantur pro-
pter lumen gratiæ, decorem virtutum, et
quoniam alios verbo et operatione illu-
strant, ipsamque Ecclesiam ornant quem-
admodum stellæ cœlum. Propter quod in
Philipp. ii, 15. alia epistola ait Apostolus : Inter quos
lucetis sicut luminaria mundi. Quod ve-
ro adjungitur, Et sicut arena maris, re-
ferri potest ad malos, terrenis rebus in-
tentos.
19 *Et non est* Abraham *infirmatus in fi-*
de, ex consideratione naturalis impossi-
bilitatis, *nec consideravit* cum superflua
immoratione seu finali sistentia, *corpus*
suum jam *emortuum* a virtute generati-
va, *quum jam fere centum esset anno-*
rum, et emortuam vulvam Saræ, id est
Gen. xviii, 11. ad actum generationis ineptam : desie-
rant enim ei muliebria fieri, sine quibus
naturaliter non fit conceptio. — Videtur
Ibid. xxv, 1, 2. his obviare, quod in Genesi legitur Abra-
ham post mortem Saræ Ceturam duxisse,

A atque multos de ea filios genuisse, ela-
psis plus quam triginta septem annis a
tempore generationis seu promissionis
Isaac. Sara quippe decem annis junior Gen. xvii, 17.
fuerat eo. Quum ergo ipsa defuncta sit Ibid. xxiii, 1.
centum viginti septem annis expletis,
certum est Abraham plus quam centum
triginta septem annorum fuisse, quando
Ceturam sumpsit uxorem. Quomodo ergo
emortuum erat corpus ejus quum cen-
tenarius circiter fuit ? Communiter re-
spondetur, quod emortuum erat quantum
B ad vetulam, non quantum ad juniorem,
quæ facilius concipit anu, propter dis-
positionem virtutis passivæ.
In repromissione etiam Dei sibi facta 20
de generatione Isaac, et innumerabili mul-
titudine seminis sui, *non hæsitavit dif-*
fidentia propter rei novitatem ; *sed con-*
fortatus est fide, dans gloriam Deo, id
est, Deum glorificans atque collaudans,
tanquam omnipotentem ac verum, et ista
implere valentem, et *plenissime sciens,* 21
etiam per naturalem rationem, *quia quæ-*
C *cumque promisit Deus, potens est et fa-*
cere. Alias esset in promittendo impro-
vidus, et in exsequendo infirmus. *Ideo* 22
et reputatum est illi ad justitiam, quod
sic confortatus est in fide, nec hæsitavit
diffidentia. — Quod autem Abraham ali-
quo modo consideravit corpus suum et
Saræ esse emortuum, patet ex eo quod
dicebat : Putasne centenario nascetur fi- Ibid. xvii, 17.
lius, et Sara nonagenaria pariet ? Verum,
ut dixi, non sistebat finaliter in conside-
ratione hujusmodi, sed in consideratione
D virtutis divinæ. Ex prædictis autem ver-
bis dubitasse videtur. Respondetur com-
muniter, quod non dubitando, sed admi-
rando hæc dixit. Verumtamen videtur
adhuc contrariari, quod per Isaiam Do-
minus loquitur Israeli : Pater tuus pri- Is. xliii, 27.
mus peccavit. Quod non solum quidam
præcipui Judæorum magistri, sed sanctus
quoque Hieronymus exponit de Abraham,
quod peccavit ex incredulitate ridendo Gen. xvii, 17.
atque dicendo verba inducta. Sed sicut
in expositione Isaiæ audens non eram,

quantum ad hoc, sequi Hieronymum, ita
nec modo; nec etiam nego. Apostolus
enim apertissime contestatur, quod non
hæsitavit diffidentia, et ideo reputatum
sit ei ad justitiam. Unde verbum Isaiæ
exponi potest de primo parente, videli-
Gen. III, 6. cet Adam, quem constat in paradiso pec-
casse.
23 *Non est autem scriptum tantum pro-
pter ipsum* Abraham istud, scilicet *quia
reputatum est illi ad justitiam,* quod
24 tam firmiter credidit; *sed et propter nos,*
id est ad nostram consolationem ac in-
structionem, ut imitemur fidem ipsius,
quibus reputabitur ad justitiam imitatio
fidei Abrahæ, *credentibus in eum qui
suscitavit a mortuis Jesum Christum Do-
minum nostrum,* id est in Deum Patrem
seu sanctam Trinitatem, vel quamcum-
que divinam Personam. Cuilibet namque
divinæ Personæ attribui potest suscitatio
activa Christi : imo ipse ut Deus, susci-
tavit se ipsum ut homo est. Et qui cre-
dit in unam divinam Personam, credit
in tres.
25 *Qui* Christus *traditus est propter de-
licta nostra,* id est morti expositus, ut
mundi peccata auferret. Traditus est au-
Rom. VIII, 32. tem a Patre, juxta illud : Proprio filio
suo non pepercit, sed pro nobis omni-
bus tradidit illum. Saltem permissive tra-
didit quoque se ipsum, secundum quod
Is. LIII, 12. per Prophetam dicitur : Tradidit in mor-

A tem animam suam. Sed et Judas tradidit eum. *Et resurrexit propter justificationem nostram,* hoc est, ut virtute suæ resurrectionis gratiam justificantem nobis conferret, et suæ corporalis resurrectionis exemplo nos ad spiritualem resurrectionem induceret, quatenus tandem etiam corporaliter feliciterque resuscitemur ab ipso, quando reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Resurrexit ergo propter justificationem nostram, id est, ut justifi- B cemur gratiam recipiendo, et juste vivendo. Non tamen justificatio nostra est tota ratio finisque totalis resurrectionis Christi. Resurrexit namque propter proprii corporis glorificationem, et suæ humanitatis reassociationem, quantum ad partium ejus redintegrationem. Denique resurrexit propter justificationem nostram, quia ad hoc resurrexit, ut corpore resumpto, appareat nunc vultui Dei pro nobis, ostendens Patri latus et vulnera, quatenus merito ejus, gratia impleamur divina. Quamvis C autem sit traditus Christus, non solum propter delicta nostra, sed etiam propter justificationem nostram (nam et propter utrumque surrexit), traditio tamen seu passio attribuitur delicto, ut mors naturæ correspondeat morti culpæ, et resurrectio justificationi, ut corporis glorificatio correspondeat novæ atque cœlesti conversationi.

Matth. XXVI, 47-50. *Philipp.* III, 21. *Hebr.* IX, 24.

ARTICULUS VIII

DECLARATIO CAPITULI QUINTI : JUSTIFICATI ERGO EX FIDE.

POSTQUAM Apostolus abstulit causam
atque materiam discordiæ Romano-
rum, jam eos invitat ad veram pacem, et
1 ait : *Justificati ergo,* id est justi a Deo
effecti, *ex fide,* id est per fidei formatæ
infusionem ; vel, Justificati, id est veram

D justitiam operati, ex fide, id est per habitum fidei ; vel, intus in anima justificati sine opere exteriori, ex fide, id est, interiori fidei actu credendo, videlicet ex caritate, et non per opera legis, neque per opera præcedentia fidem ; *pacem ha-*

beamus ad Deum, id est, Deo humiliter A
subditi simus, et nostram voluntatem di-
vinæ ordinationi in omnibus subjiciamus,
quieti atque tranquilli exsistentes in Deo.
Matth. v, 9. Beati enim pacifici, quoniam filii Dei vo-
cabuntur. Hinc enim loquitur Scriptura :
Job xxii, 21. Acquiesce Deo, et habeto pacem, et per
hoc habebis fructus optimos. Hæc est spi-
ritualis divinaque pax de qua dixerunt
Luc. ii, 14. angeli : Pax hominibus bonæ voluntatis;
Ps. cxviii, 165. et David, Pax multa diligentibus legem
tuam. Quæ non competit impiis, juxta
Is. xlviii, 22. illud Isaiæ : Non est pax impiis, dicit B
Dominus. *Per Dominum nostrum Jesum
Christum,* quia per eum seu merito ejus
pacem istam consequimur. Omnia nam-
que divinarum gratiarum charismata per
I *Tim.* ii, 5. Christum, secundum quod mediator est
Dei et hominum, præstantur hominibus.
Ideo subditur :
2 *Per quem,* tanquam per mediatorem
et causam meritoriam, *accessum,* hoc est
ingressum, *habemus per fidem,* tanquam
per fundamentum totius spiritualis ædi-
Hebr. xi, 6. ficii (accedentem nempe ad Deum opor- C
tet credere), *in gratiam istam,* id est ad
dona et munera Spiritus Sancti, videlicet
ad alias perfectiones seu beneficia Dei ;
in qua gratia *stamus,* mente ad divina
erecta atque cœlestia diligente, non in
terrenis jacente vilibusque immersa. Pri-
mo enim Deus quum fidem infundit, do-
nat simul tempore alias virtutes ac dona
Spiritus Sancti. Fides tamen præcedit se-
cundum viam generationis, et ordine na-
turæ, quum sit fundamentum virtutum :
et ita per fidem, accessum habemus ad D
alia bona. Fide autem infusa, per eam-
dem fidem accedimus ad Deum, ut gra-
tiam ampliorem mereamur, quatenus pro-
ficiscamur de virtute in virtutem, id est,
de bono in melius proficiendo quotidie.
Et gloriamur spirituali lætitia *in spe
gloriæ,* id est in certa exspectatione fe-
licitatis æternæ, quæ est gloria *filiorum
Dei,* id est omnium Beatorum Deo fru-
Job xxxviii, 7. entium, qui Deo perfectissime similan-
tur. De quibus scriptum est in Job : Ubi

eras quum me laudarent astra matutina,
et jubilarent omnes filii Dei ? Et in Psal-
mo : Quoniam quis in nubibus æquabi- *Ps.* lxxxviii, 7.
tur Domino, similis erit Domino in filiis
Dei ? Possunt tamen per filios Dei intel-
ligi omnes electi, ad vitam æternam præ-
ordinati. Et certe, hoc merito esse debet
nobis indeficiens ratio gloriandi, quod
spem habemus acquirendi beatitudinem
sempiternam. Unde nihil Christiano feli-
cius, cui promittuntur regna cœlorum.
Non solum autem gloriamur in spe glo- 3
riæ, credentes videre bona Domini in terra *Ps.* xxvi, 13.
viventium, *sed et gloriamur in tribula-
tionibus,* id est in adversis, in persecuti-
onibus, tentationibus, ac ægrotationibus,
quemadmodum per Jacobum inducitur :
Omne gaudium existimate, fratres, quum *Jacob.* i, 2.
in diversas tentationes incideritis. Et Sal-
vator : Gaudete, inquit, et exsultate in *Matth.* v, 12; *Luc.* vi, 23.
illa hora, quoniam merces vestra copio-
sa est in cœlo. Debemus enim gaudere
de hoc, quod sumus in via perveniendi
ad Deum. Sed hæc est via salutis, mul-
tipliciter tribulari. Per multas quippe tri- *Act.* xiv, 21.
bulationes oportet nos intrare in regnum
cœlorum. Et merito in tribulationibus
gloriamur, *scientes quod tribulatio pati-* *Jacob.* i, 3.
entiam operatur, hoc est, actum patien-
tiæ efficit in anima, scilicet sufferentiam,
tanquam objectum mediatum virtutis quæ
patientia nominatur. Si enim non esset
tribulatio, nec patientia. Habitum quo-
que patientiæ firmat in anima. Patientia
quippe quum sit virtus moralis, immedi-
ate versatur circa passionem animæ, pu-
ta tristitiam, quam ordinat. Deinde respi-
cit actum, videlicet ipsam adversitatis
tolerantiam, quam accidenter et occasio-
naliter inducit seu efficit tribulatio. Fre-
quens namque tribulatio confert animæ
consuetudinem patientiam exercendi : et
ita fit anima in virtute patientiæ incon-
cussa atque immobilis, ita ut dulce sit
ei, tribulationem pro Dei amore, et pro-
priorum peccatorum purgatione sufferre.
Patientia autem, id est adversitatum 4
æquanimis tolerantia, operatur *probatio-*

nem, id est boni assuefactionem seu pro- A
bam exercitationem, vel vitiorum expurgationem, etiam quoad pœnæ ablationem. Sicut enim interior dolor sive contritio aufert culpam, sic adversitatis perpessio pœnam. *Probatio vero* operatur vel efficit *spem*, id est actum spei, videlicet certam et actualem exspectationem felicitatis futuræ. Qui enim ita probatus est, fiducialiter præstolatur vitam æternam, juxta
Matth. v, 10. illud Salvatoris : Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum ; et illud Sa-
Sap. III, 6. pientis, Tanquam aurum in fornace probavit electos Dominus, et in tempore erit respectus eorum. Porro habitus spei quæ est virtus theologica, a solo Deo per creationem infunditur, sed actus ejus procedit partim ex meritis.

5 *Spes autem non confundit*, id est, sperantem non fallit, nec bono sperato defraudat, sicque erubescentiam tollit. Unde
Eccli. II, 11. ait Scriptura : Nullus speravit in Domi-
Ps. XXIV, 3. no, et confusus est ; et Psalmista, Etenim universi qui sustinent te, non confundentur. Per Isaiam quoque Dominus lo-
Is. XLIX, 23. quitur : Ego Dominus, super quo non confundentur omnes qui exspectant eum. Oportet autem firmiter inviolabiliterque sperare, ut dicamus cum sancto Job :
Job XIII, 15. Etiam si occiderit me, in ipso sperabo.

Quod autem spes non confundat, sed impleatur, patet per hoc, *quia caritas Dei*, quæ est virtus theologica supernaturalis, summa ac divinissima, qua Deum proximumque diligimus, mandata imple-
Joann. XV, 7. mus, unum cum Deo efficimur, et quidquid petierimus, obtinemus, *diffusa*, id est late ac liberaliter fusa, *est in cordibus nostris*, præsertim in voluntate, quæ est caritatis subjectum, *per Spiritum Sanctum*, id est a Spiritu Sancto, cui appropriatur bonitas, liberalitas, clementia, communicatio, et per consequens caritatis infusio, *qui datus est nobis* a Patre et Filio, imo et a se ipso, tanquam pignus et arrha felicitatis æternæ. Ipse enim Spiritus Sanctus est dator ac donum, proceditque a Patre ac Filio per modum donabilis, quoniam ipse est caritas seu amor Patris et Filii. Amor autem est primum donum gratuitum, in quo omnia dona donantur. Itaque Spiritus Sanctus datur electis, non solum in suo dono, sed etiam in se ipso, quia per caritatem habetur, et est in nobis novo specialique modo. Propter quod ait Salvator : Ego rogabo Joann. XIV, 16, 17.
Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis. Et in Actibus Apostolorum
B legitur, quod per impositionem manuum Act. VIII, 17.
Apostolorum dabatur Spiritus Sanctus. Unde secundum B. Thomam in prima parte, et super primum Sententiarum, Persona divina dicitur esse alicujus dupliciter : Primo, ratione originis : et ita est ejus a quo procedit. Sicque Filius et Spiritus Sanctus sunt Patris, et Spiritus Sanctus est Filii. Secundo, ratione fruitionis seu communionis : et sic est ejus a quo habetur, id est intellectualis creaturæ, quæ libere frui potest Persona divina. Sic er-
C go Spiritus Sanctus datus est nobis, et est noster.

Consequenter Apostolus tangit nostræ justificationis motivum ; prosequitur quoque nostræ reconciliationis modum, et ait : *Ut quid enim*, id est, propter quid 6
aliud, nisi ut Spiritus Sanctus nobis donetur, caritas Dei in cordibus nostris diffundatur, et spes impleatur, *Christus, quum adhuc infirmi*, id est vulneribus animæ sauciati, pœnis ac culpis adstricti, *essemus secundum tempus*, id est,
D antequam ab eo liberaremur ac purgaremur, *pro impiis*, id est pro nobis injustis et miseris, *mortuus est?* Vel illud, Secundum tempus, refertur ad id quod sequitur, Mortuus est : ut sit sensus, Mortuus est secundum tempus, id est per triduum sepulturæ. Tanquam dicat : Hoc magnum est valde atque mirabile, quod Christus pro nobis infirmis ac impiis mori dignatus est, quum ipse sit virtus I Cor. I, 24.
Dei et Sanctus Sanctorum. Dan. IX, 24.

Causam vero cur istud ita mirabile sit,

7 subdit. *Vix enim,* id est raro et diffi- A
culter, *pro justo* a morte eruendo, *quis moritur.* Pauci enim sunt qui amore seu vice justi mori dignarentur. Et merito dixi, Vix, et non absolute, Nequaquam, vel, Non : *nam pro bono,* id est pro homine justo, *forsitan quis audeat mori :* id est, contingere potest, raro tamen, ut quis pro justo mori consentiat ; sed ut quis pro impio mori velit, non invenitur, aut certe rarissime. Ambrosius (inter justum et bonum distinguens, ut justus dicatur qui in virtutibus exercitatus B est, et in observatione justitiæ strenuus atque severus, bonus vero dicatur homo simplex et innocens, nondum sic exercitatus) ita exponit : *Vix enim pro justo* sic accepto *quis moritur.* Nam quamvis melior sit eo qui hoc modo bonus vocatur, quoniam tamen non sine rigore et severitate se habet, causa ejus minus miserabilis, seu miseratione minus condigna judicatur. Et veraciter dixi, pro justo quempiam vix velle mori : *nam pro bono,* id est pro pio, innocente et C simplici, *forsitan quis audeat mori,* eo quod causa ejus miserabilior reputetur, tanquam qui nullum offendit. Quum ergo hoc raro inveniatur, certum est quod vix aliquis pro justo mori acquiescat.

Quum igitur Christus pro impiis mori
8 dignatus sit, recte subjungitur : *Commendat autem,* id est, commendabilem sive laudabilem ostendit, *Deus* Pater vel Trinitas, *caritatem suam in nobis,* id est, quam habet ad nos, et qua diligit nos per effectum suæ eximiæ pietatis ; *quo-* D *niam quum adhuc peccatores essemus,* id est jugo vitiorum subjecti, et vinculis peccatorum irretiti, nec ab originali peccato redempti, *secundum tempus* Christi passionem præcedens, id est, antequam Christus mortuus fuit pro nobis. Loquitur enim Apostolus in persona generis humani, cujus multa individua tempus passionis Christi præcesserunt : et tunc erant, in quorum persona hoc dicit Apostolus. Vel, Secundum tempus, id est tri-
duo sepulturæ. *Christus pro nobis mortu-* 9
us est, id est, mori dignatus, ut mortificati carne, vivificatique spiritu, serviamus illi in sanctitate atque justitia. In quo refulget inæstimabilis caritas Dei Patris ad nos, juxta illud Joannis : Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Et Apostolus : Propter nimiam, inquit, caritatem suam qua dilexit nos, Deus Pater Filium suum misit. *Multo igitur magis justificati nunc in sanguine ipsius,* id est, quia Christus pro nobis mortuus est quum adhuc iniqui eramus, infirmi et peccatores, multo amplius nunc facta nostra reconciliatione ac liberatione justificati, id est a vitiis expurgati, gratiamque adepti per effusionem sanguinis Christi, *salvi erimus ab ira,* id est a damnatione æterna, *per ipsum,* videlicet Christum, seu merito ejus. Amplius enim est impium justificare, quam justificatum a pœna eruere.

Si, pro quia, *enim quum inimici esse-* 10
mus, id est Deo propter iniquitatem odibiles, rebelles, et natura filii iræ, etiam propter peccatum originale, *reconciliati sumus Deo,* id est ad ejus amicitiam revocati, deleta videlicet causa inimicitiæ, puta peccato, *per mortem Filii ejus ; multo magis reconciliati* jam *salvi erimus,* non solum ab ira prædicta, sed etiam consequendo vitam æternam, *in vita ipsius,* id est per gloriosam vitam Christi, seu virtute Christi glorificati. Si enim potuit per suam mortem nos justificare, certissimum est quod jam vivens possit nos beatificare, præsertim quum unum ordinetur ad aliud, scilicet justificatio ad beatificationem.

Quæri potest, quum Dei dilectio sit invariabilis et æterna, quomodo dicimur Deo reconciliari, et quomodo eramus ejus inimici, et postmodum facti sumus amici. Et respondendum, quod Deus omnes electos ante mundi constitutionem dilexit, eosque immutabiliter diligit, secundum rationem prædestinationis divinæ, non autem secundum rationem præsentis

I Petr. III, 18. — Luc. I, 74, 75. — Joann. III, 16. — Ephes. II, 4; Galat. IV, 4. — Ephes. II, 3. — Ibid. I, 4.

justitiæ. Dicimur ergo Deo reconciliari per Christum, in quantum per ejus passionem ablata nobis est culpa, per quam displicuimus Deo secundum rationem et ordinem suæ justitiæ ad nos comparatæ. Vel respondendum, quod Deus invariabiliter diligit electos per respectum ad bonum gratiæ et gloriæ quod eis dare disposuit. Odit autem eos quantum ad *Ps. v, 7.* culpam, juxta illud : Odisti omnes qui operantur iniquitatem. Et ita dicuntur ei reconciliari, quum culpa aufertur, et pœ- *Sap. xi, 25.* na finitur. Unde Sapiens dicit : Diligis, Domine, omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti. Idem ipse ait et alibi *Ibid. xiv, 9.* quoque : Odio sunt Deo impius et impietas ejus. Hæc enim atque similia nullam mutationem ponunt in Deo, sed in creatura, quæ ad Creatorem aliter et aliter se habet.

11 *Non solum autem* hoc modo salvi erimus in futuro, *sed et gloriamur in Deo,* id est, nunc quoque in præsenti exsilio exsultamus per spem in Deo, id est in contemplatione ac dilectione ipsius, gaudentes de hoc, quod tandem aliquando videre eum speramus per speciem. Et ita futuram jucunditatem et gloriam in præsenti peregrinatione quodammodo inchoamus. Gloriamur autem in Deo, *per Dominum nostrum Jesum Christum,* qui *Joann. xiv, 6; x, 9.* est nobis via et ostium accedendi ad Deum, cujus etiam merito datur nobis gloriatio ista : et ex consideratione passionis suæ et aliorum beneficiorum speramus et exsultamus in Deo, qui tanta nobis per Christum largitus est; *per quem nunc,* id est tempore gratiæ, *reconciliationem* cum Deo *accepimus.*

12 *Propterea, sicut per unum hominem,* scilicet Adam, primum nostrum parentem, *peccatum* originale *in hunc mundum,* id est in homines in mundo hoc habitantes, *intravit, et per peccatum mors* corporalis, quæ consecuta est culpam. Quamvis enim mors sit naturalis homini, considerando naturam corporis sui ex contrariis compositam, tamen si non pec-

A casset, mortem non incurrisset, ex dono gratiæ seu virtute originalis justitiæ. Et sic considerando supernaturalem institutionem hominis, mors culpam secuta est, non naturam. *Et ita in omnes homines mors pertransiit.* Sicut enim omnes nati sunt sine originali justitia, sic etiam immortalitate justitiam illam concomitante privantur. *In quo* uno homine, scilicet Adam, *omnes peccaverunt,* non actualiter, sed virtualiter, originale peccatum incurrendo : quod eis imputatur in cul- B pam, in quantum aliquo modo erant in primo parente, et idem cum ipso. Erant autem in ipso sicut in primo principio generationis humanæ. Et sicut multa membra sunt in uno corpore, et multa individua in una specie, sic quodammodo omnes eramus in primo parente secundum corpulentam substantiam, seu materialem propagationem. Porro originalis justitia sic data erat primo parenti, ut transfunderetur in posteros. Ideo primo parente hac justitia destituto, posteri ejus C juste privantur eadem : nec tamen fit eis injuria, quia nec primo parenti, nec eis ista justitia naturaliter debebatur aut competebat, sed nec beatifica visio Dei, qua merebantur privari propter hujus justitiæ privationem. Ab eo autem quod dicitur, In quo omnes peccaverunt, excipiendus est Christus homo, qui non naturali ordine aut per concupiscentiam genitus est.

Merito autem dixi omnes peccasse in uno. *Usque ad legem enim,* id est usque 13
D ad dationem legis Mosaicæ, scilicet a principio mundi, quando non erat nisi lex naturalis, *peccatum erat in mundo,* in genere humano, tam originale quam actuale. Vel, Usque ad legem scriptam inclusive, peccatum erat in mundo, quia lex Moysis peccatum auferre non potuit *Hebr. x, 4, 11.* sicut lex gratiæ. Propter quod aiebat Apostolus ad Judæos : Per Jesum remissio *Act. xiii, 38.* peccatorum annuntiatur vobis, in omnibus a quibus non potuistis in lege Moysis justificari. *Peccatum autem non imputa-*

batur, quum lex non esset. Hæc Augu- A
stinus et alii ita exponunt : Peccatum
quodcumque non imputabatur, id est,
ignorabatur, nec peccatum esse reputa-
batur ab hominibus excæcatis, in quibus
ratio naturalis fuerat vitiis obfuscata :
imputabatur tamen a Deo. Videtur au-
tem posse exponi hoc modo, quod pec-
catum non imputabatur a Deo hominibus,
non quod penitus non imputabatur, sed
quia non imputabatur tam graviter, quum
lex scripta non esset. Erat enim tunc ma-
gis excusabile quam post legislationem. B
Juxta quem sensum in præcedenti capi-
Rom. IV, 15. tulo dixit Apostolus : Ubi non est lex,
nec prævaricatio.

14 *Sed regnavit,* id est prævaluit, *mors*
corporalis ; vel, mors culpæ originalis,
quæ est ipsa carentia originalis justitiæ
debitæ in esse ; vel, mors limbi infer-
nalis, quæ dici potest dilatio vitæ beatæ,
atque detentio in lacu gehennæ; *ab Adam*
usque ad Moysen inclusive, videlicet quo-
usque Christus advenit, id est, tam tem-
pore legis naturalis quam Mosaicæ; *etiam* C
in eos qui non peccaverunt peccato ac-
tuali, seu propria voluntate, ut sunt par-
vuli ante annos discretionis defuncti; vel,
In eos qui non peccaverunt mortaliter,
si qui tales fuerunt, ut sanctificati in ute-
Jer. I, 5. ro, scilicet Jeremias, etc. Omnes enim hi
propter reatum originalis peccati mortem
corporalem pertulerunt, atque in limbo
tenebantur, donec pro ipsis Christus sa-
tisfecit, liberando eos ab originalis cul-
pæ reatu. Magis vero regnavit mors ante
Moysen quam post. Per legem enim Moy- D
sis multi retrahebantur a morte culpæ,
cœperuntque cognoscere vitam post hanc
vitam, et resurrectionem futuram, et ita
mortem temporalem minus quam ante
II Tim. I, 10; Hebr. II, 14. timebant. Porro, Salvator regnum mortis
destruxit, et suæ passionis exemplo nos
contra mortis timorem armavit, ipsam-
que mortem temporalem, æternæ vitæ
constituit januam. Propter quod ait per
Osee XIII, 14. Prophetam : De manu mortis liberabo
eos, de morte redimam eos : ero mors
tua, o mors ; morsus tuus ero, inferne.
Et Apostolus : Ut per mortem liberaret Hebr. II, 14, 15.
eos qui per totam vitam timore mortis
erant obnoxii servituti.

Sic ergo regnavit mors in eos qui non
peccaverunt, *in similitudinem prævari-*
cationis Adæ, id est propter assimilatio-
nem originalis culpæ, qua similes Adæ
fuerunt. Quæ utique originalis culpa, erat
in Adam prævaricatio actualis. *Qui,* sci-
licet Adam, *est forma futuri,* id est figu-
ra Christi, qui tempore Adæ erat ventu-
rus ut judicaretur in mundo, nunc vero
venturus est ut judicet mundum. Dicitur
autem Adam figura Christi : quoniam
sicut Adam est principium omnium ho-
minum quantum ad propagationem ac
esse naturæ, sic Christus quantum ad in-
fusionem gratiæ seu esse spirituale. Se-
cundo, quoniam sicut Adam formatus est Gen. II, 7.
de limo terræ supernaturali virtute ac
ordine, sic Christus natus est de Virgine Luc. I, 35.
Spiritus Sancti obumbratione. Item, sicut
de latere Adæ dormientis sublata est co- Gen. II, 21, 22.
sta unde formata est Eva, ita de latere
Christi morientis fluxerunt sacramenta, Joann. XIX, 34.
quibus formatur Ecclesia. Sed hæc causa
ad primam reducitur.

Consequenter ostendit, quod Christus
potentior erat ad salvandum, quam pec-
catum Adæ, seu Adam, ad perdendum.
Sed non sicut delictum Adæ se habuit, 15
ita et donum, id est, gratia Christi se
habet, sed excellit. Sapientia namque vi- Sap. VII, 30.
cit malitiam. *Si enim in unius delicto,*
id est in originali Adæ peccato, *multi*
mortui sunt, vitam gratiæ amittendo, et
necessitatem moriendi incurrendo, hi sci-
licet in quos transfusum est originale
peccatum ; *multo magis gratia Dei et*
donum Spiritus Sancti, *in gratia,* id est
per singularem ac summam gratiam, vir-
tutum perfectionem ac meritum, *unius*
hominis Jesu Christi, qui est Deus et
homo, *in plures,* id est in multos, *abun-*
davit, non in plures numero. Peccatum
enim Adæ in omnes transiit (per hoc non
oportet includi Virginem matrem), sed

gratia Dei per Christum transiit in om-
nes electos. Erat autem in Christo gratia
unionis, quæ non est quid creatum, sed
Deus gratiose sive gratuite uniens sibi in
unitate personali humanam naturam Chri-
sti. Estque in eo gratia capitis, per quam
influit omnibus suis membris, seu cun-
Joann. I, 16. ctis fidelibus, quia de plenitudine ejus
accepimus omnes : et ita gratia Dei no-
bis per gratiam Christi infunditur, et
abundat in multis. Gratia tamen imme-
diate a Deo creatur, sed Christus per suæ
gratiæ plenitudinem est causa meritoria,
et mediator per quem Deus gratiam nobis
largitur.
16 *Et non sicut per unum peccatum, ita*
et donum : id est, non sic factum est
per donum gratiæ Christi, quemadmo-
dum factum est per unum originale pec-
catum Adæ ; sed dispar est effectus pecca-
ti Adæ, et gratiæ Christi. *Nam judicium*
quidem, id est sententia Dei, processit
ex uno peccato originali Adæ, *in con-*
demnationem eorum in quos illud pec-
catum transfunditur, scilicet, ut divina
visione priventur propter illud pecca-
tum, nisi eis aliter succurratur. *Gratia*
autem Christi procedit *ex multis deli-*
ctis in justificationem, id est, non solum
unum ac originale, sed omnia etiam ac-
tualia peccata delendo, justificat, forma-
liter ponens animam in esse spirituali ac
meritorio, ita ut impleatur universis vir-
tutibus et donis Spiritus Sancti. Pecca-
tum ergo Adæ non inficit alios, nisi uno
peccato directe et immediate, videlicet ori-
ginali; donum vero gratiæ Christi, omnia
aufert peccata, et plurima tribuit bona.
17 *Si enim in unius delicto*, id est si
propter originale primi parentis pecca-
tum, *mors* corporalis *regnavit* in omni-
bus peccato originali infectis, *per unum*,
videlicet Adam, a quo culpa ista contra-
hitur; *multo magis abundantiam gratiæ*,
et donationis, id est remissionis peccato-
rum, vel, Donationis, id est virtutum quæ
simul cum habituali gratia infunduntur,
et justitiæ, id est operationis bonæ, *ac-*

A *cipientes* fideles a Deo, a quo est omne *Jacob.* I, 17.
donum optimum et omne datum perfe-
ctum, *in vita* æterna, id est beatitudine
consummata, *regnabunt per unum Jesum*
Christum, per quem ad cœleste regnum
perducuntur. Omnes autem Beati regnant
in patria perfectissime super se ipsos,
servientes Deo sine rebellione, cui ser-
vire, regnare est. Omnia quoque inferiora
et dæmones subjecti sunt eis. Unde fa-
tentur, loquentes ad Christum : Fecisti *Apoc.* V, 10.
nos Deo nostro regnum et sacerdotes, et
B regnabimus super terram. Et alibi legi-
tur : Judicabunt nationes et dominabun- *Sap.* III, 8.
tur populis.
Igitur, sicut per unius, scilicet Adæ, 18
delictum originale, quod etiam erat ac-
tuale et personale quantum ad ipsum
Adam, processit sententia Dei *in omnes*
homines hoc peccato infectos, *in condem-*
nationem eorum, ut dictum est ; *sic et*
per unius, videlicet Christi, *justitiam*, id
est justam sanctificationem atque san-
ctissimam conversationem, prodiit senten-
C tia Dei *in omnes homines in justificatio-*
nem vitæ ipsorum, id est in remissionem
peccatorum et infusionem virtutum : quia
per meritum Christi omnes justificati at-
que salvati sunt, quantum est ex parte
Salvatoris. Aliqui tamen obicem ponunt
saluti et gratiæ ; aliqui quoque privantur
applicatione virtutis et meriti gratiæ, pro-
pter quod a beatitudinis adeptione impe-
diuntur, ut pueri non baptizati. Eo itaque
modo omnes per Christum justificantur,
sicut omnes in eo benedicuntur. *Sicut* 19
D *enim per inobedientiam unius hominis*,
id est per transgressionem primi paren-
tis, *peccatores constituti sunt multi*, ori-
ginale ab ipso trahendo, vel ejus inobe-
dientiam assequendo ; *ita et per unius*,
scilicet Christi, *obedientiam* : qui factus
est pro nobis obediens usque ad mor- *Philipp.* II,
tem ; qui loquitur, Sicut mandatum dedit 8.
mihi Pater, sic facio ; *justi constituentur* *Joann.* XIV, 31.
multi per ipsum, veniam percipiendo et
gratiam, imitandoque ejus justitiam. Chri- *I Petr.* II,
stus enim passus est pro nobis, nobis 21.

relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus.

Declarata abundantia et sufficientia gratiæ Christi, ostendit Apostolus insufficientiam legis, ut tota spes hominum constituatur in Christo, atque ad ejus pi-
20 etatem omnes confugiant. *Lex autem* scripta data per Moysen, *subintravit* post legem naturalem, naturalisque rationis obtenebrationem, *ut abundaret delictum.* Hæc dictio, Ut, tenetur hoc loco consecutive, non causaliter. Ex legis quippe latione consecuta est multiplicatio iniquitatis et aggravatio ejus : Primo, quoniam quanto post legem peccatum magis cognoscebatur, tanto gravius erat peccatum. Secundo, quia post legem erant multa illicita, quæ ante licita erant. Tertio, quia lex peccata prohibendo, ostendit peccata : sicque concupiscentia provocabatur, quia

Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.

Quarto, quoniam non præstabat auxilium gratiæ, qua vitantur peccata. Hanc autem insufficientiam voluit Deus esse in lege, ut omnes ad Christum confugerent, ejus cupiendo adventum, nec in propriis viribus habendo fiduciam.

Ubi autem abundavit delictum, videlicet in Judæis sub lege constitutis, quibus data est lex ut abundaret delictum in eis, *superabundavit et gratia* Christi, qui factus est sub lege, natus ex populo Judæorum. Propter quod ait : Salus ex Judæis est; et alibi, Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel.

Galat. IV, 4. *Joann.* IV, 22. *Matth.* XV, 24.

A Denique Apostoli, qui primitias Spiritus Sancti receperunt, et primitiva Ecclesia, cui maximam gratiam contulit Christus, ex populo fuerant Judæorum. Ad hoc autem et eo tenore superabundavit gratia ubi abundavit delictum, *ut sicut regna-* 21
vit peccatum in mortem, id est, suo infelici dominio atque demerito perduxit, imo et introduxit, in mortem damnationis æternæ, privationemque gratiæ, quæ est mors animæ in præsenti : peccatum enim gratiam aufert, et pœnam inducit;
B *ita et gratia* Dei *regnet* in nobis *per justitiam,* id est justitiæ exercitationem, ita ut habitus gratiæ tendat in actum, sicque perducat *in vitam æternam,* quæ est merces et consummatio, *per Jesum Christum Dominum nostrum,* sine cujus auxilio nil boni valemus. Insuper videmus in multis impleri quod hic ait Apostolus. Frequenter enim qui gravius peccaverunt, post conversionem suam ferventiores sunt ceteris : et ita in quorum cordibus abundavit malitia, abundat et gratia.
C Malum namque occasionaliter causa est boni, in quantum recordatio præteritæ iniquitatis facit hominem se ipsum magis despicere, damnationem æternam amplius formidare, misericordiam Dei plenius admirari ardentiusque diligere. Unde Salvator in Evangelio protestatur : Cui plus dimittitur, plus diligit. Istud tamen non semper contingit, quia et absolute loquendo, et ceteris paribus, innocens plus tenetur Deum amare, plusque amatur a Deo, quam peccator conversus, se-
D cundum Thomam.

Rom. VIII, 23. *Joann.* XV, 5. *Luc.* VII, 47.

ARTICULUS IX

EXPOSITIO CAPITULI SEXTI : QUID ERGO DICEMUS ?

REMOVET sanctus Apostolus in hu- A
jus capituli exordio quemdam erro-
rem, qui ex prædictis sumpsit originem.
Quidam enim perversi audientes dixis-
Rom. v, 20. se Apostolum, Ubi abundavit delictum
superabundat et gratia, asseruerunt, at-
que Apostolum id docuisse dixerunt, quod
permanendum esset in vitiis, et abundan-
ter peccandum, ut postmodum gratia su-
1 perabundet. Hoc reprobans ait : *Quid ergo
dicemus?* id est, si juxta prædicta, su-
perabundat gratia ubi abundavit malitia,
an hoc dicendum est quod sequitur, sci- B
licet, *Manebimus in peccato,* id est, an
perseverandum est nobis ad tempus in
vitiis, ut quidam nos dicere arbitrantur,
2 *ut gratia abundet* in nobis postea? *Absit,*
id est, ita dicendum non est. Cujus ra-
tio subinfertur. *Qui enim mortui sumus
ipsi peccato,* id est, vitiis mortificati, et
a peccato liberati per pretium sanguinis
Christi, per gratiam Baptismi, per Pœni-
tentiæ sacramentum. Mortuum esse pec-
cato, est a peccato esse ereptum, vel
secundum virtutum habitus operari. *Quo-* C
modo adhuc, id est iterum, *vivemus in
illo,* id est, operabimur opera tenebra-
rum et consentiemus suggestioni pecca-
ti? tanquam dicat : Nec decet, nec licet,
nec expedit nos taliter recidivare. Nam
sicut in naturalibus non est reditus a
morte in vitam, sic in moralibus non est
naturaliter regressus a morte culpæ ad
vitam gratiæ. Utrumque tamen interdum
contingit per omnipotentiam atque cle-
mentiam Creatoris.

Deinde docet Apostolus quomodo mor- D
3 tui sumus ipsi peccato. *An ignoratis,
fratres,* id est, merito scire debetis, *quia
quicumque baptizati sumus,* id est a vi-
tiis loti in sacro Baptismatis fonte, *in
Christo Jesu,* id est in institutione, fide
et operatione Christi (Christus enim Ba-
ptismum instituit, dicens, Docete omnes *Matth.*
gentes, baptizantes eos in nomine Patris xxviii, 19.
et Filii et Spiritus Sancti ; ipse quoque
fidem Trinitatis edocuit, principaliterque
baptizat, secundum quod Deus : sic enim
purgat a culpa ; sacerdos vero minister
est ejus), *in morte ipsius,* id est merito
mortis ejus, seu per virtutem suæ pas-
sionis, a qua Baptismus efficientiam ha-
bet, *baptizati sumus?* Vel, In morte ejus,
id est in similitudine mortis Christi ba-
ptizati sumus, quatenus, sicut Christus
semel mortuus est carne, et semper vi- I *Petr.* iii,
vit spiritu, sic nos per Baptismum semel 18.
mortui iniquitati, deinceps semper viva-
mus justitiæ. Trina namque immersio si-
gnat triduum sepulturæ seu mortis ; ele-
vatio autem, resurrectionem ejus post
triduum. Huic secundæ expositioni con-
sonat littera sequens. Ostendens enim quo-
modo in morte Christi baptizati dicamur,
adjecit :

Consepulti enim sumus cum illo, id 4
est, Christo sepulto assimilati sumus, vel
per fidem cum eo sepulti : et hoc, *per
Baptismum,* id est in ipso Baptismo :
mersio enim baptizandi in aqua, designat
sepulturam Christi sub terra ; *in mor-
tem* peccati, id est ad peccati destructi-
onem, videlicet ut moriamur peccato. *Ut
quomodo surrexit Christus a mortuis,* id
est a loco atque consortio cadaverum mor-
tuorum : ipse enim solus fuit inter mor- *Ps.* lxxxvii, 6.
tuos liber, cujus caro non vidit corru- *Ps.* xv, 10;
ptionem ; *per gloriam,* id est majestatem *Act.* ii, 31.
seu magnam potentiam, seu gloriosam
efficientiam, *Patris :* non enim humana,

sed divina virtute surrexit. Potest quoque per gloriam Patris intelligi Verbum Dei, quod humanam naturam assumpsit, et Christum hominem, imo se ipsum secundum quod homo est, suscitavit. Scriptum *Prov.* x, 1. est enim : Gloria patris, filius sapiens. De hac gloria Patris seu Filio Dei scri- *Is.* xl, 5. ptum est : Revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro Salutare Dei nostri. *Ita et nos in novitate vitæ ambulemus,* id est, pristinis vitiis exstirpatis, spiritualiter reformemur et christiformiter conver- *Ps.* cii, 5 semur, quatenus renovetur ut aquilæ juventus nostra, refloreatque et reviviscat, vegetetur, crescat ac perficiatur quotidie spiritus noster in splendore gratiæ Dei.

5 *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus,* id est, si more plantæ seu arboris, eradicati fuerimus a similitudine præcedentium vitiorum, et facti fuerimus complantati, id est firmiter inhærentes et conformati similitudini mortis ejus, id est vestigiis dominicæ passionis, conformando nos passionibus Christi, moriendoque culpæ, sicut ipse mortuus est pœnis peccati ; *simul et resurrectionis erimus,* id est, tunc etiam complantabimur similitudini resurrectionis Christi, ambulando in novitate vitæ, quæ per Christi resurrectionem figuratur. Mors nempe et resurrectio Christi non solum sunt res, sed etiam sacramenta seu signa. Mors ergo Christi significat veteris ac vitiosæ conversationis occisionem; resurrectio vero, spiritualem mentis renovationem. In Baptismo autem morimur pristinæ vitæ, id est actibus vitiorum. Si ergo in hac vitiorum mortificatione manserimus, non redeundo ad vitia, tunc resurrectioni Christi similes erimus, cœlestem conversationem habendo in terra, quemadmodum alibi dicit II *Tim.* ii, 11. Apostolus : Si commortui sumus, et convivemus.

6 *Hoc scientes quia vetus homo noster,* id est quilibet nostrum secundum vitiosam ac veterem conversationem, *simul crucifixus est,* id est, simul cum Christo A affixus est cruci per præfigurationem et obligationem. Per hoc enim quod crucifixus est Christus, præmonstratum est quod quilibet nostrum, si velit salvari, debeat Christum sequi, tollendo crucem *Luc.* ix, 23. suam quotidie. Ad hoc quoque obligat nos crucifixio Christi Domini nostri, quoniam non est servus major domino suo. *Joann.* xiii, 16. Vel, Vetus homo noster, id est quilibet nostrum secundum originale peccatum a veteri Adam contractum, simul crucifixus est, id est huic peccato mortificatus, B quia in Christi passione liberati sumus ab isto peccato, ita ut non imputetur nobis in culpam, nec propter ipsum obligemur ad pœnam damni, videlicet divinæ visionis carentiam. *Ut destruatur corpus peccati,* id est, quatenus caro nostra multis peccatis maculata destruatur, non quantum ad esse naturæ, sed quantum ad esse culpæ, quemadmodum alibi ait Apostolus : Mortificate membra vestra quæ *Coloss.* iii, 5. sunt super terram ; et Christus, Si oculus tuus scandalizat te, erue eum et pro- *Matth.* xviii, 9. C jice abs te. Hinc etiam a Sapiente dicitur : Verte impios, et non erunt. *Ut ultra* *Prov.* xii, 7. *non serviamus peccato,* id est, non vincamur a malo, non succumbamus tentationi, nec ratio nostra subdatur iniquitati, sed eam sibi subjiciat. Unde scriptum est : Omnis qui facit peccatum, servus *Joann.* viii, 34. est peccati. Et Petrus : Iniqui sunt servi II *Petr.* ii, 19. corruptionis : a quo enim quis superatus est, hujus et servus est. — Alii quos legi, ita exponunt : Vetus homo noster, id est fomes peccati, simul crucifixus D est, id est, Christi crucifixione et ejus passionis virtute debilitatus est. Vel, Vetus homo noster, id est conversatio vitiosa (de quo homine Ephesiis ait Apostolus : Exuite veterem hominem), simul *Ephes.* iv, 22. crucifixus est, id est, morte Christi deleta est ; ut destruatur corpus, id est universitas atque congeries, peccati. De quo corpore Salvator : Si oculus tuus, inquit, *Matth.* vi, 23. fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit, id est operum tuorum congeries.

7 *Qui enim mortuus est* peccato, id est A
a peccato liberatus ; vel, Qui mortuus
est, id est configuratus morti Christi, per
susceptionem Baptismatis ; *justificatus est
a peccato,* id est, liber factus ab eo, nec
subjacet vitio. Baptismus enim aufert pœ-
nam et culpam.
8 *Si autem mortui sumus cum Christo,*
id est passionibus ejus conformati, et ita
mortui culpæ, quomodo Christus mortuus
est pœnæ, videlicet sine recidivo ; *cre-
dimus quia simul etiam vivemus cum
illo,* non solum vita gratiæ in præsenti, B
9 sed etiam vita gloriæ in futuro. *Scientes*
per fidem certissimam : de qua scientia
Job xix, 25. ait Job, Scio quod Redemptor meus vi-
vit ; *quod Christus resurgens ex mortuis,
jam non moritur,* id est, de cetero non
morietur : sicut Origenes fertur dixisse,
quod Christus secundo pro dæmonibus
passurus est. Surrexit enim non solum
ad immortalem, sed etiam ad impassibi-
lem vitam. *Mors* corporalis *illi ultra non
dominabitur,* prævalendo vitæ ejus cor-
porali, seu animam separando a corpo- C
re : et multo minus mors gehennæ do-
10 minata est Christo. *Quod enim mortuus
est peccato,* id est nostrorum peccatorum
demerito, et propter expiationem vitio-
rum nostrorum, juxta illud Threnorum,
Thren. iv, 20. Christus Dominus captus est in peccatis
Is. liii, 5. nostris ; et illud Isaiæ, Attritus est pro-
pter scelera nostra ; *mortuus est semel,*
in die Parasceves. De qua die Dominus
Zach. iii, 9. per Prophetam loquitur : Auferam ini-
quitatem terræ illius in die una. Tunc
enim Deus abstulit peccata Ecclesiæ, quæ D
est terra Christi, per meritum passionis
ipsius. *Quod autem vivit* post resurre-
ctionem, *vivit Deo,* id est ad gloriam Dei.
11 *Ita et vos,* o Romani, imo quicumque
fideles, *existimate vos* ipsos *mortuos qui-
dem esse peccato,* id est liberatos a vi-
tiis merito Salvatoris, *viventes autem Deo,*
id est deiformiter atque deifice, scilicet
ad gloriam Dei, operando divina, con-
templando atque amando cœlestia. Vive-
re equidem Deo, aliud nihil est nisi ope-

rari ea quæ Deo sunt placita, et divinæ
vitæ utcumque assimilari. *In Christo Je-
su Domino nostro,* id est per gratiam
Christi, et permanendo in ipso, tanquam
in mediatore, salvatore et capite. Ipse
enim profitetur : Si quis in me non Joann. xv, 6.
manserit, mittetur foras sicut palmes, et
arescet.
Non ergo regnet, id est, virtutibus non 12
prævaleat, nec rationem subjiciat, *pecca-
tum* actuale, vel fomes peccati : qui di-
citur peccatum causaliter, quia inclinat
ad culpam, et quamvis transeat reatu,
permanet tamen actu, in quantum est
pœna, et virtuosæ exercitationis spiritu-
alisque pugnæ materia ; *in vestro mor-
tali corpore* proclivo ad vitia : de quo
scriptum est, Corpus quod corrumpitur, Sap. ix, 15.
aggravat animam ; *ut obediatis concupi-
scentiis ejus,* id est, carnalibus desideriis
seu fomitis inclinationibus consentiatis.
Hoc namque præposterum est et perver-
sum, ut sensualitas rationi prævaleat, aut
caro dominetur spiritui. Propter quod in
Ecclesiastico legitur : Post concupiscen- Eccli. xviii, 30.
tias tuas non eas, et a voluntate tua
avertere. *Sed neque exhibeatis membra* 13
vestra arma iniquitatis peccato, id est,
membris corporis vestri seu organis no-
lite abuti, extendendo ea ad mala ; nec
fiant arma iniquitatis, id est instrumen-
ta culpæ, peccato, id est ad exsecutio-
nem peccati, quæ a Deo collata sunt, ut
sint instrumenta virtutum, quatenus ani-
ma per corporis membra tendat in ac-
tum virtutum exteriorem. *Sed exhibete
vos Deo,* id est, ad Dei obsequium vos
aptate, et animas vestras Deo per san-
ctam obedientiam immolate, quatenus,
sicut totum quod habetis et estis, a Deo I Cor. iv, 7.
recepistis, sic totum ei reddatis, servien-
do ei mente et corpore, *tanquam ex mor-
tuis viventes,* id est sicut a morte culpæ
ad vitam gratiæ suscitati ; *et membra ve-
stra* exhibete *arma justitiæ,* exercendo
per ea actus virtutum et opera æquitatis,
Deo, id est ad Dei honorem ac laudem.
Peccatum enim vobis non dominabi- 14

tur, necessitatem imponendo, dummodo
ad Christi gratiam confugiatis. Vel, Peccatum, id est fomes peccati, vobis non
dominabitur, trahendo vos ad peccatum
mortale. Repressa namque et diminuta
est inclinatio fomitis per gratiam Christi, ita ut stantes in gratia gratum facientе, possint omne peccatum mortale vitare : quod non possunt adulti qui gratia
carent, sicut nec gratiam habentes vitare
possunt omnia venialia, saltem diu. Sicut enim in istis sensualitas non est rationi perfecte subjecta, propter quod interdum venialiter peccant ; ita in illis
non est ratio Deo subjecta cum debito
ordine ultimi finis, idcirco diu vivere
nequeunt sine mortali. *Non enim estis
sub lege* Mosaica, quæ bona præcepit, et
mala prohibuit, gratiam vero adimplendi
non præstitit, *sed sub gratia* evangelicæ
legis et Christi : ideo peccatum vobis
non dominabitur, si feceritis quod in vobis est.
Circa hoc movet Apostolus quod vidit
15 moveri posse ab aliis. *Quid ergo* restat? *Peccabimus, quoniam non sumus sub lege* veteri, *sed sub gratia?* id est, an hoc
licet ut gratia Dei abutamur, ideo peccando securius, quia a minis et pœnis
temporalibus legis liberati sumus? *Absit.* Hoc enim vile atque perversum es-
16 set, sicut ostendunt sequentia. *An nescitis
quoniam cui exhibuistis vos servos ad
obediendum,* id est, cui vos sponte subjecistis, *servi estis ejus cui obedistis?* Hoc
palam est. Ad rationem enim servi pertinet obtemperare mandato alterius. *Sive
peccati ad mortem,* id est, si exhibuistis
vos servos peccato, servi estis peccati ad
mortem culpæ in via, et ad mortem pœnæ in gehenna : ad hæc enim perducit
servitus culpæ ; *sive obeditionis ad justitiam,* id est, si exhibuistis vos servos
obedientiæ divinorum mandatorum, facti
estis servi obedientiæ hujus ad justitiam, id est ad hoc ut justi sitis.
17 *Gratias autem* refero *Deo*, cui de omni bono agenda est gratiarum actio, *quod*

A *fuistis* ante vestram conversionem *servi
peccati; obedistis autem ex corde,* id est
animo prompto atque spontaneo, *in eam
formam doctrinæ,* id est in institutionem
ac seriem evangelicæ disciplinæ, operando secundum præcepta et consilia Christi, *in qua* doctrina seu forma *traditi estis*
scholæ Christi sive Ecclesiæ, ut tenendo
hanc formam, sitis filii ac discipuli Christi et Ecclesiæ. *Liberati autem a pecca-* 18
to, non solum per Christi passionem, sed
etiam per diligentem vitiorum evitatio-
B nem : quæ tamen evitatio vobis per gratiam Christi confertur; *servi facti estis
justitiæ,* id est, justitiæ subjecti estis,
implendo præcepta justitiæ.
Sed quia doctrina seu jussio proportionanda est capacitati discipulorum ac
subditorum, idcirco infirmis seu imperfectis proponit Apostolus præceptum facile et humanum. *Humanum dico, pro-* 19
pter infirmitatem carnis vestræ, id est,
leve et naturali rationi consonum do vobis
præceptum : et hoc, propter vestram im-
C perfectionem et carnis vestræ fragilitatem, propter quæ non potestis præceptum
perfectionis seu solidum capere cibum. Hebr. v, 14.
Deinde ponit præceptum. *Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ,* id est carnalibus vitiis, scilicet gulæ, luxuriæ, etc., *et iniquitati,* id est
spiritualibus peccatis, *ad iniquitatem,*
progrediendo de uno peccato in aliud,
juxta illud Sapientis : Peccator adjiciet Eccli. III,
ad peccandum; et illud Apocalypsis, Qui 29. Apoc. XXII,
in sordibus est, sordescat adhuc. Unde 11.
D per Isaiam ait Scriptura : Væ qui trahi- Is. v, 18.
tis iniquitatem in funiculis vanitatis, et
quasi vinculum plaustri peccatum. Tales
sunt perseverantes in malo : quoniam
teste Gregorio, peccatum quod statim per
pœnitentiam non deletur, suo pondere
trahit ad aliud. *Ita nunc,* agnita veritate,
exhibete, id est, præbete et date, *membra vestra servire justitiæ,* id est virtutibus universis, manibus dando eleemosynam, pedibus eundo ad ecclesiam, oculis
peccata deflendo, auribus verbum Dei au-

diendo, ore Deum laudando, *in sanctifi-*
cationem, id est, vere et plene proficia-
tis in gratia Dei, in sanctitate et omni
perfectione, quemadmodum in Apocaly-
Apoc.xxii,11. psi habetur : Sanctus sanctificetur ad-
huc. Unde per Moysen Dominus præce-
Lev.xi,44. pit : Sancti estote, quoniam ego sanctus
sum Dominus Deus vester : et rursus,
Deut.xviii,13. Perfectus et absque macula eris cum Do-
mino Deo tuo. — Ecce saluberrimum do-
cumentum, rationabilissimumque præce-
ptum, a quo nemo excusare se potest.
Quid enim tam vile ac erubescibile, ut
quod post nostram conversionem simus
pigriores, negligentiores ac frigidiores in
obsequio Dei, quam olim eramus in ser-
vitute diaboli, carnis et mundi ? Labo-
randum ergo est nobis, ut vere ac plene
convertamus mores nostros. Sed quia hoc
Rom.ix,16. adimplere non est volentis neque cur-
rentis, sed Dei miserentis, dicamus cum
Thren.v,21. Jeremia : Converte nos, Domine, et con-
vertemur.
20 *Quum enim servi essetis peccati*, obe-
diendo concupiscentiis et passionibus ve-
stris, *liberi fuistis justitiæ*, id est, Domino
justitiæ caruistis, et spoliati eratis bo-
no justitiæ, atque extranei a rectitudine
æquitatis, non obtemperando mandatis di-
vinis : quod veræ libertati maxime de-
rogat. Liberaliter servit, qui voluntatem
Domini libenter facit : ideo ad peccan-
dum liber est, qui servus est peccati.
Justitiæ quoque libere servit, qui amat
et delectatur in ea. Hæc est vera libertas.
21 *Quem ergo fructum*, id est profectum
seu utilitatem, *habuistis tunc in illis*,
quando scelerate vixistis, *in quibus nunc*
erubescitis, id est in actibus vitiosis ac
turpibus, de quorum perpetratione vere-
cundamini modo, ad Deum conversi at-
que divinitus illustrati, ac per hoc in-
honestatem peccati agnoscentes? Peccator
namque, post suam conversionem, eru-
bescit de malis in quibus aliquando glo-
riabatur, quemadmodum scriptum est :
Ezech.xxxvi,32. Erubescite, et confundimini super viis
vestris, dicit Dominus. *Nam finis*, id est

A merces finalis, *illorum* turpium vitiorum,
mors est, id est æterna damnatio. Vel,
mors ista temporalis, est finis, id est ter-
minus, illorum, quia post mortem hanc
non possunt impii talia agere : propter
quod eorum delectatio brevis est. *Nunc* 22
vero liberati a peccato, per Christi pas-
sionem, tanquam per causam meritoriam
universalem, per propriam quoque pœ-
nitentiam seu Baptismum, tanquam per
causam meritoriam particularem, per gra-
tiæ autem infusionem formaliter, *servi*
B *autem facti Deo*, obediendo ejus præce-
ptis, seu acquiescendo ejus consiliis, *ha-*
betis fructum vestrum, id est profectum
seu perfectionem vobis congruentem, *in*
sanctificationem animarum vestrarum, ita
quod fructus iste est sanctificatio vestra,
seu puritas animæ. Unde ait Dominus :
Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum Matth.v,8.
videbunt. *Finem vero*, id est finale con-
summatumque præmium, habetis *vitam*
æternam, quæ erit tota merces vestra.
Ad hunc fructum seu cordis puritatem
C omnia exercere debemus, semper solli-
citi coram divino conspectu habere cor
mundum : in quo, scilicet in habendo
cor mundum, consistit summa viæ hujus
perfectio, quia ut Salomon ait, Qui dili- Prov.xxii,11.
git cordis munditiam, amicum habebit re-
gem. Vita autem æterna, quæ est visio
Dei in patria, est finis ultimatus : ad
quem etiam ipsa puritas animæ viatricis
disponit ac ordinatur.
Consequenter ostendit Apostolus, quod
finis illorum, utpote vitiorum, est mors
D atque damnatio animæ. *Stipendia enim* 23
peccati, id est retributio debita quæ pro
peccato infligitur, est *mors* temporalis et
æterna. Ex originali enim peccato pro-
cessit mors corporalis, in pœnam illius
peccati. Propter quod legitur in libro Sa-
pientiæ : Deus mortem non fecit ; invi- Sap.i,13.
dia autem diaboli mors introivit in or- Ibid.ii,24.
bem terrarum. Pro peccato autem actuali
mortali infligitur mors æterna : quæ uti-
que est a Deo, quum sit justa pœna, sic-
ut scriptum est : Mors et vita ab ipso Eccli.xi,14.

sunt. *Gratia autem Dei,* id est ex gratia seu per gratiam Dei, datur justis pro præmio *vita æterna.* Non hoc dicitur, merita excludendo, sed ut insinuetur quod principaliter adscribendum sit gratiæ Dei, qui etiam præmiat ultra condignum. Electi enim per gratiam merentur vitam æternam. Unde tam meritum quam præmium nostrum, primo et maxime dependet atque procedit ex pietate Dei, et gratia ejus quam efficit in nobis. Hæc autem A vita æterna est *in Christo Jesu Domino nostro,* tanquam in objecto et causa effectiva principali, secundum divinam ejus naturam, sicut in Patre et Spiritu Sancto. Tota enim superbenedicta Trinitas, est causa efficiens et objectum vitæ æternæ, id est beatitudinis electorum. Porro in Jesu Christo, id est per eum, datur nobis gratiose vita æterna, quia sicut jam sæpius dixi, omnia dona nobis per Christum hominem conferuntur.

ARTICULUS X

EXPOSITIO CAPITULI SEPTIMI : AN IGNORATIS, FRATRES, ETC. ?

IN capituli hujus exordio probat Apostolus cessationem legis Mosaicæ per
1 exemplum. *An ignoratis, fratres,* id est o vos, Romani fideles, an nescitis quæ dicam ? Et scio quia non ignoratis ea. *Scientibus enim legem loquor,* id est vobis Romanis in Christum credentibus : qui partim fuistis sub lege Moysis, et estis ex Judaismo christiani effecti, propter quod legem Moysis scitis; partim vero gentiles fuistis, atque sub civili lege vixistis, et ideo legem hanc nescitis. Barbari vero qui legibus non reguntur, nullam harum legum noverunt. An, inquam, nescitis, *quia lex* Mosaica, et civilis, *in homine dominatur,* id est, hominem obligat ad observantiam legis, *quanto tempore,* id est quamdiu, *vivit,* id est, vigorem ac statum sortitur lex ipsa? Si autem lex perfectior, priorem evacuans, superveniat, cessat lex prima, nec amplius obligat : sicut cessavit lex Moysis, superveniente lege Christi.
2 Hujus rei exemplum subjungitur. *Nam quæ sub viro est mulier,* id est femina
legitime maritata et viro subjecta, juxta
Gen.iii,16. illud, Sub viri potestate eris; *vivente viro, alligata est legi* viri, quia tenetur ei
B debitum reddere, nec potest ab eo discedere. Mulier enim potestatem corporis sui ICor.vii,4.
non habet, sed vir. *Si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri,* in tantum ut si vir ejus resurgeret, non teneretur eum recipere, nisi ex condecentia quadam, ut dicitur. *Igitur vivente* 3
viro, vocabitur adultera si fuerit cum alio viro uxorato, vel non uxorato. *Si autem mortuus fuerit vir ejus* morte naturali, aut certe civili ante copulam, *liberata est a lege,* id est a jure, *viri, ut* C *non sit adultera si fuerit cum alio viro.*
Potest enim nubere cui placuerit, tan- Ibid. 39.
tum nubat in Domino.

Præterea applicat præinductam similitudinem Apostolus ad propositum de cessatione legis scriptæ. *Itaque, fratres mei,* 4
et vos mortificati estis legi, id est a debito et vigore Mosaicæ legis soluti, *per corpus Christi,* id est per ea quæ Verbum Dei fecit, assumpsit et pertulit in corpore Christi, videlicet per Christi incarnationem, per corporis sui in cruce expan- D sionem, vel etiam per incorporationem qua Christo incorporati, unum estis cum ipso effecti; *ut sitis vos alterius,* scilicet Christi, *qui ex mortuis resurrexit,* id est,

esse vestrum ac vitam ad Christi glori-
am ordinetis, nec vobis ipsis, sed ei vi-
vatis, non sequendo desideria propria,
sed Christi mandata, nec insistendo pri-
vato amori, sed divinæ caritati. Qui sic
abnegant semetipsos, cordialiter dicunt
Ps. cxiii, 1, sec. Hebr. illud Psalmistæ : Non nobis, Domine, non
nobis, sed nomini tuo da gloriam. *Ut*
fructificetis Deo, id est, opera virtuosa
Matth. vii, 19. agatis ad gloriam Dei. Omnis enim ar-
bor, inquit Salvator, quæ non facit fru-
ctum bonum, excidetur, et in ignem mit-
Joann. xv, 5. tetur ; et rursum, Qui autem manet in
me, hic fert fructum multum.

Insuper manifestat legem jam esse eva-
cuatam, ex consideratione status qui erat
5 sub lege. *Quum enim essemus in carne,*
id est in carnalibus et cærimonialibus
operibus legis, seu vitiis carnis, tempo-
re legis antiquæ, *passiones peccatorum,*
id est passiones, seu sensitivæ partis in-
ordinatæ motiones interiores, *quæ per*
legem erant, id est, ex jussione aut pro-
hibitione legis, ex occasione in nobis in-
citabantur, *operabantur in membris no-*
stris, id est, ad opera prava induxerunt
Num. xv, 39. membra nostra, ut oculus per res varias
fornicaretur, manus alium cæderet, lin-
gua mentiretur, *ut fructificarent morti,* id
est, opera morti congrua, æternaque mor-
6 te digna patrarent. *Nunc autem,* scilicet
tempore gratiæ, *soluti sumus a lege mor-*
tis, id est ab obligatione et observatione
Mosaicæ legis : quæ nominatur lex mor-
tis, quia ex occasione mortem spiritua-
lem inferebat, augendo culpam ratione
transgressionis præcepti, et incitando con-
cupiscentiam ; vel, quia transgressoribus
suis temporalem intulit mortem, sicut per
Exod. xxi, 12, 16, 17; Lev. xx, passim, etc. Moysen sæpius dicitur : Qui fecerit hoc
vel hoc, morte moriatur. *In qua lege*
detinebamur, id est, ad cujus observan-
tiam obligati eramus, usque ad publica-
tionem evangelicæ legis. Nunc vero soluti
sumus, *ita ut serviamus* Deo *in novita-*
te spiritus, id est in spirituali renovati-
one mentis, quemadmodum scriptum est,
Ephes. iv, 23. Renovamini spiritu mentis vestræ ; vel,

A in novitate spiritualis intelligentiæ ; *et*
non in vetustate litteræ, id est observan-
tiis litteralibus seu cærimonialibus vete-
ris Testamenti. Littera enim occidit, spi- II Cor. iii, 6.
ritus autem vivificat.

Quoniam vero veterem legem vocavit
legem mortis, ne quis ex hoc erroris oc-
casionem eliciat, ut Manichæi, dicentes
legem Moysis datam a dæmone, removet
Apostolus talem errorem. *Quid ergo di-* 7
cemus ? Si ita est ut dixi, *lex peccatum*
est ? id est, an tunc dicendum sit, quod
B lex sit vitiosa, peccatique causa per se ?
Absit. Sed peccatum non cognovi nisi
per legem : id est, hoc magis tenendum
affirmo quod lex sit bona, quoniam or-
dinatur ad bonum, scilicet ad discernen-
dum inter bonum et malum, inter virtu-
tes et vitia, quatenus mala vitentur, et
bona agantur. Ideo ait, Peccatum non co-
gnovi esse peccatum, saltem ita perfecte
atque communiter, nisi per legem, id est
legis instructionem : *nam concupiscenti-*
am carnalem et inordinatam *nesciebam*
C esse peccatum, *nisi lex diceret : Non con-*
cupisces. Loquitur autem Apostolus in
persona generis humani, præsertim eo-
rum in quibus ratio naturalis sic obte-
nebrata fuerat vitiis, ut inter bonum et
malum parum aut nihil discernerent. Quo-
rum multi putabant cogitationes non pro-
cedentes in actum pravum, et simplicem
fornicationem, atque similia quædam, non
esse peccata. De quibus Propheta : Væ Is. v, 20.
qui dicitis malum bonum, et bonum ma-
lum, ponentes tenebras lucem, et lucem
D tenebras. His ergo ostendit lex, quid sit
culpabile. Nam et ipsi ignorarent concu-
piscentiam, nisi lex diceret : Non concu- Exod. xx, 17.
pisces. Ad vitandum autem peccatum, re-
quiritur peccati cognitio : ideo lex potius
retrahit a peccato, quam sit causa ipsius.
Est tamen occasio peccati per accidens,
ex parte nostri, qui sicut naturaliter ap-
petimus libertatem, ita communiter in-
clinamur ac nitimur in vetitum, ne nostra
libertas videatur arceri.

Occasione autem accepta, peccatum per 8

mandatum, id est concupiscentia seu fomes A
peccati, imo et dæmon tentator, occasi-
onem peccandi seu impugnandi accipi-
ens ex mandato legis, quæ concupiscen-
tiam prohibebat. Ex tali enim mandato
irritabatur et provocabatur concupiscen-
tia. Dæmon quoque videns homini datam
legem, cœpit fortius eum invadere atque
tentare. Sicque peccatum *operatum est
in me,* id est, ad operandum induxit me,
omnem concupiscentiam lege prohibitam,
ita quod concupiscentia mala processit
in opus. *Sine lege enim,* id est lege non- B
dum accepta, vel ejus cognitione adepta,
peccatum mortuum erat, id est, fomes
peccati non ita viguit, sed erat debilior :
quia non tantum excitatus ut postea, nec
tantum impugnabatur a dæmone, minus
quoque imputabatur a Deo.

9 *Ego autem vivebam sine lege aliquan-
do.* Scire oportet quod Apostolus loqui-
tur hic in persona hominis communiter.
Unde non omnia quæ dicit, ad eosdem
referantur. Nunc ergo loquens in perso-
na hominis, qui ad tempus vixit ante C
legem Mosaicam, et ad tempus ei subja-
cuit, dicit : *Ego autem vivebam* vita gra-
tiæ, vel simpliciter, vel respective, id est
carendo peccato mortali, vel minus pec-
cando, *sine lege* scripta, *aliquando,* id
est, antequam data est lex scripta. Tunc
enim, ut dictum est, minus viguit fomes.
Sed quum venisset mandatum legis, id
est, postquam lex data est mihi, *pec-
catum revixit,* id est, fomes seu ejus
effectus (videlicet culpa) insolescere, re-
10 bellare, vigereque cœpit. *Ego autem* spi- D
ritualiter *mortuus sum,* sub lege peccato
reviviscente in me; *et inventum est mi-
hi,* id est ad incommodum meum, *man-
datum* legis, *quod* ordinatum ac datum
erat ad vitam gratiæ in præsenti, vitam-
que gloriæ in futuro, *hoc esse ad mor-
tem* culpæ in via, atque ad mortem dam-
nationis in gehenna. Cujus ratio atque
11 declaratio subditur. *Nam peccatum,* id
est concupiscentia seu fomes, *occasione
accepta per mandatum,* secundum sen-
sum jam præinductum, *seduxit me,* id
est, rationem meam subvertit, ut potius
inhæreret bono commutabili et caduco
quam summo et increato, *et per illud,*
id est hanc seductionem illicitumque con-
sensum, *occidit* me, inducens me ad de-
lectationem mortiferam, seu culpam mor-
talem, quæ tollit caritatem, in qua animæ
vita consistit.

Præterea ex prædictis infert Aposto-
lus : *Itaque lex quidem* scripta, est *san-* 12
cta, quia prohibet vitia, præcipitque ho-
nesta. Unde secundum Isidorum : Lex est
jussio sancta, jubens honesta. *Et man-
datum* legis, est *sanctum,* id est ad di-
vinum cultum directe ordinatum, non ad
agendum peccatum, quamvis homo ex fo-
mitis corruptione, ex occasione movetur
ad vitium, audito legis præcepto, *et ju-
stum,* quoniam docet et imperat unicui-
que dare quod suum est, et injustitiam
digne ulciscitur, *et bonum,* quia ad ulti-
mum finem, qui optimus est, dirigit. Hinc
ait Psalmista : Lex Domini immaculata, *Ps.* XVIII, 8.
convertens animas, etc. Et Salomon : Man- *Prov.* VI, 23.
datum lucerna est, et lex lux, et via vitæ
increpatio disciplinæ.

Ex his infert Apostolus quod sequi vi-
detur, et tamen secundum veritatem non
sequitur. *Quod ergo bonum est,* id est le- 13
gis mandatum in se bonum consistens,
mihi factum est mors, id est causa spi-
ritualis necis? Dixit enim mandatum es-
se ad mortem, et per mandatum revixisse
peccatum. *Absit,* id est, istud non sequi-
tur. Quamvis enim per mandatum revi-
xerit culpa, hoc tamen non per se, neque
ex injustitia legis, sed malitia hominis,
bono ex occasione abutentis. Ideo addi-
tur : *Sed peccatum,* id est concupiscen-
tia vel fomes, *ut appareat peccatum,* id
est, sciatur esse illicita ; vel, ut pecca-
tum intus latens, foras erumpat ac pa-
teat; *per bonum,* id est per legem, non
directe, sed ex occasione, *operatum est
mihi mortem,* id est, ad mortale pecca-
tum induxit me, privans me gratia Dei
animam vivificante. Dato quippe manda-

to, magis inflammata est concupiscentia A
mala, magisque provocata est contra ho-
minem tentatoris invidia atque suggestio.
Ut fiat supra modum consuetum, et ul-
tra mensuram, *peccans peccatum,* id est
concupiscentia nos peccare faciens, ita
quod concupiscentia facit magis peccare
sub lege quam ante, *per mandatum,* oc-
casione, sicut expositum est. Vel sic :
Ut fiat supra modum peccans peccatum
per mandatum, id est, actuale peccatum
ex fomite nascens, quo Deum offendi-
mus, modum excedat per mandatum. Nam B
idem peccatum, lege accedente, gravius
est quam ante ; et quod ante erat tan-
tummodo peccatum seu culpa, postmo-
dum etiam prævaricatio est, id est divi-
næ legis transgressio. Propterea fit supra
modum peccans peccatum, quia diversis
de causis displicet Deo, et variis modis
adversatur justitiæ.

Deinde manifestat Apostolus legem es-
se spiritualem, id est carnales atque il-
14 licitas concupiscentias prohibentem. *Sci-
mus enim quia lex spiritualis est :* quia C
Act. vii, 53. et data est a Spiritu Sancto per spiritum
angelicum, quatenus lege accepta, viveret
homo secundum spiritum, non secundum
carnem ; *ego autem carnalis sum,* carna-
liter vivens, passionum inclinationes se-
quendo. Loquitur autem Apostolus, sicut
jam dictum est, in persona hominis ge-
neraliter. Nunc enim loquitur in persona
ejus in quo invenitur peccans peccatum
supra modum, hominis scilicet qui le-
gem transgreditur. Quasi dicat : Quamvis
ego carnalis sim, nihilo minus lex spiri- D
tualis est. Itaque, Carnalis sum, *venun-
datus,* id est damnationi seu dæmonis
potestati ac juri, vel miseræ servituti,
expositus atque obnoxius factus, *sub pec-
cato* primi parentis, qui se ipsum et po-
steritatem suam vendidit hosti, faciendo
quod ille proposuit. Vel potius, Sub pec-
cato actuali et proprio, id est peccatorum
meorum demerito : sicut per Isaiam Do-
Is. l, 1. minus profitetur, Ecce in iniquitatibus
vestris venditi estis ; et dictum est Achab,

Venundatus es ut faceres malum coram III Reg. xxi, 20.
Domino. Vendit namque se homo libero
arbitrio, et recipit pro pretio vile bonum
ab adversario suo.

Quod enim operor in quantum carna- 15
lis, videlicet sensualitatem sequendo, *non
intelligo,* id est, non vere considero, nec
recte attendo. Nullus enim respiciens ad
malum operatur, secundum Dionysium.
Unde malum nec agitur, neque appeti-
tur, nisi sub ratione boni. Propter quod
Salomon ait : Omnis viri via recta sibi Prov. xxi, 2.
videtur. Vel, Non intelligo, id est, intus
non lego tale malum tanquam rationi
consonum. *Non enim quod volo bonum,*
id est actum virtuosum, quem secundum
rationis dictamen volo et approbo, *hoc
ago,* quia carnalitati vitiisque succumbo ;
sed quod odi malum, id est peccatum
quod secundum rationis censuram dete-
stor, *illud facio,* passionibus cedens, et
sensualitati consentiens. *Si autem quod* 16
nolo secundum rationem, *illud facio* se-
cundum sensualitatem : *consentio legi,
quoniam bona est,* id est, legem appro-
bo, quia quod illa prohibet, ratio mea
malum esse cognoscit. *Nunc autem,* id 17
est istis sic stantibus, *jam non ego operor
illud* malum, in quantum homo seu ra-
tionalis creatura, cujus est vitia abhor-
rere, virtutes diligere, et deprecari ad
optima, *sed quod habitat in me peccatum,*
id est, fomes peccati, seu concupiscentia
firmiter radicata in me, est causa mali,
impellendo ad ipsum. Tanquam dicat :
Non ut rationalis, sed ut brutalis seu be-
stiis similis, ago hoc malum, quod ratio
reprobat.

Ad horum intelligentiam pleniorem ha-
bendam, oportet advertere quod Aposto-
lus assumit hoc loco personam duorum
hominum, scilicet interioris, et exterio-
ris ; vel potius duplicis hominis, id est
ejusdem secundum duplicem portionem
ipsius. Est enim in homine duplex pars,
videlicet intellectiva et sensitiva, seu ra-
tio et sensualitas, quæ aliter appellantur
spiritus et caro, homo interior atque ex-

terior. Ratio autem competit homini se-
cundum propriam hominis definitionem,
sensualitas vero secundum id quod cum
brutis communicat. Idcirco quod agit et
vult secundum rationem, hoc dicitur pro-
prie velle et agere. Hoc enim agit et vult
secundum quod homo. Quod vero agit
aut appetit secundum sensualitatem, seu
partem sensitivam, sine rationis adver-
tentia seu consensu, non dicitur proprie
agere sive appetere, quia non agit, nec
appetit illud in quantum homo, sed ut
jumentis communicans. Sicque apparet
quomodo homo dicitur agere quod ta-
men non agit, sicut jam dixit Apostolus :
Quod nolo facio, et jam ego non operor
illud. Denique non ita intelligendum est
quod ait, Jam non ego operor illud, sed
quod habitat in me peccatum, quasi ho-
mo nequaquam operetur illud, vel a vitio
excusetur, sed quia non agit illud ut ho-
mo bene dispositus.
18 *Scio enim,* per experientiam relucta-
tionis sensualitatis contra rationem, *quia
non habitat in me, hoc est in carne mea,*
videlicet in homine exteriori et parte sen-
sitiva, *bonum,* id est virtus, seu habitus
ad bonum inclinans, sed potius ad oppo-
situm. Per hoc autem quod ait, Hoc est
in carne mea, insinuat quod in parte in-
tellectiva habitet bonum, puta syndere-
sis, quæ remurmurat malo, et tendit in
bonum. Ideo subdit : *Nam velle adjacet
mihi,* id est, secundum hominem inte-
riorem inclinor ad bona, et volo hone-
sta ; *perficere autem bonum,* id est opere
adimplere, *non invenio* in me, quoniam
sine gratia illud non valeo, maxime pro-
19 pter rebellionem sensualitatis. *Non enim
quod volo bonum, hoc facio ; sed quod
20 nolo malum, hoc ago. Si autem quod no-
lo, illud facio ; jam non ego operor illud,
sed quod habitat in me peccatum.* Hæc
jam præhabita atque exposita sunt.
Ex his infert Apostolus legem scriptam
esse bonam, quoniam ratio naturalis ei
21 consentit. *Invenio igitur legem, volenti
mihi facere bonum,* id est, quum bona
agere cupio, invenio legem, tam natura-
lem quam scriptam, consonam mihi bona
volenti. Ex quo sequitur legem esse bo-
nam. *Quoniam mihi malum,* id est pro-
nitas ad peccandum, *adjacet,* id est, in
promptu est. Pronior enim sum ad mala
quam ad bona, propter corruptionem na-
turæ. Tanquam dicat : Ideo volo bonum,
et erigo me contra me ipsum, quoniam
cerno me ad mala proclivem, cui procli-
vitati cupio resistere. *Condelector enim,* 22
id est, consentio, et delectabiliter affici-
or, *legi Dei,* volens quod præcipit, nolens
quod prohibet, *secundum interiorem ho-
minem,* id est secundum rationis judi-
cium. Nam et lex naturalis legi divinæ
concordat, præcipue quoad præcepta mo-
ralia. Lex quippe scripta, tam divina
quam humana, est quædam determinatio,
vel renovatio, seu explicatio legis natura-
lis, et comparatur ad eam sicut conclu-
sio ad præmissas. Unde præcepta dicuntur
esse de conclusionibus, non de primis
principiis. Intentio autem præceptorum
moralium est, hominem juste ordinare
quantum ad Deum, et quantum ad pro-
ximum. Hæc vero præcepta determinan-
tur dupliciter, scilicet, per præcepta cæ-
rimonialia, quæ assignant speciales modos
colendi Deum, et per præcepta judicia-
lia, quæ assignant aptum modum servan-
di justitiam inter homines. Hæc itaque
duo genera præceptorum, non sunt de
naturali dictamine rationis, sed ex insti-
tutione vim habent ; nec sunt eadem ubi-
que et semper, sed variantur apud diver-
sos, secundum exigentiam personarum,
locorum ac temporum.
Video autem aliam legem a lege Dei 23
cui ratio condelectatur, *in membris meis,*
id est in carne mea mortali, vitiata ac
fragili, utpote fomitem peccati, qui pri-
mo respicit carnem et membrum gene-
rationis, et ex carnis contactu derivatur
ad animam, quam cito corpori copula-
tur, *repugnantem legi mentis meæ,* id est
legi naturali ac divinæ cordi meo inscri-
ptæ, *et captivantem me,* id est, subjici-

entem per consuetudinem malam et con-
sensum, *in legem peccati quæ est in
membris meis,* id est sibi ipsi exsistenti
in corporis membris, quæ universa in-
fecta sunt pronitate ad malum. Captivat
ergo lex membrorum hominem in se,
dum rationem pertrahit, et tenet in ope-
ribus ad quæ fomes inclinat. Lex autem
dicitur a ligando, vel a legitima latione.
Quoniam ergo fomes hominem in malo
ligat, recte lex dicitur. Et etiam, quia
legitime factum est ut caro repugnaret
spiritui, quando spiritus inobediens ex-
stitit Creatori. Homo enim in paradiso
ante peccatum exsistens, sic conditus fuit
ut quamdiu ipse per rationem esset sub-
ditus Deo, sensualitas subdita esset rati-
oni, et caro spiritui : ita ut nec languor
esset in anima, nec inordinata concupi-
scentia aut passio in sensualitate, stante
subjectione rationis sub Deo. Et ut homo
in tali conditione faciliter posset persi-
stere, data et concreata erat ei originalis
justitia, quæ erat rectitudo seu retinacu-
lum quoddam habituale, tenens rationem
sub Deo, sensualitatem sub ratione, et
carnem sub anima. Unde ratione per in-
obedientiam a Deo aversa, mox orta est
rebellio sensualitatis et carnis adversus
spiritum. Et dispositio ad hanc rebellio-
nem inclinans, vocatur fomes peccati, lex-
que membrorum.

Præterea ex consideratione tantæ mi-
seriæ cui subjectus est homo, exclamat
24 Apostolus : *Infelix ego homo,* privatus fe-
licitate originalis justitiæ, multisque cor-
ruptionibus et vitiis plenus ! *quis me li-
berabit de corpore mortis hujus,* id est, de
corpore isto mortali, quod obligat ad mor-
tem naturæ, inclinat ad mortem culpæ,
exponitque periculis mortis æternæ, qua-
tenus anima mea huic vitæ subtracta, ad
patriam redeat, et Deo libere perfruatur,
25 secureque vivat ? Et respondet : *Gratia
Dei* Trinitatis *per Jesum Christum Domi-
num nostrum,* per quem gratia Dei nobis
infunditur ac præstatur. Hanc ergo libe-

A rationem desiderabilem animæ a corpore
facit Deus effective, gratia Dei formaliter,
Christus homo meritorie.

Sed quum alibi dicat Apostolus, Nolu- II Cor. v, 4.
mus exspoliari, sed supervestiri ; et, Ne- Ephes. v, 29.
mo carnem suam unquam odio habuit :
quomodo nunc cupit liberari a corpo-
re ? Et respondendum, quod liberatio ista
intelligi potest dupliciter : Primo, per
separationem animæ a corpore. Sicque
Apostolus et alii Sancti optaverunt a cor-
pore liberari, per mortem temporalem,
B desiderio Christi ac patriæ, sicut alio lo-
co habetur : Cupio dissolvi, et esse cum Philipp. i, 23.
Christo. Pro hac quoque liberatione ora-
vit Psalmista : Educ, inquiens, de custo- Ps. cxli, 8.
dia animam meam ad confitendum no-
mini tuo ; et iterum, Heu mihi ! quia Ps. cxix, 5.
incolatus meus prolongatus est; et, Quan- Ps. xli, 3.
do veniam, et apparebo ante conspectum
Dei ? Secundo, intelligi potest per sepa-
rationem corporis a mortalitate, ceteris-
que afflictionibus, et miseriis, et pec-
catis. Sic autem optant electi liberari a
C corpore mortis in die judicii, scilicet,
ut resurgant in corpore glorificato, non
passibili et misero. Tunc enim libera-
buntur corpora Sanctorum ab omnibus
malis prædictis. Unde Apostolus non ait
simpliciter, De corpore, sed, De corpore
mortis. Et ita nolumus finaliter exspo-
liari, sed ad tempus, quatenus in resur-
rectione futura supervestiamur impassi-
bili corpore, quod erit ornamentum, non
onus.

Ex dictis concludit Apostolus : *Igitur
D ego ipse mente,* id est secundum ratio-
nem, *servio legi Dei ; carne autem,* id est
secundum carnis et fomitis inclinatio-
nem, servio *legi peccati,* quæ est in mem-
bris. Si in sui ipsius persona hoc dicit
Apostolus, referendum est ad peccata ve-
nialia ac minutissima, quibus forte in-
terdum non caruit, vel ad statum quem
habebat sub lege Mosaica. Servire autem
legi peccati, est inclinationibus fomitis
consentire.

ARTICULUS XI

EXPLANATIO CAPITULI OCTAVI : NIHIL ERGO NUNC DAMNATIONIS EST, ETC.

DECLARATA in præcedenti capitulo A
cessatione legis Mosaicæ, jam docet
Christo et evangelicæ legi jugiter inhæ-
1 rendum, et ait : *Nihil ergo nunc*, scilicet
tempore gratiæ, *damnationis*, id est obli-
gationis ad pœnam gehennæ, *est his qui
sunt in Christo Jesu* per fidem et carita-
Joann. xv, 4. tem : quibus ipse loquitur, Manete in
me, et ego in vobis ; *qui non secundum
carnem ambulant*, id est, carnis deside-
riis non acquiescunt, neque carnaliter vi-
Galat. v, 24. vunt, sed carnem cum vitiis et concu-
piscentiis crucifigunt. In fonte namque B
Baptismatis dimissa sunt eis peccata uni-
versa. Si autem postea non peccaverunt,
Joann. xv, 5. manendo in Christo proferunt fructum
multum, et ita non tantum pro vitiis sa-
tisfaciunt, sed insuper gloriam amplio-
2 rem merentur. *Lex enim spiritus vitæ*, id
est lex evangelica : quæ nominatur lex
spiritus, quia a Spiritu Sancto est data,
Christianorumque cordibus ab ipso im-
pressa; dicitur quoque lex vitæ, quoniam
mentem vivificat, per gratiam quam sa-
cramenta novæ legis distribuunt; *in Chri-* C
sto Jesu, id est per Christum, *liberavit
me a lege peccati et mortis*, id est a con-
sensu, consuetudine, et actu culpæ ac
pœnæ pro culpa infligendæ. Potest quo-
que per legem peccati, lex scripta intel-
Rom. vii, 8-11. ligi, eo quod ex occasione auxerit culpam
ac pœnam, quemadmodum in superiori-
bus ubertim expositum est.

Proinde declarat Apostolus, quomodo
lex Christi, quæ est lex spiritus vitæ, li-
3 beret a lege peccati et mortis. *Nam quod
impossibile erat legi* scriptæ et sacramen- D
tis ipsius, non continentibus nec confe-
rentibus gratiam, *in quo infirmabatur*, id
est, in qua impossibilitate atque ineffi-
cacia, infirma et ad salvandum impotens erat lex ipsa, *per carnem*, id est per observantias et justificationes carnales, quæ non purificant animam. Sacramenta enim legalia corporaliter tantum mundabant, quasdam inhabilitates seu irregularitates ab exteriori inductas, et ab ingressu templi atque similibus impedientes, tollendo. Vel, Per carnem, id est per fomitem carnis, quem lex occasionaliter incitavit, non directe diminuit. *Deus* Pater *Filium suum mittens* in mundum per incarnationis mysterium, non per localem descensum, *in similitudinem carnis peccati*, id est in corpore mortali atque passibili : quod licet fuerit veraciter veraque caro, non tamen veraciter erat caro peccati, sed similitudinarie. Per pœnas enim quas pertulit, similis erat carni peccatrici. Venit itaque Christus in veritate carnis, non autem in veritate carnis peccati, sed in similitudine ejus.

Et de peccato damnavit peccatum : id est, Pater mittens sic Filium, damnavit, id est, delevit, destruxit, dimisit peccatum, tam originale quam actuale, de peccato, id est per peccatum factum *in carne* Christi, non a Christo, sed a diabolo ejusque ministris qui Christum occiderunt. Per hoc enim quod Christus injuste occisus est, suggerente diabolo, amisit diabolus jus quod habebat in nobis, et ita mors Christo inique illata, omne peccatum delevit. Vel : Damnavit peccatum actuale, nascens de peccato, id est fomite peccati ; vel, Peccatum de peccato, id est fomitem peccati, procedentem de peccato originali Adæ. Vel sic, et melius, secundum Ambrosium : De peccato,

id est de se ipso, prout factus est hostia A pro peccato nostro, damnavit, id est delevit, peccatum mundi quodcumque, in carne, id est in corporis sui passione. I Petr. II, 24. Ipse enim portavit peccata nostra in corpore suo super lignum. Juxta hunc sensum sacrificia legis pro peccatis oblata, dicebantur peccata, secundum quod de sacerdotibus veteris Testamenti Dominus Osee IV, 8. ait per Osee : Peccata populi mei comedent. Sic quoque aquam cum periculo vitæ allatam David, sanguinem appella- I Par. XI, 19. vit, dicens : Absit a me, ut sanguinem virorum istorum bibam.

4 Hæc itaque fecit Deus, *ut justificatio legis*, id est in lege promissa, non autem per legem exhibita : lex enim gratiam justificantem spopondit, non contulit: *impleretur in nobis*, qui in Baptismo aliisque sacramentis gratiam justificantem in lege præfiguratam ac prænuntiatam recipimus, *qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum*, id est, non carnaliter, sed spiritualiter in hujus vitæ exsilio conversamur, tendentes ac properantes ad patriam per opera virtuosa. De hac legis promissione aiebat Apo- Act. XIII, 32, 33. stolus loquens de Judæis : Et nos vobis annuntiamus eam quæ ad patres nostros facta est repromissio, quoniam hanc Deus implevit filiis nostris. Hinc etiam Petrus I Petr. I, 10, 12. in sua Canonica : De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt : quibus revelatum est quia non sibi ipsis, vobis autem ministraverunt ea quæ nunc nuntiata sunt vobis.

Pro intellectu loci hujus intricati atque difficilis advertendum, quod nemo unquam salvatus est nisi per fidem et Ephes. I, 22; Coloss. II, 10. gratiam Christi. Ipse enim est caput omnium electorum ; membra autem necesse est capiti counire, ut vitam participent. Act. IV, 12. Propter quod Petrus disserebat : Nec enim aliud nomen sub cœlo datum est hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Passio namque Christi hoc fecit futura, quod facit impleta.

Porro, hæc salus aliter applicatur hominibus post Christi passionem, et aliter ante. Tunc enim applicabatur per fidem formatam, nunc vero applicatur etiam per sacramenta gratiæ contentiva, effectiva et causativa. Potest autem aliquid movere vel agere, antequam sit in effectu, videlicet secundum quod est in apprehensione animæ, et dispositione causæ efficientis, quemadmodum finis movet agentem. Ad hoc autem quod aliquid agat et moveat in genere causæ efficientis, oportet ut B sit, et effectum præcedat, eo quod causa effectiva non sit suo effectu posterior. Sacramenta ergo veteris legis et fides Christi venturi, habere non poterant quemlibet effectum dominicæ passionis, quem nunc habent sacramenta ac fides evangelicæ legis, quæ operantur virtute passionis dominicæ jam impletæ. Et ideo gratiam operantur, et a reatu originalis peccati absolvunt : quorum nullum sacramenta legis facere poterant. Unde omnes patres pro tunc descenderunt in limbum inferni. C Nam licet per fidem et gratiam Dei, virtute passionis Christi et merito ejus futuro, absolverentur a pœna et culpa actualium peccatorum, non tamen a reatu originalis peccati.

Ex quo innotescit, quod passio Christi fortius agit impleta, quam egit implenda. Quemadmodum enim sacramenta novæ legis, sunt causæ instrumentales nostræ salutis et gratiæ, quoniam agunt virtute et merito passionis dominicæ, suntque vasa medicinalia spiritualium unguento- D rum contentiva, animarum languores curantia ; sic humanitas seu passio Christi, est causa instrumentalis, effectiva et meritoria nostræ salutis et gratiæ. Utrumque vero est instrumentum divinitatis Christi. Divinitas namque est causa efficiens principalis, quæ agit per humanitatem assumptam sicut per instrumentum conjunctum, per sacramenta vero, sicut per instrumenta separata : quemadmodum medicus est causa sanitatis efficiens principalis, manus autem est sicut causa in-

strumentalis conjuncta, ignis vero quo medicina paratur, est causa instrumentalis separata. Causa autem instrumentalis quum est in effectu, vel quum causa ejus principalis jam est, fortius operatur quam ante.

Hinc ergo ait Apostolus, quod Deus misit Filium suum, de peccato damnans peccatum, ut justificatio legis impleretur in nobis : quod impossibile erat legi, justificare non valenti, in quo lex infirmabatur, seu debilis erat. Et hoc modo construenda est littera.

Quod autem justificatio legis non nisi in spiritualibus impleatur hominibus, li-
5 quet. *Qui enim secundum carnem sunt,*
id est, qui carnaliter vivunt : qui utique attendunt se ipsos secundum esse suum carnale ac sensitivum, non secundum esse spirituale ac intellectivum ; *quæ carnis sunt, sapiunt,* id est, carnalia gustant, sensibilia ac temporalia cum sensualitatis sapore attendunt. *Qui vero secundum spiritum,* id est spiritualiter conversantes, et esse suum supremum, in quo Trinitatis imago relucet, pensantes, *quæ sunt spiritus sentiunt,* id est, spiritualia atque divina saporose intelligunt, delectabiliter pensant, sollicite implent, in talibus jugiter occupantur.

6 *Nam prudentia carnis,* id est carnalis ac sæcularis prudentia, *mors est,* id est mortale peccatum, inferens mortem culpæ in via, mortemque pœnæ in gehenna. Dicitur autem prudentia carnis hoc loco, per quam homo sibi in bonis carnalibus ac mundanis finem constituit, et ad talis finis adeptionem opera sua caute disponit. Hæc prudentia, non est vera prudentia, sed appellatur prudentia, propter apparentem similitudinem quam habet cum vera prudentia. Unde ait Salvator : Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt ; et Jacobus, Non est ista sapientia (id est prudentia) a Deo, sed terrena, animalis et diabolica. *Prudentia autem spiritus,* id est vera ac spiritualis prudentia, quæ opera hominis convenienter disponit in ordine ad ultimum finem, est *vita et pax,* id est causa vitæ et pacis, in præsenti inchoative, in futuro perfecte. Nunc enim efficit in nobis vitam pacemque gratiæ, in patria vero meretur, vel potius adipiscitur, pacem et vitam gloriæ. Non distinguit Apostolus jam inter prudentiam et sapientiam. Proprie enim ad sapientiam spectat spiritualia sapere. De hac ergo spirituali prudentia, intelligendum est illud Jacobi : Quæ desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suasibilis, bonis consentiens. Sciendum quoque quod pax directe ac proprie, est caritatis effectus, juxta illud in Psalmo : Pax multa diligentibus legem tuam. Est etiam pax effectus justitiæ, tanquam removentis impedimenta pacis. Propter quod per Isaiam dicitur : Erit opus justitiæ pax. Nunc vero dicitur pax esse effectus prudentiæ, tanquam dirigentis affectus nostros in viam pacis.

(Luc. xvi, 8. — Jacob. iii, 15. — Jacob. iii, 17. — Ps. cxviii, 165. — Is. xxxii, 17.)

Quoniam sapientia carnis inimica est 7
Deo, id est divinæ voluntati atque sapientiæ veræ contraria. Ecce nunc loco prudentiæ ponit sapientiam : ex quo certum est, quod inter sapientiam et prudentiam non distinguit. *Legi enim Dei non est subjecta* sapientia ista carnalis, mundana ac vana, quia nec credit nec agit quæ lex divina tradit esse credenda sive agenda. Propter quod ait Salvator : Confiteor tibi, Pater, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis ; et Jeremias, Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt. *Nec enim potest* divinæ legi esse subjecta sapientia ista. Unum namque oppositorum non subjicitur alteri, sed repugnat. Lex autem divina docet ultimum finem esse constituendum in Deo,
hæc vero in bonis carnalibus. *Qui au-* 8
tem in carne sunt, id est, carnaliter vivunt, atque in sensibilibus bonis finaliter sistunt, *Deo placere non possunt,* in quantum hujusmodi. Possunt tamen converti, et Deo reconciliari. Huic dicto consonat

(Luc. x, 21. — Jer. iv, 22.)

Matth. VI, 24. illud Salvatoris : Nemo potest duobus dominis servire.

9 *Vos autem,* o veraciter Christifideles, *in carne non estis,* id est, in rebus ac vitiis carnis non detinemini, sed spiri-
Philipp. III, 20. tualia atque divina exquiritis, conversationem habentes in cœlis, *sed in spiritu,* id est, in Spiritu Sancto estis, per caritatem et gratiam, et propter spiritualem
Joann. III, 5. regenerationem, qua estis ex aqua et Spiritu Sancto renati. Vel, Estis in spiritu vestro, id est secundum rationis judicium vivitis : juxta quod scriptum est,
Is. XLVI, 8. Redite, prævaricatores, ad cor. *Si tamen Spiritus Dei,* id est Spiritus Sanctus, *habitat,* id est manet, *in vobis* per gratiam gratum facientem : quemadmodum loqui-
Joann. XIV, 16. tur Christus, Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum. Rursusque ait :
Ibid. 17. Spiritus Sanctus apud vos manebit, et in vobis erit. *Si quis autem Spiritum Christi non habet,* id est, cujus anima non habitatur a Spiritu Sancto : qui est Spiritus Christi, quia ab ipso procedit, ab eoque datur ac mittitur, sicut ipse pro-
Ibid. XV, 26. testatur, Quum venerit Paracletus, quem
Ibid. XVI, 14. ego mittam vobis a Patre; et iterum, Ille de meo accipiet. Et ad hoc designandum,
Ibid. XX, 22. insufflavit in discipulos suos, et dixit : Accipite Spiritum Sanctum. Quis autem habet Spiritum Sanctum, nisi quietus et humilis, simplex et justus? Scriptum est
Is. LXVI, 1, 2. enim : Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super quietum et humilem?
Sap. I, 5. Et iterum : Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu. *Hic non est ejus,* id est, ad membra Christi non pertinet, secundum præsentem justitiam et merito, quamvis interdum pertineat secundum prædestinationem æternam ac
Act. VII, 59. numero, sicut et Paulus quum Stephanum lapidavit.

Deinde pandit Apostolus, quid utilitatis consequantur fideles ex inhabitatione
10 Spiritus Sancti. *Si autem Christus in vobis est* per fidem et caritatem : sicut et

A alibi legitur, Christum per fidem habi- *Ephes.* III, 17.
tare in cordibus vestris; et Salvator ipse, Ego, inquit, vobiscum sum cunctis die- *Matth.* XXVIII, 20.
bus ; *corpus quidem mortuum est propter peccatum,* id est, caro vestra mortalis ac fragilis, necessitati moriendi subjecta est propter originale peccatum, *spiritus vero,* id est anima vestra, *vivit* per gratiam, *propter justificationem* sibi a Christo collatam, id est per hoc quod peccata ei dimissa sunt, quæ spiritum vulnerabant. Vel, Propter justificationem, id est per
B justitiæ exercitationem. Bona enim operatio, vita est animæ. Hinc ait Salvator : Ego veni ut vitam habeant, et abundan- *Joann.* X, 10.
tius habeant.

Quod si Spiritus ejus, id est Spiritus 11
Dei Patris, *qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, habitat in vobis* perseveranter usque in finem vitæ præsentis, ita ut in gratia decedatis; *qui suscitavit Jesum Christum a mortuis,* scilicet Deus Pater, *vivificabit,* id est, ad immortalem vitam resuscitabit, *et mortalia corpora vestra*
C in die novissimo : sicut Job apertissime profitetur : Credo quod Redemptor meus *Job* XIX, 25, 26.
vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursum circumdabor pelle mea. Per Isaiam quoque Dominus asserit : Vivent mortui tui, interfectique *Is.* XXVI, 19.
mei resurgent. *Propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis,* id est virtute et gratia Spiritus Sancti; vel, propter benignitatem qua fecit Spiritum Sanctum habitare in mentibus vestris ; vel, propter meritum quod consecuti estis ex inhabitatio-
D ne et gratia Spiritus Sancti : imo, propter utrumque istorum simul, videlicet propter misericordiam Dei et opera vestra bona, suscitabuntur corpora vestra ad beatam et impassibilem vitam.

Ex prædictis infert Apostolus, quod fideles obtemperare tenentur rationi, non sensualitati ; spiritui, non carni. *Ergo,* 12
o *fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus :* id est, quamvis aliquo modo obligemur carni, videlicet ut ei necessaria ministremus in victu

atque vestitu, non tamen sic ei obligati
sumus, ut ejus concupiscentiis acquie-
13 scamus, carnaliterque vivamus. *Si enim*
secundum carnem vixeritis, moriemini,
morte culpæ in hoc sæculo, et morte per-
petua in inferno. *Si autem spiritu,* id
est gratia Spiritus Sancti; vel, Spiritu,
id est rationis vestræ judicio; *facta,* id
est opera, *carnis mortificaveritis,* id est,
destruxeritis et abjeceritis tanquam vene-
na : quemadmodum in Ecclesiastico præ-
Eccli. xxi, 2. cipitur, Quasi a facie colubri fuge pec-
catum; *vivetis,* vita caritatis et gratiæ in
Ecclesia militanti, vita quoque fruitionis
et gloriæ in Ecclesia triumphanti. Huic
documento naturalis consonat ratio. Media
namque disponenda sunt secundum exi-
gentiam finis. Quum ergo caro sit animæ
instrumentum, et ordinetur ad spiritum
sicut ad finem, regenda est secundum exi-
gentiam animæ seu spiritus, scilicet, ut
animæ serviat, rationi obediat, illisque ac-
tibus occupetur per quæ spiritus tendit
et redit ad Creatorem. Qui autem secun-
dum carnem conversatur, pervertit hunc
ordinem, dominam ancillæ subjiciens, fi-
nem medio postponens, et se ipsum be-
stiis viliorem ac deteriorem constituens.
14 *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur,*
id est, a Spiritu Sancto reguntur, ejus
instinctu ducuntur, ejus fervore impel-
luntur ad bona, *hi sunt filii Dei,* per
gratiam adoptantem ac filialem amorem.
I Joann. iii, 1. Unde in Canonica Joannis scribitur : Vi-
dete qualem caritatem dedit nobis Deus
Pater, ut filii Dei nominemur et simus.

Quemadmodum autem Deus omnipotens
movet ceteras creaturas ad proprias ope-
rationes, naturalemque finem, per quem-
dam universalem influxum seu generalem
gubernationem (secundum quod Proclus
auctor libri de Causis affirmat : Causa
prima regit res omnes, præterquam quod
commisceatur eis); sic rationalem cre-
aturam movet ad finem supernaturalem
per specialem gubernationem ac inspira-
tionem, quæ providentia appellatur. Ele-
ctos vero singulariter movet ac regit,
A providens eis non solum sufficienter, sed
etiam efficaciter, de omnibus necessariis
ad salutem, ita ut gratiam Dei suscipiant,
ejusque inspirationi acquiescant. Idcirco
dicuntur potius agi, quam regi vel move-
ri a Spiritu Sancto, ut magnitudo gratiæ
insinuetur. Ad actum enim meritorium,
non solum exigitur gratia habitualis, sed
insuper necessaria est quædam actualis
motio Spiritus Sancti voluntatem excitan-
tis. Propter quod Propheta dicebat : Do- Is. xxvi, 12.
mine, omnia opera nostra operatus es in
B nobis. — Porro, quum motio ista sive
influxus, actio et instinctus Spiritus San-
cti, sit penitus supernaturalis, indiget ani-
ma supernaturalibus quibusdam habiti-
bus, per quos aptetur ac disponatur ad
hujus motionis facilem susceptionem. Hi
vero habitus, sunt septem dona Spiritus Ibid. xi, 2, 3.
Sancti, quæ sunt dispositiones habituales
ac supernaturales, a Deo immediate per
creationem infusæ, quibus redditur anima
facile mobilis a Spiritu Sancto in ordi-
ne ad supernaturalem finem, quæ est
C vita æterna. Hæc dona a virtutibus rea-
liter distinguuntur, easque in dignitate
excedunt, theologicis demptis virtutibus.
Per hæc dona dirigitur anima a Spiritu
Sancto, ita ut audiat eum sicut magistrum.
Unde ait Psalmista : Spiritus tuus bonus Ps. cxlii, 10.
deducet me in terram rectam. — Qui ita-
que sic aguntur Spiritu Dei, hi sunt filii
Dei. Quicumque autem in gratia est, ha-
bet hæc dona secundum aliquem gradum,
et agitur a Spiritu Sancto quantum re-
quirit status salutis, videlicet ad obser-
D vantiam præceptorum.

Deinde ponitur ratio cur morituri si-
mus, si secundum carnem vixerimus. *Non* 15
enim accepistis spiritum servitutis ite-
rum in timore, id est, jam tempore gra-
tiæ, non est vobis datus spiritus quo ser-
viatis Deo serviliter quasi invite, videlicet
timore pœnarum, ut olim tempore legis,
quæ comminatione pœnarum induxit ho- Deut. xxviii, 15 et seq.
mines ad serviendum; *sed accepistis spi-*
ritum adoptionis filiorum Dei, id est spi-
ritum cujus gratia homines adoptantur

in filios Dei, *in quo clamamus* ore vel corde : *Abba (Pater)*. Duo sunt nomina, unum Hebræum, alterum Latinum, significantia idem. Et est sensus : In hoc spiritu vocamus ex caritate, tanquam filii adoptivi, Deum Patrem fiducialiter atque affectuose, dicentes : Pater noster qui es in cœlis. *Matth.* VI, 9.

Glossa per spiritum servitutis, intelligit Spiritum Sanctum, a quo cordibus Judæorum incussus est timor pœnarum, quo serviliter servierunt. Nam et timor servilis, in quantum est timor, a Spiritu Sancto est. Sic enim retrahit a peccato et disponit ad gratiam. Quantum vero ad servilitatem suam, nec bonus est, neque a Spiritu Sancto. Dicitur ergo Spiritus Sanctus, spiritus servitutis, ratione sui effectus, quia facit servire. Quantum ad hoc, receperunt [eum] qui ejus dono gratis dato servierunt timore pœnarum. Per spiritum vero adoptionis, intelligit Glossa eumdem Spiritum Sanctum per gratiam adoptantem. Unde Augustinus : Cave, inquit, ne ex eo quod ait, Spiritum servitutis, et, Spiritum adoptionis, diversum intelligas spiritum, quum sit unus atque idem Spiritus, qui in Trinitate dicitur Spiritus Sanctus : quod etiam Apostolus ostendit, dicens, Iterum. Sed propter diversa opera dissimiliter nominatur. Huic dicto concordat quod de Spiritu subditur, Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei : quod certum est dici de Spiritu Sancto, videturque dictum de eodem spiritu de quo nunc agitur.

Quidam vero per spiritum intelligunt donum Spiritus Sancti : ut spiritus adoptionis dicatur donum filialis timoris, qui nos efficit filios Dei ; spiritus vero servitutis intelligatur donum timoris servilis, videlicet ipse timor servilis. Hæc enim, secundum Augustinum, est brevis differentia legis et Evangelii : timor et amor. Lex vetus appellata est lex timoris, quoniam comminatione pœnarum induxit ad bonum, nec præstitit gratiam

A obediendi per caritatem. Porro lex evangelica, est lex amoris : agit enim, gratiam conferendo, servire Deo amore justitiæ. Non est autem sic intelligendum, quin multi in veteri Testamento acceperunt spiritum adoptionis filiorum Dei. Omnes enim electi habuerunt hunc spiritum, sed non ex lege, neque per legem, magis autem ex Deo per fidem qua crediderunt in Christum venturum, ad cujus gratiam confugerunt, legis insufficientiam cognoscentes, propriamque infirmitatem pensantes.
B

Videtur quoque per spiritum hoc loco posse intelligi spiritus rationalis creatus, videlicet anima nostra. Quamvis autem quilibet nostrum acceperit hunc spiritum suum, quando creata corporique infusa est anima sua, dicimur tamen spiritum istum recipere vel amittere, quando aliqua nova dispositio ei confertur vel aufertur, quemadmodum aliquis dicitur concipere spiritum devotum, vel perdere animam ferventem. Juxta quem sensum
C Dominus ait : Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum. *Ezech.* XXXVI, 26.
Qui ergo sub lege servierunt timore, acepisse dicuntur spiritum servitutis, id est animam servientem in timore. Qui vero sub gratia serviunt caritate, accipiunt spiritum adoptionis, id est animam habentem gratiam adoptionis : in quo spiritu clamant corde devoto, Abba (Pater). Huic vero consonat quod alibi ait Apostolus : Non dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis. II *Tim.* I, 7.

D Quod autem in Spiritu Sancto clamemus, Abba (Pater), et Deum vere Patrem vocemus, hinc constat : *Ipse enim Spi-* 16
ritus Sanctus *testimonium reddit spiritui nostro*, id est, testificatur animæ nostræ, eamque recognoscere facit per inspirationem internam, vel revelationem apertam, *quod sumus filii Dei* adoptivi, stando in caritate et gratia.

Testificatio ista multis modis intelligi potest. Primo, per manifestam et claram revelationem Spiritus Sancti, sive fiat im-

mediate ab ipso, sive per angelum : sicque agnoscit homo per certitudinem se esse in gratia et filiatione divina, sicut Paulus et ceteri Apostoli, imo et multi perfecti ita sciverunt se esse in gratia. Ad quos maxime pertinet quod alio loco
I *Cor.* II, 12. dicit Apostolus : Nos non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis. Hoc modo agnovit Abraham
Gen. XV, 15. se esse filium Dei, quum ei Dominus promisit quod decederet in senectute bona.
IV *Reg.* XX, 3. Ezechias quoque certissime dixit : Memento, Domine, quomodo ambulaverim coram te in veritate et in corde perfecto. Secundo, fit testificatio ista per quamdam bonæ fiduciæ consolatoriam infusionem : ut quum homo nimium anxiatur an placeat Deo, et subito sentit se consolari et quasi certificari. Sic autem omnes virtuosi et boni scire possunt se esse filios Dei, non quidem certo, sed conjecturaliter et probabiliter. Tertio, fit per propriæ conversationis et conscientiæ diligentem discussionem : ut quum homo non habet remorsum mortalis peccati, et cum debita diligentia custodit mandata, auditque verbum Dei libenter. Ista sunt probabilia signa filiationis divinæ, imo et prædestinationis, secundum quod ait Sal-
Joann. VIII, 47. vator : Qui ex Deo est, verba Dei audit;
I *Joann.* III, 21. et Joannes in sua Canonica, Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam
Ibid. II, 5. habemus ad Deum ; et rursus, Qui servat verbum Christi, vere in hoc caritas Dei perfecta est. — Denique, sicut vita naturæ cognoscitur ex vitalibus actibus ac naturalibus motibus animæ, sic vita gratiæ ex bonis operibus, seu mandatorum custodia comprobatur, quia ut Gregorius ait, Exhibitio operis, probatio est caritatis. Quum ergo Spiritus Sanctus facit nos bene agere, atque in Dei obsequio promptos et agiles esse, tunc utique testimonium perhibet spiritui nostro, quod filii Dei simus.

Eccle. IX, 1, 2. Huic ergo dicto Apostoli non repugnat quod scriptum est : Sunt justi atque sa-
A pientes, et opera eorum in manu Dei sunt ; et tamen nescit homo utrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta. Et quod ait beatus Job : Si venerit ad me, non videbo *Job* IX, 11.
eum, et si recesserit a me, non intelligam ; itemque, Si simplex fuero, hoc ip- *Ibid.* 21.
sum ignorabit anima mea. Hæc enim atque similia ideo asseruntur, quia de lege communi et humano processu seu via, non potest homo agnoscere per certitudinem se esse filium Dei per gratiæ ad-
B optionem.

Postremo, melius atque facilius potest quis scire se esse in gratia et esse filium Dei secundum præsentem justitiam, quam esse prædestinatum, vel in gratia permansurum. Unde hoc certo agnosci non potest, nisi per revelationem divinam.

Si autem filii Dei jam sumus per gra- 17
tiam adoptantem, *et heredes* erimus in patria per gloriam beatificantem. Filiis enim adoptivis debetur aliqua pars hereditatis paternæ. Erimus autem *heredes*
C *quidem,* non cujuscumque, sed *Dei,* æternaliter possidendo bona Domini in terra *Ps.* XXVI, 13.
viventium, quæ oculus non vidit nec au- I *Cor.* II, 9.
ris audivit. Maxime tamen ista Beatorum hereditas est ipsa Divinitas, quæ est objectalis beatitudo indivisibilis in se : quæ tota habetur a singulis, a nullo autem totaliter, et ita dividitur secundum quod diversimode participatur : quæ diversitas est ex parte recipientium, quorum unus alio clarius conspicit Deum. De hac hereditate fertur in Psalmo : Dominus *Ps.* XV, 5.
D pars hereditatis meæ ; et, Satiabor quum *Ps.* XVI, 15.
apparuerit gloria tua. Per Isaiam quoque Dominus loquitur : Sustollam te super al- *Is.* LVIII, 14.
titudinem terræ, et cibabo te hereditate patris tui Jacob. Ceteræ hereditates terminantur in morte. Hæc autem a morte sumit exordium, juxta illud : Quum de- *Ps.* CXXVI, 2, 3.
derit dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini. *Coheredes autem Christi,* id est, beatitudinis Christi consortes atque participes erimus. Ipse est enim principalis heres, et nos simul cum ipso divinam

beatitudinem consequemur. Quo autem merito, subditur : *si tamen compatimur,* id est, Christi passionibus configuremur, *Matth.* XVI, 24; *Luc.* XIV, 27. bajulando crucem nostram, et sequendo vestigia ejus : ad hunc finem, *ut et si-* A *mul glorificemur**, id est, gloriosi efficiamur cum Christo glorificato, quemadmodum ipse profitetur : *Joann.* XVII, 24. Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam.

* *conglorificemur*

ARTICULUS XII

PROSECUTIO EXPOSITIONIS HUJUS CAPITULI OCTAVI, AB EO LOCO QUO DICITUR : EXISTIMO ENIM QUOD NON SUNT CONDIGNÆ, ETC.

HORTATUR nos insuper sanctus Apostolus, ut Christo compatiamur, quatenus conglorificemur, eo quod præmium

18 incomparabiliter majus sit merito. *Existimo enim,* id est, agnosco ego, qui de talibus veraciter judico. Dicit autem, Existimo, non quasi incertus aut dubitans, sed sobrium modum loquendi servans, ac edocens ne immoderati simus in asserendo. *Quod non sunt condignæ,* id est æquales, sufficientes ac proportionatæ, secundum rigorem justitiæ, *passiones,* id est persecutiones, tentationes, labores, *hujus temporis,* id est, quas in hoc brevi vitæ hujus curriculo sustinemus, *ad futuram gloriam,* scilicet vitam æternam promerendam, *quæ revelabitur in nobis,* id est, clare et coram omnibus nobis prædestinatis præstabitur. *Luc.* XVII, 10. Unde Salvator : Quum feceritis, ait, omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus. Hæc enim gloria, est beatifica visio divinæ essentiæ, plena mentis in Deo lætitia, status omnium bonorum aggregatione perfectus, consummata animæ et corporis glorificatio sempiterna : ad quam promerendam, temporales passiones condignæ non sunt. — Sed videtur contrarium, quia secundum doctores, homo in caritate stans, meretur de condigno vitam æternam. Et respondendum, quod passiones seu opera caritatis considerantur dupliciter : Primo, secundum quod procedunt a libero B arbitrio, vel acceptantur ab eo : sicque non merentur vitam æternam de condigno, etiam habitu caritatis adjuncto. Secundo, prout Spiritus Sanctus liberum arbitrium movens, est hujus processionis vel acceptationis principium : et ita est meritum de condigno, eo quod principium meriti ejusdem rationis exsistat cum præmio. Apostolus vero loquitur de passionibus primo modo.

Quod autem gloria ista nobis præstanda sit, probat. *Nam exspectatio creaturæ,* 19
C id est creatura exspectans, videlicet homo viator. Dicitur enim homo omnis creatura, juxta illud, Prædicate Evangelium *Marc.* XVI, 15. omni creaturæ : primo, propter communionem, quia cum omni genere creaturarum in aliquo convenit; secundo, propter excellentiam, quoniam omnia corporalia *Gen.* I, 26. propter ipsum creata sunt. *Revelationem filiorum Dei exspectat,* id est, manifestationem beatitudinis electorum in patria, scilicet sui ipsius felicitatem et glorificationem, cum ingenti desiderio præstoD latur, dicens quotidie : Quemadmodum *Ps.* XLI, 2. desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Nunc quippe filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. *I Joann.* III, 2. Scimus quoniam quum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Nunc ergo exspectamus hanc apparitionem, quatenus mente et corpore glorificati, declaremur

seu agnoscamur esse filii Dei per simi-
litudinem gloriæ.
20 *Vanitati enim,* id est instabilitati, mor-
talitati, multisque pœnis, *creatura subje-
cta est,* id est homo, quemadmodum ait
Ps. xxxviii, 6. Scriptura : Verumtamen universa vani-
tas, omnis homo vivens; *non volens,* id
est non sponte, quia invitus hæc pati-
tur; vel, Non volens, id est propter ori-
ginale peccatum, quod non est nostra vo-
luntate commissum, cujus pœnas cogimur
tolerare ; *sed propter eum qui subjecit
eam in spe,* id est, propter divinam ju-
stitiam subjectus est homo vanitati huic,
clementer tamen, quia in spe liberationis
21 futuræ. *Quia et ipsa creatura,* videlicet
homo, *liberabitur,* in futura resurrectio-
ne, *a servitute corruptionis,* id est cor-
ruptione ista servili et corporali, vel ma-
gis proprie a servitute corruptionis, id
est sollicitudinibus vitæ præsentis, vide-
licet a cura quærendi vestitum et victum,
ac alia quibus hæc corruptibilis vita sus-
tentatur, eique servitur. Liberabitur au-
tem, pertingendo *in libertatem gloriæ,* id
est in dominium et securitatem felicita-
tis, vel in gloriosam libertatem *filiorum
Dei,* id est electorum seu Beatorum in
patria, qui Deo perfecte assimilantur, et
plena dilectione incessabiliter conjungun-
tur. Hæc autem consequenter declarat Apo-
stolus.
22 *Scimus enim quod omnis creatura in-
gemiscit et parturit usque adhuc.* Hoc
duobus modis exponitur. Primo, de omni
homine mortali : qui dicitur ingemisce-
re, suspirando ad patriam, et propter vi-
tæ hujus angustias frequenter gemens et
flens in hac valle lacrimarum; et partu-
rire, id est cum dolore operari; usque
adhuc, quia a principio mundi usque in
præsens tempus ita fecit, et usque ad
mortem finemque sæculi durabit gemi-
tus iste et parturitio. Secundo exponitur
generaliter de principalibus partibus hu-
jus mundi sensibilis, scilicet elementis
atque cœlestibus orbibus : quæ dicuntur
ingemiscere et parturire metaphorice, sic-

A ut campus dicitur exsultare, et pratum Ps. xcv, 12.
ridere. Unde per gemitum eorum, intel-
ligitur inclinatio vel appetitus eorum ad
statum perfectiorem ; per parturitionem
autem, mutua generatio et corruptio quan-
tum ad elementa, vel continua circumvo-
lutio quantum ad cœlestia corpora. Ex
quibus elicitur, quod secundum intenti-
onem Apostoli, corpora cœlestia et ele-
menta in fine sæculi, glorificatis electis
judicioque peracto, innovabuntur, ita quod
elementorum transmutatio et cœlestium
B corporum motus cessabunt, ampliori quo-
que lumine vestientur. Terra enim, ut
fertur, in superficie lucida erit ut vitrum,
aqua sicut crystallus, aer ut cœlum, ignis
ut stellæ. Quantitas autem meliorationis
cœlestium corporum nota est ei qui da-
turus est eam. Verumtamen de mensura
decorationis solis et lunæ scriptum est :
Erit lux lunæ sicut lux solis, et lux so- Is. xxx, 26.
lis septempliciter sicut lux septem die-
rum. Tunc enim tanta erit lux lunæ,
quanta nunc est lux solis; corpora quo-
C que Beatorum septies clariora erunt, ut
dicitur, sole. Hoc tamen secundum B. Tho-
mam, nec ratione nec auctoritate proba-
tur, quamvis certissime verum esse sci-
amus quod veritas ait : Fulgebunt justi Matth. xiii, 43.
sicut sol in regno Patris eorum.

Mihi præterea, semper salvo meliori
judicio, videtur, quod sicut præsens lo-
cus quo dicitur, Scimus quod omnis cre-
atura ingemiscit et parturit, exponitur de
prædictis corporibus, sic superiora ab eo
loco quo dictum est, Nam exspectatio cre-
D aturæ, de eisdem possint exponi : præ-
sertim quum Apostolus, dicendo, Exspe-
ctatio creaturæ revelationem filiorum Dei
exspectat, et ipsa creatura liberabitur a
servitute corruptionis in libertatem glo-
riæ filiorum Dei, manifeste videatur di-
stinguere inter creaturam, et filios Dei
adoptionis de quibus prædixit, scilicet ho-
mines prædestinatos. Erit igitur sensus :
Exspectatio creaturæ elementalis atque
cœlestis, *revelationem filiorum Dei,* id
est manifestam glorificationem hominum

electorum, *exspectat*, secundum quod ex A
divina ordinatione inclinatur ad quam-
dam clarificationem, quam in fine sæculi
sortitura est, filiis Dei revelatis. Non enim
innovabuntur corpora elementaria atque
cœlestia, nisi corporibus electorum glo-
rificatis, vel simul cum illis. Merito au-
tem exspectat : *Vanitati enim*, id est
mutabilitati vel transmutationi, *creatura*
prædicta *subjecta est, non volens*, id est
non ex se ipsa aut propria inclinatione,
loquendo de ea prout ordinata est a Deo
ad statum perfectum parificandum statui B
electorum post finale judicium, *sed pro-
pter eum qui subjecit eam in spe*, id est,
ex ordinatione divina subjecta est huic
vanitati propter hominem, ut ei deser-
viat. Corpora enim cœlestia propter gene-
rationem inferiorum, maxime hominum,
moventur, et in generationibus mixtorum
elementa concurrunt. Hæc autem subje-
ctio facta est in spe præmemoratæ meli-
orationis seu clarificationis elementalium
atque cœlestium, *quia et ipsa creatura*
cœlestis et elementalis *liberabitur a ser-* C
vitute corruptionis, id est a statu suæ
variabilitatis, et a transmutatione ac mo-
tu, quibus corruptibilibus istis deservit.
23 Deinde ait Apostolus : *Non solum au-
tem illa*, id est, non tantum omnis præ-
dicta creatura ingemiscit ac parturit, *sed
et nos ipsi* Apostoli Christi, quibus hoc
minus convenire videtur, *primitias Spi-
ritus habentes*, id est, abundantiorem gra-
tiam Spiritus Sancti sortiti ; *et ipsi intra*
Ps. CXXI. *nos gemimus* cordialiter, suspirantes su-
Philipp. I, 23. pernam Jerusalem, cupientes dissolvi, at- D
que a præsentis vitæ ærumnis transferri,
adoptionem filiorum Dei, id est consum-
matam adoptionem seu plenam adoptionis
filiationem, videlicet præmium electorum
in patria, *exspectantes*, non solum animæ
glorificationem, sed et *redemptionem cor-
poris nostri*, id est liberationem corporis
nostri a mortalitate, pœnis atque miseriis,
quibus modo vehementer affligitur. Pro-
Ps. LXII, 2. pter quod David ait : Sitivit in te anima
mea ; quam multipliciter tibi caro mea !

Præterea non inaniter hanc beatitudi-
nem exspectamus. *Spe enim salvi facti* 24
sumus, id est, actu spei tanquam merito
liberati sumus a culpa, et digni effecti
gloria. Actus namque virtutis salvat hoc
modo. Vel sic : Spe salvi facti sumus, id
est, per passionem ac meritum Christi
jam beati et salvi sumus in spe, quam-
vis nondum beati sumus in re. Idcirco
certissime præstolamur felicitatem præ-
dictam. *Spes autem*, id est res sperata,
quæ videtur, id est, jam præsens atque
obtenta est, *non est spes*, id est, non ca-
dit sub spe, nec amplius speratur. Quasi
dicat : Spes ista non est de visibilibus et
præsentibus bonis, sed est certa exspecta-
tio futurorum invisibiliumque bonorum.
Nam et fides (quæ utique de invisibili-
bus est) est substantia rerum speranda- *Hebr.* XI, 1.
rum. Ideo additur : *Nam quod videt quis,
quid sperat?* id est, quod jam in promptu
habetur, et præsentialiter ac visibiliter
adest, non magis speratur, sed potius
possidetur. *Si autem*, id est quia, *quæ* 25
non videmus, id est spiritualia et futura
bona, *speramus ; per patientiam exspe-
ctamus*, id est, longanimiter ea præstola-
mur, non cedendo adversis, nec importune
volentes dissolvi. Vel, Per patientiam, id
est per adversitatum tolerantiam, exspe-
ctamus hanc consolationem. Nam tribu-
latio excitat nos ad futuræ consolationis
actualem fiduciam.

Consequenter docet Apostolus, quod non
humana, sed divina virtute ac ope, ad
prædictam felicitatem pertingimus. *Simi-* 26
liter autem, id est, sicut per patientiam
exspectamus bona futura, adjuti gratia
Dei, simili modo pie ac gratiose *spiritus
adjuvat infirmitatem nostram*. Locus iste
usque ad illud, Scimus quoniam diligen-
tibus Deum, dupliciter exponi potest :
primo, de Spiritu Sancto ; secundo, de
spiritu angelico.

Primo sic : *Spiritus* Sanctus *adjuvat
infirmitatem nostram*, id est nos ipsos
infirmitatibus spiritualibus plenos, illu-
minando intellectum, accendendo affe-

ctum. *Nam quid oremus, sicut oportet,*
nescimus. Videtur huic contrarium. Aliqua
enim sunt ex sua ratione honesta, vir-
Matth. XXII, 37-40; XI, 29; *Luc.* XXI, 19. tuosa, et ad salutem necessaria, ut dile-
ctio Dei et proximi, humilitas, pax, pa-
tientia. Talia autem scimus esse petenda
a Deo. Scimus quoque quomodo sint pe-
Luc. XVIII, 1; *Joann.* XVI, 23, 24. tenda, videlicet indesinenter, et in no-
mine Christi ad gloriam Dei. Denique
Christus nobis præfixit quid et quo-
Matth. VI, 9. modo orare oporteat, dicens : Sic ergo
orabitis : Pater noster qui es in cœlis.
Advertendum est itaque, quia (ut refert
Valerius) opinio Socratis fuit, non debe-
re nos ab immortalibus diis aliquid de-
terminate postulare, quoniam ipsi melius
scirent quam nos quid nobis expediat.
Hoc autem sancti doctores reprobant pro-
pter duo : Primo, quia (ut tactum est)
quædam sunt per se ad salutem neces-
saria, honesta et nobis præcepta. Talia
ergo debemus petere determinate. Secun-
do, quoniam orando aliquid determina-
te, mens nostra pro illo magis accendi-
tur, sicque capacior fit ejus quod poscit.
Desiderium enim aperit capacemque facit
affectum orantis. Quædam vero sunt in-
differentia, quæ possunt saluti obesse sic-
ut prodesse, ut sanitas corporis, cessa-
tio tentationis, et multa hujusmodi. Talia
non debemus determinate petere, nisi sub
conditione beneplaciti Dei. Quia ergo in
talibus sæpe decipimur, orantes quæ non
Sap. IX, 14. proficiunt ad salutem, eo quod incertæ
sint providentiæ nostræ, sicut et Paulus
II *Cor.* XII, 8. apostolus qui oravit stimulum carnis si-
bi auferri ; idcirco indigemus dirigi a
Spiritu Sancto in petitione talium, ne pe-
tamus saluti contraria, vel aliter quam
oportet. De his puto jam loqui Aposto-
lum. Juxta quem sensum etiam a Sapi-
Sap. IX, 13, 17. ente scriptum est : Quis poterit cogitare
quid velit Deus ? et sensum tuum, Domi-
ne, quis sciet, nisi tu dederis sapientiam,
et miseris Spiritum tuum de cœlis ?

Si autem prædicta verba Apostoli uni-
versaliter dicta sunt, exponenda erunt hoc
modo : *Quid oremus,* id est, quid decens
A a Domino postulemus (oratio enim est
petitio decentium a Deo, secundum Da-
mascenum), *sicut oportet,* cum circum-
stantiis debitis, *nescimus* propria virtute,
sed nova illustratione egemus. Ideo sub-
ditur : *sed ipse Spiritus* Sanctus *postulat*
pro nobis, id est, postulantes nos efficit
vere salubria, *gemitibus inenarrabilibus,*
id est suspiriis tam excessivis, tam pro
liberatione præsentis exsilii, quam pro
adeptione cœlestis paradisi, ut plene ne-
queant explicari. Dicitur autem Deus ali-
B quid agere, non quia ipse immediate sic
agit, sed quia facit nos sic agere, prout
legitur in Exodo : Dominus dixit ad fi- *Exod.* XXXIII, 5.
lios Israel : Jam nunc depone ornatum
tuum, ut sciam quid faciam tibi. Abrahæ
quoque dixit : Nunc cognovi quod timeas *Gen.* XXII, 12.
Dominum, id est, scire et cognoscere fa-
ciam. *Qui autem scrutatur corda,* id est 27
quælibet divina Persona interiora corda
conspiciens, *scit quid desideret Spiritus,*
id est, approbat et exaudit quod Spiritus
Sanctus desiderare nos facit. Quod enim
C ex immediata Spiritus Sancti inspiratione
precamur, Domino placet, et exauditur
ab eo, imo a Spiritu Sancto. Idem enim
Spiritus orare nos facit, et orantes exau-
dit. *Quia secundum Deum postulat,* id est,
quoniam Spiritus Sanctus facit nos postu-
lare quæ Deo sunt placita, *pro sanctis,* id
est pro nobis ipsis et aliis præordinatis
ad vitam.

Secundo exponitur sic : *Spiritus* ange-
licus *adjuvat infirmitatem nostram,* dæ-
mones coercendo, gratiæ opem impetran-
D do, et nobis fideliter tanquam piissimus
custos ac diligens adsistendo. *Nam quid*
oremus, sicut oportet, nescimus, secun-
dum sensum prætactum ; *sed ipse spiri-*
tus angelicus *postulat pro nobis,* oratio-
nes nostras offerens Domino : sicut Tobiæ
Raphael aiebat, Quando orabas cum la- *Tob.* XII, 12.
crimis, ego obtuli orationem tuam Deo.
Et in Apocalypsi dicitur : Data sunt ei *Apoc.* VIII, 3.
incensa multa, ut daret ea de orationibus
Sanctorum super altare aureum, quod est
ante thronum Dei. *Gemitibus inenarra-*

bilibus, id est vehementissimis quibus-
dam affectibus. Gemitus autem proprie
sumptus non competit angelo, sed meta-
Gen. vi, 6. phorice tantum, sicut de Deo legitur : Ta-
ctus dolore cordis intrinsecus, etc. *Qui
autem scrutatur corda,* id est Deus qui
Sap. vi, 4. corda scrutatur, non inquirendo quod ne-
scit, sed inspiciendo quod novit, *scit quid
desideret spiritus* angelicus pro nostra sa-
lute; *quia secundum Deum postulat pro
sanctis :* nam quum sit Deo beatifice in-
separabiliterque unitus, nil cupit, nisi
quod complaceat Domino.
Consequenter ostendit Apostolus pro-
prietatem eorum qui æternam beatitudi-
28 nem obtinebunt. *Scimus autem quoniam
diligentibus Deum* caritate infusa et su-
pernaturali ac perseveranti, *omnia,* tam
bona quam mala, prospera et adversa,
cooperantur finaliter *in bonum* felicitatis
æternæ, quia per hæc aliquo modo pro-
ficiscuntur ad Dominum. Bona enim, id
est opera virtuosa, cooperantur eis in bo-
num directe, mala vero indirecte. Nam
Rom. v, 20. ubi abundavit iniquitas, abundavit et gra-
Ps. i, 3. tia. Ideo scriptum est de viro justo : Om-
nia quæcumque faciet, prosperabuntur.
Sæpe enim contingit, ut quo se gravius
peccasse perpendunt, eo humiliores et
ferventiores reddantur. *His qui secundum
propositum* voluntatis divinæ, vel secun-
dum rationem prædestinationis æternæ,
vocati sunt sancti, id est, Deo operante
ad Sanctorum pertinent sortem. Vel, Se-
cundum propositum, id est divinæ men-
tis decretum, vocati sunt sancti, id est, ad
gratiam sanctificantem deducti sunt, ita
ut re et nomine veraciter sancti dicantur,
gratiamque perseverantem ac finalem, quæ
solis electis præstatur, adipiscantur.
29 *Nam quos præscivit,* id est, ab æterno
prænovit ad vitam, et per approbatio-
Exod. xxxiii, 12, 17. nem, sicut ad Moysen loquitur : Scio te
ex nomine ; *et prædestinavit,* id est, in
sua æterna dispositione præmisit atque
præordinavit, *conformes fieri,* per grati-
am adoptionis, *imaginis Filii sui,* id est
Coloss. i, 15. Filio suo naturali, qui est imago Patris

A sui, quum sit imago bonitatis paternæ, Sap. vii, 26.
candor æternæ lucis, et speculum sine
macula Dei majestatis. Filiatio enim ado-
ptiva electorum, est similitudo filiationis
naturalis divinæ. Conformantur ergo præ-
destinati Filio Dei, quum fiunt filii ado-
ptivi : quia per gratiam gratum facientem,
et cetera dona Spiritus Sancti sortiuntur
quamdam supernaturalem assimilationem
cum Deo Patre, cujus Filius est imago.
Assimilantur quoque et Filio, qui est Ver-
bum, veritas et sapientia Patris, quum Joann. i, 1; xiv, 6; I Cor. i, 24.
B natura eorum intellectualis divinorum con-
templatione perficitur. Potest quoque re-
ferri conformatio ista ad Filium secun-
dum naturam ejus assumptam. Sic enim
prædestinati sunt conformes fieri imagi-
nis Filii Dei, ut sint coheredes Christi,
et sicut portaverunt imaginem terreni, sic I Cor. xv, 49.
portent imaginem cœlestis.
Ut sit ipse Filius Dei *primogenitus in
multis fratribus,* id est, inter prædesti-
natos fideles, qui fratres ejus sunt se-
cundum naturam assumptam, primatum Coloss. i, 18.
C tenens, ordinem dignitatis, tanquam caput
eorum, et jus primogenituræ possidens,
hereditatem Patris abundantius percipi-
endo, eamque aliis distribuendo. Dicitur
etiam Christus primogenitus mortuorum, Apoc. i, 5.
quoniam propria potestate surrexit, et erat
primus impassibilis resurgens. Porro, ut
unigenitus, non habet fratres : sic enim
est unicus Filius, verusque Deus. Sed ut
primogenitus, fratres habet : quorum ip-
se naturam assumpsit, et qui suæ gloriæ
participes erunt. Unde ad Hebræos habe-
D tur : Non confunditur eos fratres voca- Hebr. ii, 11, 12; Ps. xxi, 23.
re, dicens : Narrabo nomen tuum fratri-
bus meis. Nam et in Evangelio loquens
dilectæ discipulæ : Vade, inquit, dic fra- Joann. xx, 17.
tribus meis.
Hoc autem sciendum, quod præscientia
non sumitur hic sicut communiter sumi-
tur, ut dum reprobi dicuntur præsciti,
videlicet prout prædestinationi opponi-
tur ; sed sumitur jam prout est quasi via
sive præambulum ad prædestinationem.
Quum enim Deus nil agat casu aut igno-

ranter, oportet notionem secundum ordi-
nem rationis præcedere prædestinationem.
Ad insinuandum ergo quod Deus non eli-
git nisi præcognitos, ait Apostolus : Nam
quos præscivit, et prædestinavit.

Quæ autem bona prædestinationem se-
30 quantur, ostendit Apostolus. *Quos autem*
prædestinavit ab æterno, *hos et vocavit*
ad statum salutis, ad fidem et gratiam,
vel per inspirationem internam, vel per
instructionem angelicam, vel per prædi-
cationem humanam. *Et quos vocavit, hos*
et justificavit, indulgentiam conferendo,
et gratiam infundendo. *Quos autem ju-*
* glorificavit *stificavit, illos et magnificavit**, exaltando
eos in gloria. Quosdam enim jam magni-
ficavit hoc modo, alios magnificabit. Ita-
que prædestinatio gratiam præparat, re-
spicitque gratiæ bonum finale ; vocatio
gratiam offert, et retrahit a malo ; justi-
ficatio gratiam confert, et respicit bo-
num gratiæ initiale ; magnificatio gratiam
consummat in gloria, et concernit futu-
rum bonum felicitatis æternæ. Horum qua-
tuor, prædestinatio est in Deo, alia tria
in nobis sunt. Si ergo prædestinatus es,
quamvis avertaris a Deo et fugias, tamen
vocaris ; quamvis pecces, tamen justifi-
caris ; quamvis moriaris, tamen ad im-
passibilem vitam transfereris.

31 *Quid ergo dicemus ad hæc?* id est, quo-
modo ista satis mirari, quomodo tantam
gratiam satis laudare poterimus ? *Si Deus*
pro nobis est, nosque defendit : sicut est
pro prædestinatis ; *quis contra nos ?* id
est, quis nobis nocere valebit ? Nullus
utique, quia omnia cooperabuntur nobis
in bonum. Si enim tentemur a dæmone,
si insectemur a mundo, per Dei gratiam
omnia fiunt nobis materia meritorum :
imo si corpus occidatur, anima per pa-
tientiam coronatur. Ideo sanctus Job ait :
Job XVII, 3. Pone me juxta te, et cujusvis manus pu-
32 gnet contra me. *Qui* Deus Pater, inter
alia beneficia sua nobis impensa, *etiam*
proprio Filio suo incarnato *non pepercit*,
liberando eum a mortis angustia, *sed pro*
nobis omnibus tradidit illum manibus

A adversariorum permissive ; electis vero
dedit eum effective, juxta quod scriptum
est, Parvulus natus est nobis, et filius Is. IX, 6.
datus est nobis. Secundum B. Thomam
in tertia parte, Deus tradidit Christum
triplici modo : Primo, quia ab æterno
præordinavit per Christi passionem mun-
dum esse salvandum. Secundo, quoniam
inspiravit ei voluntatem patiendi pro no-
bis : et ita voluit Christum pati per mo-
dum præcepti, cui Filius libentissime obe-
divit. Tertio permissive, ut dictum est.
B *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis*
donavit? Per locum a majori concludi-
tur, quod quia Filium suum sibi co-
æternum, consubstantialem et coæqualem
dedit nobis, etiam cetera omnia minora
Filio suo præstiterit nobis, quantum ad
salutem requiritur. Angelos enim dedit
nobis in concives atque custodes ; omnia
corporalia subjecit fidelibus ; omnem gra-
tiam in præsenti, omnem gloriam in fu-
turo dare paratus est, sicut et Filius con-
testatur : Si quid petieritis Patrem in Joann. XVI,
C nomine meo, dabit vobis, ut gaudium 23, 24.
vestrum sit plenum.

Omnia verba hæc divini Apostoli affe-
ctuosissima atque dulcissima sunt, et to-
ta cordis intentione ac devotione pen-
sanda.

Quis accusabit adversus electos Dei? 33
Quasi dicat : Nullius accusatio poterit eis
coram Deo nocere in hora mortis vel in
die judicii. Possunt tamen jam fraterne
accusari a proximis, et paterne corrigi a
prælatis. Hinc enim scriptum est : Pro- Apoc. XII,
D jectus est draco magnus, serpens anti- 9, 10.
quus accusator fratrum nostrorum. Quod
autem nemo poterit eos accusare, pa-
tet, quoniam *Deus* est *qui justificat* eos :
idcirco, *Quis est qui condemnet* eos ? An 34
Christus Jesus qui mortuus est pro eis
salvandis, *imo qui et resurrexit* tertia die,
qui est ad dexteram Dei residens ? Chri-
stus secundum divinam naturam, dicitur
esse a dextris Patris, id est in summo
honore et Patris æqualitate. Secundum
humanitatem vero, est ad dexteram Pa-

tris, id est in potioribus bonis ejus. Un- A
Apoc. iii, 21. de ipse ait : Ego vici, et sedi cum Patre
meo in throno ejus.
Qui etiam interpellat pro nobis, ut
mediator Dei et hominum. Scriptum est
I Joann. ii, 1. enim : Advocatum habemus apud Patrem,
Jesum Christum justum. Secundum quos-
dam, Christus interpellat pro nobis, non
voce, sed miseratione ac repræsentatione,
dum indesinenter naturam quam pro no-
bis assumpsit, et diram mortem quam
pertulit, Patris vultui offert. Ut enim ait
Bernardus : Mater ostendit Filio pectus
et ubera ; Filius ostendit Patri latus et
vulnera : nec potest esse repulsa, ubi
tot concurrunt amoris insignia. Verumta-
men, quum ad Hebræos dicat Apostolus :
Hebr. vii, 24, 25. Christus sempiternum habet sacerdotium,
unde et salvare potest in perpetuum, ac-
cedens per semetipsum ad Deum, semper
vivens ad interpellandum pro nobis ; non
videtur cur Christo ut mediatori non com-
petat voce interpellare pro nobis. Deni-
que, oratio est explicatio desiderii, et in-
terpres ac nuntia voluntatis. Secundum
Augustinum quoque, illud licet orare
quod licet desiderare. Quum ergo Chri-
stus nostram salutem desideret, et ob id
Patri latus ac vulnera repræsentet, ut no-
stri misereatur : cur non voce explicet
hanc voluntatem, pro nobis orando ? Et
quum ipse magis cupiat nostram salu-
tem, quam aliquis Beatorum, cur non
orat vocaliter eo modo quo virgo Maria,
vel ceteri Sancti ? Si autem ideo dicatur
non orare vocaliter, quia non est oppor-
tuna in patria vocalis oratio, eadem ra-
tione nec Virgo beata oraret vocaliter,
nec Christus in hoc sæculo orasset voce
pro nobis.
Itaque quum Deus tantam nobis cari-
tatem ostenderit, et tanta bona per Chri-
35 stum largitus sit, *Quis ergo nos separabit
a caritate* actuali vel habituali *Christi*
secundum utramque ejus naturam ? Num-
quid *tribulatio* corporis ? *an angustia,* id
est afflictio mentis ? *an fames ? an nudi-
tas,* id est vestimentorum inopia ? *an per-
secutio,* quæ est de loco ad locum ? *an
periculum,* id est apparatus mortis ? *an
gladius,* id est mors ipsa ? Tanquam di-
cat : Nullum horum separare nos poterit.
Sicut scriptum est in persona justorum 36
seu martyrum adversa patientium, scili-
cet pœnas prætactas : *Quoniam propter* Ps. xliii, 22.
te, id est propter tui amorem, et quia
coram hominibus te confitemur, nec a
justitiæ tuæ via recedere volumus ; vel,
Propter te finaliter, id est, ut te Deum
pro præmio acquiramus ; *mortificamur*
B *tota die,* id est, assidue tribulamur, atque
per quotidianas persecutiones et adversi-
tates ad mortem deducimur ; vel certe quia
nos ipsos quotidie mortificamus, orando,
lugendo, abstinendo, contra proprias con-
cupiscentias præliando, propriam volun-
tatem fraudando, et in ceteris virtutum
exercitiis ac pœnitentiæ laboribus desu-
dando ; *æstimati,* id est a persecutoribus
et perversis hominibus reputati et spreti,
sumus ut oves occisionis, id est sicut oves
quæ occiduntur ut lana eorum et carnes
C in usum occidentium veniant. Unde et
Christus ait discipulis : Ecce ego mitto Matth. x, 16.
vos sicut oves in medio luporum ; et ali-
bi, Venit hora, ut omnis qui interficit vos, Joann. xvi, 2.
arbitretur obsequium se præstare Deo.
Sed in his omnibus adversitatibus *su-* 37
peramus, omnia patienter atque gauden-
ter sustinendo, *propter eum qui dilexit
nos,* id est propter amorem Dei vel Chri-
sti, qui prior dilexit nos, et propter be- I Joann. iv, 10.
neficium gratiæ ejus, cujus virtute hæc
invictissime patimur.
D *Certus sum enim quia neque mors,* id 38
est timor seu pœna mortis, *neque vita,*
id est amor vivendi ; *neque Angeli,* qui
sunt de infimo choro infimæ hierarchiæ
cœlestis ; *neque Principatus,* qui sunt de
supremo choro ejusdem hierarchiæ : et
per istos subintelliguntur Archangeli, qui
infra hos ordines sunt medii ; *neque Vir-
tutes,* id est angeli de medio ordine se-
cundæ hierarchiæ : per quos intelligun-
tur Potestates, quæ sunt de infimo ordine
hierarchiæ secundæ. Numerantur autem

horum ordinum angeli, quia sunt de quin-
que ordinibus angelorum qui foras mit-
tuntur. Alii vero quatuor ordines adsi-
stunt. *Neque instantia,* id est præsentia
bona vel mala, *neque futura* prospera vel
adversa, *neque fortitudo,* id est violentia
39 alicujus, *neque altitudo* humanæ præsum-
ptionis, *neque profundum* sapientiæ sæ-
cularis, *neque creatura alia poterit nos
separare a caritate Dei, quæ est in Chri-
sto Jesu Domino nostro,* id est, quæ se-
cundum ejus doctrinam et voluntatem
Marc. XII, 30, 33. exhibetur a nobis Deo, ut eum toto cor-
de, tota anima, tota fortitudine diligamus.
Exhibitio enim beneficiorum caritatem ac-
cendit, nec aliquid sic ad amorem indu-
cit, sicut quod aliquis scit et experitur
se ab alio diligi. Quoniam ergo Deus tan-
tam nobis dilectionem ostendit, tantaque
beneficia contulit, debemus in ejus amo-
re esse immobiles.

Hoc dicit Apostolus in persona sui ip-
sius et Apostolorum aliorum quos sciebat
confirmatos in gratia, ita quod mortali-
A ter peccare non poterant, ab ea hora qua
in die Pentecostes primitias Spiritus ac- *Act.* II, 1-4.
ceperunt. Vel si intelligatur dictum in
persona omnium prædestinatorum, refe-
rendum est quantum ad separationem fi-
nalem. Nam licet aliquando per mortale
peccatum separentur a Deo, finaliter ta-
men separari non possunt.

Præterea quod de angelis dictum est,
non est sic intelligendum, quod angeli
sancti aliquo modo velint nos separare
a caritate Dei; sed ideo dictum est, quia
B etsi per impossibile vellent, tamen non
possent. Secundum quem sensum dicit
alio loco idem Apostolus : Licet angelus *Galat.* I, 8.
de cœlo evangelizet vobis præterquam
quod evangelizavimus vobis, anathema sit.
Quidam vero per prædicta intelligunt an-
gelos malos, qui nos conantur a Deo aver-
tere. De quibus ad Ephesios legitur : Non *Ephes.* VI, 12.
est nobis colluctatio adversus carnem et
sanguinem, sed adversus principes et po-
testates, etc. In Apocalypsi quoque scri-
ptum est : Draco pugnabat et angeli ejus. *Apoc.* XII, 7.

ARTICULUS XIII

DECLARATIO CAPITULI NONI : VERITATEM DICO IN CHRISTO, ETC.

QUIA in superioribus disputavit Apo-
stolus de insufficientia legis et vitiis
Judæorum, nunc ostendit caritatem suam
ad eos, ne putetur illa ex odio vel con-
1 temptu dixisse, et ait : *Veritatem dico in
Christo Jesu,* id est secundum regulam
et censuram veritatis Christi, ita quod
mea locutio est secundum beneplacitum
Christi, et consona veritati ipsius qui est
mensura, causa et regula universæ veri-
tatis : idcirco *non mentior, testimonium
perhibente mihi conscientia mea in Spi-
ritu Sancto,* id est, nullum remorsum ha-
bente conscientia mea de aliqua falsita-
te : et hoc, in Spiritu Sancto, ita quod
C ipse est testis ejus quod dico. Iste est
modus jurandi Apostoli. Juratio namque,
dum rationabilis causa occurrit vel exi-
git, non solum est licita, sed etiam me-
ritoria, quum sit actus virtutis quæ la-
tria dicitur. Hoc superius declaratum est *In Rom.* I, 9.
plenius. Judæi autem difficiles erant ad
credendum, ideo jurat Apostolus, et item
ut melius sibi credatur, quia quod dicit,
rarum est atque mirabile, imo pene in-
credibile.

Quid igitur jurat? *Quoniam tristitia* 2
D *mihi magna est,* tam in superiori quam
in inferiori appetitu, *et continuus dolor
cordi meo,* id est jugis afflictio atque com-

passio menti seu animæ, scilicet propter *Rom. xi, 7-9.* excæcationem Judæorum, sicut patebit. Hæc est tristitia bona, ex caritate procedens, qua aliis condolemus in malis culpæ vel pœnæ : ad quam pertinet luctus *Matth. v, 5.* de quo dicitur, Beati qui lugent. Deinde ostendit causam motivam ac materialem hujus tristitiæ :

3 *Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis,* puta Judæis. Expositores quidam satis faciliter transeunt in expositione loci hujus, qui meo judicio difficillimus est, si quis diligenter inspiciat. Sic autem communiter exponunt : Optabam ego ipse anathema, id est separatus, esse a Christo pro fratribus meis prædictis, ut converterentur : id est, si fieri posset, vellem ad horam, sive in hac vita, sive post mortem, separari a Christo, ut isti crederent. Sed quum in hac vita non separetur homo a Christo nisi per culpam, imo per mortale peccatum, si Apostolus optasset separari a Christo in hac vita propter conversionem Judæorum, ad tempus, optasset mortale peccatum incidere, ut illi gratiam consequerentur : quod certum est dici non posse, præsertim quum secundum *Rom. iii, 8.* eumdem Apostolum, non sint facienda mala ut bona eveniant. Ideo alii paulo planius loquentes, asserunt quod optabat ad tempus separari a Christo per dilationem gloriæ sibi paratæ, ita quod optavit diutius manere in vita præsenti, quatenus Judæorum conversioni intenderet. Juxta quem modum aiebat ad Philip- *Philipp. i, 23, 24.* penses : Coarctor e duobus : desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo; permanere autem in carne, necessarium est propter vos.

Quamvis autem expositiones hujusmodi veræ sint, non tamen, ut arbitror, satisfaciunt diligenter scrutanti. Primo, quia Apostolus dicit hæc ad insinuandum singularem affectum suum circa Judæos : sed prædicto modo optavit etiam pro gentibus separari a Christo, ut patet ex multis locis epistolarum ejus. Secundo, quia

A Apostolus dicit hæc quasi aliquid valde præcipuum : sed prædicto modo velle separari a Christo, non esset ita præcipuum, quum et alii multi inferiores Sancti hoc ipsum optaverint, sicut B. Martinus disseruit : Domine, si adhuc populo tuo necessarius sum, non recuso laborem. Tertio, quia non sequitur, si quis velit differri a gloria sibi parata in cœlo ut aliis prosit, quod ideo optet esse anathema a Christo, absolute loquendo sicut Apostolus loquitur : imo hoc pertinet ad majo-

B rem unionem cum Christo, tam quantum ad meritum, quam quantum quoad gloriam, quum hoc sit eximiæ caritatis Dei et proximi opus. Propter quod ad Philippenses idem dicit Apostolus : Vivere *Philipp. i, 22.* in carne, hic mihi fructus operis est. Quarto, quia Apostolus quum esset sobrius in loquendo, præsertim in his quæ ad suam laudem spectabant, declinando videlicet magis ad minus quam ad majus, quemadmodum (secundum Aristotelem) pertinet ad moralem : ideo propter

C prædictam separationem tam modicam, seu gloriæ dilationem, non absolute dixisset, Optabam anathema esse a Christo.

Propterea, ut videtur, aliud nihil insinuat Apostolus verbis prædictis, nisi quod in Exodo Moyses Deo locutus est, dicens : Aut dimitte populo hanc noxam, *Exod. xxxii, 31, 32.* aut si non facis, dele me de libro quem scripsisti. Quum enim non fuerit minor caritas Judæorum in Paulo quam Moyse, non mirum est si uterque idem optavit. — Sed quomodo intelligenda sunt hæc

D Pauli et Moysis verba, difficile est intueri. Quum etenim Christus in Evangelio dicat, Quid proficit homo si lucretur uni- *Luc. ix, 25.* versum mundum, se autem ipsum perdat, et detrimentum sui faciat ? nullus fidelium debet simpliciter velle de libro vitæ deleri, aut a Christo separari.

Quidam ergo dixerunt, Moysen prædicta verba dixisse ex impetu passionis, non ex judicio rationis. Sed hoc penitus falsum est, nec decet hoc dici de viro sancto, qui erat mansuetus super omnes *Num. xii, 3.*

homines qui morabantur in terra. Denique precem ejus exaudivit Dominus : Ecce, inquiens, dimisi juxta verbum tuum. Et iterum dixit : Qui peccaverit mihi, delebo eum. Unde patet Moysen in dicta oratione non peccasse, sed vehementissime meruisse. Simili ratione ostenditur Paulum non dixisse verba inducta ex impetu passionis. — Augustinus vero dicit, Moysen protulisse hæc verba ex confidentia et familiaritate divina, ut sit sensus : Quemadmodum certus sum, Domine, quod non delebis me de libro vitæ, sic peto certificari a te de remissione culpæ populi tui. Simili modo rationabiliter dici potest in proposito, quod Paulus optavit, et forte vocaliter exoravit, anathema esse a Christo propter Judæos, sic orans : Domine Jesu, converte populum hunc ; aut si non facis, aufer me a consortio electorum : id est, sicut ex magna familiaritate atque fiducia cordis mei ad te, certus sum quod non permittes me separari a te, sic oro certificari de conversione Judæorum ad te. Sic quoque S. Hieronymus refert dixisse Paulum Simplicem Domino. Quum enim non exaudiretur solita celeritate pro cujusdam sanatione infirmi, dixit : Vere non comedam, nisi sanaveris eum. Moxque sanatus est æger. Sic filius aliquis dilectus et amorosus dicere solet patri suo, de quo plene confidit : Fac quod peto, vel ejice me domo et hereditate tua.

Num. XIV, 20. — *Exod.* XXXII, 33.

Potest etiam (et ut reor, melius) dici, quod tam Moysis quam Pauli verbum, sit sermo hyperbolicus, id est per excessum dictus, tamen sine mendacio. In hujusmodi namque sermone sensus non est qui per orationem directe importatur, sed qui a loquente intenditur : qui propter rationabilem causam tali locutione utitur, eo quod res melius significari seu clarius explicari non valeat, nisi per excessum. Scit tamen qui loquitur, quousque credatur. Hoc modo loquendi sæpissime utitur sacra Scriptura : ut quum ait Manasses, Peccavi super numerum arenæ maris ; et Psalmista, Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. Simili sensu scriptum est in libro Judicum de habitatoribus Gabaa, scilicet filiis Benjamin, quia erant viri fortissimi, ita ad certum jacientes fundis lapidem, ut capillum possent percutere, et nequaquam ictus in alteram partem ferretur : quo aliud nihil signatur, nisi quod erant ultra modum boni fundibularii. Apostolus ergo magnitudinem sui desiderii quo Judæorum optat salutem, plene exprimere nequiens, per hyperbolen ait : Optabam enim ego ipse, id est, tam ardenter concupivi salutem fratrum meorum Judæorum, quod hunc affectum apertius designare non possum, nisi ut dicam me voluisse separari a Christo (secundum modum jam tactum). Et, ut probabiliter dicitur, Paulus et Moyses aliquo modo optabant deleri et separari, nisi Deus parceret populo Judæorum, videlicet secundum dispositionem inferioris partis animæ comparatæ et affectatæ ad proximos ardenti amore, qui nescit mensuram, licet ita non erat in voluntate superiorem rationem sequente : quemadmodum et Salvator oravit auferri a se calicem passionis, quem utique simpliciter bibere voluit, juxta illud, Oblatus est quia voluit.

Oratio Manassæ. — *Ps.* LXVIII, 5. — *Judic.* XX, 16. — *Matth.* XXVI, 39. — *Is.* LIII, 7.

Hæc tam prolixe prosecutus sum, quoniam multi etiam devoti ambigere solent quomodo præinducta verba debeant accipi.

Sic ergo optavi esse anathema a Christo pro Judæis, *qui sunt cognati,* id est consanguinei, *mei secundum carnem,* id est generationem carnalem, quum sint filii Abrahæ sicut et ego, et quidam eorum sunt de tribu Benjamin ut ego ; *qui sunt* 4 *Israelitæ,* id est nati de semine Jacob, qui ab angelo dictus est Israel, *quorum adoptio est filiorum,* id est, ad quos pertineret gratia adoptionis filiorum Dei, si vellent converti ; et eorum qui ex eis conversi sunt, est gratia adoptionis, quia excellenter consecuti sunt eam : ut patet

Rom. XI, 1. — *Gen.* XXXII, 28.

Rom. VIII, 23. in Apostolis, qui primitias Spiritus acce- A
perunt; atque in aliis multis, de quibus
Act. XXI, 20. Jacobus aiebat ad Paulum : Vides, frater,
quot millia ex Judæis crediderunt. Vel
hoc ideo dicitur, quia Judæi specialiter
appellati sunt filii Dei. Unde loquitur Do-
Exod. IV, 22. minus : Filius meus primogenitus Isra-
Jer. XXXI, 9. el; et alibi, Factus sum Israeli pater, et
Ephraim primogenitus meus. Christus quo-
Matth. VIII, 12. que in Evangelio nominat eos filios re-
gni. Quorum etiam est *et gloria*, id est
magnificentia operum divinorum, videli-
cet miraculorum et revelationum cœle- B
stium : patribus enim Judæorum, sanctis
Prophetis, collata fuit gratia miraculorum,
et ad eos factæ sunt revelationes divinæ;
et testamentum vetus, quod specialiter
datum est eis, *et legislatio*, id est datio
legis scriptæ seu decalogus præceptorum
moralium, *et obsequium*, id est cultus
unius veri Dei : qui cultus in Judæis
permansit, ceteris nationibus ad idolola-
triam devolutis; *et promissa* de adventu
Christi et gloria electorum.
5 *Quorum patres*, quoniam ipsi sunt filii C
Patriarcharum, *ex quibus* natus *est Chri-*
Rom. I, 3. *stus secundum carnem :* sicut in exor-
dio hujus epistolæ plenius dictum est. In
hoc autem quod ait, Secundum carnem,
designat in Christo esse aliam naturam,
quam humanam. Unde clarissime subdi-
tur : *qui* Christus *est super omnia* creata
Deus benedictus in sæcula, amen, id est
sine fine laudandus. In quo apertissime
destruitur hæresis Arii et Photini, ac om-
nium Christum esse puram creaturam di-
centium. Nam et in sua Canonica Joan- D
I Joann. V, 20. nes dicit : Simus in vero Filio ejus Jesu
Christo : hic est verus Deus et vita æter-
Jer. XXIII, 6. na. Et Jeremias : Hoc est nomen quod
vocabunt eum, Dominus Justus noster. In
Hebræo habetur nomen Domini tetragram-
maton, quod non convenit nisi vero Deo.
Is. IX, 6. Item et in Isaia : Vocabitur nomen ejus,
Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pa-
ter venturi sæculi, Princeps pacis.
Jam dixit Apostolus continuum sibi esse
dolorem propter excæcationem Judæorum,
promissa quoque divina ad Judæos per-
tinuisse. Ne ergo quis æstimet Apostolum
sic tristari, quasi totus populus Judæo-
rum perierit, vel divina promissa eva-
cuata sint propter incredulitatem majo-
ris partis populi hujus, ideo addit : *Non* 6
autem quod exciderit verbum Dei, id est,
ex prædictis non sequitur, quod divinæ
promissionis sermo inexpletus et irritus
manserit. Simile est quod per Prophetam
Dominus ait : Egredietur de ore meo ju- *Is.* LV, 11.
stitiæ verbum, et non revertetur ad me
vacuum. Quod licet Augustinus exponat
de emanatione et missione increati Verbi
Dei, Hieronymus tamen ad litteram ex-
ponit de verbo prophetalium sermonum
de Christo, de quibus nunc sermo. *Non*
enim omnes qui ex Israel sunt, id est,
non omnes geniti ex semine Jacob, qui
dictus est Israel, *hi sunt Israelitæ* veri *Gen.* XXXII,
ac spirituales, imitando fidem ac opera 28.
Jacob; *neque qui semen sunt Abrahæ*, id 7
est carnales filii ejus, *omnes filii Abra-*
hæ, id est, non omnes tales digni sunt
vocari filii Abrahæ, quia non imitantur
ejus vestigia fide ac moribus. Unde Sal-
vator ait : Si filii Abrahæ estis, opera *Joann.* VIII,
Abrahæ facite. Quod quoniam non fece- 39.
runt, meruerunt audire : Vos ex patre *Ibid.* 44.
diabolo estis.
Hoc autem probat Apostolus auctoritate
Scripturæ. *Sed in Isaac vocabitur tibi se-*
men. Hoc Dominus dixit ad Abraham ; et *Gen.* XXI, 12.
est sensus : Isaac et filii ejus sequentes
fidem ejus ac tuam, reputabuntur tibi in
filios et heredes. Ideo enim alibi habe-
tur : Ejice ancillam et filium ejus (vide- *Ibid.* 10;
licet Agar et Ismaelem); non enim heres *Galat.* IV, 30.
erit filius ancillæ cum filio liberæ. Pro-
missio ergo impletur in filiis gratiæ, non
in filiis naturæ, nisi sint et filii gratiæ,
sicut Apostoli.
Consequenter exponit Apostolus aucto-
ritatem prællegatam, videlicet, In Isaac
vocabitur tibi semen. *Id est, non qui fi-* 8
lii sunt *carnis*, id est naturali virtute
generati ex Agar et Cetura, *hi filii Dei*, *Gen.* XVI,
id est ad divinum cultum electi, ac divi- 15; XXV, 1, 2.

næ promissionis participes; *sed qui filii* A
sunt promissionis, id est ex Isaac nati
secundum divinum promissum, videlicet
qui erant consortes benedictionis patrum
suorum, ut Jacob et filii ejus, *æstimantur*
in semine, id est, vere et digne appel-
lantur filii Abrahæ. Deinde ponit formam
9 promissionis. *Promissionis enim* divinæ
Gen. xviii, 10. *verbum hoc est : Secundum hoc tempus,*
id est eodem die, anno uno elapso, *ve-*
niam ad te, o Abraham, *et erit Saræ*
filius, id est, Sara conjux tua, me coope-
rante, filium tunc habebit. Verba sunt B
angeli loquentis ad Abraham in persona
Dei. Sic ergo Isaac filius erat promissi-
onis, quia divina virtute sterilem matrem
visitante, conceptus est, sicut erat pro-
missum. Allegat autem Apostolus has scri-
pturas secundum translationem Septua-
ginta interpretum, qua utebatur Ecclesia
tempore Apostolorum usque Hieronymi
tempora. Nostra vero translatio talis est :
Ibidem. Revertens veniam ad te tempore isto, vita
comite, etc.
10 *Non solum hæc illi,* id est, divina pro- C
missio non tantum facta est Saræ; *sed*
et Rebecca promissionem accepit, *ex uno*
Ibid. xxv, 24. *concubitu habens* in utero filios duos, *Isa-*
ac patriarchæ *patris nostri,* videlicet Ja-
cob et Esau. Sicut enim Sara sterilis divi-
na virtute concepit, et sicut unus filiorum
Abrahæ electus est, altero ei postposito;
sic unus filiorum Isaac est electus, alte-
Ibid. 21. ro derelicto. Scriptum est enim : Depre-
catus est Isaac Dominum pro uxore sua,
eo quod esset sterilis, et exaudivit eum,
deditque conceptum Rebeccæ. Ex quibus D
patet quod filii non sint electi merito
parentum.
Quod autem Rebecca promissionem ha-
buit de speciali gratia unius filiorum su-
11 orum, ostendit Apostolus. *Quum enim non-*
dum nati fuissent Jacob et Esau, *aut*
aliquid boni egissent aut mali. Ex quo
patet error dicentium animas hominum
ante mundum sensibilem conditas, et an-
te vitam præsentis sæculi bona aut mala
egisse, propter quæ jam diversas gratias
atque miserias consequuntur. *Ut secun-*
dum electionem, id est liberam unius præ
alio acceptationem seu divinam præde-
stinationem, *propositum Dei,* id est di-
vina voluntas, præscientia vel decretum,
maneret ratum, et impleretur secundum
quod erat præordinatum; *non ex operi-* 12
bus, id est non propter præcedentia me-
rita sive demerita, *sed ex vocante,* id est
ex gratia Dei vocantis, *dictum est ei,* pu-
ta Rebeccæ : *Quia major serviet minori,*
id est, Esau primo egrediens, serviet Ja-
cob. Hoc enim modo dictum est Rebeccæ :
Duæ gentes in utero tuo sunt, populus- Gen. xxv, 23.
que populum superabit, et major serviet
minori. Verumtamen servitus ista non est
impleta in Jacob et Esau; imo Esau po- Ibid. xxxiii, 9; xxxvi, 7.
tentior erat et ditior fratre suo Jacob :
sed in posteris eorum impleta est. Tem-
pore enim David descendentis a Jacob,
facta est Idumæa descendens ab Esau, ser- II Reg. viii, 14.
viens regi David sub tributo. Per hæc
quoque figuratum est, quod populus Ju-
dæorum prior fide, serviturus esset popu-
lo christiano posteriori vocatione. Judæi
quippe capsarii nostri sunt, qui nobis li-
bros apportant.
Quoniam autem servitus ista seu re-
probatio Esau et prælatio Jacob, signum
erat electionis Jacob ad gloriam, et re-
probationis Esau ad pœnam, ideo Aposto-
lus dicta confirmat auctoritate prophetica.
Sicut scriptum est : Jacob dilexi, Esau 13
autem odio habui, id est reprobavi. Dili- Malach. i, 3.
gere Dei, est velle alicui bonum confer-
re; odire vero, est gratiam juste subtra-
here. Quoniam ergo Deus prædestinavit
Jacob, ideo dilexit eum ab æterno, præ-
parans ei gratiam in præsenti, et gloriam
in futuro. Ex opposito autem dicitur Esau
odisse.
Quid ergo dicemus? id est, si Deus sic 14
unum diligit, et alium odit ac reprobat,
quid ex hoc sequitur? *Numquid iniqui-*
tas est apud Deum? Absit : quoniam re- Ps. xci, 16; Deut. xxxii, 4.
ctus Dominus Deus noster, et non est
iniquitas in eo. Origenes autem, qui di-
xit gratiam conferri vel subtrahi propter

merita et demerita præcedentia in vita priori, sic arguit : Sicut justum est æqualibus dare æqualia, sic injustum est non inæqualibus dare inæqualia. Si ergo nulla merita præcesserunt, injustum esset uni potius quam alteri gratiam dari. Sed hæc ratio non convincit, quia in his quæ omnino gratis ac liberaliter dantur, injustitia locum non habet. Quod Salvator noster in Matthæo evidenter testatur, loquens de cultoribus vineæ, et murmu-
Matth. xx, 13-15. ranti respondens : Amice, non facio tibi injuriam ; tolle quod tuum est, et vade. An non licet mihi quod volo facere? Et hoc ostendit modo Apostolus auctoritate
Exod. xxxiii, 19. scripturæ quæ in Exodo continetur. Apostolus autem non verba, sed sensum allegat, nisi forte secundum aliam trans-
15 lationem. *Moysi enim dicit* Dominus loco prædicto : *Miserebor,* dando gratiam in vita præsenti, *cujus misereor* in æterna præscientia ; *et misericordiam præstabo,* dando gloriam in futuro, *cujus miserebor.* Tanquam dicat : Dabo gratiam in præsenti ei quem ab æterno prædestinavi, et dabo gloriam in futuro cui nunc gratiam tribuo. Nostra translatio habet sic : Miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit.

16 Ex his infert Apostolus : *Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei :* id est, non in potestate hominis volentis est, velle aliquid meritorie, nec est in potestate hominis currentis seu operantis, meritorie operari, sed utrumque dependet et oritur ex misericordia
Philipp. ii, 13. et gratia Dei, sicut alibi dicitur : Deus operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate. Cui consonat illud Jere-
Jer. x, 23. miæ : Scio, Domine, quia non est hominis via ejus, nec viri est ut ambulet, et dirigat gressus suos. Ideo ait Psalmista :
Ps. cxviii, 32. Viam mandatorum tuorum cucurri quum dilatasti cor meum. Quum enim finis creationis nostræ sit supernaturalis, scilicet visio Dei per speciem, non possumus velle, cogitare, vel facere aliquid meritorium hujus finis ex puris naturalibus, sed incessabili gratia indigemus. Non ergo aliquid de nostris viribus præsumamus, sed semper cum profundissima humilitate ad divinæ pietatis gratiam properemus, dicentes singuli Deo : Trahe me *Cant.* i, 3.
post te. Nam et Christus ait : Nemo potest *Joann.* vi, 44.
venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.

Dicit enim Scriptura Pharaoni : id 17
est, merito dixi Deum misereri cui vult, nec esse hominis velle aut operari meritorie, Dicit enim Scriptura, id est Deus in Scriptura, Pharaoni : *Quia in hoc ipsum excitavi te,* id est, ad hoc vel idcirco feci et posui te, et de somno peccati quo eras sopitus, suscitavi te, non ad gratiam, sed ad malitiæ tuæ majorem ostensionem, *ut ostendam in te virtutem,* id est potentiam *meam,* percutiendo Ægyptum diversis plagis, teque *Ibid.* vii-xii.
ad ultimum submergendo in mari Ru- *Ibid.* xiv.
bro, *et ut annuntietur nomen meum in universa terra,* id est, fama majestatis meæ divulgetur ubique, et omnes agnoscant potentiam meam, auditis mirabilibus quæ feci in te. Dicitur autem Deus Pharaonem excitasse seu posuisse ut virtutem suam in ipso ostenderet, et nomen suum hominibus revelaret, plagando et ante plagarum illationem indurando Pharaonem, consecutive : quia tam potens ac bonus est Deus, ut non permitteret esse malos, nisi vellet et posset ex hoc elicere bona. Quamvis ergo agnovit Pharaonem sic obstinandum et periturum, fecit tamen et posuit eum, quia ex ejus obstinatione elicere potuit et voluit, per modum sequelæ, divinæ virtutis atque justitiæ ostensionem, divinique nominis propalationem. Quod autem sit iste sensus litteræ allegatæ, constat ex conclusione Apostoli, inferentis :

Ergo cui vult miseretur,* per gratiam 18
deducendo ad gloriam. Hoc convenit Deo * *cujus*
per se, ita ut prædestinatio ejus sit causa gratiæ et gloriæ. *Et quem vult indurat,* non influendo malitiam, sed non conferendo subsidium. Hoc convenit Deo per

accidens, scilicet quia non removet pro-
hibens. Sicut nauta per suam absentiam
est causa submersionis navigantium; et
sol per suam elongationem est causa con-
gelationis, non impertiendo frigiditatem,
sed non influendo calorem : sic Deus in-
durat, non adhibendo gratiam cordis du-
ritiam mollificantem. Porro, reprobatio
divina non est causa culpæ, sed pœnæ
propter culpam. Sumendo ergo reproba-
tionem divinam pro ordinatione alicujus
ad pœnam, sic secundum ordinem rati-
onis, præscientia peccatorum reprobatio-
nem præcedit, quoniam Deus neminem
ordinat ad pœnam nisi quia agnoscit et
præscit ejus malitiam.

Sed quia prædicta miranda sunt, et mul-
tis errandi occasionem ministrant, ideo
movet Apostolus, quod noverat a carna-
19 libus esse movendum. *Dicis itaque mihi :*
id est, si Deus quem vult indurat, et cui
vult miseretur, videtur quod sicut vo-
catio justi, ita induratio reprobi ex di-
vina voluntate dependeat : ut sicut non
est ex meritis quod Deus miseretur, ita
non erit ex meritis quod reprobat; sic-
que imputabitur Deo quod unus sit bo-
nus, et alius malus. Ideo subditur : *Quid
adhuc quæritur?* id est, quum ista ita
se habeant, cur ultra inquiritur cur iste
sit bonus, et iste malus? vel, quid ab
aliquo requiritur ut bene operetur? vel,
cur Deus aut alius quisquam conqueritur
de hoc quod quidam impie vivunt? *vo-
luntati enim ejus quis resistit?* id est,
Esther xiii, 9. quum nullus valeat divinæ resistere vo-
luntati. Ista objectio fortis esset, si Deus
esset directa et effectiva causa indurati-
onis, sicut est directa et effectiva causa
justificationis. Hoc autem ita non est, sic-
ut jam patuit.

Apostolus demum respondet ad hoc, pri-
mo redarguens temeritatem eorum qui
20 profunda Dei scrutari præsumunt. *O ho-
mo* mortalis, in ordine intellectualium
substantiarum novissimus, qui nec te ip-
sum, nec inferiora te comprehendere po-
tes, *tu quis es qui respondeas Deo,* opera

A ejus impugnando, intelligendo, vel ejus
sermonibus responsa præstando? Nullum
horum facere potes. Scriptum est enim :
Intellexi quod omnium operum Dei nul- Eccle. viii, 17.
lam possit homo invenire rationem. Et in
libro Sapientiæ : Difficile æstimamus quæ Sap. ix, 16.
in terra sunt, et quæ in prospectu sunt
invenimus cum labore ; quæ autem in
cœlis sunt, quis investigabit ? Hinc ait
beatus Job : Quis ego sum ut responde- Job ix, 14.
am Deo, et loquar verbis meis cum eo?
Et rursus : Si voluerit homo cum Deo Ibid. 3.
B contendere, non poterit respondere unum
pro mille. *Numquid dicit figmentum,* id
est opus, *ei qui se finxit, Quid me feci-
sti sic?* id est, sicut figmentum non dicit
figulo, cur sic fecerit se, quia nec se ip-
sum nec figulum comprehendit; sic ho-
mo non debet dicere incomprehensibili
factori suo : Cur ita fecisti, unum eli-
gendo, alium dimittendo, plus gratiæ con-
ferendo seu etiam præparando isti, quam
mihi ? Hoc verbum Apostoli, sumptum
videtur ex eo quod Isaias ait : Væ qui Is. xlv, 9.
C contradicit factori suo : numquid dicit lu-
tum figulo, Quid facis ?

Consequenter ponit Apostolus genera-
lem rationem, cur Deus quosdam præde-
stinavit, et quosdam præscivit, ostenditque
propositum suum per simile. *An non ha-* 21
*bet potestatem figulus luti, ex eadem mas-
sa,* id est ex eodem luto, quod est suæ
artis materia, *facere aliud quidem vas
in honorem,* id est ad usus honestos, et
in forma decora, ut collocetur in mensa,
aliud vero in contumeliam? id est, sicut
D figulus hoc potest, sic utique Deus in
natura humana potest quosdam produce-
re ad salutem, quosdam ad damnationem.
Unde per Jeremiam testatur : Numquid Jer. xviii, 6.
sicut figulus non potero vobis facere, do-
mus Israel? Ecce sicut lutum in manu
figuli, ita vos in manu mea. Non tamen Ps. xci, 16.
iniquus est Deus, quoniam nulli aliquid
debet. Sed quum Deus etiam multa bo-
na impendat perversis et reprobis, sicut
subjungitur, patet quod non solum sit
non injustus, sed etiam pius.

22 *Quod si Deus volens ostendere iram* A
suam, id est justam vindictam, *et notam*
facere potentiam suam, id est justitiæ
suæ rigorem et potestatem in reprobis in
hac vita, vel postea, ut in eis reluceat
divina justitia, sicut in prædestinatis re-
splendet divina clementia ; *sustinuit* ta-
men *in multa patientia,* id est, longa-
nimiter et multum benigne exspectavit
pœnitentiam perversorum, qui sunt *vasa*
iræ apta in interitum, id est digna mor-
te æterna, quoniam habent in se vitia,
propter quæ Deus offenditur, et iratum B
se monstrat pœnas infligendo. Et quia im-
piorum damnatio cedit ad gloriam ele-
23 ctorum, Apostolus subdit : *ut ostenderet*
divitias gloriæ suæ, id est opulentissi-
mam bonitatem suam, et copiosissimam
gratiam, descendentem *in vasa miseri-*
cordiæ, id est in homines misericorditer
prædestinatos, *quæ præparavit in gloriam,*
id est, præordinavit et condidit ad con-
quirendam beatitudinem sempiternam.

In his verbis declarat Apostolus, quan-
tum ab homine capi potest vel sciri ex- C
pedit, quæ sit communis ratio prædesti-
nationis et reprobationis divinæ. Quippe
Prov. xvi, 4. ut Salomon ait, Omnia propter se ipsum
operatus est Dominus ; et in Ecclesiaste,
Eccle. iii, 14. Fecit Deus opera sua ut timeatur. Ex qui-
bus elucescit, quod Deus propter se ip-
sum finaliter omnia fecit, videlicet ut sua
perfectio in creaturis appareat, sicque ex
consideratione earum Deus glorificetur,
ametur, ac timeatur. Ad perfectionem au-
tem divinæ naturæ, præcipue pertinent
misericordia et justitia. Opera autem mi- D
sericordiæ faciunt Deum amabilem ; ope-
ra vero justitiæ reddunt eum terribilem.
Utraque tamen faciunt eum gloriosum et
honorandum. Ut ergo divina perfectio re-
luceret in rebus sub ratione misericordiæ,
prædestinavit Deus nonnullos, quibus so-
la pietate præparavit gratiam viæ et glo-
riam patriæ. Volens quoque relucere in
creaturis suam justitiam, quosdam reli-
quit, quos dicitur reprobare : quod se-
cundum Augustinum, est nolle misereri.

Unde Salomon ait : Fecit Deus impium Prov. xvi, 4.
ad diem malum. Et alibi dicit Scriptura :
In diem perditionis servatur impius, et Job xxi, 30.
ad diem furoris ducetur. Verumtamen,
quoniam bonitas atque perfectio Dei ex-
cellentius repræsentatur ac splendet in
electis quam reprobis, ideo prædestinati,
specialiter facti dicuntur ad gloriam Dei,
juxta illud Isaiæ : Omnem qui invocat Is. xliii, 7.
nomen meum, in gloriam meam creavi
eum. Omnia hæc breviter tangit Aposto-
lus quum ait, quod Deus ostendere vo-
lens iram et potentiam suam, sustinuit
vasa iræ ut ostenderet divitias gloriæ suæ
in vasis misericordiæ, id est in prædesti-
natis, de quibus subjungitur :

Quos et vocavit ad fidem et gratiam 24
per prædicationem Apostolorum, *non so-*
lum ex Judæis, sed etiam ex gentibus :
ex utroque enim populo quidam ad Chri-
stum conversi sunt ; *sicut in Osee* prophe- 25
ta *dicit : Vocabo,* id est nominabo, *non* Osee ii, 24;
plebem meam, id est populum gentilem, I Petr. ii, 10.
plebem meam. Nam ante conversionem
suam erant non plebs mea secundum
præsentem justitiam, quamvis secundum
æternam prædestinationem fuerint sem-
per plebs mea. *Et non dilectam* meam,
id est eamdem plebem quam tempore suæ
idololatriæ non dilexi, quantum ad cul-
pam, vocabo *dilectam* meam, id est mihi
dilectam, quum fidem et caritatem ha-
buerint. Tunc enim amici erunt. *Et non*
misericordiam consecutam, id est genti-
litatem, quæ ante Christi adventum ex-
pers erat gratiæ Dei, vocabo *misericor-*
diam consecutam, quum gratiam Christi
receperit. Hoc quod dicitur, Misericordi-
am consecutam, construendum est sepa-
ratim, ut sit sensus, quod plebs gentilis
quum fuerit conversa, vocabitur miseri-
cordiam consecuta. *Et erit,* id est, con- 26
tinget quod subditur, quod etiam jam Osee i, 10.
dudum constat impletum : *In loco,* id
est in terris gentilium, *ubi dictum est* a
me per servos meos *eis : Non plebs mea*
estis vos, o gentiles, quamdiu idolis de-
servitis ; *ibi vocabuntur* gentes istæ ad

fidem conversæ, *filii* adoptivi *Dei vivi*.
Joann. I, 12. Quotquot enim receperunt eum, dedit eis
potestatem filios Dei fieri.
Consequenter declarat Apostolus non
omnes Judæos incredulos esse Domino
27 Salvatori. *Isaias autem clamat,* id est,
manifeste prophetat et dicit, *pro Israel,*
Is. X, 22, 23. id est de salvatione Judæorum : *Si fuerit*
numerus filiorum Israel tanquam arena
maris, id est, quamvis populus Israel
præ multitudine innumerabilis fuerit, *re-*
liquiæ salvæ fient, id est, aliqui, numero
pauci respectu aliorum, salvabuntur cre-
dendo in Christum : sicut in primitiva
Ecclesia factum agnoscimus. Quomodo au-
28 tem salvæ fient, adjecit : *Verbum enim*
consummans et abbrevians in æquitate :
hoc est, doctrina Christi, seu verbum
Evangelii, est consummans, id est obser-
vantem ad perfectionem perducens, et
præcepta legis consiliis suis perficiens ;
et abbrevians, id est brevi sermone per-
fectionem includens, innumerabiles legis
cærimonias observantiasque excludens ;
in æquitate, id est in approbatione et ob-
servatione præceptorum moralium, quæ
justa sunt atque servanda, quum sint de
actibus virtutum ; *quia verbum brevia-*
tum, id est compendiosum, *faciet Do-*
minus Christus *super terram.* Hoc ver-
bum breviatum quod Christus prædicavit
in mundo, est caritatis præceptum, qua
Deus proximusque diligitur. De quo ver-
Matth. XXII, 40. bo dicit in Evangelio : In hoc tota lex
pendet et Prophetæ.
Sciendum vero, quod Isaias ubi præ-
allegata verba inducit, loquitur de impu-
gnatione filiorum Israel a rege Assyrio-
rum, temporibus Ezechiæ regis Juda, vel
Osee regis Israel, ut alii asserunt. Ideo
quidam dicit prædicta verba Isaiæ ad lit-
teram intelligenda esse de filiis Israel eva-
dentibus manum regis Assyriorum. Sed
hoc non videtur, quia Apostolus hoc loco
apertissime ait, quod Isaias clamat pro
filiis Israel qui salvantur per Christum,
quemadmodum Osee propheta clamat pro
gentibus ad fidem conversis. Præterea,

A quod adjungit Isaias, Verbum enim con-
summans et abbrevians, etc., est ratio
verbi prædicti de salvatione reliquiarum
Israel per Christum facta. Hieronymus
autem, Augustinus, Ambrosius, et omnes
pene doctores catholici, exponunt hoc ad
litteram de verbo evangelicæ legis. Er-
go salvatio illa non est intelligenda de
temporali et corporali liberatione a rege
Assyriorum, sed de salvatione spirituali
atque æterna facta per Christum. Unde
Hieronymus, Prophetarum studiosissimus
B explanator, exponendo præmemorata ver-
ba, dicit quod Isaias, descripta particulari,
temporali ac figurativa liberatione Judæ-
orum a rege Assyriorum, oculum men-
tis convertit ad salvationem universalem,
spiritualem atque perfectam per Christum
exhibitam. Et probat hoc S. Hieronymus
auctoritate Apostoli, qui præsenti capitu-
lo probat conversionem reliquiarum Is-
rael prædicta auctoritate Isaiæ. Probatio
autem per Scripturam, non valet nisi se-
cundum sensum litteralem, ut Augusti-
C nus frequenter commemorat.
Et sicut prædixit Isaias in libro visio- 29
num suarum : *Nisi Dominus Sabaoth,* id *Is.* I, 9.
est exercituum, vel virtutum, præsertim
cœlestium : de quo angeli clamant : San- *Ibid.* VI, 3.
ctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus ex-
ercituum. Secundum Hieronymum, pro eo
quod est Sabaoth, Septuaginta interpretes
ponunt, Omnipotens. Quibus consonare vi-
detur, quod Joannes in Apocalypsi verba
Isaiæ inducens, sic ait : Requiem non ha- *Apoc.* IV, 8.
bebant, dicentia : Sanctus, Sanctus, Sanctus
D Dominus Deus omnipotens. Itaque, Nisi
Dominus Sabaoth *reliquisset nobis* Judæis
semen, id est reliquias in Christum cre-
dentes, videlicet sanctos Apostolos et ce-
teros ex Judaismo conversos, de quibus
per Prophetam dicitur : Isti sunt semen *Is.* LXI, 9.
cui benedixit Dominus ; *sicut Sodoma fa-*
cti essemus, et sicut Gomorrha similes fu-
issemus, id est, penitus damnati essemus
propter nostram incredulitatem, sicut per-
ierunt habitatores Sodomæ et Gomorrhæ, *Gen.* XIX, 24, 25; *Deut.*
cum aliis trium urbium habitatoribus, sci- XXIX, 23.

licet Adama, Seboim et Segor. Quidam
exponit hæc verba Isaiæ ad litteram de
Judæis non occisis a rege Assyriorum
tempore Ezechiæ. Sed expositio talis re-
pellitur eisdem rationibus quibus præ-
cedens.
Movet præterea Apostolus dubium, om-
30 ni admiratione dignissimum. *Quid ergo*
dicemus? id est, quum ex verbis Isaiæ
jam pateat, paucos Judæorum credidisse,
et multos de gentibus, quod mirum ap-
paret, quid ergo dicemus ad hoc? scili-
cet : *Quod gentes quæ non sectabantur*
justitiam, id est gentiles idololatriæ de-
diti, non observantes justitias legis divi-
næ seu scriptæ, *apprehenderunt,* id est,
consecuti sunt, *justitiam : justitiam au-*
tem quæ ex fide est, id est justitiam evan-
gelicæ legis, quæ salvat per fidem, non
31 justitiam legis Mosaicæ. *Israel vero,* id est
populus Judæorum, *sectando legem,* id est
præceptum, *justitiæ,* quæ in cærimoniis
et sacrificiis consistebat, vel legem Moy-
sis; vel, Legem justitiæ veræ et christianæ
sectando, id est aliqualiter imitando, non
quia lex Christi præcessit, sed quia præ-
nuntiata et declarata est eis aliquo modo
per Prophetas, sicque cœperunt eam se-
qui, præstolando eam, et secundum eam
aliquo modo vivendo ; *in legem justitiæ*
veræ et christianæ non pervenit, recipi-
endo gratiam Christi, per quam evange-
lica adimpletur justitia, de qua dicit Sal-
Matth. V, 20. vator : Nisi abundaverit justitia vestra
plus quam Scribarum et Pharisæorum,
32 non intrabitis in regnum cœlorum. *Qua-*
re sic contigit?
Et respondet Apostolus : *Quia non ex*
fide, sed quasi ex operibus, id est, Ju-
dæi quærebant justificari, non virtute et
merito fidei Christi, sed per opera le-
Rom. I, 17; III. gis scriptæ, quum tamen sine fide et
gratia Christi, nemo unquam salvari po-
tuerit, sicut ostensum est. *Offenderunt*
enim, id est impegerunt, *in lapidem of-*
Is. VIII, 14; *fensionis,* id est in Christum, qui bonis
I *Petr.* II, 7. est lapis salutis, impiis autem est lapis

A offensionis. Quemadmodum enim tendens
in via, et pede in lapidem impingens,
impeditur seu retardatur in via a pro-
gressu ad terminum viæ ; sic Judæi pec-
cando per infidelitatem atque præsumpti-
onem, in Christum impingentes, retrusi
atque impediti sunt a via salutis, nec
pervenerunt ad finem beatum. Dicitur
autem Christus lapis, propter constantiæ
firmitatem. *Sicut scriptum est* apud Isa- 33
iam : *Ecce pono in Sion,* id est in po- *Is.* VIII, 14; XXVIII, 16.
pulo Judæorum, inter quos conversatus
B est Christus ; vel in Jerusalem, et in tem-
plo ubi frequenter fuit et docuit ; *lapi-* *Matth.* XXVI, 55.
dem offensionis et petram scandali, id
est Christum : qui occasionaliter factus
est Judæis lapis offensionis, id est pec-
cati, quoniam contempserunt blasphema-
veruntque eum, quemadmodum Petrus ait
in Actibus : Hic est lapis qui reprobatus *Act.* IV, 11.
est a vobis ædificantibus. Factus quoque
est eis petra scandali, id est spiritualis
ruinæ. Sæpe enim Judæi scandalizabantur
in verbis atque operibus Christi, non ta-
C men nisi ex sua mera perversitate, di-
centes : Ecce homo vorax, potator vini, *Matth.* XI, 19.
amicus publicanorum, et multa hujusmo-
di. *Et omnis qui crediderit in eum* fide
per dilectionem operante, *non confunde-*
tur in æternum, nec spe sua frustrabi-
tur; sed honorificabit eum Christus, quum
fuerit suo tribunali oblatus.
Hanc etiam scripturam allegat Petrus
in prima sua Canonica, dicens : Propter I *Petr.* II, 6.
quod continet Scriptura : Ecce ponam in
Sion lapidem summum, angularem. Quod
D vero Petrus et Paulus adjiciunt, Qui cre-
diderit in eum non confundetur, secun-
dum translationem Septuaginta interpre-
tum allegatur. Loco cujus, translatio nostra
sic habet : Qui crediderit, non festinet.
— Hic est lapis, qui juxta Danielis ora- *Dan.* II, 34.
culum, exscissus est de monte sine ma-
nibus. De quo scriptum est per Zacha-
riam, Super lapidem unum oculi septem *Zach.* III, 9.
sunt : quia in Christo fuerunt septem *Is.* XI, 2, 3.
dona Spiritus Sancti.

ARTICULUS XIV

EXPOSITIO CAPITULI DECIMI : FRATRES, VOLUNTAS QUIDEM CORDIS MEI, ETC.

OSTENDIT beatus Apostolus affectum A
suum ad populum Judæorum in præ-
Rom. ix, 2. cedenti capitulo, de eorum damnatione
tristando ; jam idem agit, pro eorum sa-
1 lute orando, et ait : *Fratres,* o vos Chri-
stifideles, *voluntas quidem cordis mei,* id
est desiderium animæ meæ : sumitur enim
hoc loco voluntas pro actu voluntatis ; *et*
obsecratio ad Deum, id est invocatio Dei
per aliqua sacra : ut quum dicimus, Per
incarnationem tuam libera nos. Quod ge-
nus orationis est ardentius, et ad impe-
trandum magis idoneum, quia non pro- B
priis, sed rei sacræ innititur meritis. *Fit*
pro illis incredulis Judæis *in salutem,* tan-
quam in finem, id est ad hoc ut salventur.
Cur autem pro eis orandum sit, sub-
2 dit : *Testimonium enim perhibeo illis,*
quod æmulationem Dei, id est zelum ho-
norandi Deum, *habent :* nam Christum
Joann. xvi, 2. ejusque discipulos persequendo, putant se
Deo præstare obsequium, eo quod putent
Jesum non esse Christum ; *sed non se-*
cundum scientiam, id est, zelum istum
non habent secundum veram discretio- C
3 nem. Cujus ratio sequitur : *Ignorantes*
enim justitiam Dei. Communiter enim
dicunt doctores, non esse intelligendum
hoc de increata Dei justitia qua ipse in
se justus est, sed de justitia quam efficit
in nobis per fidem formatam : quæ ju-
stitia facit dignum vita æterna ; eratque
Judæis ignota, quoniam non putabant ho-
minem justificari per fidem Christi sine
operibus legis. Videtur tamen etiam de
increata Dei justitia posse intelligi. Justi-
tia quippe vel sapientia, aut similis di- D
vinæ naturæ perfectio, dupliciter nosci-
tur : primo, quoad se ipsam ; secundo,
quoad suum effectum. Quamvis ergo Judæi
agnoverint justitiam Dei quoad se ipsam,
scientes Deum esse justum, non tamen
quoad homines et justificationes ipsorum.
Non enim arbitrabantur justum in con-
spectu Dei, vel divinæ justitiæ congrue-
re, ut homo per fidem et gratiam sine
operibus legis consequeretur salutem :
quum tamen hoc justum sit ex parte Dei,
qui adeo bonus est, ut decens et justum
sit eum taliter tamque gratiose salvare.
Et suam quærentes statuere, id est, pro-
priam justitiam allegantes, et in legis
carnalibus justitiis confidentes, seque pro-
priis viribus legem posse implere præ-
sumentes, *justitiæ Dei non sunt subjecti :*
quia sic sentiendo, nec Deo obediunt, nec
ad justitiam quam fecit Deus in nobis
per fidem, confugiunt, pro ejus infusio-
ne rogando, sed contradicunt eidem.
Finis enim legis scriptæ, est *Christus :* 4
quia lex vetus dispositio erat ad Chri-
stum et evangelicam legem, juxta illud,
Lex pædagogus noster fuit in Christo. Et Galat. iii, 24.
sic Christus est finis ad quem ordinaba-
tur lex scripta. Dicitur etiam finis ter-
minans legem, quantum ad cærimonialia
et judicialia. Dicitur insuper finis con-
summans atque perficiens legem, et ejus
promissa exsolvens. Unde ait Salvator :
Non veni legem solvere, sed implere. Et Matth. v, 17.
alibi quoque ait Scriptura : Lex per Moy- Joann. i, 17.
sen data est, veritas per Christum facta
est. Sic ergo finis legis est Christus, va-
lens *ad justitiam* habitualem et actualem
justificationem, vel ad justitiam acqui-
rendam et exercendam, *omni credenti,*
tam sub veteri quam sub novo Testamen-
to. Omnes enim fideles per fidem Salvato-
ris justificati sunt. Quod probat Apostolus
auctoritate Moysis.

5 *Moyses enim scripsit* in Levitico atque Numeris, *quoniam justitiam quæ ex lege est, qui fecerit homo,* id est, qui legis præcepta servaverit, *vivet in ea,* id est, merito hujus justitiæ mortem temporalem, quæ transgressoribus infligebatur, evadet, et vivet vita naturæ, imo et temporalia ad vitam necessaria sortietur. Unde et Moyses sæpius ait : Fac hoc vel hoc, ut bene sit tibi et longo vivas tempore in terra quam Dominus dederit tibi. Quod autem non vixerit homo in ista justitia virtute legis, vita gratiæ, patet ex eo quod per Ezechielem asserit Dominus : Dedi eis præcepta non bona, et judicia in quibus non vivent. De hoc dicta sunt multa superius.

Lev. XVIII, 5; *Num.* IV, 19; *Ezech.* XX, 11.

Deut. V, 16; XI, 8, 9; XXII, 7; etc.

Ezech. XX, 25.

6 *Quæ autem ex fide est justitia,* id est, de justitia Christi, quæ datur per fidem, *sic dicit* Moyses in Deuteronomio : *Ne dixeris in corde tuo,* id est, ne cogitare præsumas, *Quis ascendet in cœlum?* id est, nemo est qui in cœlum ascendere poterit. Noli sic cogitare, quoniam *id est Christum deducere :* id est, sic æstimare, est dicere quod nec Christus ascendit; sicque eum deducis ad inferos, sicut et ceteros mortuos, et ita pertineres ad eos de quibus ait in Psalmo : Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis et in umbra mortis. Sed nec dixeris in corde tuo,

Deut. XXX, 12, 13.

Ps. LXXXVII, 7.

7 *Aut quis descendit in abyssum,* id est in infernum seu limbum? quasi dicas, Nullus descendit. Noli hoc dicere, quia *hoc est Christum a mortuis revocare :* id est, hoc esset dicere, quod Christus pro hominum liberatione nec mortuus esset, nec ad inferos descendisset. Si enim nullus descendit, opus non fuit Christum mori atque descendere.

Hæc expositio Glossæ sumpta ex sanctis doctoribus, Lyræ non placet. Ait enim circa hunc locum, quod ista expositio in nullo concordare videtur cum scriptura Deuteronomii allegata, nec cum littera sequenti. Ipse enim exponit hoc modo : *Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cœlum?* negative; *id est Christum deducere,* id est dicere quod nondum venit in mundum, adductus per obedientiam Patris. *Aut quis descendit in abyssum?* negative loquendo; *hoc est Christum a mortuis revocare,* id est dicere quod non fuit mortuus neque surrexit. Hanc expositionem probat per litteram sequentem : Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum venisse in mundum, et in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. Hæc probatio bona esset, si verba ista immediate jungerentur verbis prædictis. Verum, interponuntur alia verba complura, videlicet : Sed quid dicit Scriptura? Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo : hoc est verbum fidei quod prædicamus. Et subditur : Quia si confitearis in ore tuo, etc. Ex quo patet insufficientia probationis.

vers. 9.

vers. 8.

Denique quantum capio, melior et verbis Moysis consonantior est expositio Glossæ quam Lyræ. Et ut veritas certius elucescat, sciendum quod Moyses hæc verba inducit ad auferendum impossibilitatem et excusationem de observantia legis per ipsum datæ. Sic namque habet translatio nostra, videlicet translatio Hieronymi : Mandatum hoc quod ego præcipio tibi, non supra te est, nec procul positum, nec in cœlo situm, ut possis dicere : Quis nostrum valet ascendere in cœlum, ut deferat illud ad nos? Neque trans mare positum, ut dicas : Quis ex nobis transfretare possit mare? Sed juxta est sermo valde, in ore tuo et in corde tuo, ut facias illum : id est, jam vobis data est lex, et in tabulis scripta digito Dei, ideo de ejus omissione ac transgressione excusationem non habetis. Dicit itaque Lyra : quia Deuteronomium figura erat novæ legis, idcirco Apostolus jam allegat scripturam hanc figuraliter de nova lege, ad cujus custodiam omnes tenentur, videlicet ad excludendum excusationem de prævaricatione novæ legis. Sed huic obviare videtur quod nunc dicit Apostolus, Moysen præinducta verba dixisse de

Deut. XXX, 11-14.

justitia fidei. Est ergo pensandum, quod A
Scriptura sacra non semper allegatur secundum sensum totalem, perfectum seu integrum, quia in eadem auctoritate Scripturæ, multæ particulares sententiæ includuntur, et ita scriptura talis allegari potest per determinationem ad sententias particulares inclusas. Sic agitur in præsenti. In prædicta enim scriptura includitur, secundum intentionem Moysis, aliquem posse in cœlum ascendere, et in abyssum descendere. Sed hoc credere, pertinet ad justitiam fidei. Ideo bene ait B
Apostolus Moysen ista disseruisse de justitia fidei, etiam ad litteram : quæ si quis dixerit impossibilia esse, derogat Christo, qui descendit ad inferos, et ascendit in cœlos. Ob id Moyses prohibet dicere, Quis ascendet in cœlum ?
8 *Sed quid dicit Scriptura* in Deutero-
Deut. XXX, 14. nomio de justitia fidei? Et respondet. *Prope est verbum,* id est sermo salutis fideique doctrina, *in ore tuo* ad loquendum, *et in corde tuo* ad credendum : jam enim Deus omnibus obtulit verbum salutis ; C
hoc est verbum fidei quod prædicamus : id est, verbum istud, quod (teste Scriptura) prope est tibi in ore et corde, est verbum Christi, vel scriptum de Christo (quemadmodum ipse in Evangelio loqui-
Joann. V, 46. tur : De me ille, scilicet Moyses, scripsit), quod nos Apostoli evangelizamus, dicen-
9 tes : *Quia si confitearis,* o Christiane seu homo quicumque, *in ore tuo Dominum Jesum* esse regem Messiam et Filium Dei, coram hominibus, etiam coram infidelibus, si ratio exigat ; vel si solus es, co- D
ram Deo ; *et in corde,* id est in intellectu *tuo,* qui est fidei subjectum, *credideris* fide formata, *quod Deus* Pater vel Trinitas *illum suscitavit a mortuis ; salvus eris* salute perpetua, de qua ait Propheta :
Jer. III, 23. Vere in Domino Deo nostro salus Israel.
Matth. X, 32. Christus enim testatur : Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo. Et Joan-
I Joann. V, 1. nes : Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Jesus est Filius Dei ?

Deinde ostendit Apostolus, quod vera justitia habetur et exercetur per fidem.
Corde enim creditur ad justitiam, id est, 10
corde credendo tendit seu proficit homo ad justificationis adeptionem vel augmentationem. Credendo enim meretur homo peccati remissionem, gratiæ infusionem, justitiæ exercitationem. Fides autem informis disponit ad hæc ; fides vero formata, id est caritati unita, auget ac perficit ista. Per fidem enim habitat Christus Ephes. III, 17.
in cordibus nostris, secundum Apostolum. Secundum Lucam quoque, Deus fi- Act. XV, 9.
de purificat corda hominum. *Ore autem confessio fit ad salutem* æternam adipiscendam, quia ut dictum est, per confessionem Christi prædictam meretur homo vitam æternam. Confessio quippe oris est effectus fidei cordis, quemadmodum oratio vocalis effectus est latriæ, et eleemosynarum largitio effectus est misericordiæ. *Dicit enim Scriptura : Omnis qui* 11
credit in illum, non confundetur. Hoc in Is. XXVIII, 16.
fine præcedentis capituli expositum est.
Non enim est distinctio Judæi et Græ- 12
ci, id est gentilis fidelis, quantum ad consecutionem salutis et gratiæ Christi. In omni enim gente, qui timet Deum et Act. X, 35, 34.
operatur justitiam, acceptus est Deo, apud quem non est personarum acceptio. Ideo omnes generaliter salvantur et justificantur per fidem. *Nam idem Dominus omnium* ratione generalis dominii. De quo scriptum est : Domine, rex omnipotens, Esther XIII, 9.
in ditione tua cuncta sunt posita ; et alibi : Deus cœlorum, creator aquarum, et Judith IX, 17.
Dominus totius creaturæ. *Dives in omnes qui invocant illum,* id est omnium bonorum atque pulchrorum ac desiderabilium opulentia plenus, sufficiens ditare omnes qui intimo cordis affectu ejus pietatem implorant, imo indesinenter ditans hujusmodi. Prope enim est Dominus om- Ps. CXLIV, 18.
nibus invocantibus eum. *Omnis enim qui-* 13
cumque invocaverit nomen Domini, id est ipsum Dominum nomine designatum, *salvus erit,* modo in spe per gratiam, postmodum in re per gloriam, si tamen

perseveranter ac rationabiliter invocet. A
Joel ii, 32. Hoc apud Joelem enim scriptum est.
Consequenter probat, quod adeptio sa-
lutis per invocationem, præsupponit fi-
14 dem. *Quomodo ergo invocabunt* eum, sci-
licet Deum vel Christum, *in quem non
crediderunt?* Nequaquam. Invocatio enim
fidem præsupponit, sicut alibi dicit Apo-
Hebr. xi, 6. stolus : Accedentem ad Deum oportet cre-
dere. Sed videtur obviare quod ait Sal-
Joann. iv, 22. vator Samaritanæ : Vos adoratis quod
nescitis. Et respondendum, quod Sama-
ritani non habuerunt fidem quæ est vir- B
tus theologica, sicut nec hæreticus dis-
credens in uno articulo fidei : non enim
receperunt libros Prophetarum. Propterea
nec veraciter adoraverunt. Unde Christus
Ibid. 24. adjecit : Eos qui adorant, in spiritu et
veritate adorare oportet. *Aut quomodo
credent ei,* scilicet Deo, *quem non audi-
erunt,* id est, de quo nihil dictum est
vers. 17. eis? Fides enim est ex auditu. Nam teste
Philosopho, auditus est sensus discipli-
næ. Quum ergo fides non habeatur nisi
per revelationem alterius, oportet ut pri- C
mum audiatur, vel per locutionem inter-
nam ab angelo, vel per locutionem exteri-
orem ab homine. *Quomodo autem audient
sine prædicante,* id est annuntiante? Lo-
quitur autem Apostolus de auditu exteriori
per hominem, quia hoc modo communi-
ter adducti sunt homines ad fidem. Nihi-
lo minus, secundum Dionysium, quidam
gentilium solo angelorum ministerio ad
fidem conversi sunt.
15 *Quomodo vero prædicabunt,* id est, qua
auctoritate vel efficacia prædicationis of- D
ficium assument vel exsequentur hi per
quos alii convertendi sunt, *nisi mittan-*
Luc. xxi, 15. *tur* a Deo, qui det eis os et sapientiam
miraculorumque gratiam? Actus namque
prædicandi præsupponit auctoritatem of-
ficii : ideo oportet ut a Deo vel ejus vi-
cem gerente, prædicator verbi Dei mit-
Is. lii, 7; Nahum i, 15. tatur. *Sicut scriptum est : Quam speciosi
pedes evangelizantium pacem, evangeli-
zantium bona!* id est, valde decori sunt
pedes et gressus atque affectus Apostolo-
rum, prædicantium reconciliationem mun-
di factam per Christum, et bona sæculi
futuri, quæ oculus non vidit, nec auris I Cor. ii, 9.
audivit. Hoc ad litteram dictum est de
prædicatione evangelicæ legis per Aposto-
los, quibus dixit Salvator : In quamcum- Luc. x, 5.
que domum intraveritis, primum dicite,
Pax huic domui. Nostra tamen translatio
continet sic : Quam pulchri super mon-
tes pedes annuntiantis et prædicantis pa-
cem, annuntiantis bonum ! Ponit enim
Isaias singulare loco pluralis.
Sed non omnes obediunt Evangelio, id 16
est annuntiationi nostræ de Christo, fidem
recipiendo. *Isaias enim dicit : Domine,* Is. liii, 1.
quis credidit auditui nostro, id est my-
steriis Christi quæ ego aliique Prophetæ
a Spiritu Sancto audivimus, et aliis au-
dienda proponimus? tanquam dicat, Pau-
ci credent. Hoc tamen ad litteram de po-
pulo Judæorum prædictum est, quorum
pauci conversi sunt. Unde in Joanne le-
gitur : Quum tanta signa fecisset coram Joann. xii,
eis Jesus, non credebant in eum, ut ser- 37, 38.
mo Isaiæ impleretur quem dixit : Domi-
ne, quis credidit auditui nostro? *Ergo* 17
fides est *ex auditu,* tam ejus qui in fide
instruitur, quem oportet audire prædi-
cantem, quam ejus qui prædicat, quem
oportet audiri. *Auditus autem* qui ad fi-
dem exigitur, est *per verbum Christi,* quod
venit ad aures corporis, et aperit aures
mentis. Nisi enim proponeretur verbum
Dei, non esset auditus fidem dispositive
inducens. Ipse vero habitus fidei, non est
nisi a Deo per creationem.
Sed dico, interrogando ut magis apte 18
respondeam : *Numquid non audierunt*
prædicationem Evangelii, qui obedire no-
luerunt? quasi dicat, Utique audierunt.
Quod probat auctoritate Psalmistæ : *Et
quidem in omnem terram* Judææ, vel in Ps. xviii, 5.
principales plagas terræ, *exivit sonus eo-
rum,* id est prædicatio Apostolorum; *et
in fines orbis terræ* exierunt *verba eo-
rum,* quia ubique prædicaverunt Apostoli
per se ipsos et suos discipulos, ut patet
in diversis legendis et historiis. Joannes

quippe implevit Christi Ecclesiis Asiam, A
Petrus Italiam, Andreas Achaiam, Matthæ-
us Æthiopiam, Thomas Indiam, Bartholo-
mæus Armeniam, Paulus totum pene or-
Is. LII, 10. bem. Hinc enim scriptum est : Paravit
Dominus brachium sanctum suum in ocu-
Ps. XCVII, 3. lis omnium gentium ; et : Viderunt om-
nes termini terræ salutare Dei nostri.
Deinde ostendit inexcusabilitatem Ju-
19 dæorum. *Sed dico,* quærendo : *Numquid
Israel,* id est populus Judæorum, *non co-
gnovit* Christum et ejus doctrinam? Pro-
bat autem Apostolus quod utique cognove- B
runt. *Primus Moyses,* id est Prophetarum
præcipuus, et ejus quod jam subditur,
primus assertor, *dicit* in Deuteronomio :
Deut. XXXII, 21, 22. *Ego ad æmulationem vos adducam in
non gentem, in gentem insipientem, in
iram vos mittam.* Translatio Hieronymi
talis est : Ego provocabo eos in eo qui
non est populus, et in gente stulta irri-
tabo illos; ignis succensus est in furore
meo. Loquitur autem in persona Dei, ut
sit sensus : *Ego ad æmulationem,* id est
invidiam, *vos* Judæos *adducam,* non ef- C
ficienter, sed permissive, quomodo per
Ezech. XIV, 9. Prophetam dico : Propheta quum errave-
rit, ego Dominus decepi prophetam il-
lum; *in non gentem,* id est gentiles, ita
quod eis invidebitis, quum receperint li-
bros Prophetarum ac legis, et in Chri-
stum crediderint : sicut jam diu cerni-
mus adimpletum; *in gentem insipientem,*
id est idola colentem, quod est summa
stultitia et divinorum cognitionibus desti-
tuta. Dicuntur autem gentiles, non gens :
Primo, quoniam tempore suæ idololatriæ D
non pertinebant ad Deum, nec erant plebs
ejus. Secundo, quia ob vitæ suæ vilita-
tem, a Judæis reputabantur ut canes. Nam
Matth. XV, 26. Christus asserit : Non est bonum sumere
panem filiorum, et mittere canibus ; et
Exod. XXII, 31. Moyses, Projicietis ea canibus : ubi per
canes significantur gentiles. — Vel sic :
Ego ad æmulationem, id est invidiam con-
tra Christum, vos adducam in non gen-
tem, in gentem insipientem, id est, ita
ut derelicti a me propter vestram mali-
tiam, efficiamini non gens mea, et po-
pulus stultus. In iram vos mittam, id est,
in indignationem et iracundiam contra
Christum et ejus discipulos mitti a dæ-
mone permittam; vel, In iram, id est in
vindictam justitiæ meæ, videlicet in pœ-
nam vobis a Romanis inflictam, mittam
vos effective, propter peccata in Christum
commissa.
Post hæc ostendit Apostolus auctorita-
te Isaiæ Judæorum excæcationem propter
suam contra Christum perversitatem, et
gentium illuminationem. *Isaias autem au-* 20
det, id est, audacter se habet prænun-
tiando cæcitatem Judæorum illuminatio-
nemque gentium : ex qua prænuntiatione
imminebat ei persecutio a Judæis sui tem-
poris, imo et periculum mortis; *et dicit*
in persona Christi : *Inventus sum* per fi- *Is.* LXV, 1.
dem et contemplationem, *a non quæren-
tibus me,* id est a gentilibus, qui me non
requirebant, quousque misi ad eos Apo-
stolos meos : et ita eos misericorditer
præveni. *Palam,* non per speciem, sed
per fidem illuminatam, per Scripturas et
signa, *apparui his qui me non interroga-
bant,* id est prædictis gentilibus, qui non
sciscitabantur ab aliis quomodo possent
venire ad me.
Ad Israel autem, id est populum Ju- 21
dæorum, *dicit* Isaias capitulo præmemo-
rato, in Christi persona : *Tota die,* id est *Ibid.* 2.
assidue eo tempore quo inter Judæos con-
versabar ac docui, *expandi manus meas*
corporales ac spirituales *ad populum non
credentem et contradicentem mihi,* ingra-
tos, perfidos atque blasphemos Judæos,
quibus varia beneficia spiritualia et cor-
poralia præbui, esurientes alendo, ægros
sanando, ignorantes docendo, et tandem
in cruce pro eorum salute brachia ex-
tendendo.
Quia hoc loco dicit Apostolus, Israel
seu Judæos cognovisse Christum, con-
siderandum quomodo hoc intelligendum
sit. Quidam igitur dicunt, quod legispe-
riti sciverunt eum esse Christum, pro-
pter miracula et Scripturas. Unde Nico-

Joann. III, 2. demus legisperitus dixit : Scimus quia a A Deo venisti magister; nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum illo. Ex invidia ergo averterunt populum, ne crederent eum esse Christum. Glossa vero affirmat Judæos sic cognovisse, ut nec ratione nec auctoritate contradicere potuerint, sed non vere cognoverunt, ita ut menti eorum bene sederet. Thomas dicit (de cujus dicto sæpe miratus sum), idem dicit Ambrosius, quod certe noverunt eum esse Christum in lege promissum ut hominem, sed non B cognoverunt naturam ejus divinam. Verum, quum Petrus apostolus apertissime dicat : Fratres, scio quia per ignorantiam peccastis, sicut et principes vestri ; (Act. III, 17.) et Paulus : Si cognovissent, inquit, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. (I Cor. II, 8.) Christus quoque Pharisæos redarguit, quod ejus adventum non cognoverunt ex vaticinio Danielis, qui tempus illud determinavit : (Dan. IX, 24-27.) Faciem (inquit) cœli judicare nostis, signa autem temporum non potestis? (Matth. XVI, 4.) Unde secundum Augustinum, divino C moderamine factum est ut primus Christi adventus esset occultus, quoniam si

manifestus fuisset, nemo illum judicare aut occidere præsumpsisset. Hinc igitur puto Judæos sic agnovisse Christum, sicut cognoverunt diaboli : qui a principio nativitatis usque ad horam passionis, nunquam habuerunt certam et stabilem de Christo notitiam, sed conjecturalem, nutantem atque ambiguam. Interdum enim, visis aliquibus mirabilibus Christi, dixerunt : Scimus quis sis; et : Jesu Fili Dei, quid venisti torquere nos? (Luc. IV, 34. Matth. VIII, 29.) Interdum vero, visis humilitatibus et pœnalitatibus ejus, æstimaverunt eum non esse Christum. Propter quod mortem ejus procuraverunt. Ita Judæi quandoque verisimiliter suspicabantur eum esse Christum, ut quum dixerunt : Si tu es Christus, dic nobis palam. (Joann. X, 24.) Quandoque autem scandalizabantur in verbis, factis, ac passionibus Christi, putantes eum non esse Christum. Tandem vero, prævalente invidia, et sacerdotum ac legisperitorum persuasione populum avertente, pene omnes opinati sunt eum non esse Christum, dicentes concorditer : Sanguis ejus super nos et super filios nostros; (Matth. XXVII, 25.) et, Si non esset hic malefactor, non tradidissemus eum. (Joann. XVIII, 30.)

ARTICULUS XV

ELUCIDATIO CAPITULI UNDECIMI : DICO ERGO : NUMQUID REPULIT DEUS POPULUM SUUM ?

DE reprobatione Judæorum jam multa D
commemoravit Apostolus. Ne ergo ex
hoc gentiles occasionem acciperent spernendi ac insultandi Judæis, ostendit Apostolus genus Judæorum non omnino esse
1 abjectum. *Dico ergo* per modum interrogantis, ut aliorum quæstioni respondeam : *Numquid repulit Deus populum suum?* Numquid omnino abjecit Judæos? *Absit. Nam et ego* Paulus apostolus *Israelita sum,* natus *ex semine Abraham, de tri-*
2 *bu Benjamin,* filii Jacob. *Non repulit,* id est, non dimisit, sed gratiose vocavit, *Deus plebem suam* Judaicam, *quam præscivit* per approbationem, id est, quam prædestinavit ad vitam, videlicet Apostolos et alia multa millia Judæorum. Et hoc declarat Apostolus per simile quod contigit sub Elia.

An nescitis, id est, scire et considerare debetis, *in Elia,* id est de Elia propheta, *quid dicit Scriptura, quemadmodum interpellat,* id est, ad judicandum invocat, *Deum* zelo justitiæ, non affectu invidiæ,

adversus Israel, id est decem tribus ido-
3 lolatriæ deditas? dicens : *Domine, Pro-*
III Reg. xix, 10. *phetas tuos occiderunt,* tempore Achab et
Jezabel, quoniam reprehenderunt idolola-
triam eorum, *altaria tua suffoderunt,* id
est, funditus destruxerunt, ne remane-
rent loca cultus divini. Solebant autem
filii Israel etiam boni, immolare in ex-
Ibid. iii, 3, 4. celsis seu locis sublimibus, constructis il-
lic primo altaribus. *Et ego relictus sum*
solus cultor tuus. Putabat namque Elias
omnes bonos in Israel fuisse occisos, præ-
Ibid. xviii, 3, 4. sertim Prophetas, nesciens quomodo Ab-
dias procurator Achab, abscondisset cen-
tum de Prophetis Domini in speluncis.
Spiritus enim prophetiæ, nec semper,
neque de omnibus simul illuminat corda
Prophetarum, quia et donum prophetiæ
non inest per modum habitus. Unde quum
David dixisset ad Nathan prophetam quo-
modo vellet ædificare domum Domino,
I Par. xvii, 2. statim respondit : Omnia quæ sunt in
Ibid. 4 et seq. corde tuo fac. Quod paulo post Deus pro-
hibuit. Eliseus quoque de muliere Su-
IV Reg. iv, 27. namite loquens : Anima ejus, inquit, in
amaritudine est, et Dominus celavit me.
Propterea dicit Gregorius, quod Prophe-
tæ ex magno usu prophetandi, quædam
dixerunt per spiritum proprium, quæ pu-
tabant se dicere per spiritum prophetiæ.
Hoc tamen de scripturis Prophetarum ve-
ritatem non habet, quoniam nihil scri-
pserunt nisi per Spiritum Sanctum. *Et*
quærunt animam meam, id est, vitam
meam exstinguere quærunt. Jezabel enim
III Reg. xix, 2. cum suis ministris quærebat Eliam oc-
cidere.
4 *Sed quid dicit illi* Eliæ *divinum re-*
sponsum, tollens ejus errorem? Deinde
Ibid. 18. ponitur responsio Dei. *Reliqui mihi,* id
est, ad gloriam nominis mei ab idolola-
tria præservavi, *septem millia virorum.*
Hoc dicitur, vel quia tot erant determina-
te, vel ad designandum universitatem bo-
norum relictorum. Per septenarium enim
universitas, per millenarium vero perfe-
ctio designatur. Porro de mulieribus, et
his qui infra annum vicesimum erant,

A Deum colentibus, non fit mentio, secun-
dum consuetudinem Hebræorum, qui nec
pueros nec feminas soliti sunt numera- Num. i, 2, 3.
re. Hi tamen forsan plures fuerunt quam
viri, maxime quum feminæ soleant es-
se devotiores viris. *Qui non curvaverunt*
genua sua ante Baal Deum Achab et Je-
zabel.
Sic ergo et in hoc tempore novæ le- 5
gis, et primi adventus Christi, seu prædi-
cationis Apostolorum : de quo scriptum
est, Ecce nunc tempus acceptabile; *reli-* II Cor. vi, 2;
B *quiæ,* id est aliqui pauci ex multis Deo Is. xlix, 8.
relicti, id est a Deo conservati, *secundum*
electionem gratiæ, id est per gratiosam
electionem, vel per gratiam ex divina ele-
ctione procedentem, *salvæ factæ sunt,* id
est liberatæ, vocatæ et justificatæ per Chri-
stum. *Si autem gratia,* id est, si per gra- 6
tiam salutem hanc consecutæ sunt, *jam*
non ex operibus, id est, non propter me-
rita propria sunt salvatæ. Ideo dicit alibi
Apostolus : Non ex operibus justitiæ quæ Tit. iii, 5.
fecimus nos, sed secundum suam mise-
C ricordiam salvos nos fecit; et Christus,
Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Joann. xv, 16.
Alioqui gratia jam non est gratia : id
est, si dicantur salvæ factæ istæ reliquiæ
per gratiam, et etiam propter merita, tunc
gratia non erit gratia, quia non gratis
præstatur, sed erit debitum. Dictum est
enim superius : Ei qui operatur, merces Rom. iv, 4.
non imputatur secundum gratiam, sed se-
cundum debitum.
Quid ergo restat concludendum ex his? 7
Hoc utique quod subditur : *Quod quære-*
D *bat Israel,* id est communis et major pars
Judæorum, *hoc non est consecutus,* videli-
cet salvationem veram per Christum. *Ele-*
ctio autem, id est prædictæ electæ reli-
quiæ, *consecuta est* gratiam istam. *Ceteri*
vero Judæorum *excæcati sunt* corde, *sic-* 8
ut scriptum est : Dedit, non influendo Is. vi, 9, 10.
malitiam, sed permittendo eamdem, *illis*
excæcatis Judæis, *Deus spiritum compun-*
ctionis, id est animum invidiosum, eos
pungentem ex invidia Christi ac Christi-
fidelium; deditque eis hoc modo *oculos*

interiores, *ut non videant,* id est rationem A
obtenebratam, ne Christum et ejus my-
steria intelligant, *et aures* cordis, *ut non*
audiant obedienter prædicationem Evan-
gelii, *usque in hodiernum diem.* Hæc di-
ctio, Ut, tenetur hic consecutive, non cau-
saliter. Nostra translatio continet sic :
Audite audientes, et nolite intelligere ; et
videte visiones, et nolite cognoscere ; ex-
cæca cor populi hujus, etc.
9 *Et David dicit* in Psalmo : *Fiat mensa*
Ps. LXVIII, 23, 24. *eorum coram ipsis in laqueum,* id est,
mensa Judæorum illaqueet eos. Quod et B
factum est : sive per mensam intelliga-
tur sacra Scriptura, quam Judæi carnaliter
intelligendo, laqueo dæmonum strangu-
lantur ; sive mensa, quam Christo cruci-
fixo fecerunt, offerentes ei acetum et fel :
propter quam mensam meruerunt illa-
queari. Unde prædictis verbis præposuit
Ibid. 22. David in Christi persona : Et dederunt
in escam meam fel, etc. Potest quoque
per mensam intelligi corporalis mensa Ju-
dæorum, quando post Christi ascensionem
congregati sunt in Jerusalem ut Pascha C
celebrarent et epularentur, et antequam
egrederentur, a Romanis obsessi sunt.
Quælibet harum mensa, facta est eis *et*
in captionem, qua capti sunt ab invisibi-
libus ac visibilibus hostibus, scilicet dæ-
monibus quantum ad animam, et Roma-
nis quantum ad corpora, *et in scandalum,*
id est ruinam de uno peccato in aliud, *et*
in retributionem illis aliarum pœnarum,
ipsis inflictarum in ultionem sanguinis
10 Christi. *Obscurentur oculi eorum* interi-
ores, *ne videant,* id est, lumine fidei pri- D
ventur, ne suum errorem aut Christi ve-
ritatem intelligant ; *et dorsum eorum,* id
est affectum, qui more dorsi onera cordis
portat, *semper incurva* a rectitudine ju-
stitiæ atque amore cœlestium ad ista ter-
rena. Vel, Dorsum eorum semper incur-
va, id est, servituti aliorum subjice eos :
sicut jam cernimus factum, quia Judæi
ubique serviunt aliis. Sic enim in Psal-
Ps. LXXX, 7. mo habetur : Divertit ab oneribus dor-
sum ejus.

Dico ergo : Numquid sic offenderunt 11
excæcati Judæi *ut caderent* a statu salu-
tis, videlicet ut ex eorum peccato nulli
sequatur utilitas ? *Absit.* Non enim per-
mitteret Deus mala, nisi aliqua bona con-
sequerentur ex eo. *Sed illorum delicto,* id
est Judæorum obstinatio atque perfidia, *sa-*
lus est gentibus, id est, occasionem salutis
gentilibus præbuit : quia Judæis prædica-
tionem Christi et Apostolorum spernen-
tibus, facta est justa ad gentes transmigra-
tio, prout in Actibus Paulus Barnabasque
dixerunt : Vobis oportebat primum loqui *Act.* XIII, 46, 47.
verbum Dei ; sed quia repulistis illud,
ecce convertimur ad gentes : sic enim
præcepit nobis Dominus. *Ut illos æmu-*
lentur, id est, quatenus Judæi imitentur
gentiles ad fidem conversos, exemplo eo-
rum fidem amplectendo : sicut jam par-
ticulariter factum est, et circa finem sæ-
culi generaliter fiet, quum venerit Elias *Matth.* XVII, 11.
et restituerit omnia.
Quod si delictum illorum, id est, in- 12
credulitas Judæorum, *divitiæ sunt mundi,*
id est occasio spiritualium divitiarum, vi-
delicet cœlestium gratiarum gentilium, sic-
ut jam dictum est, *et diminutio eorum,* id
est, si depauperatio vel paucitas Judæo-
rum ad fidem conversorum, puta Apo-
stoli, *divitiæ* sunt *gentium,* id est in-
strumentales causæ per quas spiritualiter
ditatæ sunt gentes, participando copiosa
munera gratiæ Christi ; *quanto magis ple-*
nitudo eorum, id est, omnimoda et plena
conversio Judæorum, in fine mundi fu-
tura, utilis tunc erit aliis ? Bonum enim
est potior causa boni, quam malum.
Vobis enim dico gentibus ad fidem con- 13
versis : *Quamdiu quidem ego sum genti-*
um apostolus, id est ad gentium conversi-
onem specialiter deputatus, sicut Dominus
aiebat ad me, Vade, quia ad gentes lon- *Act.* XXII, 21.
ge mittam te : hoc autem fuit toto tem-
pore prædicationis meæ ; *ministerium me-*
um honorificabo, id est, apostolatus mei
officium, scilicet actum prædicationis, re-
verenter implebo, faciendo ultra debi-
tum, intendendo videlicet non gentium so-

14 lum, sed et Judæorum conversioni, *si quo* A
modo, id est aliquo modo, *ad æmulan-*
dum fidem meam *provocem* verbis, signis
ac moribus, *carnem meam,* id est Judæos
mihi carnali affinitate conjunctos, *et sal-*
vos faciam dispositive ac instrumentali-
ter *aliquos ex illis.* Scio enim me non
omnes posse convertere, quum hoc in
15 fine mundi futurum sit. *Si enim amis-*
sio, id est perditio, *eorum reconciliatio*
est mundi, id est gentilium occasionali-
ter; *quæ assumptio,* id est, quis erit fru-
ctus assumptionis electorum Judæorum ad B
fidem, *nisi vita ex mortuis,* id est spiritu-
alis vivificatio gentium, a morte peccati
resurgentium, per prædicationem electo-
rum Judæorum, videlicet Apostolorum ?
Magis enim proficere debet electorum as-
sumptio, quam reproborum repulsio.

Denique, quod Judæi quamdam habili-
tatem habeant ad conversionem, nec de
eis desperandum sit, manifestat Apostolus
per similitudinem delibationis et massæ,
radicis quoque et rami. Delibatio autem
est modicum quid de re aliqua sumptum, C
ad experiendum valorem totius. Itaque
16 ait : *Quod si delibatio sancta est,* id est,
si parvus grex ex multitudine Judæorum
ad gratiam Dei assumptus, videlicet ordo
Apostolorum et aliorum ex Judaismo cre-
dentium, sanctus est; *et massa,* id est,
tunc etiam tota multitudo poterit sancti-
ficari. *Et si radix sancta,* id est, quum
ipsi Patriarchæ et Prophetæ, de quibus
velut de radicibus pullulavit plebs Judæ-
orum, fuerint sancti; *et rami,* id est na-
ti ex eis, poterunt sanctificari. Hæ ergo D
similitudines intelligendæ sunt quantum
ad potentiam seu aptitudinem, non quan-
tum ad actum, quia et delibatio, massa,
radix, et ramus, non conveniunt homini-
bus nisi metaphorice.

Consequenter Apostolus reprimit gentes
a contemptu Judæorum, eo quod gentes
17 per fideles Judæos conversæ sint. *Quod*
si, id est quamvis, *aliqui ex ramis,* id
est populo isto ex Patriarchis nato, *fracti*
sunt, id est a fide et gratia Patriarcha-
rum alienati ac mortui; *tu autem,* genti-
lis, *quum oleaster esses,* id est propter
peccata tua similis olivæ silvestri, amaræ
ac sterili, *insertus,* id est divina misera-
tione incorporatus, atque per gratiam ad-
unatus, *es in illis,* id est in ramis sanctis
ac stantibus, scilicet Apostolis ceterisque
electis Judæis; vel, In illis, id est loco
ramorum fractorum; *et socius radicis,* id
est collega et consors seu particeps Pa-
triarcharum, imitando fidem ipsorum, *et*
pinguedinis olivæ, id est socius spiritua-
lis opulentiæ, consolationis et gratiæ Apo-
stolorum seu electorum Judæorum, quo-
rum quilibet erat sicut oliva fructifera Ps. LI, 10.
in domo Dei, *factus es; noli gloriari* ina- 18
niter et superbe *adversus ramos* fractos,
id est infideles Judæos, quasi non pos-
sent reparari. *Quod si gloriaris* contra
illos inaniter, ecce dico tibi verbum, per
quod poteris errorem tuum advertere :
non tu radicem, id est plebem Judaicam,
portas, eam sustentando aut roborando;
sed radix, id est plebs ista, portat *te,* do-
cens ac roborans te in via Christi. Gen-
tiles enim ex Judæis spiritualiter nati
sunt, recipiendo per eos fidem et Evan-
gelium Christi : idcirco non debent in-
sultare Judæis.

Deinde Apostolus solvit objectionem
gentilium, arguentium se posse gloriari
contra ramos fractos, quamvis non con-
tra radices ramosque stantes. *Dicis ergo* 19
tu, gentilis : *Fracti sunt rami,* id est,
Judæi a gratia exciderunt, *ut ego inserar*
(secundum modum jam declaratum). *Be-* 20
ne, id est, ita sit, et verum dicis : nam
propter incredulitatem suam et cordis ob-
stinationem *fracti sunt. Tu autem fide,*
virtute et merito fidei tibi concessæ, *stas*
corde erectus ad Deum. Verumtamen *noli*
altum sapere, id est superbire, vel de te
ipso sublimiter quid sentire, præferendo
te illis, quasi tu tantum dilectus sis Deo,
ut Deus permiserit illos frangi quatenus
tu insereris : illi enim fracti sunt directe
et per se propter suam incredulitatem,
sed propter tuam insertionem fracti sunt

indirecte et occasionaliter ; *sed time* ju- A
dicia Dei, filiali ac casto timore. Hoc quod
dictum est, Noli altum sapere, quidam
allegare solent adversus studiosos qui li-
bros difficiles et profundos legere solent,
non intelligentes mentem Apostoli, neque
pensantes formam et finem introductio-
nis horum verborum. Aliqui tamen am-
Ps. cxxx, 1. bulant in mirabilibus super se : quibus
melius esset circa propriorum vitiorum
eradicationem, atque dominicæ passionis
meditationem occupari assidue.

Cur autem gentilis contra Judæos su- B
21 perbire non debeat, subditur. *Si enim
Deus naturalibus ramis,* id est Judæis
filiis Prophetarum ac Patriarcharum, qui
ratione originis videbantur specialiter per-
tinere ad numerum electorum, qui a Chri-
Matth. viii, 12. sto appellati sunt filii regni, *non peper-
cit,* sed eos propter superbiam dereliquit
et sprevit; vide *ne forte nec tibi parcat,*
qui alienigena eras et oleaster.

Ex præinductis infert Apostolus saluber-
22 rimam admonitionem. *Vide ergo,* o gen-
tilis Christiane, id est, diligenter consi- C
dera, *bonitatem,* id est misericordiam, *et
severitatem,* id est rigorem justitiæ, *Dei,*
Ps. c, 1. ut dicas veraciter cum Psalmista : Mise-
ricordiam et judicium cantabo tibi, Do-
Ps. xxiv, 10. mine; et rursus, Universæ viæ Domini,
misericordia et veritas. *In eos quidem qui
ceciderunt,* peccando et pœnam debitam
sustinendo, scilicet in Judæos, vide *se-
veritatem,* id est districtam Dei justiti-
am qua illos juste reliquit; *in te autem*
ad Christum converso, vide *bonitatem Dei,*
id est clementiam Dei, *si permanseris in* D
bonitate, id est in bona et virtuosa con-
versatione; *alioqui et tu excideris* a my-
stico corpore Christi, atque a radice ac
Joann. xv, 6. oliva prædictis, erisque stirps inutilis, et
igni traderis. Quum ergo ignoremus an
permansuri simus in bonitate, oportet nos
semper esse timoratos atque sollicitos,
attendentes et vigilanter implentes illud
Deut. iv, 9. Deuteronomii : Custodi temetipsum et ani-
mam tuam sollicite, et ne obliviscaris ver-
borum Dei tui cunctis diebus vitæ tuæ.
Sed et illi fracti rami, infideles Judæi, 23
si non permanserint finaliter *in incredu-
litate, inserentur* consortio electorum seu
radici suæ, videlicet Patriarchis, et erunt
veri filii eorum, non solum carnali ori-
gine, sed fide ac opere. *Potens est enim
Deus,* cui nihil difficile est, *iterum in-* Jer. xxxii, 17.
serere illos, impios justificando : ideo de-
sperandum non est. *Nam si tu,* gentilis, 24
ex naturali excisus es oleastro, id est a
conversatione vitiosa et sterili liberatus,
et per hoc a te ipso mutatus : qui eras
oleaster naturalis per similitudinem, quo-
niam in gentilitate natus ac enutritus fu-
isti ; *et contra naturam,* id est solitum
cursum naturæ, quæ non solet surculum
malum inserere arbori bonæ, *insertus,* id
est intime copulatus, *es* per fidem, carita-
tem et gratiam *in bonam olivam,* id est
olivæ bonæ, pingui et fructuosæ, videlicet
sanctis Patriarchis atque Apostolis, spiritu-
ali pinguedine internæ consolationis, sin-
cerissimæ contemplationis ac fervidæ di-
lectionis copiose repletis ; *quanto magis
hi qui* sunt *secundum naturam,* id est Ju-
dæi qui sunt naturales rami, ut patuit,
inserentur, id est incorporabuntur, *suæ
olivæ,* id est populo suo electo, si non
permanserint in incredulitate? Nempe, ut
ait Origenes, facilius esse videtur pro-
priæ arboris ramos suæ radici reddere,
quam inserere alienos. Si ergo gentiles
inserti sunt fidei Apostolorum ac Prophe-
tarum, multo facilius Judæi inseri pote-
runt, si tamen fecerint quod in se est.

Nolo enim vos ignorare, o *fratres, my-* 25
sterium, id est divinum secretum, seu
occultum Dei judicium *hoc,* quod subdi-
tur, *ut non sitis vobis ipsis,* id est in
propriis oculis, *sapientes : quia cæcitas
ex parte,* id est, quod spiritualis excæ-
catio, *contigit in Israel,* id est in populo
Judæorum : quæ cæcitas duratura est *do-
nec plenitudo gentium,* id est universitas
gentilium prædestinata, *intraret* statum
salutis et Christi ovile, *et sic,* ingressis 26
gentilibus, *omnis Israel,* id est totus po-
pulus Judæorum, *salvus fieret,* credendo

in Christum. Quod erit circa terminum
mundi, prædicantibus Elia et Enoch : qui
patefacta Antichristi nequitia, populum
Judæorum tunc superstitem exsistentem
convertent, quemadmodum per Prophe-
Malach. IV, 5, 6. tam Dominus protestatur : Ecce ego mit-
tam vobis Eliam prophetam, antequam
veniat dies Domini magnus et horribilis;
et convertet cor patrum ad filios, et cor
filiorum ad patres. De qua etiam finali
Judæorum conversione et longa eorum
interim desolatione scriptum est per Pro-
Osee III, 4, 5. phetam : Dies multos sedebunt filii Israel
sine rege, et sine principe, et sine sa-
crificio, et sine altari, et sine ephod, et
sine theraphim; et post hæc revertentur
filii Israel, et quærent Dominum Deum
suum, et David regem suum ; et pave-
bunt ad Dominum et ad bonum ejus in
novissimo dierum. Per David autem om-
nes intelligunt Christum.
Sicut scriptum est apud Isaiam, secun-
dum translationem Septuaginta interpre-
tum : *Veniet ex Sion,* id est, ex populo
Judæorum nascetur et egredietur Christus,
qui eripiat modo, quantum ad aliquos,
et avertat in fine mundi communiter *im-
pietatem,* id est infidelitatem et cetera
vitia, *ab Jacob,* id est a populo Judæo-
27 rum. *Et hoc illis a me testamentum,* id
est, evangelica lex seu firma promissio
hereditatis æternæ dabitur Judæis a me,
quum abstulero peccata eorum, in fine
mundi quum convertero eos ad Christum.
Mich. VII, 19. Sic enim alibi scriptum est : Revertetur
et miserebitur nostri ; deponet omnes ini-
quitates nostras, et projiciet in profun-
dum maris omnia peccata nostra. Porro,
Is. LIX, 19-21. translatio Hieronymi talis est : Timebunt
qui ab occidente nomen Domini, et qui
ab ortu gloriam ejus, quum venerit quasi
torrens violentus, et venerit Sion redem-
ptor, et eis qui redeunt ab iniquitate in
Jacob : hoc fœdus meum cum eis.
28 *Secundum Evangelium quidem,* id est
propter Evangelium Christi cui contradi-
cunt, sunt Judæi jam *inimici* Deo et bo-
nis hominibus : et hoc, *propter vos,* id
A est ad vestram utilitatem : quia ut di-
ctum est, ideo permisit eos Deus excæ-
cari, ut eorum excæcatio esset occasio
illuminationis gentilium. *Secundum ele-
ctionem autem,* id est propter gratiam
eligentis, sunt quidam eorum *carissimi*
Deo, id est singulariter præelecti, sicut
Apostoli, *propter patres,* id est, ut pro-
missiones factæ Patriarchis implerentur
in his electis reliquiis Judæorum. Vel :
Secundum electionem, id est ob exhibi-
tionem beneficiorum Dei eis collatorum,
B et quia ad cultum Dei specialiter deputati
fuerunt, sunt carissimi : et hoc, propter
patres, id est, quia de semine Patriar-
charum sunt. Cur autem propter patres
sint carissimi secundum electionem, sub-
jungitur :
Sine pœnitentia enim, id est sine va- 29
riatione propositi et dolore, *sunt dona*
Dei gratuita, *et vocatio Dei,* qua vocat
vel vocare decrevit electos ad gratiam :
hoc est, Deum non pœnitet de hoc quod
aliquibus Judæorum decrevit atque pro-
C misit salutem conferre. Idcirco, sicut pro-
misit Patriarchis conversionem Judæo-
rum, sic fiet. Unde scriptum est : Porro I *Reg.* XV, 29.
Triumphator in Israel pœnitudine non fle-
ctetur : neque enim homo est, ut agat
pœnitentiam. Et Jacobus : Apud quem *Jacob.* I, 17.
non est transmutatio, nec vicissitudinis
obumbratio. Quod ergo in Genesi ait, Pœ- *Gen.* VI, 7.
nitet me fecisse hominem, metaphorice
dicitur ; sicut et illud, Tactus dolore cor- *Ibid.* 6.
dis intrinsecus. Vel sic : Sine pœnitentia
enim hominis præcedente, sunt dona Dei,
D et vocatio ad fidem. Non enim propter
meritum proprium quisquam ad fidem
vocatur, gratiamque primam sortitur.
Ponit præterea sanctus Apostolus con-
venientiam quamdam, ad declarandum
quod Judæi tandem misericordiam con-
sequentur. *Sicut enim aliquando,* scilicet 30
tempore idololatriæ vestræ, *et vos,* gen-
tiles, *non credidistis Deo,* sed idolis; *nunc
autem* tempore evangelicæ prædicationis,
misericordiam, id est gratiam Dei, *con-
secuti estis propter illorum,* videlicet Ju-

dæorum, *incredulitatem,* id est occasione A
incredulitatis eorum : quia illorum dam-
natio et excisio, fuit occasionaliter vestra
salus atque insertio, sicut ostensum est.
31 *Ita et isti* Judæi *nunc,* tempore gratiæ,
*non crediderunt in vestram misericor-
diam,* id est, non crediderunt quod ve-
raciter misericordiam consecuti essetis ;
vel, Non crediderunt, id est, credendo non
pervenerunt, in vestram misericordiam,
id est in fidem et gratiam a Deo vobis
clementer exhibitam ; *ut et ipsi miseri-
cordiam consequantur,* id est, miseratio B
vobis impensa, fiat eis miserationis ac-
quirendæ occasio : quoniam Deus, qui
nunc misertus est gentilibus, tandem di-
gnum ducet misereri Judæis, qui olim fu-
erunt populus peculiaris. Sic ergo de Ju-
32 dæis et gentilibus factum est : *Conclusit
enim,* id est, esse convicit, seu concludi
permisit, *Deus omnia,* id est genera ho-
minum, scilicet Judæos et gentiles, *in
incredulitate :* uterque enim populus mul-
toties idolis deservivit ; *ut omnium mi-
sereatur,* id est, quosdam ex omnibus illis C
convertat ac salvet. Hæc dictio, *ut,* te-
netur hic consecutive, non causaliter :
quia non ideo permisit Deus illos errare,
ut misereretur eis. Sic enim nostra ma-
litia esset directa causa glorificationis, seu
manifestatio pietatis divinæ, et ita pla-
ceret Deo. Indirecte tamen est causa ejus,
ut dictum est, secundum quod bonus Deus
non permitteret mala, nisi bona eliceren-
tur ex malo.

Ex consideratione insuper mirabilium
quæ de prædestinatione ac reprobatione, D
et eorum quæ sequuntur ex illis, indu-
cta sunt, admirans Apostolus, stupens ac
33 tremens exclamat : *O altitudo,* id est su-
blimis profunditas et profunda sublimi-
tas, *divitiarum,* id est plenitudinis, *sa-
pientiæ,* quantum ad divina et superiora,
et scientiæ, quantum ad humana ac in-
feriora, *Dei* omnia cognoscentis ! Cujus
notitia quamvis in se una et simplex con-
sistat, multis tamen nominibus designa-
tur, secundum diversitatem eorum quæ
cognoscuntur. Quanta autem sit altitudo
sapientiæ et scientiæ Dei, ex Scriptura
aliquo modo innotescit. Ait enim Psalmi-
sta : Magnus Dominus noster, et sapien- *Ps.* CXLVI, 5.
tiæ ejus non est numerus ; item, Mirabi- *Ps.* CXXXVIII, 6.
lis facta est scientia tua ex me, confortata
est, et non potero ad eam. Altitudo au-
tem divitiarum sapientiæ Dei aliud non
est, nisi sapientia Dei altissima atque ple-
nissima.

*Quam incomprehensibilia sunt judicia
ejus !* Sive per judicia Dei intelligamus
dispositiones rerum seu decreta Dei de
rebus, secundum quod dispositiones istæ
sunt in mente divina, sive effectus divi-
næ justitiæ, quos Deus judicando efficit
in rebus : certum est quod judicia ista
omnem capacitatem mentis humanæ pror-
sus excedunt, quemadmodum sapientia,
scientia et justitia unde procedunt. Pro-
pter quod scriptum est : Fortissime, ma- *Jer.* XXXII, 18, 19.
gne et potens, Dominus exercituum nomen
tibi ; magnus consilio, et incomprehen-
sibilis cogitatu. In Job quoque : Digne *Job* XXXVII, 23, 24.
eum invenire non possumus ; magnus for-
titudine et judicio et justitia, et enarrari
non potest : ideo timebunt eum viri, et
non audebunt contemplari omnes qui si-
bi videntur sapientes. *Et* quam *investi-
gabiles* sunt *viæ ejus,* id est processus
seu exsecutiones operum divinorum ! quia
nec modum emanationis rerum a Deo,
nec gubernationis, nec modum beatifica-
tionis electorum intelligere possumus. Id-
eo Salomon dicit : Cunctæ res difficiles ; *Eccle.* I, 8.
non potest homo eas explicare sermone.
Quis enim cognovit sensum Domini, id 34
est dictamen intellectus divini de rebus,
videlicet, quid Deus de creaturis suis fa-
cere cogitavit, quid de singulis sentiat,
quid de omnibus intra se judicet ? Nescit
quoque homo an amore dignus sit, an *Ibid.* IX, 1.
odio. Ideo in libro Sapientiæ legitur :
Sensum tuum, Domine, quis sciet, nisi *Sap.* IX, 17.
tu dederis sapientiam, et miseris Spiri-
tum tuum de cœlis ? *Aut quis consilia-
rius ejus fuit,* id est, quis dedit Deo consi-
lium de dispositionibus et productionibus

rerum? Nullus plane, quia non indiget
35 alicujus auxilio aut doctrina. *Aut quis prior dedit illi,* id est, quis aliquid perfectionis contulit Deo, exsistens ante eum, *et retribuetur ei* a Deo donum condignum? Nullus utique, quia omnia alia habent a Deo, quidquid habent boni, et sunt. Hoc sumpsit Apostolus ex eo quod scri-
Is. XL, 13, 14. ptum est in Isaia : Quis adjuvit Spiritum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit, et ostendit illi? Cum quo iniit consilium, et instruxit eum, etc.?
36 *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* De hujus verbi intellectu multa dici possent; sed breviter dico, quod Deus est causa rerum in triplici genere causandi. Est enim causa efficiens, causa formalis, formans seu exemplaris, et causa finalis. Dicitur autem causa efficiens, ratione potentiæ qua cuncta creavit; causa exemplaris, ratione sapientiæ qua universa disposuit et distinxit; causa finalis, ratione bonitatis qua omnia ad se ipsum reducit, conservat, et ad proprios fines inclinat. Quoniam ergo potentia attribuitur Patri, sapientia Filio, bonitas Spiritui Sancto, idcirco quod dicitur, Ex ipso, proprie refertur ad Pa-
A trem ; quod vero adjicitur, Per ipsum, refertur ad Filium (omnia enim facta sunt per ipsum) *Joann.* I, 3.; et quod subditur, In ipso, refertur ad Spiritum Sanctum, cui ratione clementiæ competit res conservare, perficere, inclinare ad optima. Et ita in verbis Apostoli notatur trinitas Personarum, et distinctiva proprietas causalitatis earum. Verumtamen, quum unaquæque divina Persona sit verus creator, perfecta causa omnium rerum, et unicuique earum conveniat potentia, sapientia et bo-
B nitas ; ideo de qualibet trium Personarum intelligi potest quoniam ex ipsa, et per ipsam, et in ipsa sunt omnia. Nam et quælibet earum est omnium rerum causa efficiens, creando ; exemplaris, secundum æternam rationem ideam seu speciem producendo ; finalis, universa propter debitum finem, et maxime propter ultimum finem, agendo et conservando. De hoc primo Sententiarum aptior locus est.

Ipsi Deo uni ac trino *honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.* Nil justius,
C nilque ad promerendum efficacius, quam ut toto corde optemus Deum ab omnibus honorificari et glorificari, totisque viribus faciamus hoc ipsum.

ARTICULUS XVI

ELUCIDATIO CAPITULI DUODECIMI : OBSECRO ITAQUE VOS, FRATRES, ETC.

POST reductionem Romanorum ad sanctam concordiam, jam instruuntur in
1 moribus. *Obsecro itaque,* id est, per sacrum aliquod rogo, *vos, fratres,* videlicet *per misericordiam Dei,* id est per pietatem ac bonitatem divinam, ut propter dignitatem ac reverentiam ejus acquiescatis petitioni meæ; vel, Per misericordiam Dei, id est per effectum divinæ pietatis, scilicet per gratiam Dei mihi et vobis impensam. Potius autem dicit, Ob-
D secro, quam, Jubeo, quia ut Seneca ait, generosus est animus hominis, et facilius ducitur quam trahitur. Unde et Philemoni scribens Apostolus : Fiduciam, inquit, *Philem.* 8, 9. multam habens imperandi tibi, propter caritatem magis obsecro.

Ut exhibeatis, id est, agatis et sponte offeratis Domino, *corpora vestra,* non solum exteriora vestra, *hostiam viventem,* id est vivifice mortificatam, et mortifice vivificatam : quatenus corpora vestra fi-

aut hostiæ per carnalium desideriorum A
mortificationem seu exstirpationem, juxta
Coloss. III, 5. illud : Mortificate membra vestra quæ
Ps. XLIII, 22. sunt super terram ; et iterum, Quoniam
propter te mortificamur tota die. Sint ve-
ro hostiæ viventes, per operationes virtu-
osas vitam æternam mercantes. *Sanctam,*
id est a carnalibus sordibus expurgatam.
Deo placentem, id est, ad ultimum finem
Deique gloriam, ordinatam. *Rationabile,*
id est discretum ac moderatum, sit *obse-
quium vestrum,* quod Deo offertis in cor-
poris vestri castigatione : ne caro ultra B
vires maceretur et debilitetur, sicque de
cetero operum bonorum instrumentum
esse non possit; et ne nimis delicate tra-
ctetur, aut minus juste affligatur. Quum
enim corpus sit animæ instrumentum, re-
gendum est secundum exigentiam utili-
tatemque animæ, ut tantum affligatur in
parcimonia cibi, potus, somni, vestitus, et
omnium exteriorum consolationum, quan-
tum anima ferre potest sine corporis de-
fectione. Idcirco discretio summe neces-
saria est, quæ est mater et custos ac fotrix C
virtutum. Propterea enim scriptum et
Lev. II, 13. jussum est : In omni oblatione offeres
Marc. IX, 49. sal. Et Christus : Habete (inquit) in vobis
sal. Hinc etiam scriptum est per Jere-
Jer. XLVIII, 36. miam : Quia plus fecit quam potuit, id-
circo periit. Corporalis igitur exercitatio
moderanda est secundum quod expedit
profectui animæ in interioribus suis.
2 *Et nolite conformari* affectu, actu, con-
sensu, aut simili modo, *huic sæculo,* id
Jacob IV, 4. est mundanis et vanis hominibus. Ami-
citia enim hujus mundi, inimica est Deo. D
Qui ergo voluerit amicus hujus mundi
fieri, inimicus Dei constituetur. Ideo mo-
I Joann. II, 15. net Joannes : Nolite diligere mundum,
neque ea quæ in mundo sunt. *Sed refor-
mamini,* id est, amissam Dei similitudi-
nem rursus acquirite, *in novitate sensus
vestri,* id est, adipiscendo spiritualem at-
que internam mentis vestræ innovatio-
nem. Deformati enim sumus in primo pa-
rente, perdendo originalem justitiam per
quam Deo assimilabamur, et incurrendo

originale peccatum et vulnera animæ qui-
bus primo parenti lapso conformamur.
Jubemur ergo exuere veterem hominem Coloss. III,
cum actibus suis, et induere novum qui 9, 10; Ephes. IV, 24.
secundum Deum creatus est, ut renove- Ps. CII, 5.
tur sicut aquilæ juventus animæ nostræ,
obtinendo quotidie virorem virtutum, et
gratiarum cœlestium recentem decorem,
sicque redeamus ad pristinam Baptisma-
tis innocentiam, atque originalis justitiæ
conformitatem. Hoc est quod in prima
Canonica admonet beatissimus Petrus :
Deponentes omnem malitiam, quasi mo- I Petr. II,
do geniti infantes rationabiles, lac con- 1, 2.
cupiscite, ut in eo crescatis in salutem ;
et Jeremias, Innova dies nostros sicut a Thren. V,
principio. 21.
Sic itaque reformari studete, *ut pro-
betis,* id est, experimento discatis, et ex-
periri possitis per gustum Spiritus Sancti II Tim. I,
habitantis in vobis, *quæ sit voluntas Dei,* 14.
id est, quid Deus velit, quid Deo com-
placeat : cujus utique voluntas *bona* est,
quia non vult nisi bona, *et beneplacens*
electis fidelibus et amicis, qui sunt unum
cum Deo per unionem affectuum, *et per-
fecta,* id est sanctissima, et cunctis re-
bus præstantior.
Advertendum autem, quod voluntas Dei
quandoque accipitur pro potentia sive ac-
tione volitiva exsistente in Deo qua vult :
quæ semper impletur. De qua ait per
Isaiam : Consilium meum stabit, et om- Is. XLVI, 10.
nis voluntas mea fiet; et Psalmista, Om- Ps. CXXXIV,
nia quæcumque voluit Dominus, fecit. 6.
Hæc est voluntas beneplaciti : et secun-
dum hanc acceptionem voluntatis divinæ,
procedit expositio jam inducta.
Secundo, voluntas Dei dicitur id quod
vult, vel signum voluntatis divinæ. Sic-
que præceptum et consilium dicuntur vo-
luntas Dei : quæ non semper impletur.
Ideo petimus eam impleri, dicentes : Fiat Matth. VI,
voluntas tua sicut in cœlo et in terra. Et 10.
de hac quoque voluntate potest exponi
littera, hoc modo : *Probetis,* per exse-
cutionem, *quæ sit voluntas Dei,* id est
jussio, consultio, prohibitio voluntatis di-

vinæ : quæ jussio, consultio, etc., est *bo-
na, in quantum concernit bona naturæ
et statum incipientium ; est *et benepla-
cens* Deo ac bonis hominibus, prout re-
spicit bona gratiæ et statum proficienti-
um ; est quoque *perfecta,* secundum quod
respicit bona gloriæ, quæ jubet finaliter
appeti, et statum perfectorum. Qui autem
sanctam atque internam vitam ducit, ex-
perimentaliter noscit et gustat, quid pla-
ceat, et quid displiceat Deo. Dum enim
remorsum non habet, sed Deo sollicite
servit, et delectatur in ipso, omne pec-
catum detestans, tunc Spiritus Sanctus
perhibet ei testimonium quod voluntas
sua unita et concors sit Deo. Unde ait
Joann. VII, 17. Salvator : Si quis voluerit voluntatem
Dei facere, cognoscet de doctrina an ex
Deo sit.

Consequenter jubet Apostolus, ut omne
obsequium et exercitium nostrum inter-
3 num sit rationabile seu discretum. *Dico
enim,* id est præcipio, *per gratiam quæ
data est mihi,* id est apostolica auctori-
tate mihi gratiose collata, *omnibus qui
sunt inter vos,* Judæis et gentilibus ad
fidem conversis, *non plus sapere quam
oportet sapere,* id est non magis investi-
gare, discutere, contemplari divina my-
steria fideique arcana, quam oportet vel
expedit, quam Scriptura docet, quam in-
tellectus vester capere valet. Propter quod
Dionysius et Damascenus testantur : Non
est audendum aliquid de supersubstan-
tiali Deitate asserere, præter ea quæ nobis
in sacris eloquiis tradita sunt. Denique
Prov. XXV, 27. scrutator majestatis opprimetur a gloria,
tanquam temerarius et præsumptor. Id-
Eccli. III, 22. circo legitur : Altiora te ne quæsieris, et
fortiora te ne scrutatus fueris ; sed quæ
præcepit tibi Deus, illa cogita semper.
Per hæc tamen et similia non prohibetur
humilis perscrutatio, profunda et diligens
inquisitio sacræ Scripturæ in locis diffi-
cilibus, et in his quæ hujusmodi loca
Ps. CXVIII, 129. concernunt, quum dicat Psalmista : Mi-
rabilia testimonia tua, ideo scrutata est
ea anima mea. Sed semper in tali studio
A innitendum est auxilio gratiæ Dei. Pro-
pter quod ait idem Psalmographus : Re- *Ps.* CXVIII, 18.
vela oculos meos, et considerabo mirabilia
de lege tua. *Sed sapere ad sobrietatem,*
id est temperate.

Et unicuique vestrum præcipio sape-
re, *sicut Deus divisit mensuram fidei,* id
est secundum modum quem fides docet
esse servandum in hoc, ut scilicet unus-
quisque secundum exigentiam sui officii
occupet se in perscrutatione divinorum.
Vel, Secundum mensuram fidei, id est
B secundum qualitatem donorum quæ per
fidem præstantur. Qui enim majora dona
sapientiæ et scientiæ receperunt, profun-
dius investigare possunt divina quam sim-
plices : imo ut asserit Dionysius, quod
uni cibus est, hoc alteri est venenum.

Quod autem diversis diversa data sint
dona mensurate divisa, diversos actus ha-
bentia, ostendit per simile in corpore
humano. *Sicut enim in uno corpore* na- 4
turali, organico, animato, *multa membra,*
videlicet oculos, manus, pedes, *habemus,*
C *omnia autem membra non eumdem ac-
tum habent ; ita multi* fideles *unum cor-* 5
pus mysticum, caritate connexum, *sumus
in Christo* capite nostro, a quo motum *Ephes.* IV, 15, 16.
virtutum et vitam gratiæ participamus,
sicut a capite cetera membra motum et
vitam naturalem recipiunt ; *singuli au-
tem* sumus *alter alterius membra,* id est,
unusquisque nostrum est membrum al-
terius mysticum, puta per similitudinem
spiritualem : quoniam sicut unum mem-
brum servit atque communicat alteri su-
D am utilitatem, ut oculus videt toti cor-
pori, manus operantur pro sustentatione
totius corporis ; sic unus fidelium com-
municare debet alteri dona sibi concessa,
quemadmodum Petrus hortatur : Unus- I *Petr.* IV, 10.
quisque sicut accepit gratiam, in alter-
utrum illam administrantes. Gratiæ etenim
gratis datæ, quamvis aliquibus speciali-
ter dentur, ordinantur tamen ad commo-
dum aliorum.

Unde de diversitate donorum singulis
concessorum, subjungitur : *Habentes au-* 6

tem donationes, id est, sic singuli sumus A
membra alterius, sed habemus donatio-
nes *secundum gratiam quæ data est no-
bis, differentes,* id est dona distincta se-
cundum gratiam majorem vel minorem
I Cor. vii, 7. nobis impensam. Unusquisque enim suum
donum habet a Deo, alius quidem sic,
alius vero sic, secundum quod misericor-
dia et gratia Dei major est in uno quam
in alio. Cetera quippe dona supernatura-
lia sive gratuita, mensuram gratiæ habi-
tualis et primæ aliquo modo sequuntur.
Deinde explicat dona ista diversis di- B
versimode distributa. *Sive prophetiam,* id
est revelationem secretorum, maxime fu-
turorum, humanam rationem transcen-
dentium, sumus habentes : et hoc, *secun-
dum rationem,* id est secundum finem
et exigentiam, *fidei* catholicæ. Prophetia
namque ordinatur ad fidei roborationem,
et proprie respicit ea quæ pertinent ad
salutem, quæ est finis quem fides docet
atque proponit. Ideo secundum fidei ra-
tionem prophetia confertur divinitus, et
7 sic habetur a nobis. *Sive* habentes *mi-* C
nisterium ecclesiasticum, ut ordinati si-
mus membra aliorum *in ministrando* eis
sacramenta Ecclesiæ. *Sive qui docet,* id
est gratiam instruendi habens, sit mem-
brum alterius *in doctrina,* id est in exhi-
bitione doctrinæ.
8 *Qui exhortatur,* id est gratiam exhor-
tationis sortitus, sit membrum aliorum
in exhortando eos ad meliora. *Qui tri-
buit* eleemosynam, tribuat *in simplicita-
te,* id est simplici intentione, videlicet ad
gloriam Dei, non propter laudem huma- D
nam. *Qui præest,* id est prælatus seu
princeps, præsit sibi subjectis *in sollici-
tudine,* id est vigilanter et timorate, per-
Sap. vi, 6. pendens illud Sapientis : Judicium gra-
vissimum in his qui præsunt, fiet. Si enim
unumquemque nostrum, juxta Michæam
Mich. vi, 8. prophetam, oporteat sollicite ambulare
cum Deo suo, quanto magis aliorum præ-
latum, quem utique tanto sollicitius con-
versari oportet, quanto plurium anima-
rum constitutus est custos? *Qui miseretur,*
id est, aliis condolet et succurrit, *in hila-
ritate* cordis hoc faciat, ne suo mœrore
miserum magis affligat. Unde de quibus-
dam scriptum est : Consolatores onerosi Job xvi, 2.
vos omnes. Quocontra ait Psalmista : Ju- Ps. cxi, 5.
cundus homo qui miseretur et commo-
dat. Nec obest quod infra dicit Apostolus,
Flere cum flentibus. Quamvis enim qui vers. 15.
miseretur aliis, aliquo modo contristetur
et lugeat, totum tamen fieri debet, non
in dejectione spiritus, sed in hilaritate,
quia ad hoc niti debet ut alterius mise-
riam relevet, eique animo læto subveniat.
Dilectio Dei et proximi, sit *sine simu-* 9
latione, id est non ficta, quemadmodum
scriptum est : Non diligamus verbo, ne- I Joann. iii, 18.
que lingua, sed opere et veritate. Simula- Job xxxvi,
tores autem et callidi provocant iram Dei. 13.
Simus quoque *odientes malum* culpæ in
nobis ipsis et proximis; naturam vero et
gratiam diligamus in omnibus; *adhæren-
tes bono,* id est virtutibus, seu virtuosis
hominibus, juxta illud : Cum viro sancto Eccli.
assiduus esto. Et iterum ait Scriptura : xxxvii, 15.
Quum videris sensatum, statim evigila ad Ibid. vi, 36.
illum. *Caritatem fraternitatis invicem di-* 10
ligentes, id est, quod fratres se invicem I Joann. iv,
diligant : ne sitis seminatores discordiæ, 7, 12.
sed amantes communem caritatem in om- I Petr. iv, 8.
nibus. *Honore invicem prævenientes* ex
humilitate. Quilibet enim potest conside-
rare aliquid boni in alio, quod ipse non
habet; vel ex alia rationabili causa potest
alteri primo reverentiam exhibere, vel in-
tus in corde, vel foris. Exteriore autem
honore invicem prævenire, maxime per-
tinet ad æquales, et subditos, ac junio-
res : et hoc utique multum nutrit cari-
tatem fraternam. Propter quod Petrus :
Omnes, inquit, honorate ; et Christus in Ibid. ii, 17.
Evangelio, Qui major est vestrum, sit ve- Matth.
ster minister. Denique scriptum est : xxiii, 11.
Quanto major es, humilia te in omnibus, Eccli. iii,
et invenies gratiam coram Deo et homi- 20.
nibus. Aliqui vero sunt dura cervice, qui
nec honorantes se sciunt rehonorare, nec
superioribus suis debitam reverentiam ex-
hibere. Ista honoratio proximi est actus

duliæ, quæ est virtus debitam creaturis
reverentiam afferens.
11 *Sollicitudine non pigri* ad habendam
sollicitudinem bonam, quæ est vigilantia
cordis in bonis; vel, Non pigri ad exse-
cutionem sollicitam veræ et intimæ sol-
licitudinis. Est autem quædam sollicitudo
vana atque superflua, quæ versatur cir-
ca hæc temporalia, de qua Salomon ait :
Prov. XI, 7. Exspectatio sollicitorum peribit; et Apo-
Philipp. IV, 6. stolus, Nihil (inquit) solliciti sitis. *Spi-
ritu ferventes* calore divini amoris, ne
Matth. XXIV, 12. caritas refrigescat in nobis, et evomat nos
Apoc. III, 16. Christus. *Domino servientes* servitute la-
triæ, de qua scriptum est : Dominum
Deut. VI, 13. Deum tuum timebis, et illi soli servies.
12 *Spe gaudentes,* id est, de certa exspecta-
tione futuræ beatitudinis spiritualiter ju-
cundantes in Deo, qui vos ad æternam
beatitudinem invitavit. Propter quod gra-
tes referendum est ei indesinenter. Nihil
enim Christiano felicius, cui promittuntur
regna cœlorum. *In tribulatione* juste vel
injuste illata, a mundo vel dæmone, estote
patientes, repellendo a vobis passionem
Matth. V, 10. tristitiæ, quoniam scriptum est : Beati qui
Judith VIII, 24, 25. persecutionem patiuntur propter justiti-
am. Et alibi habetur : Illi qui tentationes
non susceperunt in timore Dei et patien-
tia, exterminati sunt. Denique omnes qui
II *Tim.* III, 12. volunt pie vivere in Christo, persecutio-
Act. XIV, 21. nem patientur; et per multas tribulationes
oportet nos ingredi regnum cœlorum. Id-
circo in tribulationibus, tanquam in opti-
ma via perveniendi ad Deum, oportet nos
cordialiter exsultare. Ait enim Psalmista :
Ps. XXXIII, 19. Juxta est Dominus his qui tribulato sunt
Ps. XC, 15. corde; et Dominus, Cum ipso (inquit)
sum in tribulatione. *Orationi instantes.*
13 *Necessitatibus sanctorum,* id est penu-
riis servorum Christi, estote *communican-
tes,* id est communia facientes bona ve-
stra, supplendo eorum inopiam. Unde ad
Hebr. XIII, 16. Hebræos dicit Apostolus : Beneficentiæ et
communionis nolite oblivisci. *Hospitali-
tatem sectantes,* peregrinos et pauperes
recipiendo gratis in propria domo : juxta
Is. LVIII, 7. illud, Egenos vagosque induc in domum

A tuam; item et illud, Hospitales invicem I *Petr.* IV, 9.
sine murmuratione. Hinc alibi dicit Apo-
stolus : Hospitalitatem nolite oblivisci : *Hebr.* XIII, 2; *Gen.* XVIII, 3; XIX, 2.
per hanc enim placuerunt quidam, vide-
licet Abraham et Lot, angelis hospitio
receptis. Joannes quoque in sua Canonica
de quodam perverso conqueritur : Ipse III *Joann.* 10.
non recipit fratres, et omnes qui reci-
piunt, prohibet. Ecce quantum amanda,
sectanda et continuanda est Christianis
virtus hospitalitatis, quæ tot Apostolorum
testimoniis comprobatur. Nam et Christus
B in die judicii dicturus est reprobis : Ho- *Matth.* XXV, 43.
spes fui, et non collegistis me. Ideo ait
beatus Job : Foris non remansit peregri- *Job* XXXI, 32.
nus, ostium meum viatori patuit.
Benedicite, id est, bona dicite, et orate 14
pro *persequentibus vos; benedicite* eis, *et
nolite maledicere* eis. Repetitio, confir-
mationis et magnæ seriositatis indicium
est. Hoc est quod ait Salvator : Orate pro *Matth.* V, 44.
persequentibus et calumniantibus vos; et,
Benedicite maledicentibus vobis. Hoc faci- *Luc.* VI, 28.
endo, veraciter sequimur vestigia Christi,
C de quo Petrus affirmat : Quum maledice- I *Petr.* II, 23.
retur, non maledicebat; quum pateretur,
non comminabatur.
Hortor insuper vos, *Gaudere cum gau-* 15
dentibus, id est congratulari his qui de
bonis operibus gaudent in Domino. Non
autem debemus cum perversis et va-
ne jucundis gaudere, de quibus scriptum
est : Mundus gaudebit, vos autem con- *Joann.* XVI, 20.
tristabimini. *Flere cum flentibus,* con-
dolendo afflictis, sicut Job ait : Flebam *Job* XXX, 25.
quondam super eo qui afflictus erat, et
D compatiebatur anima mea pauperi. Ve-
rumtamen non debemus cum omnibus
flentibus æqualiter flere. Est enim fletus
alius inordinatus, quo propter amissio-
nem temporalium rerum quis superflue
luget. Sic flentibus conflere debemus,
compatiendo eorum errori, quatenus ces-
sent sic flere. Alius est fletus ordinatus
propter peccata, seu gloriæ dilationem.
Sic flenti conflere debemus, quatenus ve-
niam consequatur seu gloriam, non au-
tem ut fletus talis statim tollatur ab eo,

nisi forte per accidens obesset spiritui, inducendo corporis debilitatem aut aliud nocumentum. Imo simpliciter gaudendum est de bono fletu alterius.

16 *Id ipsum invicem sentientes,* id est, conformantes vos mutuo in affectu et intellectu, ut sitis conformes in Domino. *Non alta sapientes* de vobismetipsis, id est, non magna præsumentes de vobis, sicut ait Psalmista : Domine, non est exaltatum cor meum, neque ambulavi in magnis; *sed humilibus* cogitationibus estote *consentientes,* ut parva et vilia æstimetis de vobis. *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos,* id est in oculis propriis, reputando vos sapientes, aut ceteris magis sensatos. Imo si aliquid sapientiæ vel scientiæ in vobis est, totum Deo adscribite, et nolite in vobis ipsis inaniter exsultare, et simplices spernere. Unde Salomon dicit : Vidisti hominem sapientem sibi videri? magis illo spem stultus habebit. Et iterum : Prudentiæ tuæ pone modum. Et rursus alibi habetur : Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes.

Ps. cxxx, 1. — Prov. xxvi, 12. — Ibid. xxiii, 4. — Is. v, 21.

17 *Nulli malum pro malo reddentes.* Nam et Psalmista fatetur : Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis. Sed nec hoc sufficit, quoniam Christus ait : Benefacite his qui oderunt vos; et Petrus : Non reddentes malum pro malo, sed econtrario benedicentes; in hoc enim vocati estis. Hæc impleri non valent, nisi privatus amor radicitus exstinguatur, et amor divinus mentem prorsus possideat. *Providentes,* id est, circumspecte seu provide disponentes ac operantes, *bona, non tantum coram Deo,* videlicet in secreto, vel quantum ad cordis intentionem, *sed etiam coram omnibus hominibus,* ne quis scandalizetur in vobis, salva tamen veritate vitæ, justitiæ et doctrinæ. Unde alibi dicit Apostolus : Honeste ambuletis ad eos qui foris sunt; et Salvator : Luceat lux vestra coram hominibus; et, Videte ne scandalizetis unum ex pusillis istis.

Ps. vii, 5. — Matth. v, 44. — I Petr. iii, 9. — I Thess. iv, 11. — Matth. v, 16. — Ibid. xviii, 10.

Si fieri potest quod dicam, *quod ex vobis est,* id est, vestram possibilitatem facite ad hoc, ut sitis *cum omnibus hominibus pacem* veram ac spiritualem *habentes,* non carnalem et sæcularem de qua ait Salvator : Non veni pacem mittere. *Non vosmetipsos defendentes, carissimi,* repercutiendo percutientem, quum dicat Salvator : Si quis percusserit te in unam maxillam, præbe ei et alteram, scilicet quantum ad animi præparationem; *sed date locum iræ,* id est, vindictæ seu iracundiæ cedite, ne repercutiendo, alium magis provocetis, vel propriam passionem exerceatis. *Scriptum est enim* in Deuteronomio : *Mihi vindictam* committite, *et ego retribuam, dicit Dominus,* qui facio judicium omnibus injuriam patientibus. Nostra translatio talis est : Mea est ultio, et ego retribuam eis in tempore. 18 19

Matth. x, 34. — Ibid. v, 39. — Deut. xxxii, 35; Ps. cii, 6; cxlv, 7.

Sed si esurierit inimicus tuus qui te odit, *ciba illum* pane spirituali ac corporali, si potes; *si sitit, potum da illi;* et pari ratione, si veste eget, operi eum. *Hoc enim faciens, carbones ignis,* id est materiam dilectionis, *congeres,* id est, congregabis et pones, *super caput,* id est in mente *ipsius.* Hoc enim exstinguere potest rancorem et inflammare amorem. Hoc idem Salomon dicit in Proverbiis. Ex quo patet error Judæorum, dicentium quod secundum legis intentionem inimici sint odiendi, non solum quantum ad culpam, sed etiam quantum ad naturam. Sic enim non esset eis benefaciendum, sed malum faciendum. Contra quod scriptum est : Quum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas. Sanctus etiam Job ait : Si gavisus sum ad ruinam ejus qui me oderat, et exsultavi eo quod invenisset eum malum. Sed et Samuel deplanxit Saulem hostem suum letalem, usque ad diem mortis suæ. 20

Prov. xxv, 21. — Ibid. xxiv, 17. — Job xxxi, 29. — I Reg. xv, 35.

Noli vinci per impatientiam *a malo, sed vince* per fortitudinem animi *in bono,* id est tua bonitate, *malum* alterius, non apponendo malum malo, sed quo alter amplius malignatur, eo tu magis pium te præbeas. 21

ARTICULUS XVII

EXPOSITIO CAPITULI TERTIIDECIMI : OMNIS ANIMA POTESTATIBUS SUBLIMIORIBUS SUBDITA SIT.

ERUDIVIT Apostolus omnes fideles in
moribus generaliter, capitulo præce-
denti; jam specialiter instruit subditos,
1 dicens : *Omnis anima,* id est omnis ho-
mo exsistens sub alio. A parte enim si-
gnificat totum, sicut et in Actibus ait
Act. xxvii, 37. Lucas : Eramus autem universæ animæ
in navi, ducentæ septuaginta sex. *Pote-
statibus sublimioribus,* id est in potestate
constitutis, principibus sæcularibus, spi-
I Petr. ii, 18. ritualibusque prælatis, non solum bonis
et modestis, sed etiam dyscolis, *subdita
sit* per obedientiam promptam ac humi-
lem, dummodo nihil præcipiant contra
Deum et justitiam. Unde tyrannis obe-
diendum non erat in his quibus impu-
gnaverant fidem : et ministri qui eis
placebant martyres persequendo, graviter
peccaverunt ; sicut et angeli inferiores,
consentientes Lucifero. *Non est enim po-
testas nisi a Deo* omnipotente, a quo pro-
cessit atque dependet omnis potestas cre-
ata ac limitata. Quamvis enim potestatis
abusio seu nocendi voluntas sit ab ani-
mo creato, ipsa tamen potestas a Deo pro-
fluxit. Propter quod dixit Christus Pila-
Joann. xix, 11. to : Non haberes potestatem adversum me
ullam, nisi tibi datum esset desuper. Et
Sap. vi, 3, 4. Sapiens dicit : Præbete aures, qui conti-
netis multitudines, quoniam data est vo-
bis potestas a Deo, et virtus ab Altissimo.
Quæ autem a Deo sunt, ordinata sunt,
id est sapienter et rationabiliter institu-
Ibid. xi, 21. ta. Omnia namque in mensura, numero
Ibid. viii, 1. et pondere constituit Deus. Denique, sa-
pientia attingit a fine usque ad finem
fortiter, et disponit universa suaviter. Ad
sapientem enim pertinet ordinare.
2 *Itaque qui resistit potestati* per rebel-
lionem, *Dei ordinationi,* id est rei a Deo
A ordinatæ, seu juri divino, vel etiam Deo,
resistit, quantum in se est. Unde Deus
dixit ad Samuelem : Non te abjecerunt, I Reg. viii, 7;
sed me. Et Christus : Qui vos spernit, me Luc. x, 16.
spernit. Moyses quoque ad filios Israel :
Non contra nos, inquit, est murmur ve- Exod. xvi, 8.
strum, sed contra Deum. *Qui autem re-
sistunt, ipsi sibi damnationem* æternam
acquirunt, peccando mortaliter. Interdum
etiam incurrunt damnum temporale.
Deinde ostendit cur superioribus obe-
diendum sit. *Nam principes non sunt ti-* 3
B *mori boni operis,* id est ad timorem his
qui bene agunt, *sed mali,* id est his qui
agunt perverse. Officium enim et inten-
tio principis est, subditos juste dispone-
re, bonos ad meliora provehere, impios
vero restringere et punire. Hoc tamen ve-
rum est de his qui potestate sibi conces-
sa bene utuntur. Aliqui vero sunt prin-
cipes mali, qui justos opprimunt et impios
fovent. De quibus per Prophetam Domi-
nus profitetur : Ipsi regnaverunt, et non Osee viii, 4.
ex me; principes exstiterunt, et non co-
C gnovi. Sed nec hi inordinate timendi sunt,
quum dicat Salvator : Nolite timere eos Matth. x, 28.
qui corpus occidunt. *Vis autem non ti-
mere,* nec causam timendi habere *pote-
statem,* id est in potestate positum prin-
cipem seu prælatum? *Fac bonum,* id est
justitiam, *et habebis laudem ex illa* po-
testate, id est, a potestatem habente lau-
daberis, si bonus est. Si vero sit malus,
habebis laudem ex eo occasionaliter, quo-
niam erit tibi causa majoris coronæ, laudis
et gloriæ. *Dei enim minister est* præla- 4
D tus seu princeps, etiamsi ignoret : nam
divinæ dispositioni aliquo modo subser-
vit ; *tibi in bonum,* id est ad tuam uti-
litatem, quatenus retrahat te a malo, pro-

moveatque ad bonum. *Si autem male*
feceris, time potestatem tuæ perversitatis
ultricem. *Non enim sine causa gladium*
portat. Potestas sæcularis portat gladi-
um materialem ; ecclesiastica, spiritua-
lem. Utraque vero habet judiciariam po-
testatem, quæ per gladium designatur.
Dei enim minister est princeps, *vindex*
in iram, id est in punitionem seu pœ-
nam infligendam, *ei qui malum agit.* Hæc
est ratio qua gladium portat, ut vindi-
cet mala, quatenus culpa ordinetur per
pœnam.
5 *Ideoque necessitate,* id est obligatione
juris, et propter vim coactivam superio-
ris, videlicet, quia tenemini et potestis
ad hoc compelli, *subditi estote* superiori,
non solum propter iram, id est timo-
re pœnæ, *sed etiam propter conscientiam*
mundam habendam, id est amore justi-
tiæ, ne habeatis remorsum conscientiæ,
si invite obedieritis. Unde alio loco dicit
Coloss. III, 22, 23. Apostolus : Non ad oculum servientes, sed
6 sicut Domino. *Ideo enim,* scilicet ad pro-
fitendum vestram subjectionem, *et tributa*
præstatis : quod est signum subjectionis;
ministri enim Dei sunt principes, quum
sint exsecutores justitiæ divinæ. Propter
Sap. VI, 5. quod dicitur per Sapientem : Quum es-
setis ministri regni ejus, etc. *In hoc ip-*
sum servientes, id est, propter tributorum
receptionem ministrantes vobis, defenden-
do rem publicam, et pugnando pro vobis.
7 *Reddite ergo,* statim quum potestis, *om-*
Matth. XXII, 21. *nibus debita. Cui* debetis *tributum,* præ-
state *tributum;* et *cui* debetis *vectigal,*
reddite *vectigal.* Dicitur autem tributum,
quod solvit tota patria pro se domino
suo. Vectigal autem, quod solvit singula-
ris persona, ut quum negotiator solvit
vecturas et pedagia rerum suarum. Vel,
vectigal vocatur stipendium quod datur
dominis, quando per terras vehuntur. *Cui*
timorem debetis, videlicet domino terre-
no, ut cœlesti, exhibete *timorem; cui* de-
betis *honorem* interiorem vel exteriorem,
videlicet Deo, parentibus et virtuosis ho-
minibus, date *honorem.* Ait enim Dominus

A per Prophetam : Filius honorat patrem, Malach. I, 6.
et servus timet dominum suum : si ergo
pater ego sum, ubi est honor meus? et
si dominus ego sum, ubi est timor meus?
Nemini quidquam debeatis, nisi ut in- 8
vicem diligatis, quia dilectio, quotiescum-
que alteri impendatur, permanet jugiter
in præcepto. Per dilectionem vero intel-
liguntur alii actus virtuosi quos unus
tenetur alteri. *Qui enim diligit proxi-*
mum, legem implevit. Ratio quippe di-
ligendi proximum, est Deus. Ergo qui
B proximum diligit, Deum diligit. Qui au-
tem diligit Deum, implet mandata Deca-
logi scripta in prima tabula, quæ ordi-
nantur ad caritatem divinam. Et qui diligit
proximum, implet mandata Decalogi scri-
pta in tabula secunda, quæ ordinantur
ad caritatem fraternam. Ergo qui dili-
git proximum, legem implevit, præsertim
quoad præcepta moralia. Quod declarat
Apostolus : *Nam, non adulterabis, non* 9
occides, non furaberis, non falsum testi- Exod. XX, 13-17;
monium dices, non concupisces rem pro- Matth. XIX, 18.
C ximi tui : id est, præceptum de vitandis
adulterio, homicidio, furto, falso testimo-
nio, concupiscentia rei alienæ, *et si quod,*
id est aliquod, *aliud est mandatum* in-
clusum vel reducendum ad ista, *in hoc*
verbo instauratur, id est, comprehendi-
tur atque impletur, videlicet : *Diliges pro-* Lev. XIX, 18; Matth. XXII, 39.
ximum tuum sicut te ipsum. Qui enim
sic diligit proximum, sic facit ei quomo-
do vult fieri sibimetipsi : quum diligere
nihil aliud sit nisi alicui bonum velle.
Voluntas autem procedit in opus, si po-
D test : si tamen fuerit vera et perfecta vo-
luntas. Ideo subditur : *Dilectio proximi* 10
malum non operatur : quia nec habens
eam peccat mortaliter, nec proximo no-
cet, quamdiu eam habuerit.
Plenitudo ergo, id est consummatio,
perfecta impletio ac finalis perfectio, *le-*
gis antiquæ et novæ, *est dilectio* Dei et
proximi : quoniam omnium virtutum re-
gina, origo, motrix ac finis, est caritas
qua Deus amatur et proximus. Omnia er-
go præcepta disponunt et referuntur ad

plenam observationem præcepti caritatis.
I *Tim.* I, 5. Propter quod alibi habetur : Finis præce-
pti est caritas de corde puro, et conscien-
tia bona, et fide non ficta. Hoc autem
pensandum, quod licet sint duo præcepta
Matth. XXII, 40. caritatis, in quibus tota lex pendet et
Prophetæ, unum tamen frequenter poni-
tur pro utroque, quia nec Deus sine pro-
ximo, nec proximus sine Deo diligitur.
Joann. XV, 12. Hinc enim Salvator ait : Hoc est præce-
ptum meum, ut diligatis invicem sicut
Ibid. XIII, 34. dilexi vos. Et iterum dicit : Mandatum
novum do vobis, ut diligatis invicem. Id-
I *Joann.* III, 11. eo quoque scriptum est : Hæc est annun-
tiatio quam audistis ab initio, ut diligatis
alterutrum.

Deinceps declarat Apostolus, quod acti-
bus caritatis maxime insistendum sit tem-
pore evangelicæ legis, quæ est lex cari-
tatis ac libertatis, quemadmodum vetus
lex erat lex timoris ac servitutis, prout
Rom. VIII, 15. prolixe manifestatum est supra. Ait er-
11 go : *Et hoc scientes tempus,* id est, con-
ditionem et opportunitatem considerantes
præsentis temporis, quod est tempus gra-
II *Cor.* VI, 2; *Is.* XLIX, 8. tiæ : de quo scriptum est, Ecce nunc
tempus acceptabile, ecce nunc dies sa-
lutis ; *quia hora est jam,* scilicet tempo-
re isto, imo omni momento, *nos de somno
surgere,* id est de torpore et negligentia
ad opera caritatis procedere, atque ad vi-
gilantiam mentis ascendere : sicut alibi
Ephes. V, 14. clamat Apostolus, Surge, qui dormis, et
exsurge a mortuis. Otium autem, torpor
et negligentia, somno comparantur, quoni-
am sicut somnus vitam naturæ abscondit,
sic ista vitam gratiæ perimunt. Ad quod
Jonæ I, 6. spiritualiter pertinet illud Jonæ : Quid tu
sopore deprimeris? Surge et invoca Deum
tuum. Denique non dormientibus, sed vi-
gilantibus, provenit regnum Dei.

Consequenter ponit rationem cur tem-
pus est a somno surgere. *Nunc enim,*
quum caritatem et gratiam Dei habemus,
propior, id est vicinior, *est* nobis *nostra
salus,* id est vita æterna, *quam quum
Jacob.* II, 14. *credidimus,* id est, quam tunc quum so-
lam fidem habuimus : quoniam fides si-
A ne operibus non unit nos Deo, nec per-
ducit ad vitam æternam. Vel, Quam quum
credidimus, id est, quam ante Christi ad-
ventum, quia tunc omnes sancti descen-
derunt ad limbum inferni. Nunc vero
patefacta est nobis per Christum janua
felicitatis æternæ : cui tanto amplius
approximamus, quanto eam ardentius de-
sideramus. Ambulamus enim ad eam, con-
templando, amando et bene agendo.

Nox, id est tempus infidelitatis et vi- 12
tiorum, vel tempus veteris Testamenti,
B quod dicitur nox, propter obscuritatem
legalium figurarum et prophetalium vi-
sionum : quæ omnia in nova lege reve-
lantur. Unde dicitur ad Hebræos : Um- *Hebr.* X, 1.
bram habens lex futurorum bonorum,
non ipsam imaginem rerum. Hæc igitur
nox *præcessit,* id est præteriit, et modo
non est; *dies autem,* id est claritas evan-
gelicæ veritatis, splendor gratiæ, tempus
novi Testamenti, seu beatitudo promissa,
appropinquavit, quia jam præsens est in
re, vel in spe. Gratia namque et veritas *Joann.* I, 17.
C per Jesum Christum facta est. *Abjiciamus
ergo opera tenebrarum,* id est peccata, quæ
ex tenebris ignorantiæ prodeunt, mentem
deformant, et ad tenebras inferi protra-
hunt. Omnis enim qui male agit, odit *Ibid.* III, 20.
lucem, et non venit ad lucem, ut non
arguantur opera ejus. *Et induamur* spi-
ritualiter *arma lucis,* id est virtutes et do-
na Spiritus Sancti, quæ animam roborant
et defendunt contra insidias dæmonum,
et contra jacula seu prælia vitiorum. De
quibus armis dicit alio loco : Accipite *Ephes.* VI, 13-17.
D armaturam Dei, ut possitis resistere in
die malo, induti loricam justitiæ, sumen-
tes scutum fidei, et galeam salutis.

Hæc ergo agamus *sic, ut die,* id est, 13
quatenus tempore gratiæ, scilicet tempo-
re isto, *honeste ambulemus,* id est, reve-
renter coram Deo, et exemplariter coram
hominibus, conversemur, nemini dantes II *Cor.* VI, 3.
ullam offensionem, ut non vituperetur
ministerium nostrum. *Non in comessa-
tionibus et ebrietatibus,* id est frequenti-
bus, gulosis atque superfluis manducatio-

nibus et potationibus, fugiendo videlicet A vitia gulæ, quæ valde inhonesta sunt. Pro- Luc. XXI, 34. pter quod ait Salvator : Videte ne graventur corda vestra crapula vel ebrieta- Is. V, 11. te ; et Isaias, Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperum. *Non in cubilibus,* id est voluptatibus carnis, quæ exercen- Amos VI, 4. tur in cubiculis. Unde scriptum est : Væ qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris. *Et impudicitiis,* id est ceteris luxuriæ vitiis, quæ sunt maxime impudica et bestialia, juxta il- B Osee IV, 11. lud : Fornicatio et ebrietas auferunt cor. *Non in contentione,* id est lite, *et æmulatione,* id est invidia. Scriptum est enim : Jacob. III, 16. Ubi zelus et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum. Et alibi Aposto- I Cor. III, 3. lus : Quum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis ?

14 *Sed induimini Dominum Jesum Christum,* id est, brachiis sanctæ dilectionis complectimini eum in cordibus vestris, dicentes cum Sponsa : Tenui illum, nec Cant. III, 4. dimittam. Vel, Induimini Dominum Jesum, id est, formam conversationis ejus sequimini, ut ipse per caritatem commoretur in vobis, ornet ac vestiat vos. *Et carnis curam,* id est provisionem victus et vestitus, quibus caro sustentatur, *ne feceritis in desideriis* superfluis, id est secundum concupiscentiam carnis, sed quantum necessitas exigit, et ratio dictat, quemadmodum alibi legitur : Habentes I Tim. VI, 8. victum et quibus tegamur, his contenti simus. Unde Salomon : Mendicitatem et Prov. XXX, 8. divitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria. Quid enim prodest morituram hanc carnem, cito futuram vermium escam, delicate nutrire, et nobilem immortalemque animam, summæ Trinitatis imagine insignitam, negligere ?

ARTICULUS XVIII

EXPOSITIO CAPITULI QUARTIDECIMI : INFIRMUM AUTEM IN FIDE ASSUMITE.

MANIFESTAVIT Apostolus in superi- C ori capitulo, quomodo inferiores ad superiores se debeant habere, jam docet quomodo superiores se habeant ad inferiores. Agnoscendum vero, quod in Ecclesia Romanorum, cui scribit Apostolus, erant quidam ex Judaismo conversi, qui erant legis æmulatores, cærimonialia legis observanda putantes : propter quod inter cibos discernebant secundum legis præcepta. Isti vocantur infirmi, id est imperfecti in fide catholica : quia secundum fidei veritatem, cærimonialia legis D cessare cœperunt post Christi passionem, ut dictum est. Alii erant ex gentilitate conversi : et isti non discernebant in cibis humano usui deditis, prout ad Timo- I Tim. IV, 4. theum dicit Apostolus : Nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione sumitur.

1 Ait ergo : *Infirmum autem,* id est imperfecte edoctum, *in fide, assumite,* id est caritative instruite, et nolite ægrum abjicere, vos qui perfectiores estis in fide, exemplo Christi, qui ait : Venit Fi- Luc. XIX, 10. lius hominis quærere et salvum facere quod perierat. Talem ergo assumite, *non in disceptationibus cogitationum,* id est, non discutiendo seu judicando secreta cor-
2 dis ejus, quæ soli Deo sunt cognita. *Alius enim,* ille scilicet qui novit cessasse legalia, *credit,* id est, fideliter noscit, *manducare se* licite *omnia* cibaria, humanæ vitæ sustentationi apta, ita ut præceptum legis de discretione ciborum eum non obliget. *Qui autem infirmus est* in fide, ita non putans, sed inter cibos discernens, *olus manducet,* cujus esus semper licitus fuit, ad vitandum conscientiæ

scrupulum. Notandum autem, quod legalia seu cærimonialia, quamvis statim post Christi passionem mortua erant, non tamen mortifera. Nam a tempore passionis usque ad Evangelii publicationem, poterant sine periculo observari, præcipue a Judæis conversis, dummodo non ponebatur spes salutis in eis, sed firmiter credebatur quod sine observatione eorum sufficeret ad salutem fides et gratia Chri-
Act. xv, 10, 11; xvi, 3; xviii, 18; xxi, 21-26; etc. sti. Sic nempe in Actibus Apostolorum leguntur Apostoli ea servasse. Idcirco Apostolus dicit hunc infirmum in fide, non satis instructum de cessatione legalium, suo judicio relinquendum, donec melius informetur.

3 *Is qui manducat* indifferenter quemlibet cibum homini aptum, *non manducantem* hoc modo, sed inter cibos discernentem, *non spernat* tanquam iniquum, quum legalia nondum essent mortifera. *Et qui non manducat,* id est, iste inter cibos discernens et ab aliquibus abstinens, *manducantem* indifferenter *non judicet* tanquam legis transgressorem, quia lex cessavit quantum ad vim obligativam. *Deus enim illum* manducantem *assumpsit* ad fidem, sicut et non manducantem. De his itaque quæ bono animo fieri possunt et malo, non judicemus, sed potius in melius interpretemur.

Præterea probat Apostolus, quam irra-
4 tionabile sit alium judicare inordinate. *Tu quis es,* id est cujus vel quantæ auctoritatis, *qui judicas* judicio reprobationis (judicium enim approbationis non est ita illicitum) *alienum servum,* id est proximum tuum, qui est servus Dei, et conservus tuus, super quem jurisdictionem non habes? *Domino suo stat aut cadit,* id est, ad gloriam vel irreverentiam Dei bene agit aut male, et ad eum pertinet judicare de hoc, non ad te. *Stabit autem,* id est, erectus erit corde ad Deum et bene aget. Hoc est verbum bonæ spei : tanquam diceret, Hoc pie præsumi potest, quod stabit, etiam si jam jacere videatur. *Potens est enim Deus statuere,* id est per

A gratiam a casu peccati erigere, *illum.* Per hoc ergo quod ait Apostolus, Stabit autem, duo docentur : primum, ut dubia trahamus in melius ; secundum, ut nec impium simpliciter judicemus, quia nescimus qualis futurus sit. De hac autem materia, scilicet quomodo judicare sit licitum vel illicitum, plurima dicta sunt in expositione secundi capituli, quæ In Rom. ii, 1 *et seq.*
illic diffuse induxi, ne cogerer eadem sæpe repetere, sed semper ad illum locum lectorem remitterem.

B Adhuc ostendit Apostolus, vitandum esse judicium inordinatum. *Nam alius judicat* 5
diem certum pro exercenda abstinentia eligendum : diem, inquam, interpositum *inter diem* alium, quo putat non esse abstinendum ; *alius autem judicat omnem diem* in abstinentia expendendum. Tanquam dicat : Unus putat certis diebus abstinendum, ut Pharisæus qui jejunabat *Luc.* xviii, 12.
bis in sabbato, seu in hebdomada. Alius judicat singulis diebus abstinendum, ut Judith, quæ jejunabat cunctis diebus, præ- *Judith* viii, 6.
C ter sabbata, neomenias et festa ; et sanctissima illa evangelica Anna de tribu Aser, quæ non discedebat de templo, die *Luc.* ii, 37.
ac nocte serviens Domino in orationibus atque jejuniis. Quoniam vero utrumque horum bono animo fieri potest seu licite, ideo unus alium judicare non debet. Unde subjungitur : *Unusquisque in suo sensu,* id est in proprio intellectu, sententia seu consilio, *abundet* in bonum, id est, quilibet relinquatur suo judicio in hoc, permittaturque agere quod secundum su-
D am conscientiam judicat melius esse, dummodo tamen non exeat limites rerum quæ licent.

Qui sapit diem, id est, certum diem, 6
vel omnem diem discernit seu judicat abstinentiæ deputandum, *Domino sapit,* id est, ad gloriam Dei hoc agit, intendens Deo placere. *Et qui manducat* quemlibet cibum sine discretione legis, vel qui non jejunat quotidie, *Domino manducat,* id est, ad Dei honorem hoc facit, cujus dona manducat; *gratias enim agit Deo* om-

nium bonorum datori pro beneficiis suis.
Et qui non manducat, scilicet quemcum-
que cibum, sed juxta legis tenorem inter
cibos discernit, vel omni die jejunat, *Do-
mino non manducat,* id est, ad gloriam
Domini abstinet, *et gratias agit Deo.* Et
ita uterque bene facit pro tempore, sicut
ostensum est. Sic ergo agere debemus,
omnia referendo ad Deum, ut glorificetur
ipse in omnibus. Cujus ratio subditur :
7 *Nemo enim nostrum sibi vivit* finali-
ter, id est ad gloriam propriam, quoniam
vita naturæ et vita gratiæ quam habe-
mus, ad gloriam et laudem Dei est ordi-
nanda, tanquam ad ultimum finem. *Et
nemo* nostrum *sibi moritur,* id est ad
propriam laudem, sed ad gloriam Dei,
quatenus separatus corpore, laudet atque
glorificet Deum in patria indesinenter.
8 *Sive enim vivimus, Domino,* id est ad
gloriam Domini, *vivimus; sive morimur,
Domino morimur. Sive ergo vivimus, si-
ve morimur, Domini sumus,* id est, non
solum jure creationis et gubernationis,
sed per caritatem et cultum devotissi-
mum, ad Dominum pertinemus. Beati qui
ita conjuncti Deo sunt, ut tota vita mors-
que ipsorum Deum honoret. Ipse enim
I Reg. II, 30. ait : Qui glorificaverit me, glorificabo
eum. Omnia ergo opera nostra interiora
et exteriora ad Dei gloriam referamus, et
propter Deum omnia finaliter operemur.
9 *In hoc enim,* id est propter hoc, *Chri-
stus mortuus est et resurrexit, ut et vi-
vorum et mortuorum dominetur,* id est,
dominari cognoscatur. Nam ante passio-
nem erat utique vivorum mortuorumque
Dominus, etiam secundum naturam as-
sumptam ut Verbo unitam, quæ a primo
instanti unionis suæ cum Verbo, prælata
est omni creaturæ, dominiumque univer-
sale sortita. Propter quod ait Salvator :
Joann. III, 35. Pater diligit Filium, et omnia dedit in
Ibid. XVII, 2. manu ejus ; et alibi, Dedisti ei potesta-
tem omnis carnis. Verumtamen Christus
dicitur passus ut omnium dominetur, pro-
pter duo : Primo, quoniam sua passione
meruit judiciariam potestatem, et gene-

A ralem dominationem, non obstante quod
ante habuerit ista. Non enim inconveni-
ens est, idem alicui propter diversas cau-
sas competere. Secundo, quia post pas-
sionem cœpit ubique manifestari atque
cognosci dominium Christi. Propter quod
ait : Data est mihi omnis potestas in cœ- Matth. XXVIII, 18.
lo et in terra. Potest etiam ita exponi :
Ut et vivorum et mortuorum dominetur,
id est, spiritualiter vivos ac mortuos, sci-
licet justos et impios, in suo obsequio
occupet. Unde ipse loquitur : Ego si ex- Joann. XII, 32.
B altatus fuero a terra, omnia traham ad
me ipsum.
Quum ergo Christus constitutus sit om- Act. X, 42.
nium judex, *Tu autem,* judicande, *quid,* 10
id est, qua temeritate, quo fructu, *judicas*
sententia definitiva *fratrem tuum? Aut
tu quare spernis fratrem tuum,* tanquam
peccatorem aut vilem? Unde scriptum est :
Væ qui spernis, nonne et ipse sperne- Is. XXXIII, 1.
ris? Quum fatigatus desieris contemnere,
contemneris. Et alius Propheta : Numquid Malach. II, 10.
non pater unus omnium nostrum? num-
C quid non Deus unus creavit nos? Quare
ergo despicit unusquisque nostrum fra-
trem suum? Male ergo agis, o homo, ju-
dicando spernendoque proximum. *Omnes
enim stabimus ante tribunal Christi,* id
est coram Christo sedente in sede judi-
ciaria in die judicii, tanquam judicandi
ab eo. Tribunal autem est sedes judicis.
Quod vero jam dicitur quod omnes sta-
bimus ante tribunal Christi tanquam ju-
dicandi, intelligendum est, vel de judicio
condemnationis, vel remunerationis. Scri-
D ptura autem frequenter per judicium, in-
telligit damnationis judicium, sicut ibi :
Omnis qui credit in eum, non judicatur; Joann. III, 18.
et, Si nos ipsos judicaremus, non utique I Cor. XI, 31.
judicaremur.
Scriptum est enim in Isaia : *Vivo ego,* 11
dicit Dominus, id est juro per me ipsum,
qui majorem per quem jurem non ha- Hebr. VI, 13.
beo, *quoniam mihi flectetur omne genu,*
cœlestium, terrestrium et infernorum, id
est, omnia mihi subjicientur, præsertim
in die judicii ; *et omnis lingua confite-*

bitur Domino, id est, omnis conscientia confitebitur mihi tunc opera sua ; vel, Omnis lingua, id est omne genus hominum, cujuscumque loquelæ, confitebitur Domino, confessione laudis divinæ, vel propriæ culpæ. Nostra translatio est ta-
Is. xlv, 23, 24. lis : In memetipso juravi : egredietur de ore meo justitiæ verbum, et non revertetur, quia mihi curvabitur omne genu, et jurabit omnis lingua. Quod licet ad litteram dictum videatur de conversione, adoratione et genuflexione omnium gentium in primo Christi adventu et tempore prædicationis evangelicæ, Apostolus tamen Spiritu Sancto copiosissime adimpletus, præsenti loco insinuat hoc posse intelligi de subjectione et adductione omnium hominum in secundo Christi adventu.

12 *Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo,* id est, reddere compelletur seu exigetur. Multi tamen non poterunt rationem reddere Deo de actibus suis, quia omnino irrationabiliter vixerunt. Aliqui etiam non exigentur reddere rationem, vel quia nullam culpam habebunt, et in hac vita satisfecerunt ;
Joann. iii, 18. vel quia infideles fuerunt, et jam judicati sunt, qui in die judicii non judica-
13 buntur judicio discussionis. *Non ergo amplius invicem judicemus* judicio usurpato vel temerario ; *sed hoc judicate magis,* id est, bonum et observandum esse discernite, *ne ponatis offendiculum,* id est occasionem peccati, *fratri,* id est proximo, viro vel feminæ, *vel scandalum,* id est occasionem tristitiæ. Communiter autem unum pro alio sumitur.

Advertendum vero, quod duplex est scandalum, puta activum et passivum. Scandalum activum est dictum vel factum minus rectum, præbens alteri occasionem ruinæ : et de hoc scandalo non est dubium quin sit semper vitandum. Scandalum vero passivum, est malum seu casus quem alter incurrit ex dicto vel facto alterius. De hoc scandalo quæstio est an sit semper vitandum. — Pro quo sciendum, quod scandalum passivum est
A duplex : Unum, quod nascitur ex malitia scandalizati, qui ex sua perversitate non vult dicta seu facta alterius, quamvis bona, bene interpretari : quod appellatur scandalum Pharisæorum. Alterum, quod nascitur ex infirmitate vel ignorantia scandalizati : quod dicitur scandalum pusillorum. Præterea quædam sunt bona spiritualia, quædam temporalia : et utraque sunt duplicia. Nam spiritualium bonorum quædam sunt de necessitate salutis, ut observatio præceptorum in omnibus, et
B consiliorum in religiosis. Hæc ergo bona nullo modo omittenda sunt propter quodcumque scandalum evitandum. Plus enim tenetur homo providere propriæ saluti, quam alienæ. Quædam vero non sunt de necessitate salutis : et hæc ad tempus occultanda vel deserenda sunt propter scandalum pusillorum vitandum, videlicet donec ratio eis reddatur, et melius informentur. Si vero ratione reddita non acquiescunt, nec cessant scandalizari, non erit scandalum tale amplius ex ignoran-
C tia vel infirmitate, sed ex eorum malitia. Propter quod bona ista omittenda non sunt propter scandalum tale vitandum : sicut nec Christus vitare curavit scan- *Matth.* xv, 13, 14.
dalum Pharisæorum. Similiter bonorum temporalium quædam aliquibus committuntur conservanda, ut bona Ecclesiæ prælatis, bona rei publicæ rectoribus, et deposita certis personis. Et quia ad horum conservationem homo tenetur, ideo propter nullius scandalum sunt deserenda. Unde B. Thomas Cantuariensis repetivit
D bona Ecclesiæ cum ingenti scandalo regis. Alia bona temporalia sunt nostra : et ista omittenda sunt, vel dando ea aliis, vel non repetendo si alius ea habet, propter vitandum scandalum pusillorum ; vel scandalum tale sedandum est bono modo. Non autem propter scandalum ex malitia nascens, dimittenda sunt bona propria temporalia. Daretur enim perversis libertas et magna occasio retinendi aut rapiendi bona aliorum : quod maxime obesset eorum saluti.

14 *Scio* per rationem, *et confido in Domino Jesu* per gratiam ejus, *quia nihil commune,* id est, nullus cibus humanæ vitæ aptus, immundus est, *per ipsum,* id
Joann. I, 3; Gen. I, 31. est per creationem ipsius. Omnia enim per ipsum facta, sunt valde bona. Vel minus dicit, et majus significat, ut sit sensus : Nihil commune per ipsum, id est, omnia munda facta sunt per ejus adventum, omnes videlicet cibi apti, in lege prohibiti. Christus enim absolvit a legali prohibitione ciborum, juxta illud :
Act. X, 15. Quæ Deus purificavit, tu commune ne dixeris. *Nisi ei qui existimat quid commune esse,* id est aliquem cibum esse immundum propter legis præceptum, *illi* sic existimanti *commune,* id est immundum, *est* aliquid alimentorum, secundum suam opinionem et conscientiam. Sicut fricare barbam illicitum est ei qui hoc putat illicitum, quamdiu sic putat, quia contra conscientiam faceret, si fricaret.
15 *Si enim propter cibum,* id est, ob hoc quod quemlibet cibum indiscrete manducas, vel ab aliquibus abstines, *frater,* id est proximus, *tuus contristatur,* putans te impie agere, et nesciens quid debeat securius facere, quum tamen licite possis alterum horum eligere, sicque fratris tui contristationem vitare ; *jam non secundum caritatem ambulas,* id est, non caritative te habes, quia non vitas offensam fratris, sed ejus saluti præponis cibum tuum. *Noli cibo tuo,* id est usu vel abstinentia cibi, *illum perdere,* id est ad mortale peccatum inducere, *pro quo Christus mortuus est,* ne videaris pretium mortis et sanguinis Christi parvi pendere.
16 *Non ergo blasphemetur,* id est, contra Dei honorem vituperetur, *bonum nostrum,* id est fama nostra. Scriptum est enim :
Prov. XXII, 1. Eccli. XLI, 15. Melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ ; et alibi : Curam habe de bono nomine ; hoc enim magis proderit tibi quam mille thesauri. Porro, ut ait Ambrosius, qui habet opera bona, si reprehendatur in re minima, bonum suum offuscat, et incipit bonum ejus blasphemari. Propterea virtuoso vitanda sunt minima.

Ideo autem non debes cibo tuo proximum perdere : *Non est enim regnum* 17
Dei, id est regnatio et inhabitatio Dei in anima tua, *esca et potus,* id est victus exterior. Esca namque non commendat nos Deo ; nec cibus damnatur, sed concupiscentia immoderata. Ideo subditur :
sed justitia, reddens Deo quæ Dei sunt ; Matth. XXII, 21.
proximo, quæ proximi sunt ; et sibi ipsi, quæ expediunt ; *et pax,* id est vera tranquillitas mentis ; *et gaudium* quod habetur *in Spiritu Sancto,* id est per gratiam Spiritus Sancti ex contemplatione et dilectione divinorum. Ista sunt regnum Dei, quia per ista regnat Deus in nobis, quemadmodum ait Scriptura : Re- Luc. XVII, 21.
gnum Dei intra vos est. Vel sic : Non est enim regnum Dei causaliter esca et potus, id est, per ista non acquiritur regnum cœlorum ; sed justitia et pax, et gaudium in Spiritu Sancto, sunt regnum Dei, quia per talia regnum cœlorum obtinetur. *Qui enim in hoc* regno Dei, id 18
est in justitia, pace et gaudio spirituali, *servit Christo,* non scandalizans aliquem propter cibum seu cibi delectationem, vel aliam irrationabilem causam, *placet Deo,* quia beneplacitum est Domino in populo Ps. CXLIX, 4.
suo ; *et probatus,* id est approbatus, *est hominibus,* quia exemplaris est ipsis, et laudatur ab eis. *Itaque, quæ pacis sunt,* 19
id est ea quæ pacem pariunt, fovent, conservant, *sectemur* et operemur. Beati enim Matth. V, 9.
pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. In I Cor. VII, 15.
pace namque vocavit nos Dominus, et non Ibid. XIV, 33.
est Deus dissensionis, sed pacis. Unde per Prophetam Dominus loquitur : Veri- Zach. VIII, 19.
tatem tantum et pacem diligite. *Et quæ ædificationis sunt,* id est, ad bonum provocant, videlicet morum probitatem, *invicem custodiamus,* quatenus unus, non tantum alium non scandalizet, sed spiritualiter eum ædificet.

Ideo, *Noli,* o homo, *propter escam,* id 20
est amore cibi, *destruere opus Dei,* id est fratrem tuum spiritualiter occidere, seu

fidem et gratiam ejus exstinguere. *Om-*
nia quidem cibaria *munda sunt* et lici-
ta, in quantum sunt creaturæ boni Dei ;
sed malum, id est nocivum, *est homini*
quæcumque cibaria sumere, *qui per of-*
fendiculum manducat, id est, manducan-
do fratrem suum scandalizat, et Deum
offendit, sicut malum erat primo parenti
de fructu ligni vitæ comedere. Ne autem
quis putet simpliciter utile esse vel me-
lius quolibet cibo et potu uti, eo quod
21 omnia munda sint, adjecit : *Bonum est*
non manducare carnem, et non bibere vi-
num : per hoc enim concupiscentia mi-
noratur, corpus castigatur, et gratia obti-
netur; *neque* manducare et bibere id *in*
quo frater tuus offenditur, id est, impedi-
mentum seu obicem proficiendi in via Dei
incurrit, *aut scandalizatur,* id est, cadit
peccando: quod est majus et gravius quam
offendere; potest enim quis pede in ali-
quid impingere, nec cadere ; *aut infirma-*
tur in fide, hæsitans quid sit tenendum :
quod valde pœnale periculosumque est.
Consequenter hortatur Apostolus ad hoc.
22 *Tu fidem quam habes penes temetipsum,*
id est, intra te firmiter credis omnes ci-
bos per Christum purificatos seu licitos
factos, *habe coram Deo,* id est, sufficiat
tibi hanc fidem habere in cordis secre-
to, Deo spectante, nec fratri tuo aliter
æstimanti eam ostendas, ne scandalize-
tur. *Beatus* est jam in spe, bene agen-
do, *qui non judicat,* id est, damnabilem
facit, *semetipsum,* alium scandalizando, *in*
eo quod probat, id est faciendo quod li-
citum esse cognoscit in se, quamvis sit
illicitum propter scandalum evitandum.
Vel sic : Beatus qui non judicat, id est
non redarguit, semetipsum in eo quod
probat, hoc est approbat, id est, qui ni-
23 hil agit contra conscientiam suam. *Qui*
autem discernit, id est, judicat quosdam
cibos vitandos, *si manducaverit* tales ci-
bos, *damnatus est* causaliter, id est, pec-
cando mortaliter damnari promeruit; *quia*
manducat *non ex fide,* id est contra id

A quod secundum fidem et conscientiam suam sentit agendum. *Omne autem quod non est ex fide,* id est, quod fit contra fidem, et propter finem contrarium fini quem edocet fides, *peccatum est,* quia inordinatum et contra legem divinam.

Circa hæc duo quæruntur : primo, utrum ratio seu conscientia errans obliget; secundo, an quælibet actio infidelium sit peccatum. — Et respondendum ad primum, quod operatio recipit speciem a termino ad quem, rationem autem bo-
B ni vel mali moralis sumit ab intentione agentis, seu formali ratione objecti. Quum ergo ratio dicit aliquid bonum vel malum, quamvis ita non sit : tamen si voluntas fertur in id quod ratio ei proponit sub ratione mali, licet sit bonum, certum est quod fertur in illud sub ratione mali, et ideo formaliter peccat : quemadmodum putans falsum asserere, mentitur etiam si verum dicat, eo quod falsum dicere æstimet. Simile est, si quis bonum agat, putans illud esse malum :
C peccat enim. Ideo ratio seu errans conscientia obligat. Non est tamen homo perplexus, id est necessitate peccandi adstrictus, quoniam potest errorem rationis abjicere. — Ad secundum dicendum, quod infidelitas, sicut et cetera peccata mortalia, aufert vitam gratiæ, non autem tollit bonum naturæ. Quamvis ergo infidelis non agat aliquid meritorie, potest tamen facere opus bonum in genere moris, seu bonum morale, ad quod se extendit naturalis potentia. Et in tali actu non pec-
D cat directe, et per se : ut si honoret parentes, vestiat nudum, cibet esurientem. Quidquid vero refert ad finem suæ perfidiæ, in eo peccat, quamvis sit bonum : nam finis perversus est. Quod ergo nunc ait Apostolus, Omne quod non est ex fide, peccatum est, et quod Glossa adjecit, Omnis infidelium vita peccatum est, accipiendum est secundum sensum prætactum, et quia qui fidem non habet, protinus in diversa peccata collabitur.

ARTICULUS XIX

EXPOSITIO CAPITULI QUINTIDECIMI : DEBEMUS AUTEM NOS FIRMIORES, ETC.

1 D*EBEMUS autem nos firmiores,* id est A
in virtutibus fortiores, *imbecillitates,*
id est defectus et imperfectiones, *infir-
morum sustinere,* id est æquanimiter ferre
et sustentare atque erigere, ut sanentur :
II Cor. xi, 19. sicut et alibi dicitur, Libenter suffertis
insipientes, quum sitis ipsi sapientes ; et
Galat. vi, 2. iterum, Alter alterius onera portate. Nam
et in corpore naturali, membra fortiora,
ut nervi et ossa, sustinent teneriora. Sed
quia ex hoc quod aliquis sustinet im-
perfectionem alterius tanquam infirmio-
ris, protinus insurgere solet inanis gloria, B
qua quis de sua perfectione stultissime
gloriatur, et alteri se præponit ; ideo op-
time junxit Apostolus : *et non nobis pla-
cere,* id est non habere complacentiam
in nobis ad nos ipsos reflexam, nec glo-
riari in nobis, nec proprium placitum
sequi ; sed potius displicere nobis in no-
bis, quum nihil ex nobis ipsis habeamus,
nisi quod merito inducere debet nobis
displicentiam nostri. Unde de reprobis
II Petr. ii, 10. scriptum est : Audaces, sibi placentes. Si
pensamus proprias imperfectiones et vi- C
tia, non placebimus nobismetipsis. Et quo
nobis ipsis magis placemus, eo amplius
displicemus Deo.

2 *Unusquisque vestrum proximo suo pla-
ceat in bonum,* id est ad bonum finem,
seu tendendo in opus bonum, *ad ædifi-
cationem* ipsius, ut ex vobis sumat pro-
3 fectum. *Etenim Christus* secundum quod
homo, *non sibi* in se *placuit,* id est, in
se ipso gloriatus non est, quasi a se ipso
aliquid habens ; nec proprium placitum,
sed Dei Patris voluntatem quæsivit. Ideo D
Joann. vi, 38. enim in Evangelio loquitur : Descendi,
non ut faciam voluntatem meam, sed ejus
Ibid. v, 19. qui misit me ; et, Non potest Filius a se
facere quidquam ; et, Ego non quæro glo- Joann. viii, 50, 29.
riam meam, sed quæ placita sunt Patri
facio semper ; et, Non quod ego volo, sed Matth. xxvi, 39.
quod tu. Et si Christus, qui non solum
caruit omni culpa, sed insuper ut homo
plenus fuit omni virtute et gratia, sibi
ipsi non placuit, cur nos miseri, defe-
ctibus pleni, nobismetipsis placemus ?

Sed sicut scriptum est in Psalmo, qui
ad litteram de Christi passione conscri-
ptus est : *Improperia,* id est detractiones, Ps. lxviii, 10.
opprobria, injuriæ, *improperantium tibi,*
o Pater æterne, in me : nam Judæi im-
properando mihi, improperaverunt et ti-
bi. Qui enim non honorificat Filium, non Joann. v, 23.
honorificat Patrem, qui misit illum. Im-
properabant autem Judæi Patri et unigeni-
to Filio ejus, ac Sancto Spiritui, adscriben-
tes miracula Christi dæmonibus, ejusque
vitam impiam esse dicentes. Dixerunt
enim : Nonne bene dicimus nos, quia Sa- Ibid. viii, 48.
maritanus es tu, et dæmonium habes ? Et
alibi : In Beelzebub principe dæmonio- Luc. xi, 15.
rum ejicit dæmonia. Hæc itaque impro-
peria *ceciderunt super me,* id est, in mea
humanitate habuerunt effectum, et me
hominem occiderunt. Tibi enim nocere
non potuerunt. Et hoc ideo passus sum,
quoniam tuam in omnibus feci volunta-
tem, increpando vitia Judæorum.

Quæcumque enim scripta sunt. Quasi 4
dicat Apostolus : Merito allegavi scriptu-
ram istam de Christo : Quæcumque enim
scripta sunt in libris divinis, præsertim
de Christo et ejus mysteriis, *ad nostram
doctrinam,* id est informationem, *scripta
sunt.* Nam Christi actio, nostra est instru-
ctio. *Ut per patientiam* in adversis : quam
verbis et exemplis docet Scriptura, di-
cendo, In patientia vestra possidebitis Ibid. xxi, 19.

Jacob. v, 10, animas vestras ; et Jacobus : Exemplum A
11. accipite longanimitatis et patientiæ, Pro-
phetas : ecce beatificamus eos qui susti-
nuerunt; *et consolationem Scripturarum*
consolantium animas studiosas ac pias,
quoniam multa jucunda et delectabilia
continent : unde primo Machabæorum Jo-
I *Mach.* XII, nathas et alii dicebant, Habemus solatio
9. sanctos libros ; *spem habeamus,* id est
certam fiduciam obtinendi gratiam in præ-
II *Tim.* III, senti, et gloriam in futuro. Omnis nam-
16, 17. que Scriptura divinitus inspirata, utilis
est ad docendum et arguendum, ad eru- B
diendum in justitia, ut perfectus sit homo
Dei ad omne opus bonum.
Porro, ut hanc gratiam consequamur,
5 orat Apostolus : *Deus autem patientiæ* da-
tor, conservator et remunerator : de quo
Ps. LXI, 2, ait Psalmista, Nonne Deo subjecta erit
6. anima mea? ab ipso enim patientia mea ;
Ps. LXX, 5. et, Quoniam tu es patientia mea, Domi-
ne ; *et solatii,* id est consolationis infu-
II *Cor.* I, 4. sor, qui consolatur nos in omni tribu-
latione nostra : de quo in Tobiæ libro
Tob. III, 22. dicitur, Post tempestatem tranquillum fa- C
cis, et post fletum exsultationem infundis ;
det vobis id ipsum sapere in alterutrum,
id est idem sentire ad invicem, *secun-
dum Jesum Christum,* id est secundum
voluntatem et doctrinam Salvatoris, non
secundum sensum vestrum, ut sitis con-
formes, et eadem sentientes : juxta illud,
II *Par.* XXXII, Viriliter agite, confortamini, idem sapite.
7; I *Cor.* XVI, Sic etiam multitudinis credentium erat
13; II *Cor.* XIII, 11. cor unum et anima una. Hanc identita-
Act. IV, 32. tem non facit nisi magna gratia Dei, quæ
humanarum opinionum, falsitatum, ima- D
ginationum et inflationum diversitatem
nebulamque expellit, et corda diversa in
uno veritatis ac sanctitatis splendore re-
colligit. Unde ait beatissimus Dionysius,
quod sicut lumen naturæ, ratione suæ de-
fectuositatis, est causa diversitatis in as-
sertionibus hominum, sic lumen gratiæ
a diversitate in unitatem reducit, et om-
nes idem asserere facit.
6 *Ut unanimes,* id est affectu et sensu
conformes, *uno ore,* id est simili vocis
laudatione, *honorificetis Deum et Patrem
Domini nostri Jesu Christi,* id est Deum
Patrem, qui est Deus Christi secundum
naturam assumptam, et Pater ipsius, se-
cundum naturam divinam. De quo ait ip-
se : Ascendo ad Patrem meum et Patrem *Joann.* XX,
vestrum, Deum meum et Deum vestrum. 17.
Propter quod, videlicet ut Deum una- 7
nimiter honorificetis, *suscipite invicem,* id
est, unus suscipiat alium in omni caritate
et pietate, mutuo consulendo, condolen-
do, succurrendo, et cetera opera miseri-
cordiæ corporalia ac spiritualia impen-
dendo. Unde prima ad Thessalonicenses
ipse ait : Corripite inquietos, consolami- I *Thess.* V,
ni pusillanimes, suscipite infirmos, pa- 14.
tientes estote ad omnes. *Sicut et Christus
suscepit vos* sub alis suæ protectionis,
sanavitque vos. Qui apud Joannem ait :
Eum qui venit ad me non ejiciam foras. *Joann.* VI,
Et Isaias ait : Vere languores nostros ipse 37.
tulit, et peccata nostra ipse portavit. De- *Is.* LIII, 4.
nique : Suscepit Israel puerum suum, re- *Luc.* I, 54.
cordatus misericordiæ suæ. Et David in
Psalmo : Misit, inquit, de cœlo, et accepit *Ps.* XVII, 17.
me, et assumpsit me de aquis multis. *In
honorem Dei.* Hoc ad utrumque refertur,
quia et nos debemus suscipere invicem,
et Christus suscepit nos, ad honorem et
gloriam Dei.
Quod autem Christus susceperit nos,
ostendit Apostolus primo de populo Ju-
dæorum. *Dico enim Christum Jesum mi-* 8
nistrum fuisse circumcisionis, id est Deo
Patri servisse, secundum formam servi-
lem, in prædicatione qua prædicavit Ju-
dæis. Imo et Christus se servum præbuit
Judæorum, juxta illud : Ego in medio *Luc.* XXII,
vestrum sum sicut qui ministrat ; et ali- 27.
bi : Filius enim hominis non venit mini- *Matth.* XX,
strari, sed ministrare. Dicitur ergo Christus 28.
minister circumcisionis, id est prædica-
tor atque apostolus Judæorum, ad quos
specialiter missum se perhibet, dicens,
Non sum missus nisi ad oves quæ per- *Ibid.* XV, 24.
ierunt domus Israel : et hoc, *propter ve-
ritatem Dei,* id est, quia Deus ita prædixit,
et ut Deus verus esse cognosceretur, *ad*

confirmandas, id est approbandas et ad- A
implendas, *promissiones patrum*, id est
promissiones divinas, Patriarchis Prophe-
tisque factas de Christo. — Vel sic : Dico
Christum Jesum ministrum fuisse circum-
cisionis, id est circumcisioni subjectum,
Luc. II, 21. ipsam in se recipiendo ; propter verita-
Galat. IV, 4. tem Dei, qui misit Filium suum factum
sub lege ; ad confirmandas promissiones
patrum, id est ad ostendendum quod Deus
daturus sit patribus bona promissa, quæ
promisit Judæis circumcisionem recipi-
Gen. XXII, 18. entibus. Abrahæ enim promisit : In se- B
mine tuo benedicentur omnes gentes. Et
ita susceptio Judæorum quodammodo per-
tinet ad justitiam, propter præcedentem
promissionem. Susceptio vero gentium,
ad misericordiam maxime spectat. Pro-
pter quod subditur :
9 *Gentes autem*, id est gentiles conversos,
dico *super misericordia*, id est de pietate
et gratia sibi impensa, *honorare Deum*,
id est gratias agere Deo, eique servire,
Ps. XVII, 50. *sicut scriptum est* in Psalmo : *Propter*
* [Domine] *hoc confitebor tibi in gentibus* *. Verbum C
est Filii ad Patrem dicentis : Propter hoc
(quod in psalmo illo huic versiculo præ-
Ibid. 48. mittitur : Deus, qui das vindictas mihi,
et subdis populos sub me, etc.), confite-
bor tibi Deo Patri in gentibus, id est,
gentes faciam tibi confiteri confessione
laudis tuæ et culpæ suæ, quum per Apo-
stolos convertero eos ad fidem, *et nomini
tuo cantabo* per ora gentium conversa-
rum, et etiam per me ipsum secundum
quod homo sum. Ex hoc sequi videtur,
quod psalmus ille ad litteram de Christo D
loquatur. Apostolus enim per verba psal-
mi hujus probat gentes susceptas a Chri-
sto. Probatio vero non valet nisi per
sensum litteralem, ut Augustinus testa-
tur. Lyra tamen exponit psalmum illum
et verba hic allegata ad litteram de Da-
vid. Et utique, nisi psalmus esset excel-
lenter notabilis tanquam mysteriis Chri-
sti redundans, non toties inveniretur in
sacra Scriptura expressus. Non enim, ut
ceteri psalmi, communiter habetur in li-
bro Psalmorum, sed etiam secundo Re- II Reg. XXII, 2 et seq.
gum. Ideo exposui psalmum illum de
Christo loco suo.
Et iterum dicit de gentium susceptione 10
seu conversione, in Isaia, vel secundum Is. LXVI, 10.
Bedam, in cantico Deuteronomii, tamen Deut XXXII, 43.
secundum aliam translationem : *Lætami-
ni, gentes*, id est gentiles conversi, *cum
plebe ejus*, id est Judæis, qui erant po-
pulus peculiaris. Nostra translatio talis
est : Laudate, gentes, populum ejus. *Et* 11
iterum dicit Dominus per Prophetam in
Psalmo : *Laudate, omnes gentes* ad fidem Ps. CXVI, 1.
vocatæ, *Dominum, et magnificate*, id est,
magnifice honorate, et verbis ac factis
magnum esse ostendite, *eum, omnes po-
puli*, hoc est, duodecim tribus Israel. *Et* 12
rursus Isaias ait : Erit radix Jesse, et Is. XI, 10.
*qui exsurget regere gentes, in eum gen-
tes sperabunt*. Nostra translatio habet sic :
Radix Jesse, qui stat in signum populo-
rum, ipsum gentes deprecabuntur. Est
itaque sensus : *Erit radix Jesse*, id est
Christus de semine Jesse (seu Isai) patris
David descendens. Quamvis autem Chri-
stus de Jesse sit natus, et per hoc po-
sterior eo secundum naturam humanam,
est tamen radix illius, quia secundum
divinitatem est origo et fundamentum ip-
sius Jesse. *Et qui*, scilicet Christus, *ex-
surget*, procedendo in actum ; vel, Ex-
surget a mortuis ; *regere gentes*, id est
Ecclesiam ex gentibus congregatam, quam
regit per se ipsum, per angelorum cu-
stodiam, et per prælatos ; *in eum gentes
sperabunt*, tanquam in Salvatorem.
Deus autem spei, id est, in quo spe- 13
ramus, et a quo spes vera infunditur,
repleat vos in hac via inchoative, *omni
gaudio* spirituali, *et pace*, id est interna
tranquillitate, passionibus exstirpatis, *in
credendo* per fidem formatam. Ista enim
ex fide formata procedunt. Orat ergo Apo-
stolus, ut divina fideliter contemplando,
impleamur omni gaudio spirituali ac pa-
ce, considerando videlicet bonitatem et
beatitudinem Dei, beneficia quoque ip-
sius nobis exhibita et promissa. *Ut abun-*

detis in spe, id est in actu spei, certius
atque avidius exspectando felicitatem fu-
turam ex prælibatione ejus in hac vita.
Ex perceptione nempe præsentium mu-
nerum, certa fit exspectatio futurorum.
Et virtute, id est gratia, *Spiritus San-
cti;* vel, In virtute, id est efficacia bonæ
operationis Spiritus Sancti, id est, quæ
datur a Spiritu Sancto.
14 *Certus sum autem, fratres mei, et ego
ipse de vobis,* vel per revelationem divi-
nam, vel per operationem vestram quam
Matth. VII, 20. percepi : quemadmodum scriptum est, Ex
fructibus eorum cognoscetis eos ; *quoni-
am et ipsi pleni estis,* secundum condi-
tionem status vestri et exigentiam hujus
viæ, vel quantum requiritur ad salutem,
dilectione Dei et proximi. Non tamen sim-
pliciter plenus est aliquis viator dilecti-
one divina, quum nullus viator possit
perfecte implere præceptum caritatis di-
vinæ ; et durante vita præsenti, quilibet
potest in caritate proficere. Et estis *re-
pleti omni scientia* ad salutem necessa-
ria, non autem absolute omni scientia, *ita
ut possitis alterutrum monere,* id est vos
mutuo exhortari. Hoc dicit Apostolus, ne
videatur eis scribere quasi ignaris et im-
perfectis, et ut hac laude provocet eos
ad meliora. Verumtamen, quoniam a prin-
cipio hujus epistolæ declaravit discordi-
am, infirmitatem et imperfectionem Ro-
manorum, mirum videtur quomodo jam
dicat eos dilectione et omni scientia ple-
nos. Et respondendum, quod ista non
sunt ad eosdem referenda. Nam quidam
eorum valde perfecti erant, de quibus
jam loquitur ; alii imperfecti fuerunt,
quos superius increpavit et concordavit.
Consequenter excusat se de præsumpti-
15 one. *Audacius autem scripsi vobis, fra-
tres :* id est, quamvis, o Romani, ita per-
fecti sitis, ut dixi, tamen audacter ex
magna fiducia scripsi vobis præsentem
epistolam, *ex parte,* id est aliquibus ve-
strum, præcipue scilicet imperfectioribus,
qui magis informatione hac indigent; vel,
Ex parte, id est non plene, sed partim
ac breviter ; *tanquam in memoriam,* id
est ad actualem considerationem eorum
quæ habitualiter scitis, *vos reducens* et
excitans : scientibus enim legem loquor, Rom. VII, 1.
ut dixi superius. Scribo tamen vobis, ut
actualiter memores sitis eorum quæ scri-
bo. Unde Salomon : Da sapienti, inquit, Prov. IX, 9.
occasionem, et addetur ei sapientia ; doce
justum, et festinabit accipere. Cur autem
scripserit, subdit : *propter gratiam quæ
data est mihi a Deo,* id est propter apo-
stolatum, vel sapientiam mihi divinitus
præstitam, ad hoc, *ut sim minister Jesu* 16
Christi in gentibus, id est, Christo de-
serviam gentes instruendo, sicut ipse mi-
hi præcepit, sicque gratiam mihi colla-
tam vobis communicem ; *sanctificans,* id
est sanctum ostendens per divina mira-
cula, *Evangelium Dei,* id est evangelicam
doctrinam quam prædico, *ut fiat oblatio,*
id est servitus, *gentium :* vel oblatio qua
gentes se ipsas Domino offerunt; vel obla-
tio qua ego eas offero ; *accepta* Deo per
devotionem eorum, *et sanctificata,* id est
purgata a vitiis, *in Spiritu Sancto,* id
est virtute et gratia Spiritus Sancti.
Habeo igitur gloriam, id est, quum data 17
sit mihi gratia tanta, ideo habeo gloriam,
hoc est gloriationem internam, non va-
nam, sed veram, *in Christo Jesu,* id est
secundum voluntatem ipsius, *ad Deum,*
id est ad sanctæ Trinitatis honorem. Ex
consideratione enim beneficiorum sibi col-
latorum lætabatur Apostolus in Deo : quod
et nos imitari debemus. Vel, Habeo glo-
riam, id est meritum gloria dignum, seu
apostolicam auctoritatem.
Non enim audeo aliquid eorum loqui, 18
quæ per me non efficit Christus : id est,
nihil præsumo dicere, nisi quod a Chri-
sto percepi ; nihil doceo alios, quod ipse
non facio ; nec majora affirmo de me in
verbo vel facto, quam Christus operetur
per me, vel quæ ego efficio virtute Chri-
ti ; *in obedientiam gentium,* id est ad
hoc, ut gentes Evangelio Dei obediant.
Itaque, Non audeo aliquid loqui, quod
Christus non facit per me, *verbo* prædi-

19 cationis, *et factis* bonæ conversationis, *in*
virtute signorum, id est minorum mira-
culorum, *et prodigiorum,* id est miracu-
lorum majorum, factorum non arte ma-
gica, sed *in virtute Spiritus Sancti.* Hoc
dicit Apostolus contra pseudoapostolos, et
ut ceteris Apostolis qui cum Christo cor-
poraliter sunt conversati, probet se pa-
rem, non ob propriam laudem, sed ut
omnes suam doctrinam veram agnoscant,
diligentiusque intendant ac impleant. In
tantum ergo operatus est Christus per
Luc. xxiv, 47. me, *ita ut ab Jerusalem,* unde cœpit præ-
dicatio Apostolorum, *per circuitum,* id est
diversis locis et urbibus, *usque ad Illy-*
ricum mare, in fine Græciæ situm, *re-*
pleverim, id est, plene disseminaverim,
Evangelium Christi, id est, Evangelio Chri-
sti tot gentes impleverim, convertendo
eas ad evangelicam fidem. In quo admi-
randa potestas Spiritus Sancti apparet, qui
per unum virum, sine humano præsi-
dio, tantos populos, ad tam supernatura-
lem, arduam, et incomprehensibilem le-
gem convertit. Agnoscatur ergo operata
Divinitas, habeaturque semper fides cer-
tissima, tanquam a Deo firmata ac insi-
gnita.
20 *Sic autem* in illis locis *Evangelium*
hoc prædicavi, non ubi nominatus est
Christus, id est, non illis gentibus qui-
bus ab aliis prædicatus fuerat Christus,
ne super alienum fundamentum, id est
doctrinam ab aliis traditam, *ædificarem,*
id est, verbum spiritualis ædificationis
adjicerem. Et in hoc prædicatio Apostoli
comprobatur fuisse laboriosior et effica-
cior, quia materia non fuit disposita. *Sed*
Is. lii, 15. *sicut scriptum est* in Isaia : *Quoniam*
21 *quibus non est annuntiatum de eo,* id
est gentes, quibus non erat factus sermo
de Christo per Prophetas sicut Judæis,
videbunt Christum et opera ejus, oculo
fidei, per prædicationem apostolicam ; *et*
qui non audierunt prædicationem Evan-
gelii prius ab aliis Apostolis, *intelligent*
evangelica documenta per prædicationem
Pauli.

A *Propter quod,* id est propter occupa- 22
tionem meam in prædicando his genti-
bus, *et impediebar plurimum,* id est vehe-
menter et diu, *venire ad vos* Romanos, *et*
prohibitus sum, id est impeditus, vel a
Spiritu Sancto vetitus, *usque adhuc. Nunc* 23
vero ulterius locum, id est necessariam
causam manendi, seu locum convenien-
tem, *non habens in his regionibus* Græ-
ciæ, ubi præcipue prædicavi. Jam enim
competenter instructi et reformati fue-
runt ; erantque per civitates et loca or-
B dinati episcopi, presbyteri, atque diaconi,
qui suffecerant supplere vicem Apostoli.
Cupiditatem autem, id est desiderium ma-
gnum, *habens veniendi ad vos ex multis*
jam præcedentibus annis. Quoniam enim
Roma erat caput mundi, sciebat Aposto-
lus quod conversio Romanorum exem-
plaris et utilis esset toti mundo : ideo
pene a principio suæ conversionis opta-
vit prædicare Romanis. Nam et ideo ap- Act. xxv,
pellavit Cæsarem, quatenus occasionem 11.
haberet veniendi Romam.
C *Quum in Hispaniam proficisci cœpero,* 24
ut in ea evangelizem : optabat namque
Apostolus, etiam in occidente prædicare
Christum, sicut in orientalibus partibus
fecerat ; *spero quod præteriens,* id est,
per loca vestra velociter transiens Hispa-
niam versus, *videam vos,* id est, aliquanto
tempore apud vos ero. Non enim propo-
suit diu manere in Urbe, eo quod Petrum
sufficere sciret ad conversionem Romæ,
qui tunc cum suis discipulis Romæ se-
dit, et per loca Italiæ discipulos suos mi-
D sit. *Et a vobis* Romanis *deducar illuc,* id
est ad Hispaniam, quæ tunc erat Roma-
nis subjecta, *si vobis,* id est præsentia ve-
stra, *primum ex parte* temporis, id est
modico tempore, *fruitus,* id est delecta-
biliter usus, *fuero,* habendo aliquem fru-
ctum in vobis, et de vestro profectu læ-
tando. Frequenter sumit Apostolus, Frui,
communiter. Proprie autem, Frui, est
summo bono inhærere seu ultimo fini.
Nunc igitur proficiscar in Jerusalem 25
ministrare sanctis, id est eleemosynas

gentium deferre Ecclesiæ Jerosolymitarum
(quibus præfuit Jacobus). Qui ut omni-
Luc. xviii, 22. *Act.* ii, 45; iv, 34, 35. bus credentibus essent forma christianæ
perfectionis, vendiderunt omnia sua, et
in paupertate voluntaria Christo servie-
runt : pro quorum sustentatione Apostoli
erant solliciti. Petrus quoque et Joannes
commiserunt Paulo et Barnabæ, ut gentes
conversas inducerent ad mittendum elee-
Ibid. xi, 29, 30. mosynas Jerosolymitis : quod et diligenter
26 fecerunt. *Probaverunt enim,* id est, ope-
re ostenderunt et sponte acquieverunt,
Macedonia et Achaia, id est fideles ha-
rum terrarum, quæ sunt partes Græciæ.
Metropolis autem Macedoniæ, est Philippi
(unde dicuntur Philippenses), et Thessa-
lonica. Metropolis vero Achaiæ, est Corin-
thus. *Collectionem,* id est eleemosynarum
collationem ac dationem, *aliquam facere
in pauperes sanctorum,* id est ad sustenta-
tionem sanctorum pauperum, *qui sunt in
Jerusalem,* et erant ex Judaismo conver-
27 si. *Placuit enim eis* collationem hanc fa-
cere; *et debitores sunt eorum,* id est san-
ctorum in Jerusalem. *Nam si spiritualium
eorum participes facti sunt gentiles,* id
est, quoniam gentes conversæ spiritua-
lia bona, videlicet fidem, instructionem
et sacramenta Christi, a Judæis conver-
sis receperunt, mediate vel immediate,
debent, id est, tenentur debito neces-
sitatis, vel debito honestatis, imo utro-
que modo, *et in carnalibus ministrare
eis,* id est necessaria vitæ corporalis eis
præbere.

28 *Hoc ergo quum consummavero,* id est,
eleemosynas istas detulero in Jerusalem
ad prædictos sanctos, *et assignavero eis
fructum hunc,* id est collationem genti-
um eis missam, *proficiscar per vos in Hi-
spaniam.*

Quæritur, an Paulus prædicavit in Hi-
spania? Dicunt quidam, quod non ; sed
proposuit, non autem exsecutus est, super-
veniente impedimento. Unde quod nunc
dicit, Proficiscar in Hispaniam, intelligen-
dum est conditionaliter, scilicet, si Deus
permiserit, vel ita concesserit. Allegant
A autem pro se Decretum, distinctione 11,
Quis nesciat : ubi dicitur, quod de Apo-
stolis solus Petrus prædicavit in provin-
ciis, scilicet Italia, Gallia, Hispania, Africa
et Sicilia. Isidorus vero in libro de Ortu
et obitu Sanctorum, dicit oppositum, as-
serens Paulum in Hispania prædicasse.
Hieronymus quoque in libro de Viris il-
lustribus, dicit : Paulus in prima satis-
factione a Nerone dimissus, in partibus
occidentis prædicavit. — Ad Decretum au-
tem diversimode respondetur. Lyra vero
B respondet, quod Decreti intentio est, quod
nemo prædicavit in prædictis provinciis,
nisi Petrus, vel alii de ordinatione ac
missione ipsius. Sed huic non consonat,
quod Paulus sæpe testatur, sibi immine- *Rom.* i, 5; *Galat.* i, 16; ii, 8; II *Tim.* i, 11; etc.
re prædicationis officium in omnibus gen-
tibus, quantum fieri potuit, ratione sui
apostolatus, imo auctoritate sibi commis-
sa. Unde non indiguit ex ordinatione Petri
in Hispania prædicare, præsertim quum
proposuerit hoc facere, antequam venis-
set Romam ad Petrum. Constat etiam san-
C ctum apostolum Jacobum in Hispania præ-
dicasse. Nec potest negari quin Paulus
Romæ (quæ est caput Italiæ) prædicavit,
et per consequens in Italia. Scriptum est
enim in Actibus : Mansit autem biennio *Act.* xxviii, 30, 31.
toto in suo conducto, prædicans regnum
Dei, et docens quæ sunt de Domino Jesu
Christo, cum omni fiducia, sine prohi-
bitione. Melius ergo dici posse opinor,
quod Decretum ideo asserit solum Petrum
ex Apostolis in his prædicasse provinciis,
quoniam alii Apostoli, scilicet Paulus et
D Jacobus, non diu prædicaverunt in terris
præfatis.

Scio autem, id est, certe confido, vel 29
per revelationem agnosco, *quoniam veni-
ens ad vos, in abundantia benedictionis
Christi,* id est in magna plenitudine gra-
tiæ, *veniam,* ita quod meus adventus sit
vobis multum proficuus, et mihi ipsi non
parum meritorius.

Obsecro igitur vos, fratres, id est, per 30
rem sacram vos rogo, imo per Sanctum
Sanctorum, videlicet *per Dominum no-*

strum Jesum Christum, et per caritatem
Spiritus Sancti, quam nobis infudit Spi-
ritus Sanctus, *ut adjuvetis me in orati-*
onibus vestris pro me fusis *ad Deum,* id
est, orando Deum pro me, mihi subve-
31 niatis ; *ut liberer ab infidelibus,* id est
obstinatis Judæis, *qui sunt in Judæa,* ne
rapiant quod affero sanctis, *et obsequii*
mei oblatio, id est repræsentatio eleemo-
synarum quas porto secundum ministe-
rium mihi injunctum, *accepta,* id est pla-
cens et grata, *fiat in Jerusalem sanctis*
illic degentibus, quatenus affectum me-
32 um erga ipsos intelligant; *ut veniam ad*
A *vos in gaudio* spirituali, id est spiritua-
liter gaudens, negotiis meis salubriter ex-
peditis, *per voluntatem Dei,* id est divi-
na voluntate annuente ac operante, *et*
refrigerer vobiscum, id est, insimul re-
frigerium spiritualis consolationis habea-
mus, vobis ad concordiam revocatis, et
unoquoque nostrum de profectu alterius
gloriante.
Deus autem pacis dator et amator, *sit* 33
cum omnibus vobis, per gratiosam inha-
bitationem. Quamvis enim ubique sit, ta-
B men, ut Salomon ait, Longe est Dominus Prov. xv,
ab impiis. *Amen.* 29.

ARTICULUS XX

DECLARATIO CAPITULI SEXTIDECIMI ET ULTIMI : COMMENDO AUTEM VOBIS, ETC.

HUCUSQUE Apostolus instruxit Roma-
nos moraliter verbis prædicationis,
jam agit idem exemplo operis, proponens
1 eis personas imitatione dignissimas. *Com-*
mendo autem, id est, commendabilem di-
co, laudo, committo, *vobis Phœben soro-*
rem nostram spiritualem fide et religione,
quæ est in ministerio Ecclesiæ quæ est
Cenchris, id est, ministrat Ecclesiæ ex-
sistenti in loco qui dicitur Cenchræ. Cen-
chris autem est portus maris Corinthi.
Phœbe vero, mulier nobilissima erat atque
ditissima, et de suis facultatibus Ecclesi-
2 am illam nutrivit. *Ut eam suscipiatis in*
Domino, id est secundum voluntatem Dei,
et sicut Deus requirit, videlicet caritati-
ve, reverenter et pie, *digne sanctis,* id
est, prout decet recipi sanctos ; *et adsi-*
statis ei in quocumque negotio vestri in-
diguerit. Venit enim hæc mulier Romam
propter certa negotia sua : et forte in
curia Cæsaris habuit aliqua expedire, sic-
que indiguit auxilio Romanorum. Meruit
etiam ipsa, ut sibi subveniretur hoc mo-
do : *etenim ipsa quoque adstitit,* id est
subvenit, *multis* fidelibus, *et mihi ipsi.*
C In Ecclesia autem Romanorum erant qui-
dam de familia imperatoris, juxta illud,
Salutant vos qui sunt ex Cæsaris domo : Philipp. iv,
et isti præcipue poterant auxiliari fide- 22.
libus.
Salutate Priscam, et Aquilam virum 3
Priscæ. De quibus in Actibus habetur ; Act. xviii, 2.
ubi etiam Prisca hæc appellatur Priscil-
la. Et erant ambo valde eruditi in via
Domini : nam et Apollinem plenius in- Ibid. 26.
struxerunt. Veneruntque Romam ut con-
firmarent Romanos : quod secundum Glos-
D sam, intelligendum est de omnibus quos
hic salutat Apostolus, scilicet, quod ve-
nerunt Romam ad confirmandum Roma-
nos in fide et gratia. *Adjutores meos in*
Christo Jesu, id est in prædicatione Evan-
gelii Christi ; *qui pro anima mea,* id est 4
defensione vitæ meæ, *suas cervices sup-*
posuerunt, id est, se ipsos mortis peri-
culo exposuerunt. Debemus enim pro fra- I Joann. iii,
tribus animas ponere. *Quibus non solus* 16.
ego gratias ago pro beneficiis mihi im-
pensis, qui in Corintho in domo eorum Act. xviii, 3.

mansi, et operabar cum eis manibus pro- A
priis ; *sed et cunctæ Ecclesiæ gentium*
gratias agunt, quoniam mihi gentium Apo-
stolo taliter adstiterunt. Salutate quoque
5 *et domesticam eorum ecclesiam,* id est eo-
rum familiam, vel congregationem fide-
lium in domo eorum exsistentem.
Salutate Ephænetum dilectum mihi, id
est familiarem, *qui est primitivus Asiæ*
in Christo, id est ex Asia primo conver-
sus, ac regeneratus in Christo : et sic
erat aliis exemplar credulitatis seu fidei.
6 *Salutate Mariam, quæ multum laboravit* B
in vobis, id est pro vobis concordandis.
Nuntiavit enim Apostolo discordiam Ro-
7 manorum. *Salutate Andronicum et Juli-*
am, cognatos et concaptivos meos, id est,
de tribu mea exsistentes, qui interdum
capti fuerunt pro fide, et multa perpes-
si, ut ego : *qui sunt nobiles* nobilitate san-
ctissimæ conversationis, *in Apostolis.* Se-
cundum Origenem, hi duo viri erant de
numero septuaginta discipulorum, quo-
rum aliqui (ut Silas) nominantur aposto-
li. Sic et isti dicuntur nobiles in Aposto- C
lis, id est inter Apostolos, quia apostoli
dicti sunt ratione discipulatus et validæ
prædicationis. *Qui et ante me fuerunt in*
8 *Christo* per fidem. *Salutate Ampliatum*
11 *dilectissimum mihi in Domino.... Sa-*
lutate eos qui sunt ex Narcissi domo, id
est, ad ejus familiam pertinent. Narcis-
sus iste, ut dicitur, presbyter fuit, et cir-
13 cumeundo confirmabat fideles. *Salutate*
Rufum electum ad sacerdotium, *et ma-*
trem ejus carnalem *et meam* spiritualem.
Propter præcipuam hujus feminæ san- D
ctitatem, nominat eam matrem. Cetera
patent.
16 *Salutate invicem in osculo sancto,* spi-
rituali, caritativo, quod sit veræ concor-
diæ et internæ dilectionis indicium, non
in osculo carnali, impudico, adulatorio,
II *Reg.* xv, 5. simulatorio, aut proditorio. Absalon oscu-
Ibid. xx, 9. labatur populum adulatorie ; Joab Ama-
Matth. xxvi, 49. sam, simulatorie ; Judas Christum, pro-
ditorie. Erat quippe in primitiva Ecclesia
consuetudo recipiendi ac salutandi fide-

les cum osculo oris. Tunc enim arsit spi-
ritualis dilectio, nec erat periculum de
carnalitatis mixtura, ut modo.
Rogo autem vos, fratres, ut observetis, 17
id est, notetis et discernatis ab aliis, *eos*
qui dissensiones, id est discordias et con-
trarias opiniones circa fidei veritatem, *et*
offendicula, id est scandala, *præter,* id
est contra, *doctrinam* evangelicam *quam*
vos didicistis a Christi discipulis, *faci-*
unt, inducendo vos ad mutuam offensio-
nem ac dissensionem, *et declinate ab eis,*
non solum mente, sed etiam corporali
recessu, si fieri potest, ne pervertamini
cum perversis. *Hujusmodi enim* perver- 18
si, *Christo Domino nostro non serviunt,*
qui talia vitia suis servis prohibuit, *sed*
suo ventri, quem quærunt implere, quum
sint gulosi ; *et per dulces sermones,* id est
verba composita atque placentia, *et bene-*
dictiones, id est falsas laudationes, *sedu-*
cunt corda innocentium, id est inexper-
torum et incircumspectorum : qui in se
boni sunt, sine dolo et felle, putantque
alios tales esse quales ipsi sunt, ideo ci-
to credunt et falluntur. Unde in Prover-
biis scriptum est : Innocens credit omni *Prov.* xiv,
verbo ; astutus considerat gressus suos. 15.
Debetis autem, o Romani, ab his decli-
nare : *Vestra enim obedientia,* qua veræ 19
fidei et apostolicæ traditioni paretis, *in*
omnem locum, id est per omnes Eccle-
sias, *divulgata est.* Quoniam enim Ro-
mani monarchiam tenebant, quotidie erat
confluxus extraneorum ad Romam, qui
redeuntes ad sua, divulgabant facta Ro-
manorum : et ita fideles venientes Ro-
mam, quum vidissent gratiam Romanorum,
revertentes nuntiaverunt ceteris Christi-
anis fidem et opera eorum, sicque alii
animabantur, et confortabantur in fide.
Propterea error Romanorum magis omni-
bus nocuisset, quam aliorum.
Gaudeo igitur in vobis, in considera-
tione gratiæ vobis concessæ, et congratu-
lor vobis. *Sed volo vos sapientes esse in*
bono, id est in cognitione et operatione
eorum quæ bona sunt, ut discernatis pre-

tiosum a vili, virtutem a vitio, verum a
falso, *et simplices,* id est ignaros et in-
expertos, *in malo,* ut nec operando ex-
periamini, nec approbando sciatis, nec
20 studiose discatis quæ mala sunt. *Deus au-
tem pacis conteret,* id est dejiciet, *Sata-
nam,* id est diabolum (de quo legitur in
Job I, 12. Job, Dixit Dominus ad Satan ; et in Za-
Zach. III, 2. charia, Increpet Dominus in te, Satan),
sub pedibus, id est affectibus, *vestris ve-
lociter.* De quibus pedibus in Canticis
Cant. V, 3. scribitur : Lavi pedes meos, quomodo in-
Ps. XXXV, 12. quinabo eos? et in Psalmo, Non veniat
mihi pes superbiæ. Hoc est : Dominus
dabit vobis virtutem resistendi diabolo,
eumque vincendi. Propter quod ait Sal-
Luc. X, 19. vator : Ecce dedi vobis potestatem cal-
candi supra omnem virtutem inimici, et
nihil vobis nocebit. Itemque in Psalmo :
Ps. XC, 13. Super aspidem et basiliscum ambulabis.
*Gratia Domini nostri Jesu Christi vo-
biscum.*
21 *Salutat vos Timotheus, adjutor meus*
in cultura vineæ Christi, Ephesiorum epi-
scopus : cum quo, secundum Hierony-
mum, misit Apostolus istam epistolam.
Alii dicunt quod prædicta Phœbes detu-
lit eam. Et puto quod utrisque commisit
hanc bajulationem, ut si quid uni in via
occurreret impedimenti, alter negotium
expediret. *Et Lucius.* Quidam dicit, Et
Lucas, exponitque de Luca evangelista ;
sed nec textus correctus, nec Glossa sic
habet. *Et Jason, et Sosipater,* qui sunt
22 *cognati mei* secundum carnem. *Saluto vos
ego Tertius,* id est taliter nominatus, *qui
scripsi epistolam* hanc *in Domino,* id est
ad Dei honorem, tanquam notarius Apo-
stoli, de cujus licentia ego nominatus vos
saluto, et nomen meum hic exprimo, ad
23 perpetuam rei memoriam. *Salutat vos Ca-
ius hospes meus* jam in civitate Corinthi,
unde mitto præsentem epistolam. Iste Ca-
ius erat Corinthiorum episcopus : ad quem
III *Joann.* 5, 6. scribit Joannes apostolus tertiam suam Ca-
nonicam, laudans eum de virtute hospi-
talitatis. Unde et Paulus in domo ejus
manere solebat. *Et universa Ecclesia* Caii

A hujus. *Salutat vos Erastus archarius** *ci-
vitatis* Atheniensium, secundum Glossam.
Dicitur autem archarius, ab ἀρχός, quod
est princeps ; vel ab *arca,* quoniam præ-
erat arcæ, custodiens eam, in qua pone-
bantur vectigalia et tributa. *Et Quartus
frater.* Quartus, proprium nomen est, sic-
ut et Tertius, eratque frater religione, non
natione.

Gratia Domini nostri Jesu Christi cum 24
omnibus vobis. Amen. Ex ardenti amore
resumit Apostolus quod prædixit de præ-
B sentia gratiæ Christi.

Ei autem, videlicet Deo Trinitati, *qui* 25
potens est vos confirmare in omni bono,
juxta evangelium meum, id est secun-
dum prædicationem meam, *et prædicati-
onem Jesu Christi,* a cujus prædicatione
evangelium meum non dissonat : prædi-
cationem (inquam) Christi factam *secun-
dum revelationem mysterii,* id est in ma-
nifestatione divini secreti de incarnatione
Christi et redemptione generis humani,
vel secundum quod revelatum est mihi
C de isto mysterio : mysterii, dico, *tempo-
ribus æternis taciti,* id est ab æterno in
Deo absconditi. Tempora autem æterna
Apostolus dicit durationem præcedentem
hunc mundum, quæ aliud nihil est nisi
æternitas : quam exprimit Apostolus per
Æterna tempora, quia non potest appre-
hendi a nobis, nisi per comparationem
ad tempus infinitum. Unde et ad Titum
dicit : Ante tempora sæcularia. *Quod my-* *Tit.* I, 2.
sterium nunc, tempore novæ legis, in 26
Christi adventu, *patefactum est* mundo
D *per scripturas Prophetarum* ab ipso Chri-
sto declaratas. Qui, ut apud Lucam legi-
tur, aperuit illis sensum, ut intelligerent *Luc.* XXIV, 45.
Scripturas. Et iterum, promisit Apostolis :
Quum venerit ille Spiritus veritatis, doce- *Joann.* XVI, 13.
bit vos omnem veritatem. Tunc namque
apparuerunt fontes aquarum, et revela- *Ps.* XVII, 16.
ta sunt fundamenta orbis terrarum. Quod
totum factum est *secundum præceptum
æterni Dei.* Christus enim secundum for-
mam servi, erat minister Trinitatis in hac
revelatione. Propter quod ait : Sicut man- *Joann.* XIV, 31.

* alias *arcarius*

datum dedit mihi Pater, sic facio. Et fa-
cta est revelatio ista *ad obeditionem fi-
dei in cunctis gentibus,* id est, ut omnes
gentes obediant fidei, credendo et ope-
rando. Mysterii, dico, *cogniti* plenarie at-
27 que perfecte *soli sapienti Deo,* id est Deo
Trinitati, qui solus est sapiens per es-
sentiam : cujus tanta est sapientia, ut
comparatione ipsius, omnis sapientia cre-
ata pro nihilo reputetur, sicut in com-

A paratione divinæ puritatis, cœli dicuntur immundi, et comparatione aliorum, solus dicitur esse. Patefacti autem *per Jesum Christum,* ut dictum est, *cui* sit *honor,* id est debita exhibitio reverentiæ, *et gloria**, id est clara cum laude notitia, vel vera lætitia : ita ut honor sit ei a nobis, gloria autem in se. Ipse enim est cum Patre et Spiritu Sancto super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

Job xv, 15.

*[*in sæcula sæculorum. Amen.*]

ENARRATIO
IN EPISTOLAM I BEATI PAULI
AD CORINTHIOS

PRÆFATIO

VERBA *sapientium* sunt *sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi.* Eccle. XII, 11.

Quemadmodum, juxta documenta magni atque divini Dionysii, in cœlesti hierarchia, superiorum angelorum est inferiores purgare, illuminare et perficere; inferiorum vero angelorum est a superioribus purgari, illuminari ac perfici (purgantur autem non utique a culpa, quum non sit in eis aliqua macula, sed a dissimilitudine seu luminis minoratione) : sic in ecclesiastica hierarchia, doctorum ac prælatorum officium est inferiores purgare, illuminare, perficere; inferiorum vero est a superioribus purgari, illuminari ac perfici. Purgantur vero homines non solum a dissimilitudine, sed etiam a peccatis ; illuminantur autem, ut veritatem cognoscant ; perficiuntur quoque, dum in Dei amore proficiunt. Quum ergo sapientes vitiosos et negligentes efficaciter arguunt, verba eorum sunt quasi stimuli, quoniam corda dura pungunt, penetrant et impellunt. Propter quod per Jeremiam Dominus loqui- *Hebr.* IV, 12.
tur : Numquid non verba mea sunt quasi malleus conterens petram? Sermo quippe *Jer.* XXIII, 29.
divinus eradicat, abscindit et ejicit de cordibus nostris spinas et tribulos vitiorum ac passionum : sicque circumscindit et polit animam nostram, ut capax sit illustrationis internæ et perfectionis divinæ. Et quantum ad hoc, verba sapientium sunt quasi clavi in altum defixi.

Itaque verba sapientissimi nostri doctoris, magistrique gentium, divinissimi et gloriosissimi Pauli, in ea quæ jam exponenda restat epistola, sunt quasi stimuli : quia Corinthios de multis excessibus fortiter increpat, bonos vero commendat, et secundum diversam dispositionem eorum quibus scribit, diversimode loquitur, nunc exhortando, nunc blandiendo, nunc collaudando, nunc arguendo.

Porro Corinthus est metropolis Achaiæ, quæ est pars Græciæ : unde Corinthii dicuntur Achaici. Hi ab Apostolo instructi et conversi fuerunt, sed post ejus recessum variis modis subversi sunt a philosophis et Judæis. Quo cognito, Apostolus exsistens in Epheso, scribit eis præsentem epistolam, mittens eam per Timotheum : in qua revocat eos ad evangelicæ fidei veritatem, et christianæ justitiæ puritatem.

ENARRATIO

IN EPISTOLAM I BEATI PAULI

AD CORINTHIOS

ARTICULUS PRIMUS

EXPOSITIO CAPITULI PRIMI : PAULUS VOCATUS APOSTOLUS, ETC.

MORE solito, juxta consuetudinem scri- A
bendi epistolas seu litteras missivas,
Apostolus in hujus epistolæ exordio no-
men suum præmittit, et alterius secum
scribentis, sicque procedit ad salutatio-
nem, narrationem et conclusionem, ut fi-
1 eri solet. Et ait : *Paulus vocatus*, id est
ex divina prædestinatione assumptus et
factus, vel a Deo electus, *apostolus Jesu
Christi per voluntatem Dei*, id est a vo-
luntate divina, tanquam a causa princi-
pali ac libera. Hoc dicit Apostolus, ut
ostendat eos Deo resistere, qui suo apo- B
stolatui contradicunt ; et etiam, ut de-
monstret quod ipse non injecit se ipsum,
Hebr. v, 4. nec sibi assumpsit honorem, ut illi de
Jer. xxiii, 21. quibus Dominus ait : Ego non mittebam
Osee viii, 4. eos, et ipsi currebant; et rursum, Prin-
cipes exstiterunt, et non cognovi.

Quæri potest, cur Paulus humillimus, in
ista epistola, quum nomen suum comme-
morasset, statim adjecerit nomina eximiæ
dignitatis, non solitæ humilitatis, dicens,
Apostolus, non, Servus, *Jesu Christi :* et
hoc, *per voluntatem Dei*, quasi impium C
sit aliter opinari. Et respondendum, quod
virtus discretionis id exigit in prælato,

ut ita se habeat verbis et factis circa sub-
jectos, sicut eorum saluti expediens est.
Oportet autem prælatum a subditis time- I *Petr.* ii, 17, 18.
ri, amari ac honorari. Quum ergo subje-
cti ita se habent circa prælatum, non est
prælato necesse ut verbis seu factis aucto-
ritatem suam ostendat. Quum vero contem-
nitur, ostendere debet collatæ potestatis
auctoritatem, quatenus subditis timorem
reverentiamque nominis sui incutiat. Apo-
stolus autem Corinthiis viluit, quia ut as-
serit Glossa, contempto Paulo apostolo, de
sapientibus hujus sæculi se jactitabant,
quorum vana eloquentia sapientiaque ter-
rena delectabantur. Idcirco Apostolus, ut
eorum præsumptionem argueret, eos quo-
que ad suæ personæ reverentiam incli-
naret, quum dixisset, Paulus, mox addi-
dit, Apostolus, etc. Quod totum factum
est, non ad propriam laudem, sed pro-
pter illorum salutem.

Et Sosthenes frater. Hunc Sosthenem
associat sibi Paulus, quia pro Corinthio-
rum correctione multum sollicitus fuit,
et eos, ut dicitur, apud Apostolum ac-
cusavit. Unde nunc dicitur, Sosthenes
frater, ad insinuandum quod accusa-

tio illa prodiit ex fraterna caritate, non A
aliunde.
Itaque, ego Paulus, et Sosthenes frater
spiritualis, scribimus (solus tamen Pau-
lus dictavit, Sosthenes vero consentien-
2 do conscripsit) *Ecclesiæ Dei,* id est con-
gregationi fidelium, *quæ est Corinthi,* id
est in civitate Corinthia, utpote *sanctifi-
catis,* id est a vitiis emundatis in sacra-
mento Baptismi ac Pœnitentiæ, *in Christo
Jesu,* id est in virtute et gratia Salvatoris,
vocatis sanctis, id est a Deo ad sanctitatem
adductis atque electis, *cum omnibus qui* B
invocant, id est, ex intimo cordis affe-
ctu implorant, *nomen Domini nostri Jesu
Christi, in omni loco ipsorum,* id est ubi-
cumque in provincia Corinthiorum, *et no-
stro,* id est loco nobis primum concesso.
Hic enim locus Paulo commissus est, ut
habitatores ejus converteret. Et quum Deus
ubique sit, non solum in templo mate-
riali, sed ubique invocandus est, quatenus
Joann. IV, 23. veri adoratores adorent eum in spiritu
et veritate : quia nec contemplatio, ne-
que oratio exigit locum, aut loci deter- C
minationem ex necessitate, sed ex qua-
dam decentia. Unde sicut contemplationi
Beatorum deputatur cœlum empyreum ex
congruentia, sic ecclesia materialis de-
putatur orationi fidelium ex congruentia
quadam. Sed sicut angelus ubicumque fu-
erit extra cœlum empyreum, incessabili-
ter Deum contemplatur ; ita fidelis ubi-
cumque fuerit, nomen Christi invocare
debet. Et sumitur hic nomen pro re no-
minata.
3 Consequenter salutatio ponitur : *Gra-* D
Rom. I, 5. *tia* gratum faciens (de qua in expositione
primi capituli epistolæ ad Romanos di-
ctum est plenius) detur et semper insit
vobis Corinthiis, *et pax,* id est quies men-
tis a vitiorum inordinato impulsu, *a Deo
Patre nostro* per gratiam adoptionis, qui
est Pater Christi per realem relationem
ac relativam proprietatem, et Pater Chri-
sti per æternam ac naturalem generatio-
nem, *et* a *Domino Jesu Christo* Filio Pa-
tris, qui secundum divinam naturam est
una et eadem causa efficiens gratiæ et
pacis cum Patre. Quæcumque enim facit Joann. V, 19.
Pater, hæc et Filius similiter facit. Secun-
dum naturam vero assumptam, est causa
gratiæ et ceterorum donorum gratuitorum
instrumentalis ac meritoria. Patre autem
et Filio nominatis, datur intelligi Spiri-
tus Sanctus, qui est amor, nexus et ger-
men amborum. Totius superfelicissimæ
Trinitatis indivisa est operatio foris trans-
iens, sicut et trium Personarum est una
natura et una potestas.
Quoniam vero inter Corinthios erant ali-
qui boni laude digni, Apostolus primo
agit de bonis, et pro beneficiis Dei eis
collatis gratias agit, et ait : *Gratias ago* 4
verbis, factis, atque affectibus, *Deo meo :*
qui licet sit omnium Deus, tanto tamen
specialius ac singularius est Deus unius-
cujusque ipsum colentis, quanto ab eo
devotius colitur ardentiusque amatur. Un-
de et princeps theologorum Dionysius, in
libris suis vix dicere audens, Deus meus,
sic dicit : Deus, et si fas est dicere, meus.
Propterea non quorumlibet, sed perfecto-
rum ferventer amantium est dicere, Deus
meus. Fortiter tamen proficientes, ex qua-
dam humili confidentia dicere possunt,
Deus meus ; alii passim non dicant, Deus
meus, nisi in persona Christi hominis,
vel Ecclesiæ seu perfectorum. Itaque, Gra-
tias ago Deo meo, a cujus amore nulla Rom. VIII, 38, 39.
creatura me potest avellere, *semper,* id est
omni hora convenienti ac debita : juxta
quem modum jubemur semper orare ; *pro* Luc. XVIII, 1.
vobis, quorum imperfectum supplere de-
sidero, eo quod diligam vos tanquam me
ipsum, *in gratia Dei quæ data est vo-
bis,* id est pro omnibus donis superna-
turalibus, vobis divinitus condonatis, *in
Christo Jesu,* id est per Christum medi-
atorem, seu merito ejus, per quem omnia
dona divina nobis præstantur.
Quia in omnibus spiritualibus divitiis 5
divites facti estis in illo, id est, per Chri-
stum abundatis in omni gratia Dei, se-
cundum conditionem et statum hujus fra-
gilis vitæ, videlicet, quia in his quæ ad

salutem requiruntur, abundatis. Secun-
Ps. xxxiii, 10. dum quem sensum ait Psalmista : Nihil
deest timentibus eum. Vel ideo dicuntur
in omnibus divites facti, quoniam spiri-
tualia bona quæ nondum sortiti sunt in
re, jam habent in spe. Has autem divi-
tias explicat Apostolus in speciali. *In om-*
ni verbo evangelicæ prædicationis. Hoc
dicit Apostolus, vel quia donum lingua-
rum receperunt, ita ut omnibus linguis
loquerentur. In primitiva enim Ecclesia,
Act. xix, 6. per impositionem manuum Apostolorum
dabatur baptizatis donum linguarum. Vel,
In omni verbo, id est in omni modo do-
cendi. *Et in omni scientia* vera ad salu-
tem necessaria, videlicet in intellectu Scri-
6 pturarum sanctarum. *Sicut testimonium*
Christi confirmatum est in vobis : id est,
eo modo divites facti estis in his, sicut,
id est prout, testimonium Christi confir-
matum est in vobis, id est, promissio seu
contestatio qua Christus testatus est se
ditaturum suos fideles, in vobis impleta
Joann. vii, 38, 39. est. Ipse enim prædixit : Qui credit in
me, flumina de ventre ejus fluent aquæ
vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem
accepturi erant credentes in eum. Et ali-
Ibid. xiv, 13, 14. bi : Quidquid petieritis Patrem in nomine
meo, hoc faciam.
7 *Ita ut nihil vobis desit in ulla gratia*
necessaria ad salutem ; vel, quia omnia
dona ad gratiam gratum facientem per-
tinentia habetis, et in aliis gratiis, sci-
licet gratis datis, notabiliter abundatis.
Virtutes enim et dona Spiritus Sancti ita
connexa sunt, ut habens unum, cetera
quoque aliqualiter habeat. Non tamen ita
perfecti fuerunt, quin potuerunt profice-
Ibid. xv, 2. re perfectioresque fieri, juxta illud : Om-
nem qui fert fructum, purgabit eum Pa-
ter, ut fructum plus afferat. Itaque, nihil
gratiæ deest vobis *exspectantibus revela-*
tionem, id est manifestam apparitionem,
Domini nostri Jesu Christi in die judi-
Is. xl, 5; Luc. iii, 6. cii, quando juxta Isaiam prophetam, vi-
debit omnis caro Salutare Dei nostri. De
Apoc. i, 7. qua revelatione scriptum est : Ecce venit
cum nubibus, et videbit eum omnis ocu-

A lus, et qui eum pupugerunt. Vel, Reve-
lationem Christi, id est claram visionem
ejus in patria : quæ visio est tota mer-
ces. De qua ait in Evangelio : Qui diligit Joann. xiv, 21.
me, diligetur a Patre meo ; et ego dili-
gam eum, et manifestabo ei me ipsum.
Qui et confirmabit vos, ut pie confido 8
(verbum est bonæ spei, non absolutæ as-
sertionis, nisi forte ex revelatione divi-
na), *usque in finem* vitæ præsentis inclu-
sive, *sine crimine,* id est mortali peccato,
ita quod gratiam perseverantiæ conferet
B vobis, ne peccetis mortaliter, sed in gra-
tia decedatis : ad hoc, ut sine peccato
appareatis *in die adventus Domini nostri*
Jesu Christi, id est in die judicii. Vel,
adventus Christi, intelligitur spiritualis
ejus adventus, quo quotidie venit per
gratiam ad electos (prout ipse Christus
profitetur : Ad eum veniemus et man- Ibid. 23.
sionem apud eum faciemus; et alibi, Ego Apoc. iii, 20.
sto ad ostium et pulso) ; vel, visitatio
ejus qua visitat unumquemque in morte.
Unde ait : Vigilate, quia nescitis qua ho- Matth. xxiv, 42.
C ra Dominus vester venturus sit. De hoc
adventu comminatur quodam loco cui-
que negligenti : Si non vigilaveris, ve- Apoc. iii, 3.
niam ad te tanquam fur, et nescies qua
hora veniam. Sed et Jacobus dicit : Pa- Jacob. v, 7.
tientes estote usque ad adventum Domi-
ni, id est usque ad mortem. Unde sub-
jungitur ibidem : Ecce judex ante januam Ibid. 9.
adsistit. Quandocumque autem confirma-
mur a Deo, Christus spiritualiter venit
ad nos.
Fidelis Deus, non a fide, sed a fideli- 9
D tate quam conservat ad suos, cum qui-
bus fideliter agit, secundum quod caritas
dictat. Vel, Fidelis Deus, id est verax in
promissis, juxta illud in Psalmo : Fidelis Ps. cxliv, 13.
Dominus in omnibus verbis suis. *Per*
quem, id est a quo, *vocati estis* per in-
spirationem internam ac prædicationem
apostolicam, *in societatem,* id est ad com-
munionem et participationem, gratiæ et
gloriæ *Filii ejus Domini nostri Jesu Chri-*
sti. De plenitudine siquidem ejus accepi- Joann. i, 16.
mus omnes. Prædestinavit enim nos con- Rom. viii, 29.

formes fieri imaginis Filii sui, ut alio A
loco dictum est. Ecce quanta gratia et
benevolentia Dei sancti et benedicti, qui
non solum vocavit nos ad consortium
Apostolorum et angelorum, sed unigeniti
Joann. I, 12. Filii sui. Quotquot enim receperunt eum,
dedit eis potestatem filios Dei fieri. Ideo
II Petr. I, 4. scriptum est : Maxima et pretiosa nobis
promissa donavit, ut per hæc efficiamini
I Joann. I, 3. divinæ consortes naturæ ; et alibi, Societas
nostra sit cum Patre et Filio ejus
Jesu Christo. Ineffabilis prorsus nobilitas,
societatem habere cum Deo ; et summa B
miseria, propter temporales delicias
ac transitoria bona vilissima atque caduca,
societatem hanc deiformem amittere.
I Tim. IV, 14. Non ergo negligamus gratiam Dei quæ
data est nobis ; sed carnem domemus, affectum
purgemus, cœlestibus infatigabiliter
intendamus.

Hucusque laudavit Apostolus perfectos ;
jam alios hortatur ad perfectionem illorum.
10 *Obsecro autem,* id est, per rem
sacram, imo per Sanctum Sanctorum rogo,
vos, fratres, videlicet *per nomen Domini* C
nostri Jesu Christi : ut id ipsum,
id est unum et idem secundum Dei voluntatem,
dicatis omnes, sicut faciunt quos
jam laudavi, *et non sint in vobis schismata,*
id est divisiones atque discordiæ.
Osee X, 2. Scriptum enim est : Divisum est cor eorum,
nunc interibunt. Sed videtur contrarium
his, quod Dominus ait per alium
Joel II, 13. Prophetam : Scindite corda vestra, et non
vestimenta vestra. Et respondendum, quod
loquitur de spirituali cordis circumcisione
et apertione, qua cor antea durum D
aperitur verbo Dei, et recipit illud. *Sitis
autem perfecti,* id est perfecte seu omnino
concordes, *in eodem sensu,* id est
in cognitione practica, ut idem agatis, *et
in eadem scientia,* id est in cognitione
speculativa, ut idem credatis ac sapiatis.
Duæ enim sunt partes legis divinæ, videlicet
testimonia, et præcepta. Testimonia
pertinent ad credenda, præcepta vero
ad operanda. Vult ergo Apostolus, ut in
horum utroque conformes sint.

Hæc hortor et obsecro : *Significatum* 11
*est enim mihi de vobis, o fratres mei,
ab his qui sunt Chloes,* id est, qui habitant
in loco qui dicitur Chloes, vel in
domo religiosæ feminæ Chloes vocatæ :
quorum unus fuerat Sosthenes, jam prædictus.
Secundum quosdam, Chloes est
nomen loci prope Corinthum ; secundum
alios vero, est nomen mulieris devotæ
in cujus domo multi fideles manebant.
Isti doluerunt de contentione ac schismate
Corinthiorum, dixeruntque Paulo quod
subditur : *quia contentiones sunt inter
vos :* sicut subjungitur.

Hoc autem dico, id est refero, *quod* 12
unusquisque vestrum dicit. Percepi enim
verba vestra in propria forma, et ideo
omnium vestrum verba jam enarro. Alius
enim e vobis dicit : *Ego quidem sum
Pauli,* id est, ad Paulum pertineo tanquam
filius et discipulus ejus, quia ab
eo baptizatus seu doctus sum. Alius dicit :
Ego autem sum *Apollo,* id est discipulus
ejus. Iste est Apollo, vir eloquens Act. XVIII, 24.
et potens in Scripturis, sicut in Actibus
legitur : qui ut dicitur, erat Corinthiorum
episcopus. Alius dicit : *Ego vero
Cephæ,* id est, ego ad Petrum pertineo.
Alius dicit : *Ego autem Christi* sum, tanquam
ejus servus atque discipulus. Qui
ita dixerunt, non erraverunt ut alii. Contentio
autem Corinthiorum fuit ex hoc,
quod putabant sacramentum Baptismatis
aliquid virtutis habere ex meritis ministri,
et ita baptizatus ab uno, prætulit
se baptizato ab alio, prout unus ministrorum
excellentior exstitit alio. Quilibet
etiam nominavit se ab illo a quo fuerat
baptizatus : sicque unus dicebat, Ego
sum Pauli.

Hi erraverunt, quia Baptismus non habet
efficaciam nisi merito Christi tanquam
a causa meritoria, qui tactu suæ
mundissimæ carnis, vim regenerativam
contulit aquis. Unde de latere Christi morientis
dicuntur omnia sacramenta fluxisse,
quoniam virtute passionis dominicæ
operantur. Christus vero ut Deus, seu

tota beatissima Trinitas, est causa effe- A
ctiva et principalis virtutis Baptismi, quo-
niam solus Deus intus baptizat, peccata
lavando seu abluendo, et gratiam infun-
dendo, sine cujus infusione nemo justi-
ficatur, neque peccatum dimittitur. Unde
Joann. I, 33. quodam loco de Christo habetur : Super
quem videris Spiritum descendentem et
manentem super eum, ipse est qui ba-
ptizat in Spiritu Sancto. Et alibi ait idem
Matth. III, 11. Joannes Baptista : Ipse baptizabit vos
Spiritu Sancto et igni. Unde ut legitur,
ad vitandum prædictum Corinthiorum er- B
rorem, Ecclesia Græcorum mutavit for-
mam Baptismi, dicendo : Baptizetur servus
Jesu Christi.

Ad ostendendum ergo errorem Corin-
13 thiorum, quærit Apostolus : *Divisus est*
Christus ? id est, numquid Christus in
corpore suo mystico hujuscemodi divisi-
onem admittit et approbat, ut unus dica-
tur Pauli, alius Cephæ, et non potius
omnes sint Christi, et ab ipso Christiani
vocentur? Quasi dicat, Non. Christus enim
Joann. XVII, 11. ait : Pater sancte, serva eos in nomine C
tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum,
sicut et nos. Vel sic : Divisus est Chri-
stus? id est, numquid Christus diversi-
mode se habet ad suos ministros bapti-
stas, aliter operando in Baptismo unius
quam alterius? *Numquid Paulus cruci-*
fixus est pro vobis, aut in nomine Pauli
baptizati estis? id est, quum nec Paulus
nec aliquis alius, præter Christum, pro
vestra salute sit passus, nec in nomine
Pauli vel alterius, sed in nomine Christi
baptizati sitis, constat quod non plus va- D
let Baptismus ministratus ab uno mini-
stro Christi quam ab alio : quoniam vir-
tus Baptismi, est ab ipso qui pro mundi
salute occisus est, et in cujus nomine ad-
ministratur : hic vero Christus est. Quam-
Matth. XXVIII, 19. vis autem Christus dixerit, Euntes, docete
omnes gentes, baptizantes eos in nomine
Patris et Filii et Spiritus Sancti, Apostoli
tamen in primitiva Ecclesia, ex familiari
consilio seu instinctu Spiritus Sancti, vi-
delicet ut nomen Christi magis celebre

fieret, quod a Judæis jugiter blasphema-
batur, baptizaverunt in nomine Christi.
Unde Petrus disseruit : Baptizetur, in- *Act.* II, 38.
quiens, unusquisque vestrum in nomine
Jesu Christi. Hoc tamen fecerunt, secun-
dum quod in nomine Christi, tota super-
sancta Trinitas intelligitur, videlicet Pa-
ter ungens, et Spiritus Sanctus, qui est
unctio.

Gratias ago Deo meo, quod neminem 14
vestrum baptizavi nisi Crispum et Ca-
ium. Iste videtur esse Crispus archisy-
nagogus, qui, ut in Actibus legitur, cre- *Ibid.* XVIII, 8.
didit Domino. Caius quoque iste forsitan
est, de quo ad Romanos dixit Aposto- *Rom.* XVI, 23.
lus, Salutat vos Caius hospes meus : cui,
ut ibidem dictum est, Joannes tertiam
suam misit epistolam; eratque Corinthio-
rum episcopus. Itaque, Gratias ago, quod
neminem vestrum baptizavi præter hos
paucos : qui etiam non sunt de vestra
contentione, quum sint viri perfecti : non
quia baptizare sit actus malus, sed *ne* 15
quis dicat, quod in nomine meo baptizati
sitis, id est, ne actus bonus a me factus,
esset vobis occasio mali. Ex quo eluce-
scit, quod interdum ab aliquibus bonis
operibus ex caritate cessandum sit, ut
aliorum culpa seu scandalum devitetur.
Baptizavi autem et Stephanæ domum, 16
id est illius devotæ matronæ familiam,
forte simul cum ea : quæ etiam non con-
tendit vobiscum. *Ceterum nescio si quem*
alium vestrum baptizavi. Et quia Apo-
stolus bonæ memoriæ erat, probabile est
quod non baptizavit nisi prædictos tam
paucos. Cujus ratio subditur.

Non enim misit me Christus baptiza- 17
re, id est principaliter ad baptizandum,
quum hoc ab inferioribus et parum doctis
fieri possit tam perfecte sicut a perfecti-
oribus, *sed evangelizare,* id est Evange-
lium prædicare : quod non potuit per-
fecte fieri nisi a valde perfectis atque
doctissimis. Non tamen est sic intelligen-
dum quod nunc dixit Apostolus, Non mi-
sit me Christus baptizare, quasi ipse et
alii Apostoli nequaquam missi sint ba-

Matth. xxviii, 19. ptizare, quum dicat eis Salvator, Docete A
omnes gentes, baptizantes eos ; sed hoc
ideo dicitur, quia Apostoli non sunt prin-
cipaliter missi ad baptizandum, videlicet
ne baptizando retardarentur a prædica-
tione. Ideoque, quemadmodum Christus
per se ipsum docuit, et per discipulos
Joann. iv, 1, 2. baptizavit, ut patet apud Joannem ; sic
et Apostoli verbo prædicationis instabant,
et per discipulos suos frequentius bapti-
zabant, interdum vero [per se,] necessitate
aut magna ratione exigente baptizationis.

Itaque, Misit me Christus evangelizare, B
non in sapientia verbi, id est non in
sapientia naturali, seu philosophica, ver-
bis ornata atque verbosa, quæ compara-
tione divinæ sapientiæ potius est sapientia
nominalis, quam realis, *ut non evacue-
tur,* id est, incredibilis aut inutilis re-
putetur, *crux Christi,* id est fides pas-
sionis dominicæ. Naturali enim rationi
visum est impossibile, incredibile atque
inutile, ut Deus pateretur : ideo Aposto-
lus fidem crucis Christi non prædicavit
in sapientia verbi. Vel sic : Ut non eva- C
cuetur crux Christi, id est, ne fides Chri-
sti videatur humanæ rationi inniti, et per
consequens, faciliter posse reprobari. De-
nique christiana doctrina non indiget cul-
tu et pompa verborum, ne videatur ex
humanæ subtilitatis calliditate procedere,
non ex veritate. Ibi enim compositio ser-
monis exquiritur, ubi ipsa se veritas non
commendat.

18 *Verbum enim,* id est fides et prædica-
tio, *crucis* Christi, *pereuntibus quidem,*
id est mundi hujus sapientibus et repro- D
bis, *stultitia est,* id est, stulta et irri-
denda videtur : sicut de Græcis refert
Dionysius, quod audita prædicatione fi-
dei christianæ, lato ore riserunt. *His au-
tem qui salvi fiunt, id est nobis,* puta
electis, *virtus Dei est,* id est potens ef-
fectus divinæ potentiæ, per quem obti-
nemus gratiam et gloriam, victoriam quo-
que contra insidias hostis, juxta illud :
1 *Joann.* v, 4, 5. Hæc est victoria quæ vincit mundum,
fides nostra : quis enim est qui vincit
mundum, nisi qui credit quoniam Jesus
est Filius Dei ?

Quod autem verbum crucis pereunti-
bus, scilicet prudentibus hujus sæculi,
stultitia sit, probat Apostolus. *Scriptum* 19
est enim in Isaia : *Perdam,* id est, dam- *Is.* xxix, 14.
nabo ego Dominus Deus, *sapientiam sa-
pientium,* id est sapientiam eorum qui
se ipsos sapientes reputant in divinis, vi-
delicet in naturali notitia divinorum, sic-
ut philosophi ; *et prudentiam prudenti-
um,* id est falsam prudentiam impiorum,
qui in rebus humanis astuti et callidi
sunt ut faciant mala, *reprobabo,* id est,
a prædicatoribus sanctis excludam, et eam
in judicio condemnabo, quia non fuit
subjecta simplicitati fidei sanctæ. Hinc
enim ait Salvator : Confiteor tibi, Pater, *Matth.* xi, 25.
Domine cœli et terræ, quia abscondisti
hæc a sapientibus et prudentibus, et re-
velasti ea parvulis. Nostra translatio ha-
bet sic : Peribit sapientia a sapientibus,
et intellectus prudentium abscondetur.
Ubi sapiens hujus mundi, quantum ad 20
divina naturaliter nota ? *ubi scriba,* id est
doctor moralis in lege peritus ? *ubi con-
quisitor hujus sæculi,* id est investigator
rerum mundanarum ac naturalium arti-
um ? Tanquam dicat : Ecce quam subito
omnes isti perierunt, eo quod veram ac
christianam sapientiam non receperunt.
Hæc verba ex Isaia sumpta sunt, sic di-
cente : Ubi est litteratus ? ubi verba le- *Is.* xxxiii, 18.
gis ponderans ? ubi doctor parvulorum ?
Nonne stultam fecit, id est, vanam et
falsam ostendit, *Deus sapientiam hujus
mundi,* asserendo quod illa negat, vide-
licet articulos fidei, et agendo quod illa
impossibile reputat, utpote opera super-
naturalia ad fidei confirmationem, quum
tamen naturalis sapientia dicat ea non
posse fieri quæ naturalem entium cur-
sum excedunt ?

Nam quia in Dei sapientia, id est se- 21
cundum Deum, seu divino judicio, *non
cognovit mundus,* id est homo quilibet
mundum inhabitans, *per sapientiam* na-
turalem, *Deum ; placuit Deo per stulti-*

tiam prædicationis, id est per prædicati-
onem evangelicam, quam mundus fatuam
reputavit, *salvos facere credentes,* id est
electos, convertendo eos ad fidem et grati-
am per Apostolorum prædicationem. Mun-
dus utique aliquo modo cognovit Deum
per sapientiam naturalem. Dictum est
Rom. I, 20. enim ad Romanos : Invisibilia Dei, per
ea quæ facta sunt, a creatura mundi con-
spiciuntur; sempiterna quoque virtus ejus
et divinitas. Nec dubium quin philoso-
phi multa vera atque subtilia de divinis
conscripserint. Sed quoniam ista cognitio
Dei erat sine fide et opere meritorio, in-
formis fuit, et Deo inaccepta. Idcirco, Non
cognovit mundus Deum per sapientiam
humanam, in sapientia Dei, id est secun-
dum Deum seu acceptionem divinam. Pro-
I *Joann.* II, 4. pter quod ait Joannes : Qui dicit se nosse
Deum, et mandata ejus non custodit, men-
Luc. XIII, 25; *Matth.* XXV, 12, 11; VII, 22, 23. dax est. Et Salvator ad impios : Nescio,
inquit, vos ; cognitionem qua dicitis mi-
hi, Domine, Domine, non approbo. Po-
test quoque per sapientiam Dei intelligi
æterna Sapientia incarnata : in qua mun-
dus Deum non cognovit, quia nec eam
Joann. XVII, 25. *Ibid.* I, 5. cognovit. Propter quod Filius ait : Pater
juste, mundus te non cognovit. Lux quip-
pe in tenebris lucet, et tenebræ eam non
comprehenderunt.

Itaque, Non cognovit mundus per sa-
pientiam Deum cognitione formata ac sa-
22 lutari. Cujus signum vel ratio est : *Quo-
niam et Judæi signa petunt,* id est, ea
Matth. XII, 38; XVI, 1; *Luc.* XI, 16; etc. quæ ipsis dicuntur, per signum aliquod
divinæ virtutis quærunt confirmari, ut
sciant illud esse a Deo per experientiam
alicujus miraculi : quod sæpe illicitum
est, et ad tentationem Dei pertinet. Uni-
cuique enim sufficere debet assertio Dei.
Quoniam autem Judæi primo legem re-
ceperunt in monte Sinai cum ingenti glo-
ria miraculorum divinorum, assueti erant
Joann. II, 18. *Gen.* XV, 8; *Judic.* VI, 17. IV *Reg.* XX, 8. *Luc.* I, 18. petere signum quum aliquid magni di-
cebatur. Unde et Christo dicebant : Quod
signum ostendis nobis? Sic Abraham, Ge-
deon, Ezechias et alii multi Judæorum
signa petierunt; sicut et Zacharias pater

A Joannis. *Et Græci,* præsertim philosophi,
et multi gentilium, *sapientiam* naturalem
quærunt, id est, per rationes naturales et
demonstrativas volunt sibi probari quod
dicitur. Assueti sunt enim argumentati-
onibus humanis insistere. Nullus ergo is-
torum per sapientiam suam Deum novit
salubriter, quantum ad ea quæ concer-
nunt salutem.

Nos autem Apostoli *prædicamus Chri-* 23
*stum crucifixum : Judæis quidem scan-
dalum,* id est confusionem et ignominiæ
B causam. Hoc enim ad maximam Judæo-
rum confusionem pertinet, quod aperte
docemus eos Christum in lege promis-
sum, Dei unigenitum Filium, occidisse :
quod est eis æternæ ignominiæ causa. Vel
dicitur Christus Judæis scandalum, quo-
niam fuit eis, et adhuc est, occasio ru-
endi in culpam et pœnam. Nam, ut Evan-
gelistæ testantur, sæpe scandalizabantur
in eo. Propter quod dixit : Beatus est qui *Matth.* XI, 6.
non fuerit scandalizatus in me. *Gentibus
autem,* id est infidelibus, *stultitiam.* Nam
C stultum putabant quod evangelizabatur
de Christo, videlicet, quod Deus æternus
factus esset homo temporalis, quod im-
passibilis esset mortuus, immensus in ute-
ro clausus, immutabilis de novo incar-
natus, quod virgo peperisset. Hæc omnia
fabulosa putabant, quoniam non potue-
runt videre, nec credere voluerunt, in una
Persona duas perfectas esse naturas, di-
vinam atque humanam, salvis utriusque
naturalibus proprietatibus.

Ipsis autem vocatis, id est ad fidem 24
D gratiamque electis, *Judæis atque Græcis,*
id est gentilibus, ex quibus tanquam du- *Ephes.* II, 14, 20.
obus parietibus, in Christo lapide angu-
lari concurrentibus, constructa est sancta
Ecclesia. His ergo prædicamus *Christum
Dei virtutem, et Dei sapientiam,* id est,
hoc eis affirmamus, quod Christus sit vir-
tus ac sapientia Patris. Ipse enim est vir-
tus et manus et brachium Patris, per
quem facta sunt omnia. De quo Isaias : *Joann.* I, 3.
Paravit, inquit, Dominus brachium san- *Is.* LII, 10.
ctum suum in oculis omnium gentium.

Præterea, secundum utramque naturam dicitur Christus virtus et sapientia Patris. Secundum divinam enim naturam est virtus Patris, quia per ipsum omnia fa-
Ps. xxxii, 6. cta sunt, juxta illud, Verbo Domini cœli firmati sunt ; et quia potentia Patris perfecte atque plenissime relucet in Filio : in hoc namque quod Pater genuit Filium sibi consubstantialem, coæternum et coæqualem, apparet infinita potentia Patris. Dicitur quoque sapientia Patris, quum sit verbum mentis paternæ : quoniam enim ab intellectu Patris procedit, ea quæ ad intellectum pertinent, appropriata vel pro-
Joann. xiv, 6. pria sunt Filio : ideo dicitur veritas et sapientia Patris. Et etiam, quia sapientia Patris in ipso plene relucet : est enim Filius perfecta expressio sapientiæ Patris, conceptus et dictio intellectus paterni. — Secundum humanam quoque naturam vocatur virtus et sapientia Patris, propter maximam participationem atque præcipuam relucentiam divinæ virtutis ac sapientiæ in ipso Dei et hominum mediatore. Nam ipse secundum humanam naturam passus est, et toti mundo æternam vitam promeruit, et dæmonem stravit, infernum confregit, cœlos aperuit. Sapientia vero Dei in Christi incarnatione, passione et mundi salvatione, ineffabiliter manifestatur : ut scilicet per Dei incarnationem homo deificaretur, per illius humiliationem homo exaltaretur, per illius occisionem homo vivificaretur, per illius indebitas pœnas homo a debitis pœnis solveretur, per illius caritatem homo repa-
Sap. ii, 24. raretur, qui per diaboli invidiam perditus fuit. Nec potuit peccati enormitas, divinæ caritatis ardor, divinæ justitiæ magnitudo, æternæ beatitudinis dignitas, infernalis pœnæ acerbitas, humanæ naturæ nobilitas, divinæ pietatis immensitas, subtilius, evidentius aut speciosius declarari, nisi ut ipsemet Deus, Dei unigenitus Filius, hominem per suam incarnationem ac mortem redimeret. Longum esset hæc prosequi : ideo legentis contemplationi istorum pleniorem considerationem committo. Ut enim B. Thomas in Summa contra gentiles testatur, quanto homo devotus ac pius incarnationem Dei humilius et affectuosius pensat, tanto plures sibi rationes occurrunt hujus supersanctissimæ incarnationis, quæ sapientibus et prudentibus in propriis oculis absconduntur. — Postremo, sciendum quod Christus secundum neutram naturam dicitur virtus et sapientia Patris formaliter, quasi Pater non esset potens et sapiens nisi per Filium. Imo Pater in se ipso potens et sapiens est, vel potius virtus et sapientia, sicut et Spiritus Sanctus. Quomodo enim generaret Filium potentem ac sapientem, si ipse in se ipso potens non esset ac sapiens ? Quælibet ergo divina Persona, quum sit absolute perfecta, est virtus infinita, et sapientia vere immensa ; et omnes simul sunt una virtus et una sapientia absolute accepta.

Quod autem in Christo reluceat virtus
et sapientia Dei, declarat Apostolus. *Quia* 25
quod stultum est Dei, id est quod sapientibus sæculi videtur insipienter dici de Deo, videlicet incarnari, mori et sepeliri, *sapientius est hominibus,* id est, magis sapientiale, seu sapientialius factum est, quam homo excogitare valeat vel intelligere ; *et quod infirmum est Dei,* id est, ad infirmitatem et imperfectionem Dei spectare videtur, puta laborare, fatigari, occidi, *fortius est hominibus,* id est efficacius ad salvandum, quam capere possit homo, omnemque humanam fortitudinem superat, quia cœlestia vincunt terrena. Efficacia namque et meritum passionis, laboris, totiusque conversationis Christi, ratione unitæ Deitatis, quodammodo infinita consistunt. Hæc autem sic se habere, patet in prædicatoribus evangelicæ legis, et in conversis per eos ad fidem. Ideo subditur :

Videte, id est, diligenter perpendite, 26
vocationem vestram activam et passivam, *fratres,* id est a quibus vocati estis ad fidem, et quales vos qui conversi estis, sitis ; *quia non multi sapientes secundum*

carnem, id est secundum humanam sa-
pientiam, *non multi potentes* subjectorum
multitudine, seu lata dominatione, *non
multi nobiles* carnis origine, quantum ad
proximos parentes, sunt inter vos. Hoc
intelligi potest, tam de prædicatoribus,
quam de Corinthiis conversis. Apostoli
enim et alii primi discipuli, pro majori
Act. iv, 13. parte illitterati, simplices, pauperesque
fuerunt. Tales enim elegit Deus in præ-
dicatores et Apostolos, ne promulgatio fi-
dei adscriberetur humanæ astutiæ atque
potentiæ. Et ne attribueretur omnino sim-
plicitati et ignorantiæ, voluit Deus quos-
dam paucos habere prædicatores littera-
tos, potentes ac nobiles : quales fuerunt
Paulus iste, Nathanael, Manahen, Barna-
bas, etc. Et similiter illi qui primo con-
versi fuerunt, pro magna parte simplices,
ignobiles et impotentes fuerunt.
27 *Sed quæ stulta sunt mundi,* id est illit-
teratos, quos mundus stultos putavit, *elegit
Deus,* scilicet Apostolos et alios plures,
ut confundat sapientes sæculi hujus, id
est, eos vere insipientes ostendat, abs-
condendo eis divina mysteria. Per Apo-
stolos quoque victa, in nihilumque re-
dacta est horum vana sapientia, sicut et
Luc. xxi, 15. prædixit : Ego dabo vobis os et sapien-
tiam, cui non poterunt resistere et con-
tradicere omnes adversarii vestri. *Et in-
firma mundi,* id est homines impotentes,
elegit Deus, ut confundat fortia, id est
potentes, dum isti impotentes per humi-
litatem salvantur, potentes vero cum sua
28 præsumptione damnantur. *Et ignobilia
mundi et contemptibilia,* id est homi-
nes ignobiles, a mundo contemptos, *ele-
git Deus* ab æterno, id est, tales præde-
stinavit ad vitam, *et ea quæ non sunt,* id
est, qui nihil reputabantur, *ut ea quæ
sunt destrueret,* id est, illos qui magni
habentur in mundo et aliquid esse se pu-
tant, humiliaret, præferendo eis abjectos
29 et inopes. *Ut non glorietur omnis caro
in conspectu ejus,* id est, ne aliquis ho-
mo glorietur inaniter in conspectu divi-
no, aliquid boni adscribendo sibimetipsi,
quasi sua sapientia, potentia seu nobili-
tate salvatus sit.
Ex ipso autem, id est dono et gratia 30
Dei, *vos estis* per fidem et opera bona,
in Christo Jesu capite nostro, *qui factus
est nobis sapientia a Deo,* id est, datus et
missus est nobis a Patre, ut nos illumi-
naret. Ipse enim est lux illuminans om- Joann. i, 9.
nem hominem. De quo scriptum est :
Tempus requirendi Dominum, quum ve- Osee x, 12.
nerit qui docebit vos justitiam; et alibi,
Exsultate in Domino, quia dedit vobis Joel ii, 23.
doctorem justitiæ. Ad Christum quoque
Pater ait per Isaiam : Dedi te in lucem Is. xlix, 6.
gentium. Factus est nobis quoque Chri-
stus *justitia,* id est causa justitiæ, satis-
faciendo pro nobis per viam justitiæ, et
suo merito nos justificans. Propter quod
et dictum est Romanis : Sicut per unius Rom. v, 19.
inobedientiam peccatores constituti sunt
multi, ita per unius obedientiam justi
constituentur multi. *Et sanctificatio,* quo-
niam in Baptismo mundavit nos ab omni
inquinamento, deinde in Pœnitentiæ sa-
cramento ; *et redemptio,* quia patiendo
pro nobis, redemit nos. Totum igitur bo-
num est, dependet ac fluit a Christo, *ut* 31
quemadmodum scriptum est per Jeremi-
am prophetam, *Qui gloriatur, in Domino* Jer. ix, 23, 24.
glorietur, non in se ipso ; nec in aliquo
bono sibi concesso, ibi sistendo, nec in
rebus caducis vane exsultet, sed solum
in Domino, laudando, regratiando, con-
templando, diligendo, et bene vivendo.
Sic enim in Jeremia legitur : Non glorie- Ibidem.
tur sapiens in sapientia sua, et non glo-
rietur fortis in fortitudine sua, et non
glorietur dives in divitiis suis ; sed in
hoc glorietur qui gloriatur, scire et nos-
se me. Sic gloriabatur Virgo Christifera :
Exsultavit, inquiens, spiritus meus in Deo Luc. i, 47.
salutari meo. Et Habacuc propheta : Ego Habac. iii, 18.
autem in Domino gaudebo, et exsultabo
in Deo salutari meo.

ARTICULUS II

EXPOSITIO CAPITULI SECUNDI : ET EGO, QUUM VENISSEM AD VOS, FRATRES.

DESCRIPTO convenienti modo prædi-
cationis evangelicæ, nunc declarat
Apostolus se usum fuisse hoc modo, et
1 ait : *Et ego, quum venissem ad vos,*
o Corinthii, *fratres* mei, ad prædicandum
vobis Evangelium Christi, *veni,* id est,
vos accessi atque affatus sum, *non in su-*
blimitate sermonis, id est non verbis al-
tis, difficilibus et ornatis, *aut sapientiæ,*
id est non in altitudine naturalis philo-
sophiæ, *annuntians vobis testimonium*
Christi, id est ea quæ de Christo cre-
denda sunt. De quibus habetur in Psal-
Ps. xcii, 5. mo : Testimonia tua credibilia facta sunt.
2 *Non enim judicavi,* id est, non æstimavi
nec manifestavi, *me scire,* quantum ad
usum scientiæ exteriorem, *aliquid inter*
vos minus capaces, *nisi Jesum Christum,*
et hunc crucifixum, id est nisi ea quæ
ad humilitatem, imitationem et passio-
nem pertinent Christi : quia sublimia de
divinitate ipsius, et profunda ejus my-
steria vobis non prædicavi. Per hoc re-
prehenduntur præsumptuosi et scioli, qui
ubique optant suam scientiam demon-
strari, et stili decorem ac sententiarum
profunditatem proponunt, ut docti pu-
tentur.
3 *Et ego in infirmitate,* id est in infirmi-
I Cor. ix, 22. tatis similitudine, qua factus sum infir-
mis infirmus, proportionando fortitudinem
perfectionis meæ capacitati eorum, et con-
formando me vobis, quantum fieri po-
tuit ; *et timore* cordis, non propter mala
mihi imminentia (non enim timui eos
Matth. x, 28. qui corpus occidunt, nec timui Deum of-
fendere mortaliter, sciens me confirma-
tum in bono), sed propter pericula im-
minentia vobis nondum perfectis : timui
enim ne a diabolo, mundo et propriis
A concupiscentiis falleremini ; *et tremore*
multo corporis, procedente ex timore men-
tis (in tantum enim timui corde, ut pas-
sio timoris redundaret in membris, et
faceret ea tremere) ; *fui apud vos.*
Et sermo meus factus quibusdam seor- 4
sum, *et prædicatio mea* omnibus vobis
palam proposita, *non* fuit *in persuasibi-*
libus humanæ sapientiæ verbis, id est
non in argumentatione dialectica verbo-
rum decore ornata, seu persuasione hu-
mana, quasi per talia principaliter vellem
B vos ad credendum inducere, seu fidem
probare ; *sed* fuit *in ostensione spiritus,*
id est in manifestatione operum Spiritus
Sancti, *et* declaratione *virtutis* miraculo-
rum. Hoc dicit, vel quia credentes per
prædicationem ipsius receperunt Spiritum
Sanctum in signo sensibili, sicut in pri- Act. ii, 1-4; iv, 31; x, 44; etc.
mitiva Ecclesia sæpe fiebat ; vel, quia Spi-
ritus Sanctus per gratiam specialem atque
miracula ostendit prædicationem Pauli es-
se salubrem, et fidem catholicam robora-
vit. Ideo subditur : *ut fides vestra non* 5
C *sit in sapientia hominum,* id est, non
innitatur humanæ rationi, nec putetur ab
hominibus excogitata et ficta. Errant er-
go qui fidem naturalibus rationibus de-
monstrari posse affirmant. *Sed in virtute*
Dei, id est, divina potestate stabiliatur
per certa miracula, sicque æternæ veri-
tati innitatur ut fundamento.
Sapientiam autem, id est cognitionem 6
sublimem rerum divinarum, profunda
mysteria fidei, et ea quæ Christi divini-
tatem concernunt : quam sapientiam in-
D ter vos loqui non possumus, propter im-
perfectionem et incapacitatem vestram ;
loquimur inter perfectos, id est inter
sapientes, per modum collationis ; vel, In-

ter perfectos seu capaces auditores, per
Hebr. v, 14. modum instructionis. Perfectorum namque est solidus cibus. *Sapientiam vero non hujus sæculi,* id est non sæcularem sapientiam humana ratione suffultam, *neque principum hujus sæculi,* id est nec sapientiam fallacem a dæmonibus acquisitam, vel a philosophis seu terrenis principibus traditam, loquimur : *qui principes destruuntur,* id est, cum omni sua
Baruch iii, 19. sapientia pereunt et damnantur.

7 *Sed loquimur,* id est prædicamus, *Dei*
I Cor. i, 24. *sapientiam,* id est Christum, qui est virtus et sapientia Patris, *in mysterio,* id est in sacro secreto seu sacramento incarnationis, docendo hanc sapientiam in-
Joann. i, 14. effabiliter incarnatam, juxta illud, Verbum caro factum est; vel, In mysterio, id est, explanando mysteria ejus, quibus in veteri Testamento præsignata est. Vel, Loquimur eam in mysterio, id est sub quodam
I Cor. xiii, 12. occulto velamine : nunc enim videmus per speculum in ænigmate. *Quæ abscondita est,* id est ignota filiis hujus sæculi. Vel hoc ideo dicitur, quia perfecte comprehendi non potest. *Quam prædestinavit,* id est, ordinavit ac præparavit, *Deus* Pater *ante sæcula,* id est ab æterno, *in gloriam nostram,* id est ad hoc, ut per eam consequamur vitam gloriosam, beatitudinemque æternam. Ideo enim decrevit eam incarnari, ut glorificemur per ipsam. Unde in Proverbiis ait hæc Sa-
Prov. viii, 23. pientia : Ab æterno ordinata sum, et ex antiquis, antequam terra fieret. Disposuit eam Pater ut ipsa sit objectum beatitudinis nostræ, et ita præparavit eam nobis, quibus et se ipsum præparavit ut eum feliciter possideamus.

8 *Quam sapientiam* æternam et incarnatam, *nemo,* id est nullus, *principum hujus sæculi,* id est dæmonum vel legisperitorum seu philosophorum, *cognovit* cognitione certa ac stabili. Quomodo autem principes et dæmones cognoverunt Christum in mundo conversantem, et quo-
In Rom. art. xiv in fine. modo non, in expositione epistolæ ad Romanos, articulo quartodecimo, diligenter

A tractatum est : idcirco nunc transeo. Sed videtur, quod istud non possit exponi de principibus seu legisperitis Judæorum : de illis quippe scriptum est, Ex principi- Joann. xii, 42.
bus multi crediderunt in eum. Et respondendum, quod licet multi eorum crediderint, tamen comparatione incredulorum paucissimi erant. Potest etiam dici, quod non permanserunt stabiles in credendo, maxime tempore passionis. *Si enim cognovissent* principes isti Christum cognitione certa, *nunquam Dominum gloriæ,*
B id est Christum, Deum verum, et Dominum majestatis, *crucifixissent.* Si enim dæmones cognovissent, certe nequaquam suggessissent ad mortem illius, a quo moriente noverunt se vincendos ac spoliandos. Similiter, si principes Judæorum cognovissent, non procurassent a Pilato mortem Christi. Per hoc autem quod Christus vocatur hic Dominus gloriæ, manifeste probatur quod sit verus Deus, quoniam nulla creatura pura habet dominium gloriæ, sed solam participationem sub-
C jectam.

Quod vero ista sapientia nobis ab æterno parata, sit abscondita, et principibus hujus mundi ignota, probat Apostolus au-
ctoritate Scripturæ. *Sed sicut scriptum* 9
est per Prophetam : *Quod oculus* corporalis, imo et spiritualis, *non vidit,* id est, perfecte non cognovit, *nec auris,* scilicet corporalis seu spiritualis, *audivit* ab homine puro, *nec in cor hominis ascendit,* id est, a corde humano cogitari seu concipi nequit, imo nec ab affectu
D hominis capi potest, *quæ præparavit Deus his qui diligunt illum,* id est præmium illud æternum amatoribus Dei paratum, videlicet sapientiam increatam, Divinitatis fruitionem, et cetera bona electis præstanda : quæ utique omnem notitiam et affectum hominis inæstimabiliter superant, nec aliquo modo sciuntur nisi per revelationem divinam. Ideo subditur :

Nobis autem, videlicet Apostolis et Pro- 10
phetis, *revelavit Deus per Spiritum suum,* id est per Spiritum Sanctum, qui

corda nostra omni sapientia copiose per- A
fudit. Possit enim aliquis dicere Paulo :
Si bona ista sunt invisibilia, inaudibilia
et inexcogitabilia, quomodo tu nosti ea?
Et respondet Apostolus, quod non per se
ipsum, neque perfecte per speciem noscit
jam ea, sed per illuminationem Spiritus
I Cor. XIII, 12. Sancti, in fide seu per speculum in æni-
gmate. Sciendum quoque, quod Aposto-
lus hoc loco magis allegat sensum quam
verba Isaiæ. Sic enim ibi scriptum est :
Is. LXIV, 4. Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ
præparasti exspectantibus te. Nec potest B
dici, quod Apostolus alleget scripturam
hanc secundum translationem Septuagin-
ta interpretum. Illa namque non habet
scripturam hanc, sicut Hieronymus sæpe
testatur. Quod autem Spiritus Sanctus po-
tuit nobis ista revelare, patet per hoc :
Spiritus enim omnia scrutatur, id est,
Spiritus Sanctus universa cognoscit, non
solum creata, sed *etiam profunda Dei,*
id est divina secreta, seu incomprehensi-
bilia quæ soli Deo sunt cognita, videlicet
divinam essentiam, divinam sapientiam, C
et quidquid in Deo est. Et hoc probat
Apostolus per simile.

11 *Quis enim scit hominum quæ sunt ho-
minis, nisi spiritus hominis qui in ipso
est?* id est, sicut nemo scit affectus et
cogitationes atque secreta alterius, nisi
anima ejus, non alter, nec anima alte-
rius ; *ita et quæ Dei sunt,* id est divina
secreta, et quæ in Deo sunt, *nemo,* id est
nullus, *cognovit, nisi Spiritus Dei,* id est
Spiritus Sanctus, et cui ipse revelat. Per
hoc non excipitur Filius a cognitione di- D
vinorum, sed nec Spiritus Sanctus ab is-
ta cognitione excipitur quum Filius ait :
Matth. XI, 27. Nemo novit Filium nisi Pater, neque Pa-
trem quis novit nisi Filius, et cui voluerit
Filius revelare. Tanta quippe est divina-
rum Personarum connexio, ut una expres-
sa, alia detur intelligi, nisi in his quæ
relative dicuntur.

Ex his verbis Apostoli probatur quod
Spiritus Sanctus sit verus Deus, dupli-
citer : Primo, quoniam perfecte cogno-
scit divina seu Deum : quod utique nulli
creato intellectui convenit ; imo in in-
finitum deficit a plena comprehensione *Rom.* XI,
Dei. Secundo, quia Apostolus ponit simi- 33, 34.
le de spiritu hominis, qui ideo noscit
quæ hominis sunt, quoniam intimus et
consubstantialis est homini. Ergo et Spi-
ritus Dei cognoscens quæ Dei sunt, in-
timus et consubstantialis est Deo : quod
creaturæ non convenit.

Nos autem non spiritum hujus mundi, 12
id est non animum sæcularem, non affe-
ctum inflantem, non spiritum pythonicum
conjecturaliter divinantem, *accepimus, sed
Spiritum qui ex Deo est,* id est Spiritum
Sanctum ex Patre et Filio tanquam ex
uno fonte procedentem, *ut sciamus quæ
a Deo donata sunt nobis,* id est, benefi-
cia divina cognoscamus, et grati simus,
gloriemurque in Domino, non in nobis.
Utile ergo est ut homo diligenter consi-
deret gratiam et misericordiam Dei sibi
concessam, imo universa beneficia Dei,
naturalia et supernaturalia, communia et
specialia, exhibita et promissa : quatenus
ex hoc in Dei amore accendatur, Deo
promptius famuletur, gratiasque agendo
mereatur non solum conservari in bono,
sed quotidie donis amplioribus adimple-
ri. Habenti enim dabitur, ei vero qui non *Matth.* XXV,
habet, id est ingrato, et quod videtur ha- 29.
bere, auferetur ab eo. Unde Virgo Dei-
fera, hunc Spiritum habens, agnovit quæ
a Deo donata fuerant sibi, quum dixit :
Beatam me dicent omnes generationes, *Luc.* I, 48,
quia fecit mihi magna qui potens est, et 49.
sanctum nomen ejus. Et Psalmista : Be- *Ps.* CII, 2.
nedic, anima mea, Domino, et noli obli-
visci omnes retributiones ejus ; itemque :
Quid retribuam Domino pro omnibus quæ *Ps.* CXV, 12.
retribuit mihi?

Quæ beneficia nobis a Deo collata, *lo-* 13
quimur, id est, aliis enuntiamus, *non in
doctis humanæ sapientiæ verbis,* id est
non stilo rhetorico atque pompatico, *sed
in doctrina Spiritus,* id est secundum do-
ctrinam nobis a Spiritu Sancto infusam,
loquendo humili simplicique sermone, et

vera scientia, *spiritualibus* auditoribus *spiritualia* documenta *comparantes,* id est, proportionaliter dantes seu proponentes, videlicet secundum capacitatem ipsorum. Inter tales enim sapientiam loquimur : quam inter imperfectos non loquimur, quoniam capere nequeunt. Unde subjungitur :

14 *Animalis autem homo,* id est carnalis et vitiosus, cujus affectus et intellectus in sensibilibus detinentur, *non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei,* id est spiritualia bona. Sermo enim justitiæ, mysticus intellectus, cetera quoque divina ei non sapiunt, nec delectatur in eis, propter sui interioris gustus infectionem : sicut febricitans non gustat mellis dulcedinem, propter exterioris sui gustus corruptionem. Imo etiam quamvis sit homo in gratia, tamen si nondum profecit in bonis, sed adhuc partim inclinatur ad ista terrena, non sapit quæ Dei sunt. Nam
Marc. VIII, 33. et Petro dixit Salvator : Vade retro me, satana ; non sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum. *Stultitia enim est illi,* id est, prædicta spiritualia et divina videntur homini animali stulta et vana : quem-
Eccli. I, 26. admodum in Ecclesiastico dicitur, Exsecratio peccatori sapientia ; *et non potest intelligere* per internum saporem ista divina, quamdiu permanet talis, *quia spiritualiter examinatur,* id est, per spiritualem inquisitionem seu considerationem cognoscitur esse animalis : ideo scitur non posse intelligere illa. Vel, Spiritualiter examinatur, id est, ideo non intelligit hæc, quia spiritualia non nisi spiritualiter discutiuntur.

15 *Spiritualis autem* homo, in quo est Spiritus Dei, *judicat,* id est, bene discernit, *omnia* ad salutem pertinentia, vel de singulis talibus verum judicium proferendo, inter bonum et malum, verum et falsum, veraciter distinguendo. Habet enim sanum intellectum et purum affectum : ideo ejus judicium nec errore decipitur, nec passione corrumpitur. *Et ipse a nemine judicatur :* id est, alius nullus A carnalis potest eum reprehendere, vel de ipso recte judicare : non enim intelligit opera ejus.

Nihilo minus videmus quotidie spirituales homines a carnalibus judicari et reprobari ; sed hoc est judicium usurpatorium et falsum. Interdum etiam carnales de spiritualibus judicant, approbando vitam eorum ; sed est judicium imperfectum, ex levitate procedens. — Sed advertendum, quod sicut ex verbis principis theologorum, capitulo 2 de Divinis nomi- B nibus, elicitur, dupliciter judicat homo *Art.* XII *de Div. Nom.* de aliqua re : Primo, per solam cognitionem informem et nudam, quemadmodum habens moralem scientiam, judicat de virtutibus quas non habet : et istud est imperfectum judicium. Sic enim homo carnalis, tamen ingeniosus et eruditus, de rebus spiritualibus judicat, sermocinatur et dictat. Secundo, judicat homo de rebus per connaturalitatem seu conformitatem sui affectus ad eas, ut castus de his quæ castitatem respiciunt. Unde de C virtutibus hoc modo judicare non potest nisi virtuosus. Et ita de spiritualibus bonis et rebus divinis ad fidem pertinentibus, judicat homo per sapientiam, quæ est donum Spiritus Sancti, et consistit *Is.* XI, 2. in sapido quodam gustu spiritualium de quibus judicium profert, nec habetur sine gratia gratum faciente. Propter quod scriptum est : In malevolam animam non *Sap.* I, 4. introibit sapientia. Ex quibus elucescit, quod non nisi spiritualis homo percipit, gustat, vereque judicat ea quæ Dei sunt, D per donum sapientiæ : per quod etiam de aliis inferioribus rebus judicat secundum rationes divinas.

Quod autem carnalis homo non intelligat quæ Dei sunt, probat Apostolus au-
ctoritate Scripturæ : *Quis enim cognovit* 16
sensum Domini, id est judicium seu censuram mentis divinæ de rebus ? *aut quis instruxit eum ?* Nullus utique. Hoc scriptum est in Isaia, et allegatum est ab *Is.* XL, 13; *Rom.* XI, 34. Apostolo ad Romanos, ubi et plenius expositum est. Tantum autem vult Aposto-

lus dicere, quod de divinis et spirituali-
bus rebus nullus veraciter judicat, nec
eas intelligit, nisi qui habet sensum Do-
mini. Animalis vero homo non habet sen-
sum Domini, sed spiritualis. Ideo subditur:
Nos autem sensum Christi habemus, id est
A intellectum a Christo illuminatum, ejus-
que sensui conformatum : ideo cognosci-
mus, approbamus, et sapimus ea quæ Dei
sunt, sicut et Christus. Habemus enim
sensum Domini, sicut eruditi discipuli
habere dicuntur sensum sui magistri.

ARTICULUS III

ELUCIDATIO CAPITULI TERTII : ET EGO, FRATRES, NON POTUI VOBIS LOQUI.

ADHUC autem Apostolus clarius prose-
quitur imperfectionem Corinthiorum,
et causam contentionis eorum aufert ; et
1 ait : *Et ego, fratres, non potui vobis lo-
qui quasi spiritualibus, sed quasi carna-
libus :* id est, alta mysteria fidei et subli-
mia de divinitate Christi, perfecta quoque
internæ perfectionis exercitia, non potui
vobis proponere, sed parva et rudia at-
que humilia de Christi humanitate vobis
I Cor. II, 2. proposui, non judicans me aliquid scire
inter vos, nisi Jesum, et hunc crucifixum.
Tanquam parvulis, id est imperfectis, *in
Christo, lac,* id est facilem doctrinam et
teneram instructionem, *vobis potum de-
di,* id est, tali doctrina spiritualiter vos
potavi, et animas vestras rigavi, *non es-
Hebr. v, 14. cam,* id est, non solidum cibum, non pro-
fundam sapientiam, non sublimem vitæ
perfectionem vobis tradere potui. *Non-
dum enim poteratis* spiritualiter capere
talia ; *sed nec nunc quidem potestis : ad-
huc enim carnales estis,* id est carnalibus
3 vitiis subjacentes. *Quum enim sit inter
vos zelus,* id est invidia latens, *et con-
tentio,* id est lis verborum inde proce-
dens, *nonne carnales estis* (pro eodem su-
mit Apostolus carnalem et animalem), *et
secundum hominem ambulatis,* id est, se-
cundum humanam fragilitatem, imperfe-
ctionem et ignorantiam vivitis et sentitis?
4 *Quum enim quis,* id est aliquis vestrum,
dicat, Ego quidem sum Pauli, alius au-
B *tem, Ego Apollo,* id est, unus dicit se
baptizatum a Paulo, alius ab Apolline, et
idcirco unus se alteri præfert, *nonne ho-
mines estis?* id est, vitia hominibus con-
sueta sectamini, et non estis divini, sed
homines nudi, humanum sensum sequen-
tes, non Spiritus Sancti instinctum.

Ex prædictis constat, quod prædicator
seu doctor moderari debet sensum et sti-
lum doctrinæ suæ, secundum audientium
capacitatem. — Sciendum quoque, quod
nomine lactis in Scriptura interdum si-
C gnatur carnalis voluptas, ut ibi : Quem *Is.* XXVIII, 9.
docebit Dominus scientiam? et quem in-
telligere faciet auditum? Et respondet :
Ablactatos a lacte, avulsos ab ubere. In-
terdum per lac significatur innocentia seu
puritas vitæ, propter naturalem lactis ni-
torem et utilitatem, juxta illud : Quasi I *Petr.* II, 2.
modo geniti infantes rationabiles, lac con-
cupiscite, ut in eo crescatis in salutem.
Quandoque vero per lac, imperfecta do-
ctrina exprimitur, sicut hoc loco ; et item
ad Hebræos : Omnis qui lactis est parti- *Hebr.* V, 13.
D ceps, expers est sermonis justitiæ. — Præ-
terea, in Scriptura per hominem aliquando
designatur quædam perfectio, et maxime
pietas seu discretio. Unde quod discre-
tum et pium est, dicimus esse humanum ;
quod vero irrationabile et crudele, dici-
mus inhumanum. Aliquando autem per
hominem datur intelligi vitiositas quæ- *Gen.* VIII, 21.
dam ad quam homines proni sunt. In

quantum enim consideratur in homine
pars intellectiva, designatur per ipsum
perfectio. In quantum autem notatur in
eo sensualitas, quam major pars homi-
num sequitur, significatur per eum viti-
ositas ista. Et ita nunc sumitur, quum
ait Apostolus : Nonne carnales estis, et
secundum hominem ambulatis? et, Nonne
homines estis?

Consequenter tollit Apostolus Corinthi-
orum errorem, dicentium aliquid gratiæ
inesse Baptismo virtute ministri. *Quid igi-
tur est Apollo,* episcopus vel baptista ve-
ster? *Quid vero Paulus?* id est, quid de
5 nobis sentire debetis? Et respondet : *Mi-
nistri* sunt *ejus cui credidistis,* id est
Christi, cujus fidem recepistis. *Et uni-
cuique* eorum ac aliorum convenit esse
Christi ministrum, *sicut Dominus dedit,*
id est secundum quod Deus præstitit gra-
6 dum officii et gratiæ donum. *Ego plan-
Act. xviii, 1-11. tavi,* id est, primo fidei fundamenta an-
nuntiavi, et prædicando converti. *Apollo
rigavit,* id est, vos in fonte Baptismatis
lavit, et doctrinam vobis a me traditam,
sua prædicatione perfudit. Sed nec ego,
nec ipse gratiam contulit. *Deus autem
incrementum dedit,* id est, fructum, sa-
lutem et gratiam dedit, illuminando, pur-
gando, ac perficiendo interius. Propter
Joann. xv, 1. quod scriptum est : Pater meus agricola
est. Non est autem sic intelligendum, quin
etiam Deus sit principalis plantator at-
Matth. xv, 13. que rigator. Ait nempe Salvator : Omnis
plantatio quam non plantavit Pater meus
Jer. ii, 21. cœlestis, eradicabitur; et rursus, Ego te
plantavi vineam electam. Sed hoc vult
Apostolus dicere, quod sua instrumentalis
plantatio, et instrumentalis rigatio Apol-
linis et ceterorum, erat dispositio ad re-
7 cipiendum salutem a Deo. *Itaque, neque*
Paulus aut alius ei similis *qui plantat,*
secundum modum prædictum, *neque* Apol-
lo vel similis *qui rigat,* ut dictum est, *est
aliquid* ex se, vel comparatione ejus qui
operatur interius; *sed, qui incrementum
dat, Deus,* id est, is qui salutem et gra-
tiam donat, reputandus est, et ab illo de-
A bet se quisque nominare, non a Paulo
aut Apolline.

Qui plantat autem et qui rigat, extrin- 8
secus operando, *unum sunt,* id est ejus-
dem conditionis et deputationis. Uterque
enim est servus, nullus vero eorum est
operator interior. Quamvis autem hi unum
sunt, non tamen æqualiter præmiabun-
tur. Subditur enim :

Unusquisque autem ministrorum Dei,
propriam, id est sibi congruam, *merce-
dem* in patria *accipiet* a Deo *secundum*
B *suum laborem* exteriorem vel interiorem,
ad Dei gloriam ordinatum, id est secun-
dum exigentiam meriti sui laboris. Quo-
modo autem hoc intelligi debeat, multa
possent induci. Sed breviter tangendo,
sciendum quod merces seu præmium es-
sentiale debetur et respondet fervori ca-
ritatis divinæ. Quanto autem quis Deum
plus diligit, et a vitiis purior, atque in
bonis magis habituatus est, tanto delecta-
bilius facit opus Dei atque ferventius, et
per consequens minus laboriose, præser-
C tim loquendo de corporali labore, et pro-
ut labor pœnam ac fatigationem includit.
Quanto autem delectabilius et ferventius
operatur, tanto amplius promeretur. Potest
ergo contingere, imo contingit quotidie,
ut homo perfectus qui minus laboriose
facit opus Dei, plus mereatur, quam ho-
mo imperfectus, tamen gratiam habens,
qui cum gravi labore eadem facit quæ
perfectus. Dicendum ergo, quod exteriori
ac corporali labori respondet præmium
accidentale, caritatis autem fervori, præ-
D mium essentiale. Quilibet ergo recipiet
præmium accidentale secundum suum la-
borem corporalem; sed quanto hic labor
ex ampliori caritate procedit, tanto plus
recipiet de præmio essentiali, quod est
visio Dei, quæ est tota merces et vita
æterna.

Quod autem quilibet secundum suum
laborem accipiet, patet : *Dei enim sumus* 9
adjutores, id est cooperatores, instrumen-
taliter operando, materiamque forinsecus
præparando. Ait autem Dionysius, quod

omnium divinorum divinissimum est, Dei cooperatorem exsistere in reductione rationalis naturæ ad suum principium. *Dei agricultura,* id est ager a Deo colendus, *estis,* per hoc quod Deus de cordibus vestris vitiorum et passionum spinas exstirpat, virtutum semina inserit, gratiæ fecunditatem largitur. Et ita dicitur homo agricultura Dei, per similitudinem campi quem rusticus colit. Sicut enim Eccle-
Is. v; sia appellatur vinea Domini, sic dicitur
Matth. xx; etc. agricultura ipsius. *Dei ædificatio,* id est domus seu ædificium mysticum, a Deo per gratiam ædificatum, *estis.* Congregatio quippe fidelium, dicitur domus et templum seu tabernaculum Dei : primo, quoniam Deus fideles per caritatem consolidat atque connectit; secundo, quia per gratiam mentes eorum inhabitat.

10 *Secundum gratiam Dei, quæ data est mihi,* id est secundum apostolatum, et sapientiam mihi a Spiritu Sancto infusam, *ut sapiens,* id est in divinis eruditus atque discretus, *architectus,* id est spiritualis hujus ædificii principalis constructor, per comparationem ad alios qui vobis prædicaverunt : quamvis non sim inter Apostolos architectus, quum mea re-
I *Cor.* xv, 9. putatione sim minimus Apostolorum; et hoc ipsum quod me ipsum architectum appello, non jactanter dico, quia non mihi, sed gratiæ Dei illud attribuo; *fundamentum,* id est fundamentalem doctrinam, initialem prædicationem, fidem seu Christum, *posui* in cordibus vestris instrumentaliter et dispositive, quoniam primo vobis prædicavi, vosque converti ad fidem; [*alius autem superædificat.*] *Unusquisque autem* vestrum *videat,* id est diligenter perpendat, *quomodo superædificet,* id est, qualem structuram operum huic fundamento fidei superponat, ne opera ejus discordent a fide, ne Deum quem
Tit. i, 16. ore confitetur, factis neget. Vel sic, et melius, ut sequentia verba insinuant : Unusquisque prædicatorum docentium vos, videat quomodo superædificet, id est, qualia documenta vobis proponat, ne sua do-

A ctrina fundamento a me posito contradicat.

Fundamentum enim aliud nemo potest 11
ponere, id est veraciter prædicare, aut salubriter collocare, *præter id quod positum est,* id est, evangelizatum est a nobis et constitutum a Patre, *quod est Christus Jesus,* qui est solus fundamentum universale, principale principium universæ Ecclesiæ, quoniam ex se stabilitatem habet, et stabilit alios. De quo Petrus ait in Actibus : Hic est omnium Dominus, et *Act.* x, 36;
B non est in aliquo alio salus. Apostoli vero iv, 12.
dicuntur fundamenta secundaria et particularia in Christo fundamento. Ipsi enim post Christum fundaverunt Ecclesiam. Propter quod in Apocalypsi scribitur, quod *Apoc.* xxi,
murus civitatis habet fundamenta duode- 14.
cim. Et Psalmista pluraliter ait : Funda- *Ps.* lxxxvi,
menta ejus in montibus sanctis. — Porro 1.
Christus secundum divinam naturam, et Pater ac Spiritus Sanctus, sunt unum fundamentum electorum simpliciter primum, et fundans, non fundatum. Christus au-
C tem ut homo Verbo unitus, vel potius ut humanitatem Verbo unitam habens, est fundamentum immediatum et proximum post Trinitatem, et tamen in Deo fundatum, et toti Ecclesiæ conferens stabili-
mentum. Quemadmodum enim caput Chri- I *Cor.* xi, 3.
sti Deus, sic et fundamentum Christi Deus.

Si quis autem superædificat, docendo 12
vel operando, *supra fundamentum hoc,* quod est Christus seu fides, *aurum,* id est amorem vel contemplationem divinorum, *argentum,* id est dilectionem pro-
D ximi, seu speculationem intellectualium atque cœlestium creaturarum, per quas
Deus evidentius subtiliusque cognoscitur, *Sap.* xiii, 5.
lapides pretiosos, id est opera virtuosa seu verba efficacia, *ligna, fœnum, stipulam,* id est vanam doctrinam, magis vel minus nocivam, non tamen hæreticam, nec mortaliter vitiosam. Vel per lignum, fœnum, stipulam, intelliguntur peccata venialia triplicem gradum habentia : ut per ligna designentur peccata venialia magis tenacia et mortalibus viciniora, quæ

ardebunt diutius, nisi modo purgentur,
quemadmodum lignum diutius ardet quam
fœnum aut stipula; per fœnum vero si-
gnantur peccata venialia medio modo se
habentia; per stipulam, peccata levissi-
ma, quæ citius purgantur quam prædi-
cta, sicut et stipula citius consumitur
quam fœnum aut lignum. Denique veni-
alia ista dicuntur ædificari supra fidei
fundamentum, id est juxta illud. Non enim
procedunt ex fide, nec innituntur ei, sed
sunt simul cum ea. Non enim caritatem
exstinguunt. Simili modo dicimus aliquam
civitatem sitam supra mare, id est juxta
mare : secundum quem sensum ait Psal-
Ps. cxxxv, 6; Ps. xxiii, 2. mista, Qui fundavit terram super aquas,
id est juxta eas.
13 *Uniuscujusque opus manifestum erit,*
id est, in publicum deducetur et innote-
scet, non solum Deo et propriæ consci-
entiæ, sed etiam aliis, quando Dominus
Cor. iv, 5. illuminabit abscondita tenebrarum, et ma-
nifestabit consilia cordium. Unde ait Salva-
Matth. x, 26. tor : Nihil opertum quod non revelabitur.
Dies enim Domini, id est dies judicii,
vel potius Dominus in die judicii (dies
namque et tempus dicuntur facere ea quæ
fiunt in die et tempore), *declarabit* ope-
ra singulorum qualia sint; *quia in igne*
conflagrationis *revelabitur,* id est, mani-
festabitur dies Domini, vel Dominus, qui
venturus est judicare per ignem, cujus
majestatem ignis ipse ostendet; vel, Re-
velabitur opus cujuslibet, sicut subjun-
gitur. *Et uniuscujusque opus quale sit,*
ignis probabit, id est ostendet. Quod potest
intelligi : vel de igne purgatorii, quan-
tum ad eos qui interim moriuntur; vel
de igne conflagrationis præcedente judi-
cium, quo exuretur facies mundi, de quo
Ps. xcvi, 3. in Psalmo, Ignis ante ipsum præcedet;
vel de igne æterno, sequente judicium.
Ignis autem conflagrationis mundabit et
emundabit eos qui superædificaverunt li-
gnum, fœnum, stipulam. Qui vero super-
ædificaverunt aurum, argentum, lapides
pretiosos, a quolibet igne hoc erunt se-
14 curi. Ideo sequitur : *Si cujus,* id est ali-

A cujus, *opus manserit,* id est, intactum et
inconsumptum perseveraverit ab igne, tan-
quam non habens culpam admixtam; *quod*
superædificatum est, id est opus tale in
fide fundatum, *mercedem accipiet* plenam
et indilatam. Nihil enim de opere suo
amittet, et quod amavit inveniet. *Si cu-* 15
jus opus arserit, id est, ignis pœnam per-
tulerit propter veniale admixtum; *detri-*
mentum patietur, id est, minus de gloria
obtinebit, quanto opus suum imperfectius
ac cremabilius fuerit. *Ipse autem* homo
B sola venialia habens, *salvus erit,* satis-
factione completa; *sic tamen quasi per*
ignem, id est ignis sustinendo ardorem,
secundum culpæ suæ exigentiam.
Denique, sicut exposita sunt hæc pro
tempore judicii universalis, ita intelligi
possunt de die particularis judicii : ut
dies Domini dicatur dies mortis, quo Deus
hominem visitat, tollens eum de vita præ-
senti. Illa itaque dies Domini, seu Do-
minus in die illa, declarat quale sit opus
hominis, quem statim quum mortuus fu-
C erit, judicat : quia in igne purgatorii re-
velatur seu declaratur quale sit opus
hominis. Et uniuscujusque opus quale sit,
scilicet purum vel impurum, ignis pur-
gatorii probabit : non quod omnes illum
ignem sustinebunt, quia nec de omnibus
simpliciter est jam sermo, sed de his
omnibus qui manent in fundamento, id
est in Christo per gratiam, et superædifi-
cant opera perfectionis, quæ non ardent,
vel opera imperfecta, quæ ardent. Si cu-
jus opus manserit immune ac liberum
D ab igne purgatorii, ut sunt opera signifi-
cata per aurum, argentum et lapides pre-
tiosos; quod superædificatum est, id est
opus hoc in Christo seu in fide funda-
tum, mercedem accipiet et gloriam sem-
piternam sine mora, ita quod evolabit. Si
cujus opus arserit in purgatorio; detri-
mentum patietur, pœnam luendo, glori-
amque minorem habendo. Ipse autem sal-
vus erit, quum fuerint opera ejus digne
cremata et expurgata : sic tamen quasi
per ignem purgatorii, per quem transibit

ad gloriam, quoniam non discessit a fun- A
damento, nec aliquid prætulit Deo, sed
ultimo fini magis inhæsit quam alicui bo-
no creato, quamvis a terrenis affectibus
non fuerit satis mundatus.
Consequenter ostendit Apostolus, cur
aliquis mereatur omnino perire, æterna-
16 literque damnari. *Nescitis* (imo scire de-
betis) *quia templum Dei estis* vos, in quo
Dominus habitat per caritatem et grati-
I *Joann.* IV, 16. am (qui enim manet in caritate, in Deo
manet, et Deus in eo), *et Spiritus Dei,*
videlicet Spiritus Sanctus, *habitat in vo-* B
Joann. XIV, 16. *bis?* De quo Spiritu dicit Salvator : Ego
rogabo Patrem, et alium Paracletum da-
bit vobis, ut maneat vobiscum in æter-
num. Omnes autem fideles re et nomine,
sunt unum templum Dei, id est una Ec-
clesia, propter mysticam unitatem, seu
unam fidem, atque individuam caritatem ;
et unusquisque eorum est templum Dei.
Dicitur autem homo templum Dei, non
solum propter animam, in qua Deus per
Sap. VII, 27. gratiam commoratur (nam anima justi
sedes est sapientiæ), sed etiam propter C
corpus rationi et Deo subjectum, in quo
gratia mentis, et per consequens inhabi-
tatio Dei redundat. Dicit enim alio loco
I *Cor.* VI, 19. Apostolus : Nescitis quia membra vestra
templum sunt Spiritus Sancti ? Et ite-
Ibid. 20. rum : Glorificate et portate Deum in cor-
pore vestro.
17 *Si quis autem templum Dei violaverit,*
id est, credentes perverterit, falsa docen-
do aut impie operando, *disperdet,* id est,
diversimode perdet, *illum Deus,* damnando
illum anima et corpore in æternum. Sed D
et si quis materiale templum violaverit,
erit sacrilegus. *Templum enim Dei* vi-
vum et spirituale, *sanctum est* formaliter,
quod estis vos, qui in Baptismo sanctificati
estis, et per opera bona exercitati.
18 *Nemo vos seducat,* laudando, blandien-
do, simulando, ornate loquendo, aut si-
mili modo. *Si quis videtur inter vos sa-*
piens esse in hoc sæculo, id est sæcularem
sapientiam habere, se sapientem putare,
et ab aliis sapiens reputari, *stultus fiat*
mundo : id est, talem sapientiam a se
repellat, se ipsum stultum reputet, sal-
tem in se, quia ex se ipso non habet nisi
ignorantiæ tenebras ; nec cupiat in mun-
do sapiens reputari, sed amet nesciri ; *ut*
sit sapiens Deo, id est, ut veram sapi-
entiam mereatur a Deo acquirere. *Sapi-* 19
entia enim hujus mundi, id est carnalis
prudentia : de qua dictum est ad Roma-
nos, Prudentia carnis, mors est; *stultitia* *Rom.* VIII, 6.
est apud Deum, id est, a Deo stulta ju-
dicatur. Imo et naturalis seu philosophi-
ca sapientia quæ fide et dono sapientiæ
non ornatur, stulta est coram Deo, id est
infructuosa et tumida. Quod auctoritate
Scripturæ probat Apostolus. *Scriptum est*
enim in libro Job : *Comprehendam,* id *Job* V, 13.
est, concludam et capiam, *sapientes* mun-
di *in astutia,* id est in apparente sapi-
entia *eorum.* Nostra translatio habet sic :
Qui apprehendit sapientes in astutia eo-
rum, et consilium pravorum dissipat. Cui
consonat quod per Isaiam de Domino di-
citur : Convertens sapientes retrorsum, *Is.* XLIV, 25.
et scientiam eorum stultam faciens. *Et* 20
iterum scriptum est : *Dominus novit co-*
gitationes sapientium sæculi hujus, *quo-*
niam vanæ sunt. Nostra littera talis est :
Dominus scit cogitationes hominum, quo- *Ps.* XCIII, 11.
niam vanæ sunt.
Itaque nemo glorietur in hominibus, 21
jactando se baptizatum seu doctum ab
illo, vel illo ; sed in solo Domino glorie- II *Cor.* X, 17.
tur. *Omnia enim vestra sunt,* id est ve- 22
stræ servituti et utilitati parata et de-
putata, *sive Paulus, sive Apollo, sive*
Cephas, id est Petrus archiapostolus ; *si-*
ve mundus iste sensibilis, scilicet corpo-
ra cœlestia, elementa et mixta. De cor-
poribus enim cœlestibus Moyses ait in
Deuteronomio : Solem, lunam et omnia *Deut.* IV, 19.
astra cœli creavit Dominus Deus tuus in
ministerium cunctis gentibus. Et Psalmi-
sta : Omnia, inquit, subjecisti sub pedi- *Ps.* VIII, 8.
bus ejus. Et in Genesi Dominus loqui-
tur : Faciamus hominem, etc., et præsit *Gen.* I, 26.
bestiis terræ, et piscibus maris, et avibus
cœli, universæque creaturæ. Sed et an-

Hebr. I, 14. geli administratorii spiritus sunt. *Sive vi-*
ta, id est operatio nostra, ut vobis profi-
ciat; *sive mors* corporalis, ut pro vobis,
si opus fuerit, sustineatur; *sive præsentia*
beneficia Dei quæ habetis in re, *sive fu-*
tura promissa quæ habetis in spe. *Omnia*
enim hæc *vestra sunt* aliquo modo, ut
23 dictum est. *Vos autem* estis servi atque
disciPuli *Christi,* et estis ejus, jure crea-
tionis, gubernationis ac liberationis. *Chri-*
A *stus autem Dei.* Christus secundum divi-
nam naturam, est Dei Patris, tanquam
unicus et naturalis Filius ejus. Secundum
humanitatem vero, est Dei tanquam mi-
nister ipsius, factus obediens usque ad *Philipp.* II, 8.
mortem. De quo Deus ait per Isaiam :
Ecce intelliget servus meus, et exaltabi- *Is.* LII, 13.
tur. Hinc etiam Filius dicit ad Patrem : *Joann.* XVII, 10.
Omnia mea, tua sunt; et, Ego non quæro *Ibid.* VIII, 50.
gloriam meam.

ARTICULUS IV

EXPOSITIO CAPITULI QUARTI : SIC NOS EXISTIMET HOMO UT MINISTROS CHRISTI.

PRÆTEREA docet Apostolus, quid de-
beant subditi de superioribus suis
sentire, ne eos plus quam decet magni-
ficent, nec eos contemnant, si forte in
1 aliquibus minus excellentes videntur. *Sic*
nos Apostolos et prædicatores ac Christi
vicarios *existimet homo* quicumque fidelis,
ut ministros Christi, non ut principales,
aut gratiæ collatores, *et* ut *dispensato-*
res, id est exhibitores seu distributores,
mysteriorum Dei, id est divinorum sacra-
mentorum; vel, Mysteriorum Dei, id est
2 ecclesiasticorum officiorum. *Hic jam quæ-*
ritur, id est, a vobis Corinthiis interro-
gatur atque discutitur, *inter dispensato-*
res, ut fidelis quis inveniatur, id est, quis
dispensatorum istorum sit verus dispen-
sator, cui possit dispensatio secure com-
mitti. Corinthii enim inter dispensatores
hos discernebant, unum approbantes, ali-
um reprobantes. Sed quia homines sancti
tale judicium non formidant nec repu-
tant, subditur :
3 *Mihi autem pro minimo est,* id est, ni-
hili pondero, *ut a vobis* adhuc carnalibus
judicer judicio reprobationis, tanquam
dispensator indignus, *aut ab humano die,*
id est ab homine in hoc tempore pere-
grinante; *sed neque me ipsum judico* ju-
B dicio absoluto ac definitivo, damnando
videlicet me ipsum. Debet tamen homo
judicare se ipsum judicio discussionis et
reprobationis opinativæ, æstimando se pec-
catorem vilem ac miserum. *Nihil enim* 4
*mihi conscius sum,** id est, de nullo pec- * [*sed non in hoc justificatus sum.*]
cato remorsum conscientiæ habeo : de
præteritis enim satisfeci, et scio quia in-
dulta sunt mihi. Nec obstat quod alibi
dicit, Venit Christus peccatores salvos fa- I *Tim.* I, 15.
cere, quorum ego primus sum. Hoc enim
dixit habendo respectum ad tempus præ-
C teritum, quo persequebatur Ecclesiam.
Qui autem judicat me, id est ad quem
pertinet absolute judicare de secretis cor-
dis mei, *Dominus est,* qui solus novit
corda humana : nam et Pater omne judi- *Joann.* V, 22.
cium dedit Filio.
Itaque nolite ante tempus extremi ju- 5
dicii *judicare* judicio definitivo de secre-
tis ac dubiis, maxime aliorum, *quoadusque*
veniat Dominus ad judicium; *qui et il-*
luminabit abscondita tenebrarum, id est,
peccata occulta faciet manifesta, ponendo
D ea in lumine cognitionis, sicut ait : Nihil *Matth.* X, 26.
occultum quod non scietur; *et manife-*
stabit consilia cordium, an bona et justa
fuerint, an non : prout per Isaiam pro-
testatur, Ego autem opera eorum et co- *Is.* LXVI, 18.

gitationes eorum venio ut congregem. *Et* A
tunc laus, id est sententia salvativa et
meritorum protestatio, *erit unicuique* be-
ne agenti *a Deo,* id est Christo judice.
Quasi dicat : Tunc nullus laudabitur nisi
quem Deus laudaverit ; et omnem laude
dignum Deus laudabit.
6 *Hæc autem, fratres, transfiguravi in*
me et Apollo : id est, ista quæ scripsi
de vestra gloriatione inani, qua quilibet
gloriatur in eo qui sibi eloquentior vi-
detur et doctior, vel cui magis afficitur,
gratia exempli seu figuraliter dixi de me B
atque Apollo : quum tamen non gloria-
remini in nobis, sed magis in pseudo-
apostolis et mundi hujus philosophiæ ma-
gistris : quos nolui nominatim exprimere,
ne major dissensio fieret; sed loco illorum
expressi me et Apollo, quatenus eisdem
rationibus quibus probavi non esse glo-
riandum in Apollo et me, intelligatis non
esse gloriandum in his in quibus glori-
amini. Quod utique feci *propter vos,* id
est ad vestri instructionem, [*ut in nobis*
discatis,] videlicet, *ne supra,* id est ultra, C
Jer. IX, 23, 24. *quam scriptum est* in Jeremia, ubi jube-
mur in Deo, non in hominibus gloriari,
unus vestrum *adversus alterum infletur*
tumore superbiæ *pro alio,* id est zelo ba-
ptistæ vel doctoris ad quem inclinatur.
Si enim Apostolus illos pseudo nominas-
set, Corinthii superbissent contra se in-
vicem, unoquoque eorum zelante pro suo
doctore sive baptista.
Non autem debes, o homo, contra ali-
7 um intumescere. *Quis enim te discernit ?*
id est, quis te ab alio facit differre ? Quis D
te ab alio distinguit ac separat dignitate
ac merito, ut contra eum infleris, et ei
te præferas ? Et quoniam posset quis al-
legare suam perfectionem, dicendo quod
virtuosior esset ac melior seu doctior alio,
huic vanitati respondet Apostolus : *Quid*
autem boni in donis naturæ vel gratiæ
habes quod non accepisti a Deo mediate
Jacob. I, 17. vel immediate, a quo est omne datum
optimum et omne donum perfectum ? *Si*
autem accepisti hoc modo, *quid gloriaris*
in te vel creaturis, *quasi non acceperis*
ista bona a Deo ? Itaque Deo gratias age,
et in ipso lætare ; et quanto major es, Eccli. III, 20.
humilia te in omnibus, ut Deo humilita-
tem jubenti tanto promptius pareas, quan-
to plura bona ab eo receperis. Unde ait
Gregorius : Tanto esse humilior atque ad
serviendum Deo promptior quisque de-
bet ex munere, quanto obligatiorem se
conspicit in reddenda ratione. Quanto enim
quis majora a Deo suscipit dona, tanto Luc. XII, 48.
amplius obligatur Deo in omnibus obe-
dire ex caritate sincera.
Insuper, amplius ironice loquens, Co-
rinthiorum præsumptionem redarguit, di-
cens : *Jam saturati estis* saturitate spiri- 8
tuali : de qua dicitur, Beati qui esuriunt Matth. V, 6.
et sitiunt justitiam, quoniam ipsi satu-
rabuntur. Itaque, Saturati estis cibo ani-
mæ, scilicet pane vitæ et aqua sapien- Eccli. XV, 3.
tiæ. *Jam divites facti estis,* id est divinis
charismatibus adimpleti. *Sine nobis re-*
gnatis, id est, auxilio nostro non indigetis,
regendo vos ipsos. Quod autem hoc non
asserendo, sed increpando et condolendo
dicatur, pandunt verba sequentia : *et uti-*
nam regnetis veraciter, juste regendo vos
invicem, et vitiis prævalendo, *ut et nos*
vobiscum regnaremus, id est, consortes
essemus atque participes meriti vestri at-
que tantæ perfectionis. Et hoc merito dico :
Puto enim (ironice autem loquitur), 9
quod Deus nos Apostolos universos *no-*
vissimos, id est imos et vilissimos, *os-*
tendit, quum tamen secundum veritatem
simus a Deo constituti principes mundi. Ps. XLIV, 17.
Ostendit autem nos *tanquam morti desti-*
natos, id est ad moriendum missos, quasi
ad nihil utiles simus, nisi ut occidamur ;
quia spectaculum, id est objectum præ-
cipuæ et cujusdam admirativæ inspectio-
nis, *facti sumus mundo,* id est hominibus
impiis et mundanis, *et angelis* bonis ac
malis, *et hominibus* rationabiliter ac pie
viventibus. Quemadmodum enim ad spe-
ctaculum aliquod magna hominum con-
fluit multitudo, sic ad inspiciendum perso-
nas et persecutiones Apostolorum, homines

concurrerunt : impii, ut irriderent ; dæmones, ut fortitudinem mentis auferrent ; angeli sancti, ut intus confortarent ; homines pii, ut condolerent. — Potest tamen legi assertive sine ironia, ut sit sensus : *Puto enim,* id est agnosco, *quod Deus nos Apostolos novissimos,* id est infimos et abjectos, *ostendit,* id est, apparere fecit, dando nobis præcepta spernendi mundum et cuncta quæ mundi sunt, prædicandi quoque crucem Christi et mundi contemptum.

10 *Nos stulti propter Christum,* id est, amore Christi sic agimus, quod a mundo stulti et insensati putamur ; *vos autem prudentes* estis *in Christo,* secundum æstimationem vestram superbam. *Nos infirmi* reputamur, et propriam infirmitatem agnoscimus ; *vos autem fortes,* id est, virtuosi estis, ut opinamini, qui putatis vos non indigere nostro auxilio. *Vos nobiles, nos autem ignobiles.* Totum ironice dicitur, ut confundantur et corrigantur carnales. Apostoli quippe carne et spiritu nobiliores erant Corinthiis, quoniam semen
Rom. VIII, 23. Abrahæ erant, et primitias Spiritus Sancti receperunt.

11 *Usque in hanc horam,* id est assidue, *et esurimus, et sitimus, et nudi sumus,* id est, inopiam cibi, potus ac vestium pati-
II *Cor.* XI, 27. mur. Unde alibi dicit Apostolus : In fame et siti, in frigore et nuditate. Tunc impletum est verbum Christi quod dixit :
Matth. IX, 15. Veniet tempus quum auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt. *Et colaphis cædimur,* tanquam blasphemi. *Et instabiles sumus,* fugiendo de loco ad locum :
Ibid. X, 23. juxta illud, Quum persecuti vos fuerint
12 in una civitate, fugite in aliam. *Et laboramus operantes manibus nostris* pro victu atque vestitu. *Maledicimur* a perversis, *et benedicimus,* id est, bona eis dicimus, prædicando ipsis verbum salutis. *Persecutionem patimur* propter justitiam, *et sustinemus* libenter amore Christi.
Act. V, 41. Ibant enim Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt
13 pro nomine Jesu contumeliam pati. *Blasphemamur,* id est, crimen blasphemiæ nobis imponitur, *et obsecramus* Deum pro blasphemantibus. *Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus,* id est, reputamur a perfidis quasi immunditiæ quædam, inficientes hunc mundum nostra doctrina. Idcirco quum occidimur, putant mundum purgari ab hominibus pestilentibus : sicque efficimur mundi purgamenta. Factique sumus *omnium peripsema usque adhuc,* id est velut superfluitas quædam generis humani, ita ut apti non simus hominibus sociari, sed tolli. Peripsema autem vocatur purgamentum ferri vel pomi seu alterius rei, illud videlicet quod aufertur a materia rei ut purgetur, sicut est limatura æris aut ligni.

Non ut confundam vos, hæc scribo fi- 14
naliter. Est autem confusio adducens pec- *Eccli.* IV, 25.
catum, et est confusio adducens gratiam et gloriam, ut dicitur in Ecclesiastico. De prima confusione loquitur modo Apostolus. Non enim intendebat eos finaliter confundere, sed corrigere, sicut subjungit : *sed ut filios meos* spirituales *carissimos,* id est valde dilectos, etsi non propter bonitatem et merita vestra, tamen propter bonitatem divinam, *moneo,* id est, ad meliora exhortor. Merito autem vocavi vos
filios : *Nam si decem millia pædagogo-* 15
rum, id est quantamcumque multitudinem erudientium vos, *in Christo Jesu,* id est in fide et Evangelio Salvatoris, *habeatis* (dicitur autem pædagogus instructor pueri) ; *sed non multos patres* spirituales habetis ad hoc, id est genitores qui vos in Christo genuerunt, convertendo vos primo ab esse carnali et infideli, ad esse spirituale atque divinum. Talis autem pater ego fui : *Nam in Christo Jesu,* id est in esse christiformi seu statu christiano, *per Evangelium,* id est per evangelicæ sapientiæ prædicationem, *ego vos genui* instrumentaliter, scilicet ante alios, proponendo vobis Evangelium Christi, et ad fidei susceptionem animas vestras dispo-
nendo. Verumtamen unus est Pater noster *Malach.* II, 10.
in cœlo, quem solum debemus Patrem

Ephes. III, 15. vocare, id est omnis paternitatis efficien- A
tiam et gratiam ei præsertim adscribere.
16 *Rogo ergo vos, fratres, imitatores mei*
estote, tanquam boni discipuli obedien-
tesque filii, quatenus *sicut ego Christi*
vestigia sequor, ita vos viam meam, id
17 est virtutes, sequamini. *Ideo misi ad vos*
Timotheum, latorem hujus epistolæ, *qui*
est filius meus carissimus et fidelis in
Domino : qui vos commonefaciat, id est,
admonendo vos instruat, *vias meas,* id
est præcepta et documenta, *quæ sunt in*
Christo Jesu, id est secundum voluntatem B
et doctrinam ipsius : in nullo enim a
Christo discordo ; *sicut ubique in omni*
Ecclesia doceo.
18 *Tanquam non venturus sim ad vos, sic*
inflati sunt quidam ex vobis tumore su-
perbiæ, gloriantes in eloquentia et doctri-
na philosophorum : et tam imperterrite
sic inflantur, quasi non essem venturus
ad vos. Solent autem discipuli a malis
19 retrahi timore adventus magistri. *Veniam*
autem ad vos cito, si Dominus voluerit :
cujus voluntas supponenda est semper, C
Jacob. IV, 15. juxta illud : Dicatis, Si Dominus voluerit,
et, Si vixerimus, faciemus hoc vel illud ;
et cognoscam, id est attendam et exami-
nabo, *non sermonem* rhetoricum *eorum*
qui inflati sunt, sed virtutem, id est, vi-
tam virtuosam an habeant, seu opera mi-
20 raculorum. *Non enim in sermone,* id est

verbis pulchris, *est regnum Dei,* id est
meritum attingendi ac pertingendi re-
gnum cœlorum, *sed in virtute* bonæ con-
versationis consistit. Ait enim Salvator :
Non omnis qui dicit mihi, Domine, Do- Matth. VII, 21.
mine, intrabit in regnum cœlorum, sed
qui facit voluntatem Patris mei ; et rur-
sus, Qui audit verba hæc, et non facit Ibid. 26.
ea, comparabitur viro stulto. Verba enim
sine opere, sunt folia sine fructu. Arbor Ibid. III, 10; VII, 19.
autem quæ non facit fructum bonum, ex-
cidetur et in ignem mittetur.
Quid vultis ? id est, quod ex his duo- 21
bus eligitis, scilicet, *in virga,* id est ri-
gore justitiæ et occulto caritatis affectu,
videlicet animo disciplinandi, *veniam ad*
vos, an in caritate aperta *et spiritu man-*
suetudinis, id est animo mansueto et in-
dulgenti ? Quamvis hoc secundum sit præ-
optandum, potius tamen optandum esset
primum, quam carere boni patris adven-
tu, quamvis rigoroso. Meliora nempe sunt Prov. XXVII, 6.
vulnera diligentis, quam oscula adulan-
tis *, ut ait Scriptura. * odientis
In præinductis omnibus consideratur
discretio sancti Apostoli, qui verbis duris
et increpatoriis verba caritativa atque su-
avia miscet, infundens vinum justitiæ et Luc. X, 34.
oleum pietatis, ut sanet animas vulnera-
tas. Virtutes quoque suas tam diligenter
describit, non ob propriam laudem, sed
ut imitemur semitas ejus.

ARTICULUS V

EXPOSITIO CAPITULI QUINTI : OMNINO AUDITUR INTER VOS FORNICATIO.

ACCEDIT demum Apostolus ad parti- D
culariorem increpationem Corinthio-
1 rum, et ait : *Omnino auditur inter vos*
fornicatio, id est, omnibus modis scitur,
narratur, atque percipitur a me et ab
aliis, quod inter vos sit fornicatio (quæ
est illicitus concubitus), *et talis,* id est

tam infamis et nefaria *fornicatio, qualis*
nec inter gentes incredulas auditur seu
esse percipitur, *ita ut uxorem patris sui*
defuncti *aliquis* vestrum *habeat* conju-
gem. Lyra videtur hæc sic intelligere,
quod mulier illa fuerit etiam mater is-
tius ; sed verius creditur quod erat ejus

noverca. Talis autem fornicatio, est in- A
cestus pœna mortis prohibitus. Unde in
Lev. xx, 11. Levitico : Qui dormierit cum noverca sua,
morte moriatur. Unde et Ruben dicitur
Gen. xlix, 4. in Genesi : Non crescas, quia ascendisti
2 cubile patris tui. *Et vos inflati estis* tu-
more elationis, id est, ex superbia ne-
glexistis tantum scelus corrigere, scilicet
propter mutuas vestras contentiones, qui-
bus occupati, omittitis opera caritatis ; *et*
non magis luctum, id est compassionem
et fletum, *habuistis,* deplorando tam hor-
rendum piaculum proximi, *ut tollatur de* B
medio vestrum, id est, separetur a vobis
per excommunicationem, *qui hoc opus*
fecit, cujus omnes participes estis quo-
dammodo, sustinendo talem inter vos.
3 *Ego quidem* Paulus *absens* a vobis jam
corpore, præsens autem spiritu, id est
consideratione et animi sollicitudine : sic-
IV Reg. v, 26. ut et Eliseus præsens erat, quum Giezi
accepit munera Naaman Syri ; *jam judi-*
cavi tanquam præsens spiritu (vel sic :
Ac si corporaliter præsens essem) *eum*
qui sic operatus est, id est fornicarium C
4 illum. Sic autem judicavi eum, *in nomi-*
ne Domini nostri Jesu Christi, congrega-
tis vobis et meo spiritu, id est, quum
collecti fueritis publice in nomine Chri-
sti, et in meo spiritu, id est in vera con-
cordia, habendo videlicet spiritum seu
caritatis affectum ad invicem, sicut et ego
ad vos habeo, *cum virtute Domini nostri*
Jesu Christi, id est potestate et auctori-
5 tate Christi, qui cooperabitur vobis, *tra-*
dere hujusmodi Satanæ, id est, ut trada-
tur talis fornicator diabolo per sententiam D
excommunicationis : et hoc, *in interitum*
carnis, id est ad hoc ut dæmon eum cor-
poraliter affligat. In primitiva namque Ec-
clesia, ad fidei confirmationem, solebat
excommunicationem sequi corporalis ve-
xatio dæmonis, quousque peccator pœ-
niteret ; et si non pœnitebat, vexabatur
quousque animam exhalaret. Hanc pote-
statem præsertim habebant Apostoli, ut
Matth. x, 8. sicut ab obsessis poterant dæmones eji-
cere, ita enormiter delinquentes poterant
dæmoni tradere, corporaliter tribulandos.
Sed quia hanc corporis pœnam ordinave-
runt ad animæ salutem, subditur : *ut spi-*
ritus salvus sit, id est, anima ejus salva
fiat, *in die* adventus *Domini nostri Jesu*
Christi, id est in die judicii universalis,
seu particularis vel in die mortis : quod
redit in idem. Nam qualis quis moritur,
talis Deo in die judicii præsentabitur.
Ex prædictis concludit Apostolus : *Non* 6
est bona gloriatio vestra, o Corinthii, qua
vel de baptistis et ministris gloriando con-
tenditis, mutuoque præfertis, et ex hoc
fraternam correctionem negligitis. Vel, glo-
riatio qua vos justos jactatis, bona non
est, eo quod tantum peccatum inter vos
toleretis. Qui enim non corrigit, quum
potest et debet, communicat delinquenti,
et particeps est peccati.
Consequenter ostendit, quam periculo-
sum sit congregationi sustinere perver-
sum. *Nescitis quia modicum fermentum,*
id est parva pars infectiva, *totam massam*
corrumpit, id est, universam materiam
inficit ? Sic unum peccatum, seu unus
pestilens et perversus, videlicet consen-
sus hujus peccati, et fornicator hujusmo-
di, totam massam, id est vestram congre-
gationem, contaminat, inficit et seducit,
nisi auferatur tale fermentum. *Expurgate* 7
ergo *vetus fermentum,* id est, consensum
peccati istius et auctorem peccati hujus
amovete a vestra communione, *ut sitis*
nova conspersio, id est gratia Baptismatis
et virtutum operibus innovati, *sicut estis*
azymi, id est a peccati fermento alieni
effecti in fonte Baptismi. Azyma dicitur
ab α, quod est sine, et ζύμη, quod est fer-
mentum, quasi sine fermento. Consper-
sio autem et azyma idem sunt, utpote fa-
rina per aquam glutinata sine fermento,
sicque significant puritatem a corruptione
peccati. Denique in fermento duo pensan-
tur, videlicet : sapor virtualis, quo effi-
cit panem saporosum ; et ita per fermen-
tum signatur doctrina evangelica, ibi quum
dicitur : Simile est regnum cœlorum fer- Matth. xiii, 33.
mento, quod acceptum mulier abscondit

in farinæ satis tribus, donec fermenta-
tum est totum. Secundo consideratur in
fermento corruptio adipis ; et ita signi-
ficat culpam, quæ alios inficiendo cor-
rumpit : et ita nunc sumitur.
Sitis itaque nova conspersio : *Etenim
pascha nostrum immolatus est Christus,*
id est, agnus paschalis pro nostra salute
Jer. XI, 19. oblatus est Christus : qui loquitur, Ego
quasi agnus mansuetus qui portatur ad vi-
Joann. I, 29. ctimam. De quo ait Joannes : Ecce Agnus
Dei, qui tollit peccata mundi. Itemque
Apoc. V, 12. alibi : Dignus est Agnus qui occisus est.
Ipse enim verus est agnus qui abstulit
peccata mundi, qui mortem nostram sui
ipsius oblatione seu morte destruxit. Ipse
quoque est pascha nostrum, id est trans-
itus noster, præbendo nobis exemplum
transeundi de hac peregrinatione ad pa-
Joann. XIV, 6. triam. Propter quod ait : Ego sum via,
Exod. XII, 11. veritas et vita. Pascha enim transitus di-
citur. Hujus Agni figura fuit agnus ille
paschalis seu legalis, de quo in Exodo
Ibid. 46; legitur. Unde quod ibi habetur, Os ejus
Joann. XIX, 36. non confringetis, ab Evangelista allegatur
de Christo. Similiter, sicut per effusio-
Exod. XII, 22, 23. nem sanguinis agni illius liberabantur fi-
lii Israel ab angelo devastante, seu plaga
Ægypti, sic nos per effusionem sangui-
nis Christi liberamur a potestate diaboli
et a ruina peccati. Insuper, sicut carnes
Ibid. 8. agni illius manducabantur cum azymis pa-
nibus, sic fideles vivere et Christi corpus
comedere debent sine fermento peccati.
Ideo subditur :
8 *Itaque epulemur,* id est, in Domino
deliciemur ac nutriamur, Christi sacra-
mentis vescamur, et ei incorporemur, *non
in fermento veteri,* id est non in iniqui-
tatibus nostris antiquis ac solitis, *neque
in fermento malitiæ,* id est peccato ex
Ps. XXXV, 2. deliberatione animi facto (juxta illud : Di-
xit injustus ut delinquat in semetipso),
et nequitiæ, id est non in fraudulenta
aliisque nociva conversatione, prout Pe-
I *Petr.* II, 1. trus monet : Deponentes omnem malitiam
et dolum et simulationes et invidias ; *sed
in azymis,* id est operibus, *sinceritatis,*

A id est internæ puritatis, ut habeamus cor
mundum, *et veritatis,* id est justitiæ, etiam
quantum ad proximos ; vel, In azymis ve-
ritatis, id est actibus sanctæ contempla-
tionis, et illuminatæ cognitionis.
Scripsi vobis in epistola. Sciendum quod 9
Apostolus, ante missionem præsentis epi-
stolæ, misit Corinthiis epistolam quam-
dam, quæ non habetur : in qua jussit ut
non miscerentur fornicariis, quod Corin-
thii non bene intellexerunt, putantes Apo-
stolum loqui de spirituali fornicatione,
B quæ est idololatria. Ideo nunc exponit ver-
ba illic scripta, et ait : Scripsi vobis in
epistola (illa quam non habemus), *ne com-
misceamini fornicariis* familiaritate, com-
munione, aut cohabitatione : et *non uti-* 10
que fornicariis hujus mundi, id est, hoc
scripsi, ut non misceamini fornicariis hu-
jus mundi, id est publice criminosis : de
quibus subjungitur, *aut avaris, aut ra-
pacibus,* id est violentis ablatoribus rei
alienæ, *aut idolis servientibus,* id est ido-
lolatris, qui tamen Christiani esse volunt.
C *Alioqui debueratis de hoc mundo exisse,*
id est, si aliter intellexissem quam sic,
oporteret vos mundum omnino exire, si
velletis mihi acquiescere. Nam si de gen-
tilibus locutus fuissem, non possetis ver-
ba mea implere, nisi mundum exeundo,
quum ubique demorentur gentiles. *Nunc* 11
autem scripsi vobis in ista epistola cla-
rius, *non commisceri* prædictis crimino-
sis Christianis. De infidelibus namque non
loquor : quibus etiam quomodo verbum
salutis annuntiaretur, si vitarentur ? Ideo
D additur : *Si is qui frater,* id est, si Chri-
stianus, *nominatur inter vos fornicator,*
id est, notorius fornicator fuerit et con-
victus, *aut avarus,* aliena tenendo, *aut
idolis serviens, aut maledicus,* id est de-
tractor vel blasphemus, *aut ebriosus, aut
rapax,* vel simili crimine vitiatus, *cum
hujusmodi nec cibum sumere,* sed eum
in omnibus evitare, ut erubescendo pœ-
niteat. Unde alibi dicit Apostolus : Sub- II *Thess.* III, 6.
trahatis vos ab omni fratre ambulante
inordinate. Non ergo prohibet cum infi-

delibus atque gentilibus sumere cibum, A
I Cor. x, 27. præsertim quum alias asserat : Si quis
vocat vos infidelium ad cœnam, et vultis ire, omne quod vobis apponitur manducate.

Deinceps ostendit Apostolus, quod de
infidelibus non habet dare præceptum.
12 *Quid enim mihi de his qui foris sunt*, id
est, quid spectat ad me de infidelibus,
qui extra Ecclesiam sunt nomine, numero et re, *judicare*, id est dare sententiam
ut vitentur? Imo potius debet se fidelis
illis pie applicare, ut convertantur. *Nonne de his qui intus sunt*, id est fidelibus, B
qui intra Ecclesiam sunt nomine vel merito, *vos judicatis*, et non de his qui foris sunt? quasi dicat : Si vos non judicatis de his qui foris sunt, ita nec ego. Non
enim auctoritatem habeo super eos. *Nam* 13
eos qui foris sunt, id est infideles, *Deus*
judicabit judicio damnationis, non discussionis seu disceptationis. Sic enim judicati jam sunt, juxta illud : Qui non cre- Joann. III,
dit, jam judicatus est, quia non credit in 18.
nomine unigeniti Filii Dei.

Auferte malum, id est prædictum fornicarium, qui habet uxorem patris sui,
ex vobis ipsis, id est ex vestra societate.
Qui enim tetigerit picem, inquinabitur. Et Eccli. XIII, 1.
in Deuteronomio Dominus : Auferes, in- Deut. XIX,
quit, malum de medio tui, ut ceteri ti- 19, 20.
morem habeant. Debemus etiam auferre cogitationes malas et omne peccatum de cordibus nostris, prout per Prophetam
Dominus jubet : Auferte malum cogita- Is. I, 16.
tionum vestrarum ab oculis meis.

ARTICULUS VI

ELUCIDATIO CAPITULI SEXTI : AUDET ALIQUIS VESTRUM HABENS NEGOTIUM, ETC. ?

REVOCATIS Corinthiis ab errore circa C
matrimonium, jam revocantur ab errore circa judicium, in quo multis modis
1 erraverunt, ut patebit. *Audet aliquis vestrum* fidelis, ausu temerario, non metuens in hoc Dei offensam, *habens negotium*, id est causam judicialem, *adversus alterum* fidelem, *judicari apud iniquos*, id est pro habendo judicio accedere judices infideles, qui semper adversantur fidelibus, *et non apud sanctos*, id est, judices fideles non interpellatis? Quod erat multipliciter malum. Dabatur enim per D
hoc infidelibus occasio opprimendi pauperes Christianos, et aspernandi Ecclesiam, quasi non habentem personas ad judicandum active idoneas. Dabatur quoque infirmis fidelibus occasio reputandi infi-
Ps. XIV, 4. deles (quum tamen dicat Scriptura : Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus), et occasio redeundi ad idololatriam.

Consequenter ostenditur, quod fideles
digniores sunt judicare quam perfidi. *An* 2
nescitis quoniam, id est quod, *sancti*, videlicet perfecti, ut Apostoli et apostolici viri, *de hoc mundo*, id est homines habitantes in hoc mundo inferiori, *judicabunt*, per assessionem et approbationem? Assidebunt enim Christo, ejusque sententiam omnes electi approbabunt. Un-
de ait Salvator : Vos qui secuti estis me, Matth. XIX,
sedebitis super sedes duodecim, judican- 28.
tes duodecim tribus Israel. Et Sapiens :
Judicabunt justi nationes, et dominabun- Sap. III, 8.
tur populis. *Et si*, id est quia, *in vobis*, id est per sanctos qui inter vos sunt, *judicabitur mundus*. Est autem mundus perditionis, id est collectio hominum reproborum. De quo mundo ait Christus Apostolis:
De mundo non estis, sed ego elegi vos Joann. XV,
de mundo; et alibi, Non pro mundo ro- 19. Ibid. XVII, 9.
go. Est etiam mundus salvationis. De quo
dicitur : Sic Deus dilexit mundum, id est Ibid. III, 16.

collectionem hominum electorum, ut Fi-
lium suum unigenitum daret. Sancti ergo
judicabunt mundum perditionis judicio
reprobationis, sicut et Christus. Mundum
vero salvationis judicabunt judicio beatæ
præmiationis. Si ergo judicabitis mundum
hoc modo, *indigni estis qui de minimis
judicetis ?* id est, indigni non estis ju-
dicare de parvis et sæcularibus causis :
quod patet per locum a majori.

3 Etiam *Nescitis* (id est, scire vos con-
venit) *quoniam angelos judicabimus ?* Hoc
communiter de angelis apostatis intelli-
gi solet, de quibus scriptum est in Apo-
Apoc.xii,7. calypsi, Draco pugnabat et angeli ejus :
quos Sancti cum Christo damnabunt. Sed
quoniam dictum est quod omnes electi
judicabunt per approbationem sententiæ
Judicis, possumus dicere quod homines
electi judicabunt etiam angelos sanctos.
Pro cujus pleniori intelligentia adverten-
dum, quod meritum et demeritum præ-
mii essentialis, seu pœnæ principalis, non
convenit his qui sunt in termino, sed qui
in via. Angeli autem boni et mali a prin-
cipio mundi in termino positi sunt, per
inavertibilem conversionem ad Dominum,
et inconvertibilem aversionem a Deo, sic-
ut Damascenus declarat. Ergo a princi-
pio mundi judicati sunt, quantum ad re-
munerationem principalem, quæ est vel
adeptio vel carentia visionis divinæ es-
sentiæ. Verumtamen, sicut angeli boni in
præmio accidentali proficiunt, per hoc
quod homines eorum ministerio salvan-
tur, sic angeli mali pœnam accidentalem
sibi accumulant, inducendo homines ad
peccata. Propterea angeli boni et mali in
die judicii judicabuntur, quantum ad præ-
mium meriti accidentalis, illud plene et
ultimate percipiendo. Et judicabunt ho-
mines electi angelos sanctos judicio ap-
probationis. *Quanto magis sæcularia ?* id
est, multo amplius digni sumus judicare
causas terrenas et res temporales.

4 *Sæcularia ergo judicia,* id est negotia
mundana, *si habueritis ; contemptibiles
qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad*
A *judicandum.* Propter diligentem conside-
rationem sequentium, cogimur ista du-
pliciter explanare. Primo, ironice, id est
cum ironia seu irrisione, non utique pas-
sionata, sed caritativa ac justa, qua ad
correctionem irrisi ordinantur. Ut sit sen-
sus : Contemptibiles qui sunt in Eccle-
sia, id est viros improbos et ceteris vili-
ores, constituite ad judicandum, id est,
tales facitis judices. Propter quod fratres
coacti sunt interpellare judices infideles.
Simili sensu dicitur illud Prophetæ : Im- Amos iv, 5.
B molate laudem de fermento. *Ad verecun-* 5
diam vestram dico, id est, ad vestram
confusionem enarro vos ita fecisse. *Sic
non est* (id est, ex vestro facto sequi vi-
detur quod non est) *inter vos sapiens quis-
quam,* id est circumspectus quisquam et
expertus, *qui possit judicare inter fra-
trem suum,* id est inter proximum et pro-
ximum fide germanum ? *Sed frater cum* 6
fratre, id est unus fidelium contra alium,
in *judicio contendit ; et hoc, apud infi-
deles,* scilicet judices ? — Secundo, expo-
C nitur sine ironia, hoc modo : *Sæcularia
judicia si habueritis ; contemptibiles qui
sunt in Ecclesia,* id est minus devotos,
internos ac deiformes, *constituite ad ju-
dicandum,* id est, hortor ut tales ordinetis
judices. Sæpe enim contingit, ut minus
contemplativi et spirituales, sint magis
activi et in temporalibus aptiores. *Ad ve-
recundiam vestram dico,* quod non feci-
stis hoc modo. Dicit autem B. Gregorius :
Terrenas causas examinent, qui rerum
exteriorum sapientiam perceperunt ; qui
D vero spiritualibus donis ditati sunt, ter-
renis non debent negotiis implicari. Au- II Tim.ii,4.
gustinus quoque : Christum (ait) testem
invoco, quia mallem quotidie aliquid ma-
nibus operari, quam tumultuosissimas cau-
sarum prolixitates pati.

Jam quidem omnino delictum est in 7
vobis, quod judicia habetis inter vos, id
est, hoc ipsum vestro peccato agitur, at-
que peccatum est, quod inter vos negotia
judicio determinanda habetis, inter quos
quies et pax esse deberent. Unde con-

cludit Augustinus : Peccatum est, judici-
um habere contra fratrem. Pro cujus sa-
no intellectu habendo, addit paraphrastes :
Perfectis licet repetere sua simpliciter, id
est sine causa, sine lite, sine judicio; sed
non convenit eis inde movere causam an-
te judicem. Infirmis vero licet repetere
sua, causam movendo coram judice, et ju-
dicium habendo contra fratrem, sed non
contentiose vel fraudulenter, nec apud ju-
dices infideles. Sed nec hoc videtur sa-
tis resolutum. Ecclesia enim non errat
habendo judicia. Religiosis etiam licet sua
repetere coram judice; fideles quoque qui
in terris sunt infidelium, quum fideles
judices habere non valent, ad infideles
judices recurrere possunt. Alii igitur di-
cunt quod liceat, non autem expediat, sæ-
cularia habere judicia; et quod religiosi
ac perfecti possunt repetere sua tanquam
communia, non ut propria; item, quod
fideles inter infideles habitantes, possunt
coram judice infideli causam suam mo-
vere, si fideles judices non possint ha-
bere.
Quare non magis injuriam accipitis?
id est, cur non potius violentiam mani-
festam suffertis, quam habeatis judicia
litigiosa? *Quare non magis fraudem,* id
est occultam bonorum vestrorum ablati-
onem, seu quamlibet machinationem do-
losam, *patimini?* Simile est quod ait Sal-
Matth. v, 40. vator : Si quis voluerit judicio tecum
contendere, et tunicam tuam tollere, di-
Luc. vi, 30. mitte ei et pallium. Rursusque ait : Qui
abstulerit tua, noli repetere. Hoc Domi-
nus consulit ad vitandum inquietudinem
mentis.
8 *Sed vos injuriam facitis* aliis, *et frau-
datis,* id est, dolum eis infertis; *et hoc,
fratribus,* id est fidelibus, quibus hoc
minus facere congruit : et in hoc pessi-
9 me facitis. Etenim, *An nescitis* (quod uti-
que scire vos arbitror) *quia iniqui,* id est
injusti, *regnum Dei non possidebunt,* id
est, terram viventium, seu vitam æter-
Matth. xiii, 43. nam non hereditabunt? Justi enim fulge-
bunt ut sol in regno Patris eorum. Et in
A Apocalypsi dicitur de injustis : Non in- *Apoc.* xxi, 27.
trabit in illam aliquid coinquinatum. *No-
lite errare,* recipiendo falsum pro vero, vel
malum pro bono. *Neque fornicarii, neque
idolis servientes, neque adulteri, neque* 10
molles, id est in se ipsos insanientes, pro-
vocando vel exercendo libidinem, *neque
masculorum concubitores, neque fures, ne-
que avari, neque ebriosi, neque maledici,*
id est detractores, *neque rapaces, regnum
Dei possidebunt. Et hæc aliquando fui-* 11
stis, id est, his vitiis subjacuistis ante ve-
B stram conversionem ad fidem Christi; *sed
abluti estis* a maculis peccatorum in Ba-
ptismo; *sed sanctificati estis,* splendorem
gratiæ atque virtutum pulchritudinem re-
cipiendo; *sed justificati estis,* bene ope-
rando, *in nomine,* id est virtute et invo-
catione, vel ad honorem nominis, *Domini
nostri Jesu Christi et in Spiritu Dei no-
stri,* id est operatione Spiritus Sancti.
Quoniam vero præinducta verba de non
repetendo sua, obscura sunt, exponit mo-
do Apostolus quomodo intelligi debeant.
C *Omnia mihi licent,* id est, permittitur mi- 12
hi omnia mea juste repetere tanquam li-
citum, *sed non omnia expediunt :* id est,
non semper expedit omnia repetere in
foro judiciali : primo, propter conserva-
tionem honoris, juxta illud Proverbiorum,
Honor est homini qui separat se a con- *Prov.* xx, 3.
tentionibus ; secundo, quoniam est ma-
joris boni impeditivum; tertio, propter
nimiam sollicitudinem atque angustiam
animæ ; quarto, propter periculum jur-
giorum, juxta illud Ecclesiastici, Ne con- *Eccli.* viii, 2.
D tendas cum homine locuplete, ne forte
constituat tibi litem. *Omnia mihi licent :*
secundum sensum prætactum, quum non
sit lege naturali vel scripta prohibitum ;
sed ego sub nullius redigar potestate, id
est, libertatem animæ meæ nolo amitte-
re, subdendo me terrenarum rerum amo-
ri ac judicis potestati : quod facerem, si
judicio litigarem, fratremque meum of-
fendere mallem, quam perdere rem tem-
poralem. Quod autem mea repetere liceat,
patet : Nam, *Esca* debetur *ventri* pro cor- 13

poralis vitæ sustentatione, *et venter* indiget A
escis. Ideo licet temporalia bona repete-
I *Tim.* VI, 8. re, ut habeamus victum et quibus tega-
mur. Non tamen debemus importune et
nimis anxie pro istis contendere, quoni-
am temporaliter transeunt et venter et
esca. Propter quod sequitur : *Deus autem
et hunc* ventrem *et hanc* escam *destruet,*
quia utrumque naturaliter corruptibile est.
Et quamvis venter maneat substantialiter
post resurrectionem communem, non ta-
men secundum statum et pristinum ac-
tum. Ideo pro necessitatibus ventris mi- B
nor esse debet sollicitudo.

Præterea redit Apostolus ad id unde
cœperat loqui, videlicet ad reprobanda
luxuriæ vitia. *Corpus autem* uniuscujus-
que fidelis, *non fornicationi, sed Domino*
Deo subjiciatur et obsequatur, *et Domi-
nus corpori* principetur, et præmium tri-
14 buat. *Deus vero* Pater seu Trinitas, *et
Dominum* Jesum *suscitavit* tertia die a
mortuis; *et nos suscitabit* in die judicii
per virtutem suam omnipotentem, cui non
Luc. I, 37. est impossibile omne verbum. C

Ratio autem cur corpus non fornicati-
oni, sed Domino reddendum est, traditur.
15 *Nescitis quoniam corpora vestra membra*
Ephes. I, 22, 23. *sunt Christi?* Ipse enim est caput no-
strum, cui in Baptismo incorporamur; et
ipsa Ecclesia est mysticum corpus Chri-
sti. Ideo quilibet vere christianus, est my-
sticum membrum ejus. *Tollens ergo,* id
est assumens, seu divino cultui auferens,
membra Christi, id est corpus meum et
alterius quem ad voluptatem meo exem-
plo induco, *faciam* de eis *membra mere-* D
tricis, concumbendo cum ea, sicque una
caro fiendo cum carne illius? *Absit,* ut
16 rem adeo impiam agam. *An nescitis quo-
niam qui adhæret meretrici* carnali amore
et copula corporali, *unum corpus* cum ea
efficitur, per seminis communionem seu
affectuum transformationem? *Erunt enim,*
Gen. II, 24; *Matth.* XIX, 5. *inquit* Dominus in Genesi, *duo,* id est vir
et mulier, *in carne una,* id est, pro ea-
dem carne reputabuntur propter mutuam
unionem, quamvis numeraliter atque re-
aliter differant. Hoc ad litteram de legi-
time conjunctis prædictum est. Apostolus
tamen allegat hic de illicitis copulis for-
nicantium, quoniam ratio identitatis par-
tim eadem est. Nam concubitus licitus et
fornicatio conveniunt in esse naturæ, non
autem in esse morali. *Qui autem adhæret* 17
Domino adhæsione amorosa et obedien-
tiali, *unus spiritus est,* id est, divino Spi-
ritui per caritatem unitur, in Deum trans-
formatur, eique indissolubiliter colligatur.
Unde aiebat Salvator, loquens ad Patrem :
Notum feci eis nomen tuum, ut dilectio *Joann.* XVII, 26.
tua in eis sit, et ego in eis. Amor nam-
que est virtus unitiva diversos conjun-
gens, quamvis essentialiter differant.

Fugite fornicationem, id est omnem il- 18
licitum concubitum. Quædam peccata in
se quamdam pœnam et amaritudinem ha-
bent, ut ira, invidia : et ista melius supe-
rantur luctando et resistendo. Nam quanto
diligentius et particularius considerantur,
tanto plus displicent, sicque facilius re-
pelluntur. Alia autem peccata quamdam
delectationem includunt, ut gula, luxu-
ria : quæ melius vincuntur fugiendo quam
colluctando. Quo enim particularius dili-
gentiusque pensantur et revolvuntur, eo
appetitus magis provocatur. Vitanda ergo
sunt fomenta, occasiones et causæ luxu-
riæ. Ratio quoque fugiendi fornicationem
subjungitur. *Omne enim peccatum,* præ-
ter fornicationem, *quodcumque fecerit ho-
mo,* cogitando, loquendo vel operando,
extra corpus est, id est, non ita nocet
corpori, ipsum debilitando, contaminan-
do, ac diversis periculis exponendo, ut
fornicatio. *Qui autem fornicatur, in cor-
pus suum peccat,* ipsum (ut dictum est)
lædendo, polluendo et destruendo, præser-
tim si multum exerceat actum hujusmodi.

An nescitis quoniam membra vestra, 19
non solum corpora propter aliqua mem-
bra, sed omnia membra vestra, id est
corpus totum, *templum est Spiritus San-
cti,* id est consecratum inhabitationi Spi-
ritus Sancti in Baptismo, ubi expulso dia-
bolo, abrenuntiastis pompis ejus, et Deo

dicati estis, *qui in vobis est* per gratiam, A
primo atque directe in anima, secunda-
rio autem in corpore? *quem* Spiritum San-
ctum *habetis a Deo* Patre, qui misit et
dedit fidelibus Spiritum Sanctum, imo et
a Filio : sed et Spiritus Sanctus dat se
Joann. xv, 26. ipsum. Propter quod ait Christus : Quum
venerit Paracletus, quem ego mittam vo-
bis a Patre. *Et non estis vestri,* id est
proprii juris ac potestatis. Sed totum quod
habetis et estis, tenemini Deo, ut ad ejus
honorem et gloriam omnia ordinentur.
Rom. xiv, 12. Nam et de omnibus rationem reddemus, B
tanquam de bonis mutuatis. Deo quippe
debemus nos ipsos, non solum ratione
creationis ac gubernationis, sed etiam ra-
tione salvationis. Ideo sequitur :
20 *Empti enim estis,* id est a potestate et
jure diaboli liberati, qui venundati fui-
stis in iniquitatibus vestris, *pretio ma-
gno,* videlicet morte et sanguine Christi,
de quo scriptum est in Apocalypsi : Re- Apoc. v, 9.
demisti nos Deo in sanguine tuo. Hinc
itaque dicit Anselmus : Certe, Domine,
quia me fecisti, debeo me totum ; quia
redemisti me, debeo me totum : imo tan-
to debeo amori tuo plus quam me ip-
sum, quanto tu major es me, pro quo
dedisti te ipsum, et cui promittis te ip-
sum. *Glorificate ergo,* id est, bonis ope-
ribus honorate et gloriosum ostendite, *et
portate Deum in corpore vestro,* id est,
ejus voluntati corpora vestra subjicite,
quæcumque adversa æquanimiter toleran-
do. Itaque Deum in corpore proprio por-
tare, est jugum Domini super se ferre, sic-
ut monet Salvator : Tollite jugum meum Matth. xi, 29.
super vos; et alibi, Tollat crucem suam Luc. ix, 23.
quotidie. Ideo denique inobedienti popu-
lo Dominus loquitur per Jeremiam : A Jer. ii, 20.
sæculo confregisti jugum meum, rupisti
vincula mea ; et dixisti : Non serviam.

ARTICULUS VII

DECLARATIO CAPITULI SEPTIMI : DE QUIBUS AUTEM SCRIPSISTIS MIHI.

DE *quibus autem scripsistis mihi.* Agit C
Apostolus hoc loco de matrimonio.
Pseudo enim apostoli ut puriores ceteris
viderentur, magisque eis crederetur, præ-
dicaverunt nuptias esse vitandas. Quo au-
dito, scripserunt Corinthii Apostolo, quid
tenendum esset de hoc. Quibus respon-
1 det : *De quibus autem scripsistis mihi,*
videlicet de nuptiis observandis vel fugi-
endis, respondeo : *Bonum* simpliciter, id
est perfectum, *est homini* nondum con-
jugato *mulierem non tangere,* id est pe-
nitus continere, et in castimonia Domino D
ministrare. In carne enim sine carne vi-
vere, non humana, sed angelica vita est.
Matth. xix, 12. De talibus ait Salvator : Sunt eunuchi qui
se castraverunt propter regnum cœlorum.
Is. lvi, 5. De quibus ait Dominus per Isaiam : Da-
bo eis nomen melius a filiis et filiabus.
Propter fornicationem autem vitandam, 2
unusquisque vir uxoratus, *uxorem suam,*
id est unam ac propriam, non plures, nec
concubinam, *habeat,* id est retineat, non
rejiciens eam, quasi nuptiæ Deo displice-
ant ; *et unaquæque* mulier maritata, *suum
virum* proprium *habeat,* id est retineat.
Vel si intelligatur de nondum conjunctis,
sensus est, ut qui aliter continere non
possunt, nubant. Multæ autem sunt causæ
institutionis matrimonii, scilicet multipli-
catio hominum, inimicorum reconciliatio,
integratio pacis, evitatio fornicationis, in-
structio et educatio prolis.
Uxori vir debitum reddat, similiter au- 3
tem et uxor viro, exponendo se mutuæ
voluntati, quantum ad commixtionem car-

4 nalem. Cujus ratio subditur : *Mulier po-*
testatem plenam et liberam *sui corporis*
non habet, sed vir, quia non potest viro
debitum denegare, potestque vir illud exi-
gere. *Similiter autem et vir sui corporis*
potestatem non habet, sed mulier. In lege
enim debiti hujus pares sunt, quamvis
in aliis mulieres subditæ esse debeant
5 suis maritis. *Nolite fraudare,* id est cor-
poris usum subtrahere, *invicem, nisi for-*
te ex consensu communi, et hoc, *ad tem-*
Eccle. III, 5. *pus* certum : tempus enim amplexandi, et
tempus longe fieri ab amplexibus; *ut va-*
cetis, id est, devote insistatis, *orationi :*
quæ est ascensus mentis in Deum : pro-
pter quod indiget spirituali elevatione,
quæ per actum carnalem maxime impe-
ditur. Etiam post actum talem, sensus
manent ad tempus minus idonei ad spi-
ritualia opera. *Et iterum,* tempore ora-
tionis completo, *revertimini in id ipsum,*
id est ad pristinam debiti hujus persolu-
tionem, *ne tentet vos Satanas,* id est, ne
diuturnior elongatio a concubitu, fiat vobis
occasio tentationis a dæmone, et incidatis
adulterii crimen, *propter incontinentiam*
vestram, id est, eo quod proni sitis ad
vitia carnis.

6 *Hoc autem,* videlicet ut revertamini in
id ipsum propter incontinentiam vestram,
ne in graviora mala cadatis, *dico secun-*
dum indulgentiam, id est secundum per-
missionem seu concessionem. Matrimoni-
um enim ordinatur etiam in remedium
culpæ. Hæc videtur intentio Augustini hoc
loco. *Non secundum imperium,* id est,
non imperando hæc dico. Non enim ne-
cessarium est ad salutem ita reverti : imo
melius esset, ex consensu abstinere. In-
continentiæ autem malum est, ut vir uxo-
rem cognoscat ultra necessitatem procre-
andi liberos, reddendique debitum, nisi
faciat hoc ne conjux in adulterium ruat
seu peccet : quia hoc fit ad satisfacien-
dum concupiscentiæ : quod est veniale,
quando concupiscentia sistit intra limites
matrimoniales, videlicet quod aliam nol-
let cognoscere. Si vero limites istos ex-

A cedat, erit peccatum mortale, quando vi-
delicet tanto impetu fertur, quod etiam,
quamvis non esset sua, cognosceret eam.
Denique tria sunt bona matrimonii quibus
excusatur, videlicet fides quam mutuo
conjuges servant, proles religiose educan-
da, et sacramentum, ne conjugium sepa-
retur. Quum igitur actus matrimonialis
sit causa prolis generandæ, divinoque cul-
tui mancipandæ, est actus religionis, nec
aliquam habet culpam ; sed est merito-
rius, si fiat ex caritate. Similiter si fiat
B causa reddendi debitum : tunc enim est
actus justitiæ.

Volo autem omnes homines esse sicut 7
me ipsum : id est, quantum in me est,
mallem omnes simpliciter continere : Om-
nes, inquam, indeterminate, non singulos;
vel, Omnes, si convenienter fieri posset,
sicut et ego contineo, qui etiam virgo
sum. *Sed unusquisque* electorum fideli-
um *proprium donum,* id est gratiam si-
bi singulariter datam, *habet ex Deo.* Un-
de de quolibet Sancto cantatur : Non est Eccli. XLIV, 20.
C inventus similis illi. *Alius quidem sic,*
alius vero sic, id est, unus habet gratiam
secundum hunc perfectionis gradum, alius
secundum alium gradum. Idcirco non pos-
sunt omnes ad æqualem perfectionem in-
duci : sed uni consulendum est ut in
castitate permaneat; alii, ut fidem con-
jugalem observet : quorum utrumque Dei
est donum. Hinc etiam quum Christus
de virginitate dissereret, dixit : Non om- Matth. XIX, 11.
nes capiunt verbum hoc ; et, Qui potest Ibid. 12.
capere, capiat.

D *Dico autem non nuptis,* id est virgi- 8
nibus et nondum ligatis, *et viduis : Bo-*
num est illis, id est utile et magis meri-
torium, *si sic permaneant sicut et ego,*
id est, omnino contineant. *Quod si se* 9
non continent, id est, concupiscentiam
non refrenant, *nubant,* matrimonium con-
trahendo. *Melius est enim nubere, quam*
uri, id est igne libidinis æstuare, angi et
vinci. Et est comparatio impropria, vel-
ut si dicatur : Melior est angelus quam
diabolus. Nubere enim, in se bonum

est et sine culpa; uri vero, simpliciter A
malum.
Deinde agit de inseparabilitate matri-
10 monii. *His autem qui matrimonio juncti
sunt,* id est legitime conjugatis, quando
uterque fidelis est, *præcipio non ego,* qua-
si auctor præcepti, *sed Dominus* per se
ipsum, *uxorem a viro non discedere* ha-
bitatione et toro, causa fornicationis ex-
cepta, quæ non exprimitur tanquam no-
tissima. Quam solam Christus excepit :
Matth. XIX, 9. Quicumque, inquiens, uxorem dimiserit, et
aliam duxerit, excepta causa fornicatio- B
nis, mœchatur. Ceteras quippe universas
molestias jubet Christus pro fide conju-
gii et castitate fortiter sustineri, secun-
Ibid. 6. dum Augustinum. Ait enim Salvator : Quod
11 Deus conjunxit, homo non separet. *Quod
si discesserit* mulier a viro, causa forni-
cationis ab ea inexcusabiliter commissæ,
præcipit Dominus *manere innuptam,* id
est alteri non posse matrimonialiter co-
Ibid. 9. pulari, juxta illud : Qui dimissam duxe-
rit, mœchatur; *aut viro suo reconciliari :*
quod fieri potest. Nam sicut vir potest C
in adulterio deprehensam apud se sub
spe correctionis tenere, sic potest repul-
sam, ad torum amicitiamque recipere.
Quamvis autem matrimonium solvatur per
fornicationem quantum ad torum, non ta-
men quantum ad vinculum. Matrimoni-
um enim sic definitur : Matrimonium est
personarum legitimarum conjunctio, in-
divisam vitæ consuetudinem retinens. Por-
ro personæ plene legitimæ sunt, quas
non impedit votum continentiæ, ordo, co-
gnatio, dispar cultus, conditio, vel frigi- D
ditas. Personæ vero omnino illegitimæ
sunt, quas impedit votum, ordo, cogna-
tio, dispar cultus. Personæ vero nec plene
legitimæ, nec plene illegitimæ sunt, per
conditionem et frigiditatem. Si ergo per-
sonæ sunt plene legitimæ, separari non
possunt post copulam carnalem, nisi de
communi consensu, causa fornicationis
excepta. Nam et lepra quamvis dividat
conjugatos quantum ad cohabitationem,
non tamen simpliciter quantum ad torum.

Et vir uxorem non dimittat, nisi ob
fornicationem. Nec semper ob fornicati-
onem potest eam dimittere, ut si ipsemet
eam prostituit, vel cum alia fornicatus
fuerit, vel debitum reddere noluit, vel
eam post adulterium manifeste deprehen-
sam tenuerit, vel si mulier est violenter
oppressa ab alio, sub specie proprii viri
decepta, aut proprium virum probabiliter
mortuum æstimans, alteri est conjuncta.
Supplendum est hic de viro, quod de
muliere prædictum est, scilicet, si disces-
serit, non ducat aliam, vel reconcilietur
uxori.
Consequenter agitur de matrimonio eo-
rum quorum est dispar cultus, ubi vi-
delicet unus est infidelis. *Nam ceteris,* 12
quorum non est uterque fidelis, *ego di-
co,* non imperando, sed consulendo, *non
Dominus* dicit hoc proprie seu immedia-
te, aut imperative. *Si quis frater,* id est
Christianus, *uxorem habet infidelem,* ita
quod eo ad fidem converso, illa in infi-
delitate permansit : in exordio namque
Ecclesiæ multoties alter conjugum con-
vertebatur ad fidem, alio non credente;
et hæc uxor infidelis *consentit habitare
cum illo,* sine injuria seu blasphemia fi-
dei, *non dimittat illam.* Hoc consulo. *Et* 13
si qua mulier ad fidem conversa, *habet
virum infidelem, et hic consentit habitare
cum illa* pacifice, *non dimittat virum.*
Hujus consilii ratio subditur. Intelligenda
tamen sunt hæc, ut aliqui tenent, de his
qui in infidelitate contraxerunt; non de
his qui in dispari cultu contrahunt, quia
tunc non est matrimonium, sed separan-
di sunt, quemadmodum et Esdras fecit. I *Esdr.* X.
Sanctificatus est enim, id est ad fidem 14
conversus, *vir infidelis per mulierem fi-
delem,* id est ex admonitione et instru-
ctione, seu optima conversatione uxoris
fidelis; *et sanctificata est mulier infide-
lis,* scilicet conversa, *per virum fidelem.*
Hoc in primitiva Ecclesia sæpius accidit,
ut unus conjugum converteret alium. Un-
de ob hanc utilitatem consulit Apostolus
ut cohabitent, eo quod cohabitatio sit sa-

lutis occasio. Hinc etiam princeps Apo- A
I Petr. III, 1, 2. stolorum in sua Canonica : Mulieres, in-
quit, subditæ sint viris suis, ut et si qui
non credunt verbo, per mulierum con-
versationem sine verbo lucrifiant, consi-
derantes in timore sanctam conversatio-
nem earum.

Alioqui, id est, nisi secundum consilium
meum feceritis, pariter habitando, *filii
vestri,* et etiam filiæ, quæ nomine filio-
rum dantur intelligi, *immundi essent,* id
est, in infidelitate manerent. Si enim fi-
delis recedit, puer sequitur eum paren- B
tem qui manet in domo, et majorem
populi partem. Et ita in primitiva Ec-
clesia, dum pauci erant fideles infideli-
bus dominis subditi, puer sequebatur ri-
tum parentis infidelis manentis in domo.
Imo si secutus fuisset fidelem parentem
abeuntem, parens infidelis facile recupe-
rasset eum auxilio infidelium principum.
Nunc autem sancti sunt, id est, filii vestri
convertuntur ad Christum, vobis simul
manentibus. Poterat enim alter conjugum
instruere filium. C

Præterea advertendum, quod quia causa
cohabitationis conjugum disparis cultus,
erat spes conversionis errantis, idcirco in
primitiva Ecclesia, quando passim con-
vertebantur Judæi atque gentiles, licuit
Christianis manere cum uxore seu viro
infideli sive gentili, sive Judæa vel Ju-
dæo. Procedente autem tempore obdura-
tis Judæis, non licuit fidelibus cohabitare
conjugi infideli Judæo. Nunc vero genti-
libus quoque obstinatis, non licet alicui
infideli conjugi cohabitare. Et in hoc sen- D
su loquuntur sacri canones, cohabitatio-
nem conjugum disparis cultus prohiben-
tes. Apostolus vero loquitur pro tempore
primitivæ Ecclesiæ.

15 *Quod si infidelis* vir aut uxor *discedit*
a fideli ex odio fidei, *discedat.* Nil enim
mali contingit Christiano, sed liberatus
est, potestque cum alio contrahere. *Non
enim est servituti subjectus frater aut so-
ror in ejusmodi,* id est, vir aut mulier
fidelis non obligatur sequi infidelem dis-
cedentem, vel eum repetere, aut a ma-
trimonio fidelis abstinere. *In pace autem
vocavit nos Deus,* id est, ad hoc nos in
domo sua, quæ est Ecclesia, posuit, ut
pacifice convivamus. Ideo non oportet
cum infideli discedente litigare.

Deinceps persuadet Apostolus, vel quod
non oporteat discedentem sequi, vel quod
expediat habitare cum infideli pacifice
se habenti. *Unde enim scis,* o *mulier* fi- 16
delis, *si virum* infidelem *salvum facies,*
convertendo eum ad fidem ? *Aut unde
scis,* o *vir* fidelis, *si mulierem* infidelem
salvam facies, perducendo eam ad Chri-
stum ? *nisi unicuique sicut Deus divisit,* 17
id est, hoc certo sciri non potest, nisi
per gratiam specialis revelationis, quam
Deus unicuique cui vult dividit, dans uni Rom. XII, 3, 6.
gratiam ampliorem, alteri vero minorem.
Vel sic : Nisi unicuique sicut Deus di-
visit, id est, nisi cognoscas hoc ex futuro
eventu, exspectando gratiam, quam Deus
singulis tradit, ubi, et quando, et quan-
tum, et quomodo sibi placuerit.

Ex præinductis autem infert Apostolus
commune documentum. *Et unumquem-
que sicut Dominus vocavit, ita ambulet,*
id est, quilibet fidelium in ea vocatione
et statu perseveret et Christo deserviat,
in quo a Deo ad fidem vocatus est, sci-
licet : ut qui in conjugio exsistens con-
vertitur, maneat in conjugio ; qui autem
non ligatus convertitur seu vocatur, non
contrahat. Hoc est consilium, non præ-
ceptum : estque intelligendum, quantum
ad ea quæ non repugnant fidei bonisque
moribus. Sunt autem conditiones et con-
suetudines pravæ, in quibus non est am-
bulandum. Nec idem est dicere, ambulare
in statu in quo, et a quo, vocatus est
homo. Nam in statu a quo quisquam vo-
catur, non est standum nec ambulandum,
sed in statu in quo. Sicut enim conjux,
ita et latro vocatur ; sed conjux vocatur
in conjugio, latro a latrocinio, quod fidei
Christi repugnat, et ob id relinquendum
est, non autem conjugium. Per hæc quo-
que non aufertur licentia tendendi ad sta-

tus perfectiores. Hæc ergo doceo vos, *et*
sicut in omnibus Ecclesiis doceo, id est,
sicut et aliis omnibus prædico : ut sit
distributio in genere.
18 Hæc insuper per exempla declarat. *Cir-
cumcisus,* id est in ritu Judaico seu statu
Judaismi, *aliquis vocatus est,* id est, ad
fidem Christi conversus est? *non addu-
cat præputium,* id est, non compella-
tur ritum gentilem assumere seu genti-
liter se habere, quantum ad ea quæ non
sunt de necessitate salutis. In primitiva
enim Ecclesia Judæi et gentiles conversi,
in aliquibus observantiis differebant, ma-
gis quam postea. *In præputio,* id est in
statu et ritu gentilium, *aliquis vocatus
est? non circumcidatur,* imo nec ad ce-
teros ritus Judaicos se transferre cogatur.
Galat. v, 2. Unde et alibi dicitur : Si circumcidamini,
Christus nihil vobis proderit. Servat ergo
Apostolus quod congruere videt Ecclesiis
tam gentilium quam Judæorum, nec au-
fert consuetudinem cujus observatio non
obest saluti, ut asserit Augustinus. Ho-
19 rum autem rationem subjungit : *Circum-
cisio,* id est ritus Judaicus, *nihil est* sub
ratione finis, quia nihil proficit ad ob-
tinendam salutem. Legalia enim quan-
tum ad cærimonialia cessaverunt. Est ta-
men aliquid sub ratione formæ. Simili
modo, *et præputium,* id est status seu
ritus gentilis, *nihil est,* id est, non obest
nec prodest saluti. Quod intelligendum
est, quantum ad ea quæ indifferentia sunt,
non quantum ad opera idololatriæ. *Sed
observatio mandatorum Dei* aliquid est,
quoniam promeretur vitam æternam, jux-
Matth. xix, 17. ta illud : Si vis ad vitam ingredi, serva
I Joann. ii, 5. mandata; item et illud, Qui servat ver-
bum Christi, vere in hoc caritas Dei per-
fecta est. Cui consonat illud Sapientiæ :
Sap. vi, 19. Custoditio legum, consummatio incorru-
ptionis.
20 Hinc concludit Apostolus : *Unusquisque
in qua vocatione vocatus est, in ea per-
maneat.* Cujus intellectus patet ex præ-
dictis. Intellectus tamen verbi hujus di-
ligenter pensandus est : quoniam multi

A male intelligunt, et per consequens nec
intelligunt (quia falsum nescitur), et im-
pertinenter allegant hoc verbum, quasi
non debeat homo æmulari charismata me- *I Cor.* xii, 31.
liora. Verba sancti Apostoli sicut in stilo
simplicia sunt, ita in sensu profunda con-
sistunt, quia ex corde doctissimo proflu-
xerunt. — His autem quæ nunc de circum-
cisione et præputio dicta sunt, consonat
quod ad Galatas scribitur : In Christo Je- *Galat.* vi, 15.
su nec circumcisio aliquid valet, nec præ-
putium, sed nova creatura.
B Post introductionem exempli de ritu
vivendi, ponitur exemplum de statu seu
officio conditionis. *Servus,* id est in ser- 21
vitute hominum exsistens, *vocatus es* ad
fidem vel opera bona? *Non sit tibi curæ,*
id est, non doleas de servitutis conditio-
ne, nec cupias eam effugere. *Sed etsi
potes liber fieri,* id est a servitute hac
liberari, *magis utere* servitute, id est, po-
tius elige in servitute manere, quoniam
est tibi occasio humilitatis, ad veram at-
que in Domino exsistentem libertatem
C pertinentis. Liberat nempe a servitute
peccati, et libertate peccandi. Unde ait
S. Ambrosius : Quanto quis propter Deum
despectior est in hoc sæculo, tanto su-
blimius exaltabitur in futuro. Gregorius
quoque ait : Tanto est homo pretiosior
Deo, quanto propter eum vilior est mun-
do. Et Boetius : Quum omnis, inquit, for-
tuna timenda sit, magis tamen prospera
quam adversa.
Deinde ponitur ratio hujus exempli.
Qui enim in Domino, id est in fide seu 22
D opere Dei, *vocatus est* exsistens *servus,*
id est in conditione servili, loquendo de
servitute humana et corporali, *libertus
est Domini,* id est, de servitute peccati
liberatus est a Domino : estque servus
Domini, et per consequens vere et spi-
ritualiter liber, quoniam Deo servire, re-
gnare est : sicut et beatissima Agatha
dixit, Summa ingenuitas est servitus Chri-
sti. Facit enim liberum ab obligatione
peccati et servitute diaboli. Ideo quoque *Joann.* viii, 36.
Salvator testatur : Si vos Filius liberave-

rit, vere liberi eritis. *Similiter qui vocatus est liber,* id est a prædicta servitute humana immunis, *servus est Christi,* dum ei obedit. Unde nec servitus, nec libertas repugnant obsequio Christi. Servitus tamen majoris boni occasio est : non ergo despiciatur a libero. Hinc quoque in Vitis Patrum narratur de quodam sancto Patre, qui nequaquam acquievit a servitute dominorum suorum liberari.
23 *Pretio,* id est pretioso sanguine Christi, *empti estis* ab obligatione mortis æternæ. Idcirco tam liber quam servus, servi sunt
Apoc. v, 9. Christi. Emit etiam nos Salvator de manu Dei Patris, qui paratus erat projicere
Rom. VIII, 17. nos in infernum, ut essemus coheredes consortesque sui. *Nolite* ergo *fieri servi hominum,* id est, hominibus nolite vos finaliter aut principaliter subdere ; sed vicem reddite Salvatori, et ei estote sub-
Deut. VI, 13. jecti. Scriptum est enim : Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies. Quod licet de servitute latriæ accipi possit, tamen de omni servitute bona intelligi valet, eo quod quidquid servitutis impenditur homini, propter Deum, in Deo, et secundum Deum impendendum sit illi.

Ex his infert Apostolus, quod tamen prædictum est, quatenus repetitio sit con-
24 firmationis indicium. *Unusquisque in quo vocatus est frater,* id est, quilibet frater fidelis in quo statu ad Deum conversus est, *in hoc maneat apud Deum,* id est, in tali statu studeat Deo digne servire.

Expleto matrimonii documento, de vir-
25 ginitate agit Apostolus. *De virginibus autem,* id est de virginitatis atque perpetuæ continentiæ observatione, *præceptum Domini non habeo :* quoniam nec in ve-
Ibid. VII, 14. teri, neque in nova lege præcipitur. Imo in veteri lege maledicitur sterilis. In no-
Matth. XIX, 12. va vero lege habetur : Qui potest capere, capiat. *Consilium autem do* de virginitate servanda, quasi de perfectione majori. Quod utique consilium Christus
Luc. XIV, 26. in Evangelio tradit : Si quis, inquiens, venit ad me, et non odit patrem et ma-

A trem et uxorem, non potest meus esse discipulus, id est imitator perfectus. Potest tamen esse servus. Itaque, Consilium do, *tanquam misericordiam consecutus,* id est gratiam apostolatus adeptus, *a Domino, ut sim fidelis* in officio mihi commisso.

Existimo ergo, id est, quum sim apo- 26
stolus, cujus consilio est credendum, puto, et consulendo affirmo, *hoc,* videlicet in virginitate et jugi continentia permanere, *bonum esse propter instantem necessita-*
B *tem,* id est ad vitandam occupationem conjugatis necessariam : quibus necesse est sollicitari circa temporalem provisionem domus, et prolis atque familiæ. Infirmis et imperfectis infirmam et imperfectam rationem proponit. Poterat enim digniorem causam inducere, videlicet quod status matrimonialis, ratione sollicitudinis sibi adjunctæ, plurimum retrahat a puritate atque fervore, ac stabilitate contemplationis et dilectionis divinæ. Et sicut Augustinus fatetur, virginitas super-
C greditur conditionem naturæ humanæ : per quam homines angelis assimilantur. Major tamen est victoria virginum, quam angelorum. Angeli enim sine carne vivunt, virgines vero in carne triumphant. Ideo subditur : *quoniam bonum est homini sic esse,* id est in virginitate manere. Est enim bonum atque honestum, propter vitæ puritatem ; delectabile, propter animi libertatem ; utile, propter copiosam mercedem. Virginibus quippe debetur au-
reola, et fructus centesimus, ut patet ibi : *Matth.* XIII, 8, 23.
D Sequuntur Agnum quocumque ierit. *Apoc.* XIV, 4.
Alligatus es uxori non solum vinculo 27
matrimoniali, sed etiam copula carnali ? *noli quærere solutionem,* id est separationem a conjuge. Hoc dicit Apostolus, consulendo infirmis, ne incidant culpam majorem. Experti enim delectationem veneream, faciliter revertuntur ad eam. Nihilo minus licet et expedit quærere solutionem causa intrandi religionem, si insit animo firmum continendi propositum, nec aliunde occurrat rationabile im-

pedimentum, videlicet negligentia prolis,
vel periculum conjugis, aut simile ali-
quid. *Solutus es ab uxore?* id est, si
uxorem non habes, *noli quærere uxorem,*
28 si videris te posse continere. *Si autem*
acceperis uxorem bono fine atque legi-
time, *non peccasti,* quum non sit illici-
tum : imo et bene fecisti. *Et si nupserit*
virgo votum virginitatis non habens, *non*
peccavit. Tribulationem tamen carnis, id
est corporalem afflictionem in provisione
temporalium rerum, et in variis curis
sæculi hujus, *habebunt hujusmodi,* id
est vir et mulier. *Ego autem vobis par-*
co, id est, fortiores rationes continendi
vobis non profero, quum sitis incapaces
et infirmi.

Consequenter ostendit Apostolus con-
jugatis formam vivendi, et ad virginalem
perfectionem, quantum fieri potest ap-
29 propinquandi. *Hoc itaque dico, fratres :*
Tempus peregrinationis nostræ seu vitæ
præsentis, *breve est,* prout Scriptura te-
I Par. xxix, 15. statur : Dies nostri sicut umbra super
terram, et nulla est mora. Et Jacobus :
Jacob. iv, 15. Quæ est vita vestra? Vapor est ad modi-
cum parens, deinceps exterminabitur. *Re-*
liquum est, id est, hoc restat, *ut et qui*
habent uxores, sint tanquam non haben-
tes, id est, non nimis carnaliter affician-
tur ad eas, nec actibus carnis totaliter
immergantur, sed quantum fieri potest,
studeant spiritualibus occupari, intentio-
30 nemque finalem ad Deum referre. *Et qui*
flent, id est tristantur, sint *tanquam non*
flentes, id est, consideratione brevitatis
vitæ præsentis, et spe consolationis æter-
næ respirent, et omnem inordinatam ac
sæcularem tristitiam procul abjiciant. *Et*
qui gaudent quocumque modo, sint *tan-*
quam non gaudentes, id est, in gaudio
hujus vitæ non quiescant, nec illud per-
fectum reputent; sed potius horam mor-
tis, diem judicii, pœnas inferni, propria
mala, totiusque mundi peccata pensantes,
ingemiscant, et omnem inanem exsulta-
tionem contemnant. Unde per Sapientem
Eccli. xi, 27. dicitur : In die malorum, ne immemor

A sis bonorum; et in die bonorum, ne im-
memor sis malorum. *Et qui emunt,* sint
tanquam non possidentes, id est, tempo-
ralia habeant non quasi semper mansu-
ra, sed cito auferenda, saltem in morte;
nec inordinate afficiantur ad ea, pen-
santes quod ait Scriptura : Homo quum Ps. xlviii, 18.
dormierit, non sumet omnia; et, Divitiæ Ps. lxi, 11.
si affluant, nolite cor apponere. *Et qui* 31
utuntur hoc mundo, id est divitiis et ce-
teris rebus creatis, sint *tanquam non*
utantur, id est, non finaliter inhæreant
B rebus creatis, nec per eas retardentur a
Deo, sed pro nihilo reputent cuncta ter-
rena, ut ad Dei fruitionem pertingant.
Præterit enim, id est, indesinenter cadit,
senescit et variatur, *figura hujus mundi,*
id est dispositio, pulchritudo, et status
terrenarum ac temporalium rerum, quæ
sunt in transmutatione continua. Propter
quod ait Joannes : Et mundus transit, et I Joann. ii, 17.
concupiscentia ejus. Et in Ecclesiaste ha-
betur : Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, Eccle. i, 14.
et ecce universa vanitas et afflictio spi-
C ritus. Quidam exponunt de innovatione
mundi circa judicium, quando qualitas et
modus exsistentiæ rerum mundanarum
peribit, non ipsa substantia.

Volo autem vos sine sollicitudine, id 32
est superflua cura circa sensibilia, *esse.*
Hæc enim est sollicitudo mala, impediens
libertatem mentis in Deo. De qua dicitur
in Proverbiis : Exspectatio sollicitorum Prov. xi, 7.
peribit; et Philippensibus dicitur, Nihil Philipp. iv, 6.
solliciti sitis. Est quoque sollicitudo bo-
na, quæ est vigilantia mentis circa divi-
D na. De qua legitur apud Michæam : Indi- Mich. vi, 8.
cabo tibi, homo, quid sit bonum : utique
sollicitum ambulare cum Deo tuo. Et ad
Ephesios : Solliciti servare unitatem spi- Ephes. iv, 3.
ritus in vinculo pacis. De hac sollicitu-
dine subditur :

Qui sine uxore est, sollicitus est quæ
sunt Domini, id est, circa spiritualia cu-
ra ejus versatur, *quomodo* scilicet *pla-*
ceat Deo, id est, quatenus corde mundo
et animo diligenti obsequatur Domino, ei-
que placeat. *Qui autem cum uxore est,* 33

sollicitus est quæ sunt mundi, id est, cir- A
ca temporalia sollicitatur, *quomodo pla-*
ceat uxori, et divisus est, id est animo
vagus et affectu partitus : partim quæ-
rens placere Deo, partim uxori ; et par-
tim temporalia, partim spiritualia quæ-
rens. Hæc idcirco dicit Apostolus, quoniam
uxoratus minorem aptitudinem habet ser-
viendi Deo, quam solutus. Sæpe tamen
contingit ut conjugati devotiores sint,
quam soluti vel etiam religiosi. Simili
34 sensu de mulieribus subditur : *Et mu-*
lier innupta, id est vidua, *et virgo, cogi-* B
tat quæ Domini sunt, id est, divina præ-
cepta revolvit, in lege Domini meditatur,
et divina recogitat, *ut sit sancta,* id est
impolluta, munda, et virtutibus perorna-
ta, *corpore et spiritu,* id est anima, qua-
tenus nec corporalia nec spiritualia ha-
beat vitia, sed utrumque divinis obsequiis
mancipet. *Quæ autem nupta est, cogitat*
ea quæ sunt mundi, quomodo placeat vi-
ro. Unde et ipsa divisa est, sicut maritus,
quoniam nullus eorum toto corde inten-
Luc. x, 42. tus est illi uni quod solum necessarium C
est. Si tamen nihil divinæ dilectioni præ-
ponant, vivunt in statu salutis, nec sunt
simpliciter a Deo divisi, ut illi qui mor-
tali vitio dividuntur a Deo, de quibus
Osee x, 2. ait per Osee : Divisum est cor eorum,
nunc interibunt.
35 *Porro hoc,* puta non nubere, *ad utili-*
tatem vestram dico, id est, ad majorem
profectum vestrum consulo ; *non ut la-*
queum, id est fornicationis occasionem,
vobis injiciam, id est proponam. Si enim
Apostolus juberet non nubere, daret im- D
perfectis ad vitia carnis proclivibus, oc-
casionem fornicandi. *Sed* dico et consulo
hoc *ad id,* id est propter id, *quod hone-*
stum est, scilicet ad continentiam obser-
vandam, *et quod facultatem præbeat,* id
est, hominem aptet, *sine impedimento,*
id est sine distractione et molesta solli-
citudine, *Domino obsecrandi,* id est Deum
per sacra invocandi. Casta enim vita, ef-
ficit hominem aptum ad obsecrandum
Dominum mente pura et stabili.

Insuper, agit Apostolus de custodibus
virginum, quia in primitiva Ecclesia erant
patres carnales, et etiam spirituales, ut
episcopi, quorum custodiæ virgines com-
mittebantur. *Si quis autem* custos virgi- 36
num *turpem se videri existimat,* id est,
hoc putat quod ipse aliis turpis videtur,
seu male gratiosus, et inhoneste se ha-
bens ; vel, Turpem se videri existimat, id
est, intra se turpem suspicionem habet ;
super virgine sua, id est de virgine suæ
custodiæ deputata, *quod sit superadulta,*
id est, idcirco quod virgo jam attigerit
annos pubertatis seu nubiles, appareant-
que in ea probabilia signa quod nubere
cupiat, *et ita oportet fieri,* utpote ut vir-
go contrahat, eo quod continere non ve-
lit ; *quod vult* virgo, *faciat* custos ejus,
tradens eam marito ; *non peccat* custos,
si nubat virgo. *Nam qui statuit in corde* 37
suo firmus, id est, custos virginis, qui
stabili proposito mentis ordinavit virgi-
nem suam in virginitate servare, *non ha-*
bens necessitatem tradendi eam viro, eo
quod velit continere, *potestatem autem*
habens suæ voluntatis, id est de secura
custodia virginis, ita quod potest volun-
tatem suam implere, per hoc quod virgo
sibi consentit, *et hoc judicavit in corde*
suo, id est, ex judicio rationis dictavit,
servare virginem suam quam custodit, in
virginitate, *bene facit. Igitur et qui ma-* 38
trimonio jungit, id est, marito legitimo
tradit, *virginem suam, bene facit.* Facit
enim rem licitam. *Et qui non jungit* vir-
ginem viro vinculo matrimoniali, *melius*
facit. Magis enim meritorium est, virgi-
nem in virginitate servare, quam marita-
re, ceteris paribus : quia ad majus bonum
cooperatur virgini, qui servat eam in vir-
ginitate, quam qui copulat eam viro.
Mulier alligata est viro vinculo conju- 39
gali, quia nec potest discedere, nec al-
teri nubere, *quanto tempore vir ejus vi-*
vit, id est toto tempore corporalis vitæ
sui mariti. *Quod si dormierit* somno mor-
tis, id est obierit, *vir ejus, liberata est* a
vinculo conjugali. Unde infertur, quod si

vir ejus resuscitaretur, non teneretur eum
recipere. *Cui vult nubat,* id est, virum
sibi placentem recipiat, si continere non
velit, *tantum in Domino,* id est, secun-
dum voluntatem Dei hoc fiat, videlicet
secundum ordinationem Ecclesiæ. Per hoc
Apostolus innuit, quod debent nuptiæ esse
spontaneæ. Coactæ enim seu invitæ, ma-
lum exitum consueverunt sortiri. Propterea
Gen. xxiv, 57. in Genesi de Rebecca inducitur : Vocemus
puellam, et quæramus ejus voluntatem.
Postremo Apostolus dat consilium con-
40 tinentiæ vidualis. *Beatior autem erit* vi-
dua, in præsenti per gratiam, et in futuro
per gloriam, *si sic,* id est in statu vidui-
tatis, *permanserit secundum meum con-
silium,* id est secundum intentionem fi-

A nalem mei consilii, utpote propter hoc ut
Domino liberius vacet. Si autem vidua per-
manendo in deliciis vixerit, vivens mor- I *Tim.* v, 6.
tua est; et melius esset ei nubere, atque
statum conjugalem bene servare, quam
taliter viduam esse. Ne autem quis putet
consilium Apostoli esse humanum et pa-
rum curandum, adjecit : *Puto autem.* So-
brie loquitur, minusque dicit, et majus
significat, ut sit sensus : Puto, id est, cer-
te scio, *quod et ego Spiritum Dei,* id est
Spiritum Sanctum, *habeam,* habendo do-
B na ipsius, prout gradus apostolatus requi-
rit : ideo consilium meum Deo inspirante
conceptum est, et tute creditur mihi. Ro-
manis enim dixit supra : Nos ipsi primi- *Rom.* viii, 23.
tias Spiritus habentes.

ARTICULUS VIII

ELUCIDATIO CAPITULI OCTAVI : DE HIS AUTEM QUÆ IDOLIS SACRIFICANTUR, ETC.

POSTQUAM Corinthios instruxit Apo-
stolus de virginitate, matrimonio, et
viduitate, nunc plenius instruit eos de
idolothytis, id est immolaticiis idolorum,
seu rebus quæ idolis immolantur, et ait :
1 *De his autem quæ idolis sacrificantur,* id
est, de materiis quas gentiles offerunt ido-
lis suis, an liceat talibus vesci vel non,
scimus ego et vos, quid sit tenendum,
quoniam omnes nos *scientiam habemus*
tantam de Creatore et creaturis, ut non
dubitemus de isto negotio. Hoc dicit Apo-
stolus de se et perfectioribus inter Co-
rinthios.
Denique quidam Corinthiorum in sua
scientia gloriantes, manducabant idolothy-
ta indistincte coram omnibus, etiam in
Rom. xiv, 20. idolio. Scientes enim omnia creata mun-
da esse ex creatione, in suo genere, nec
I *Tim.* iv, 4. aliquem cibum rejiciendum qui cum gra-
tiarum actione sumitur, nec carnes idolis
immolatas aliquam consecrationem habe-

C re ex tali oblatione, ut opinabantur gen-
tiles, nec aliquam immunditiam contra-
here, ut arbitrabantur Judæi, sed omnia *Tit.* i, 15.
munda esse mundis; comedebant idolothy-
ta indifferenter, et ex hoc scandalizaban-
tur infirmi, putantes eos talia edere sub
idolorum veneratione. Hos ergo Apostolus
increpat, innuens scientiam eorum fuisse
non discretam, nec perfecta caritate for-
matam, sed vanam. Ideo subdit : *Scientia
inflat,* id est, si non sit caritati conjun-
cta, occasio est superbiendi. Omnia enim
D quæ ad excellentiam pertinent, ut scien-
tia, eloquentia, pulchritudo, etc., si non
caritate regantur, inducunt superbiam. Ho-
mines autem artes docti, scientiæ nobili-
tatem scientes, faciliter intumescunt, et
indignantur si aliquid fiat contra volun-
tatem ipsorum. Unde in Ecclesiaste dici-
tur : In multa scientia, multa est indigna- *Eccle.* i, 18.
tio; et in Isaia, Sapientia tua et scientia *Is.* xlvii, 10.
tua decepit te. Si autem scientia perficia-

tur caritate, plurimum prodest. Sicut er-
Joann. vi, 64. go caro non prodest quidquam, ita scien-
tia inflat. Hoc tamen est per accidens, non
per se. *Caritas vero ædificat,* id est, aliis
exempla virtutum præbet. Facit enim ho-
minem caritative se habere ad proximum,
promovendo bonum illius, et condescen-
I Cor. xiii, 5. dendo defectibus ejus ; nec quærit quæ
sua sunt, sed quæ aliorum.
2 *Si quis autem se existimat scire ali-
quid* quasi ex se ipso, et gloriatur in se,
non in Domino, *nondum cognovit quem-
admodum oporteat eum scire,* id est, im-
perfectam scientiam habet, nec scit quid
sibi desit. Non enim humiliter sentit de
semetipso, nec gratus est Deo, nec exem-
plarem se exhibet proximo. Ideo in Pro-
Prov. xxvi, 12. verbiis Salomon dicit : Vidisti hominem
sapientem sibi videri? magis illo spem
Is. v, 21. stultus habebit. Et dicit Isaias : Væ qui
sapientes estis in oculis vestris. Modus er-
go sciendi discendus est, scilicet, ut sci-
entia in humilitate fundetur, caritate per-
ficiatur, bonis operibus comprobetur ac
manifestetur, secundum quod Jacobus di-
Jacob. iii, 13. cit : Quis sapiens et disciplinatus inter
vos? ostendat ex bona conversatione ope-
rationem suam in mansuetudine sapien-
3 tiæ. *Si quis autem diligit Deum, hic co-
gnitus est ab eo,* cognitione approbationis,
Exod. xxxiii, 17. de qua Deus ait ad Moysen : Te ipsum
novi ex nomine. Unde reprobis loquitur :
Matth. xxv, 12. Nescio vos. Loquendo autem de scientia
visionis, Deus bonos et malos cognoscit.
4 *De escis autem quæ idolis immolantur,
scimus,* id est, scientiam veram habemus,
sic quod liceat eis uti, dummodo fieri va-
leat sine scandalo aliorum : non enim
consecrationem vel abominationem con-
sequuntur ex hoc quod idolis immolan-
tur. Cujus rationem assignat Apostolus :
quia nihil est idolum in mundo, id est,
idolum nihil est quantum ad id quod
esse putatur : quia nec aliquam divinita-
tem sortitur, nec repræsentat aliquid quod
veram Deitatem participet. Tamen mate-
ria idoli aliquid est, scilicet aurum, ar-
gentum, æramentum, etc. Forma quoque

A artificialis inducta materiæ, aliquid est,
scilicet qualitas. Porro, ut refert Valerius
Maximus, quidam gentilium coluerunt ido-
la tanquam animata et divinitatem quam-
dam habentia. Nam ut recitat Augusti-
nus, Hermes dicebat : Sicut cœlestium
deorum fictor est summus Deus, sic deo-
rum qui in templis coluntur fictor est
homo. Statuas (inquit) animatas dico, sen-
su et spiritu plenas, futurorum præscias,
hominibus imbecillitatem et sospitatem
inducentes. Quum ergo secundum verita-
B tem idola non sint animata, patet quod
idolum nihil sit quantum ad id quod isti
senserunt de idolo. Alii vero coluerunt
idola tanquam deorum imagines. Sed quo-
niam non sunt dii, qui per idola repræ-
sentabantur, videlicet Jupiter, Mercurius,
Mars, Saturnus, Hercules, etc., et omnes Ps. xcv, 5.
dii gentium dæmonia : constat quod ido-
lum nihil sit secundum id quod isti de
idolo putaverunt. Quod autem iste sit sen-
sus Apostoli, sequentia verba testantur :
et quod nullus Deus nisi unus, videlicet
C Trinitas benedicta, quæ est unus verus
simplicissimus Deus, qui in Deuterono-
mio dicit : Videte quod ego sim solus, et Deut. xxxii, 39.
non sit alius Deus præter me. De quo ait
Psalmista : Quoniam quis Deus præter Ps. xvii, 32.
Dominum, aut quis Deus præter Deum
nostrum?
Quod vero non sit nisi unus Deus, de-
clarat Apostolus. *Nam et si sunt,* id est, 5
quamvis sint aliqui, *qui dicantur dii* par-
ticipatione Divinitatis, videlicet propter
excellentiam gratiæ, et imitationem per-
D fectionis divinæ; *sive in cœlo,* sicut sunt
angeli et comprehensores universi. Unde
dicitur in Psalmo : Deus deorum Domi- Ps. xlix, 1.
nus locutus est; et, Non est similis tui Ps. lxxxv, 8.
in diis, Domine. *Sive in terra,* ut homi-
nes virtuosi, præsertim viri heroici. Nam
et Moysi locutus est Dominus : Ecce con- Exod. vii, 1.
stitui te deum Pharaonis. *Siquidem sunt
dii multi, et domini multi,* participatio-
ne divinitatis atque dominii Dei altissimi,
non natura : sicut Apostoli, de quibus ait
Scriptura : Principes populorum congre- Ps. xlvi, 10.

gati cum Deo Abraham, quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt. Illud
Ps. LXXXI, 6. quoque, Ego dixi, Dii estis, Christus in
Joann. X, 34, 35. Evangelio exponens, disseruit : Illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est (quales fuerunt Prophetæ).

6 *Nobis tamen* veri Dei cultoribus, est *unus Deus* verus, scilicet *Pater* æternus, *ex quo omnia* profluxerunt; *et nos in illo* sumus per caritatem et gratiam, sicut in ultimo fine ac primo principio. *Et est* nobis *unus Dominus Jesus Christus, per*
Ibid. I, 3. *quem omnia*. Omnia enim per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Christus autem secundum divinam naturam est Dominus omnium per auctoritatem, tanquam creator; secundum humanitatem quoque est Dominus omnium, per dominii participationem. Unde et ipse ait :
Matth. XXVIII, 18. Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. *Et nos per ipsum,* id est, per Christum formati sumus in esse naturali, in quantum creator et Deus est. Per ipsum quoque reformati sumus, et in esse gratiæ constituti, in quantum est salvator per humanitatem assumptam. Per hoc autem quod ait, Nobis unus Deus Pater, et unus Dominus Jesus, non datur intelligi quod Pater non sit Dominus, vel quod Filius non sit Deus; sed nec Spiritus Sanctus excluditur, quamvis non exprimatur. Christum autem nominat Dominum, quia secundum utramque naturam
Hebr. II, 7-9. convenit ei dominium, et ei specialiter subjecta sunt omnia. Imo ipse sua humiliatione ac passione meruit omnium Dominus et judex constitui, secundum naturam assumptam.

7 *Sed non in omnibus est scientia* ista salutaris ac theologica, per quam de Patre et Filio ceterisque prædictis recte sentitur. *Quidam autem cum conscientia usque nunc idoli,* id est, quidam omnino imperfecti usque nunc, id est post conversionem suam ad fidem sicut et ante, cum conscientia idoli, id est cum æstimatione qua putant idolum esse divinum ac honorandum, *quasi idolothytum man-*

A *ducant,* id est, materiam idolis immolatam manducant, non solum ut escam quamdam, sed tanquam escam ex immolatione hujusmodi consecratam, videlicet in reverentiam idoli; *et conscientia ipsorum* sic manducantium, *quum sit infirma,* quia facile scandalizatur, *polluitur* accidenter per illos qui habent scientiam veram de Deo et idolothytis, sed inflantem, non caritate formatam. Infirmi namque videntes illos in idolio manducare idolothyta, æstimabant eos hoc agere in reverentiam idoB lorum, et ita fecerunt similiter.

Esca autem sumpta vel non sumpta, 8
seu ipsa corporalis comestio, *nos non commendat,* id est, gratos et placentes non efficit, *Deo,* in quantum esca seu comestio. Non enim regnum Dei est esca et Rom. XIV, 17.
potus, ut patuit, sed fides vera de edendo aut vitando idolothyta, caritasque fraterna. *Neque enim si non manducaverimus* escam idolis immolatam, *deficiemus,* id est, a gratia excidemus, aut spiritualium donorum detrimentum patiemur; *neque* C *si manducaverimus* escam talem, *abundabimus* gratia spirituali. — Quum ergo, o Corinthii doctiores, vestra comestio infirmos scandalizet, et vobis non prosit, certum est quod non secundum caritatem Ibid. 15.
ambulatis, nec habetis ordinatam scientiam.

Videte autem, vos ceteris doctiores, *ne* 9
forte hæc licentia vestra, qua licet vobis in certo casu idolothyta manducare, et item in casu vitare, *offendiculum fiat,* id est, scandalum generet, *infirmis,* si vi-
D derint vos uti incaute vestra licentia. *Si* 10
enim quis, id est aliquis infirmorum in fide et gratia, *viderit eum qui habet scientiam,* id est eum qui scit quando vel quomodo liceat idolothytis vesci, *in idolio recumbentem,* id est coram idolo idolothyta manducantem; *nonne conscientia illius, quum sit infirma,* id est prona ad malum, *ædificabitur,* id est, tuo exemplo inducetur et animabitur, *ad manducandum idolothyta,* id est idolorum sacrificia? non eo animo quo tu, qui scis sa-

crificia talia nec consecrata esse, neque
immunda, nec in honore idolorum su-
menda; sed ipse incipit edere sacrificia
illa in reverentiam idoli, putans illic esse
aliquid numinis, quoniam cernit fratrem
suum peritum ibi comedere, nec horre-
11 re. *Et* ita *peribit,* id est, damnationem
incurret, *infirmus in tua scientia,* id est
occasione tuæ scientiæ, scilicet exemplo
comestionis tuæ quam tu ex scientia tua
facis, o *frater* perite, qui scis quo animo
vescendum sit idolothyto, *propter quem*
infirmum salvandum *Christus mortuus est,*
Luc. xix, 10. qui venit quærere et salvum facere quod
perierat?
12 *Sic autem peccantes in fratres,* eos
scandalizantes, et eorum saluti non pro-
videntes, *et percutientes,* id est, lædentes
et corrumpentes spiritualiter, *conscienti-
am eorum infirmam* ense exempli pestife-
ri, *in Christum peccatis,* quoniam membra
ejus ei aufertis, regnum Christi minui-
tis, pretium sanguinis ejus parvi pendi-
tis, ejusque præceptis repugnatis. Ipse si-
quidem locutus est: Videte ne contemnatis Matth. xviii, 10.
unum ex his pusillis; et rursum, Qui scan- Ibid. 6.
dalizaverit unum ex his pusillis, expedit
ei ut suspendatur mola asinaria in collo
ejus, etc. Quicumque ergo peccat in pro-
ximum, peccat in Christum, præsertim
quum dicat: Quod uni ex meis fecistis, Ibid. xxv, 40.
mihi fecistis; et iterum, Qui tetigerit vos, Zach. ii, 8.
tanget pupillam oculi mei. *Quapropter,* 13
videlicet quia in proximum peccans, pec-
cat in Christum, *si esca,* id est sumptio
cibi prædicti, vel cujuscumque alterius
quo licite vesci et non vesci possum, *scan-
dalizat fratrem meum,* id est fidelem,
non manducabo carnem, cujus esus fra-
trem scandalizat, *in æternum,* id est toto
tempore vitæ meæ: non quod esca aut
sumptio ejus in se mala exsistat, sed *ne
fratrem meum scandalizem* in re quam
sine peccato omittere possum. Unde et
alio loco dixit: Noli cibo tuo perdere il- Rom. xiv, 15.
lum pro quo Christus mortuus est. Quid
autem pro vitando alterius scandalo omit-
tendum sit, et quid non, dictum est ante. Ibid. 13.

ARTICULUS IX

EXPLANATIO CAPITULI NONI: NON SUM LIBER?

FREQUENTER docet Apostolus absti-
nendum a licitis, ne scandalizentur
pusilli. In fine enim præcedentis capituli
I Cor. viii, 13. dixit se potius nunquam carnibus vesci,
quam fratrem scandalizare. Ad hanc ergo
perfectionem alios suo exemplo volens in-
1 ducere, ait: *Non sum liber?* Interrogat,
et interrogando affirmat, ut ostendat quam
irrationabile sit sentire oppositum. Ait er-
go: Non sum liber? id est, imo liber
sum, seu potestatem liberam habens ac-
cipiendi stipendia vitæ, seu sumptus, ab
his quibus evangelizo, quemadmodum alii
Apostoli faciunt. Sicut ergo liber sum ac-
cipere, nec tamen accipio, ne aliquem
scandalizem, ita et vos abstinete a licitis,
ne quempiam scandalizetis.

Et quoniam pseudoapostoli persuaserunt
Corinthiis Paulum non esse apostolum, et
ob id doctrinam ejus esse spernendam,
eo quod cum Christo in carne conversa-
tus non fuit; ideo subdit Apostolus: *Non
sum apostolus?* id est, imo vere apostolus
sum, sicut probat apostolatus mei causa.
Nam, *Nonne Christum Jesum Dominum
nostrum vidi* oculo intellectuali, tempo-
re raptus mei usque ad tertium cœlum, II Cor. xii, 2-4.
quando vidi sanctam Trinitatem per spe-
ciem, et Christum in dextera Patris? Vel,
in via qua ivi Damascum. Et dicit Lyra Act. ix, 3 et seq.

hoc scriptum non esse, quia dicitur in A
Act. ix, 4. Actibus, quod audivit vocem sibi dicen-
tem. Diligentius tamen pensando, hoc uti-
que scriptum est. Legitur enim ibi, quod
Ibid. 27. Barnabas apprehensum illum duxit ad
Apostolos, et narravit eis quomodo in via
vidisset Dominum. Nisi forte dicatur, quod
per viam intelligatur ibi etiam Damascus,
ubi erat in raptu. — Deinde ostendit idem
ex sui apostolatus effectu. *Nonne opus
meum,* id est spirituales filii mei, per
gratiam apostolatus mei ad fidem conver-
si, *vos estis in Domino,* id est adjutorio B
2 Dei, vel ad gloriam ejus. *Et si aliis* qui-
bus non prædicavi, vel Judæis ad quos
missus non sum, sic *non sum apostolus,*
quia officium apostolatus eis non mini-
stravi ; *sed tamen vobis sum* apostolus.
Nam signaculum, id est evidens signum,
apostolatus mei, id est apostolicæ pote-
statis et gratiæ, *vos estis in Domino,* quia
ex vestra conversione innotescit, me esse
efficacem apostolum. Nec enim minus ha-
betis per me, quam alii per Apostolos
3 alios. Idcirco, *Mea defensio,* id est ratio C
qua defendor et comprobor esse aposto-
lus, *apud eos qui me interrogant,* id est,
ex dubitatione inquirunt, an sim aposto-
lus, *hæc est* quam assignavi, videlicet quod
vos estis signaculum apostolatus mei.

Consequenter demonstrat se liberum es-
se ad sumendum stipendia vitæ ab his
4 quibus evangelizavit. *Numquid non ha-
bemus potestatem* liberam *manducandi et
bibendi,* id est victum sumendi ab aliis?
5 *Numquid non habemus potestatem soro-
rem mulierem circumducendi,* id est ma- D
tronam devotam unam vel plures ducendi
nobiscum circumquaque, ut nobis neces-
saria vitæ ministret? *sicut et ceteri Apo-
stoli* faciunt, *et fratres Domini,* id est fi-
lii sororum Matris ejus, videlicet Joannes,
Jacobus, Judas, *et Cephas,* id est Petrus
Joann. i, 42. archiapostolus, qui a Christo dictus est
Cephas. Cephas autem interpretatur ca-
put. Non solum autem Apostoli, sed et
Luc. viii, 2, 3. Christus circumduxit feminas religiosas,
quæ sibi de suis facultatibus ministra-
bant. Sequebantur enim Christum atque
Apostolos desiderio audiendi verbum re-
gni cœlestis. *Aut solus ego et Barnabas,* 6
quibus alii Apostoli dederunt dexteras so- Galat. ii, 9.
cietatis, *non habemus potestatem hoc ope-
randi* quod faciunt alii Apostoli? Omnia
ista interrogat, et interrogando affirmat
quod sic. Quod probat per similitudines
quasdam humanas, justas atque legales.
Quis militat, id est, rem publicam pu- 7
gnando defendit, *suis stipendiis,* id est
propriis sumptibus, *unquam?* quasi di-
cat, Nemo. Dantur enim militibus statuta
stipendia a populo terræ quam defen-
dunt. Unde aiebat Joannes Baptista mili-
tibus : Contenti estote stipendiis vestris. Luc. iii, 14.
*Quis plantat vineam, et de fructu ejus
non edit?* Semper enim fere plantantes
vineam, comedunt uvam bibuntque vi-
num. *Quis pascit gregem* ovium, *et de
lacte ejus non manducat?* Hoc enim non
solet accidere.

Numquid secundum hominem hæc di- 8
co? id est, numquid per humanam con-
suetudinem tantum hæc probo? *An et lex*
Moysis *hæc non dicit?* Utique. *Scriptum* 9
est enim in lege Moysis : Non alligabis, Deut. xxv, 4.
id est, non claudes, *os bovi trituranti,* id
est, pabulum vitæ non subtrahes ei. Et
ne putemus hoc principaliter dictum de
bruto, subjecit Apostolus : *Numquid de
bobus cura est Deo?* tanquam dicat, Ne-
quaquam. Sed repugnare videtur illud in
Psalmo : Qui dat jumentis escam ipso- Ps. cxlvi, 9.
rum ; et in Job, Quis præparat corvo es- Job xxxviii, 41.
cam, quando pulli ejus clamant ad Deum
vagientes, eo quod non habeant cibos?
Sapiens quoque ait : Non est alius Deus Sap. xii, 13.
quam tu, cui cura est de omnibus. Et
respondendum, quod divina providentia
ad omnia, etiam minima, se extendit, sin-
gulariter tamen respicit intellectuales cre-
aturas, secundum quod sunt felicitatis ca-
paces. Et talem singularem providentiam
insinuat modo Apostolus nomine curæ,
quod Deus quasi sollicitus est de homi-
num provisione, sicut testatur Psalmista :
Dominus sollicitus est mei. Et alibi scri- Ps. xxxix, 18.

I Petr. v, 7. ptum est : Omnem sollicitudinem vestram
projicientes in eum, quoniam ipsi cura
est de vobis.
10 *An* non *propter nos,* id est ad nostram
instructionem moralem, *hæc dicit* scri-
ptura præfata ? quasi dicat, Imo. Unde
subjungitur : *Nam propter nos utique*
scripta sunt hæc atque similia : juxta il-
Rom. xv, 4. lud, Quæcumque scripta sunt, ad nostram
doctrinam scripta sunt; *quoniam debet in*
spe, qui arat, arare, id est, prædicator,
prælatus seu doctor, qui est spiritualis
arator, vomere verbi cœlestis aperiens,
purgans et fecundans corda audientium,
arare, id est in agro dominico seu vinea
Domini, quæ est Ecclesia, laborare, et cor-
da audientium a vitiis expurgare debet
in exspectatione stipendii temporalis, ut
detur sibi victus necessarius. Non tamen
finaliter operari debet propter temporale
stipendium, sed propter regnum cœlo-
rum, vel potius propter Deum, id est so-
lo Dei intuitu, ad ejus honorem, ex sin-
cero amore ad ipsum. *Et qui triturat,* id
est, minister verbi Dei, qui more tritu-
rantis ex cordibus hominum vitia tan-
quam paleas excutit, virtutes autem in
corde relinquit, condit ac firmat, sicut
grana conduntur in horreo, debet hæc fa-
cere *in spe fructus percipiendi,* id est in
exspectatione sustentaculi suæ vitæ, eo
modo ut de arante expositum est. Hoc
tamen est permissio, non præceptum :
alioqui Paulus peccasset, qui ita non fe-
cit. Denique comparatio ista Apostoli, par-
Is. xxviii, 24-28. tim sumpta videtur ex his quæ in Isaia
de arante ac triturante mystice describun-
tur. Erat etenim Apostolus in lege et Pro-
phetis eruditissimus, non solum ex illumi-
natione divina, sed etiam ex instructione
Act. xxii, 3. humana, quia ad pedes Gamalielis didicit
legem.

Adhuc autem probat Apostolus per ra-
tiones, quod liceat prædicatoribus Christi
11 recipere victum ab auditoribus. *Si,* pro
Rom. xv, 27. Quia, *nos vobis spiritualia seminavimus,*
id est, sacras doctrinas et bona gratiæ
communicavimus, quæ a Spiritu Sancto
adepti sumus, *magnum est si carnalia*
vestra metamus? id est, non est magni
pendendum si a vobis temporalia commo-
da, scilicet sustentacula vitæ, recipimus,
quum non sit comparatio spiritualium
temporaliumque bonorum in dignitate.
Unde et quidam philosophi non digna-
bantur a suis discipulis aliquid tempora-
le exigere, ne viderentur scientiam sen-
sibilibus rebus comparare.

Deinde ponitur alia ratio. *Si alii,* id 12
est alieni a Christo, videlicet pseudoapo-
stoli, *potestatis vestræ,* id est rerum quæ
in potestate vestra consistunt, *participes*
sunt, utendo eis sicut et vos, *quare non*
potius nos participare poterimus bona ve-
stra, qui vobis viam salutis ostendimus?
Sed non usi sumus hac potestate, id est,
non recepimus stipendia vitæ a vobis, sic-
ut juste potuimus. Quod tamen non con-
tingit ex hoc quod non indiguimus ; *sed*
omnia sustinemus, id est, quemcumque
manuum laborem et victus inopiam æqua-
nimiter patimur, *ne quod offendiculum,* id
est, ne aliquod impedimentum vel repre-
hensionis notam, *demus Evangelio Chri-*
sti, id est evangelicæ prædicationi. Si enim
recepisset Apostolus aliquid a Corinthiis,
forte æstimassent nonnulli quod propria
lucra quæreret, vel minus libenter audis-
sent eum, vel exemplo ejus alii accepis-
sent plura a Corinthiis, et eos gravassent,
sicque retardata et minus accepta fuisset
evangelicæ prædicationis doctrina.

Rursus redit Apostolus ad ostendendum,
quod liceat sibi de eorum sumptibus vi-
vere, quibus prædicavit, et ponit simili-
tudines et exempla. *Nescitis quoniam qui* 13
in sacrario, id est in templo Judæorum,
operantur, ut inferiores ministri sive ar-
tifices, *quæ de sacrario sunt, edunt,* id
est bonis seu oblationibus templi susten-
tantur, videlicet de denariis qui in gazo-
phylacio reponuntur? Nescitis etiam quoni-
am *et qui altari deserviunt,* id est Domino
in altari, ut sacerdotes, *cum altari par-*
ticipant, id est, de oblatis in altari par- Lev. vi, 16, 26; vii, 6, 14, 32-34.
tem sortiuntur, de qua sustentantur (ut

14 patet in Levitico)? *Ita et Dominus,* id est A
Christus, *ordinavit his qui Evangelium*
annuntiant, de Evangelio vivere, id est
necessaria vitæ ab his quibus prædicant,
sumere. Quum enim dixisset Salvator di-
Luc. x, 3. scipulis, Ecce ego mitto vos, adjecit : In
Ibid. 7. eadem domo manete, edentes et bibentes
quæ apud illos sunt : dignus est enim
operarius mercede sua.
15 *Ego autem nullo horum,* id est nec
auctoritate, nec potestate, neque exemplo
prædicto, *usus sum,* quia nihil recepi a
vobis. *Non autem scripsi hæc,* id est, non B
tot modis probavi quod liceat vivere de
stipendio aliorum, *ut ita fiant in me,* id
est, ut mihi dentur sumptus ab aliis, sic-
ut prædictæ rationes ostendunt licere. *Bo-*
num est enim mihi magis, id est, potius
expedit, *mori* corporaliter, *quam ut glori-*
am meam, id est præmium mihi paratum
de hoc quod evangelizo nihil recipiendo
temporalis stipendii, ne quod offendicu-
lum ponam Evangelio, *quis evacuet,* id
est, auferat a me, impediendo me ab ope-
re supererogationis tam sincero et carita- C
tivo. Melius enim esset mori in corpore,
quam detrimentum æternæ felicitatis in-
currere. Melius etiam esset mori, quam
unum veniale peccatum committere.
16 *Nam si evangelizavero* propter sum-
ptus acquirendos finaliter, *non est mihi*
gloria, id est merces apud Deum in pa-
tria ; *necessitas enim mihi incumbit,* id
est, indigentia vitæ præsentis et corpo-
ralis me cogit evangelizare, ut habeam
unde sustenter. *Væ enim mihi est,* id est,
periculum mortis, seu magna penuria, at- D
que afflictio vitæ mihi instat in tali casu
inopiæ, *si non evangelizavero,* quoniam
17 aliunde victum non habeo. *Si enim vo-*
lens hoc ago, id est, si ex caritate et li-
bere evangelizo, *mercedem habeo,* id est,
vitam æternam coram Deo promereor; *si*
autem invitus, id est, si propter necessi-
tatem indigentiæ et commodum tempora-
le, Evangelium prædico, *dispensatio* ser-
vilis, non filialis, *mihi credita est,* id
est, permissa est mihi, videlicet ut aliis

verbum salutis annuntiem, et ego fructum spiritualem non habeam, sicut servus expendit bona domini sui sine proprio profectu et commodo. Id quippe propter quod aliquid finaliter agitur, magis diligitur, quia pro finali bono assumitur. Plus namque amatur finis quam media : sicut in arte medicinæ, magis diligitur sanitas quam potio, sectio, diæta, et alia quæ ordinantur ad sanitatem. Si ergo prædicator verbi cœlestis prædicet principaliter seu finaliter propter aliquid temporale, jam magis diligit illud, quam vel Deum, vel proximorum salutem, vel ipsum Evangelium. Idcirco apud Deum mercedem non habet, sed dispensatio servilis credita est ei. Si vero evangelizet propter Deum finaliter, nec proximorum saluti præponat quodcumque temporale stipendium sive lucrum, sed illud recipiat tanquam instrumentum evangelizandi, videlicet pro corporis sustentatione, ut possit prædicationi insistere (quod non potest sine corporis sui necessaria sustentatione), meretur vitam æternam. Nec duos fines constituit, sed unum quærit propter aliud, scilicet stipendium vitæ, ut actui virtuoso insistat, et totum refert ad Dei honorem.

Verumtamen ad supererogationem spectat, ut etiam temporale omne stipendium omittatur, ea ratione qua Apostolus illud omisit. Unde et aliqui prædictum locum ita exponunt : *Nam si evangelizavero* propter sumptum, quamvis non finaliter, *non est mihi gloria* supererogationis ; *necessitas enim* præcepti *mihi incumbit* ut evangelizem, sicut et ceteris Apostolis. *Væ enim mihi est, si non evangelizavero,* quoniam essem transgressor præcepti. Hanc expositionem non satis intelligo. Constat enim quod alii Apostoli propter divinum præceptum prædicaverunt, et sumptum ab aliis acceperunt, non tamen supererogationis præmium perdiderunt. Nisi forte dicatur quod non tantum meruerunt illo, quantum Paulus. Sed nec hoc videtur sufficere ad hoc, ut verba sequentia continuentur prædictis.

18 Præterea dicit Apostolus : *Quæ est ergo* A
merces mea? id est, quum prædicta ita
se habeant, in quo consistit præmium me-
um? et quomodo promerebor mercedem
apud Deum, videlicet vitam æternam? Et
respondet : *Ut Evangelium prædicans, si-*
ne sumptu, id est non intuitu tempora-
lis stipendii, *ponam Evangelium,* id est,
evangelicam veritatem aliis prædicem, sed
ad Dei honorem, *ut non abutar,* id est,
non inordinato fine utar, *potestate mea,*
qua licet mihi stipendium vitæ recipe-
re : potestate, inquam, mihi concessa *in* B
Evangelio, id est in prædicatione evan-
gelicæ legis. Hac autem potestate abute-
rer, si aliquid importune exigerem, vel
indiscrete reciperem.

Quod vero potestate mea abusus non
19 sim, patet per hoc : *Nam quum liber es-*
sem ex omnibus, id est nulli obligatus
propter merita ejus, quia a nullo quid-
quam recepi propter quod eis prædica-
rem, *omnium me servum feci,* id est, per
spontaneam humilitatem subjeci me Deo
et proximis, ut omnium utilitatibus de- C
servirem, prædicando, orando, compatien-
do, parcendo, et succurrendo, *ut plures*
lucrifacerem, id est, ad veram salutem
cooperando perducerem, creditaque talen-
20 ta fructuose expenderem. *Et factus sum*
Judæis tanquam Judæus, id est, ad Ju-
dæos ita me habui, quantum fieri potuit
sine offensa Dei, condescendendo eis in
licitis, scilicet in observatione quorum-
dam legalium : ut in discretione ciborum,
Act. xvi, 3. in circumcisione Timothei, ne scandali-
zarentur Judæi; et purificatus ascendendo D
Ibid. xxi, 24-26. in templum (ut in Actibus legitur), qua-
si essem Judæus ut illi. Quomodo autem
condescensio ista intelligi possit duplici-
ter, scilicet secundum simulatoriam dis-
pensationem, secundum Hieronymum, vel
secundum piam et veram compassionem,
secundum Augustinum, dicendum est in
In Galat. ii, 14. epistola ad Galatas articulo secundo. Hæc
itaque feci, *ut Judæos lucrarer,* id est,
converterem, et pugnando ab ore hostis
eriperem.

His qui sub lege Moysis *sunt,* id est Sa- 21
maritanis et Sadducæis, qui solum quin-
que libros Moysis receperunt, factus sum
quasi sub lege hac *essem,* approbando fa-
cta eorum quantum ad bona, et conde-
scendendo eis in licitis; *quum ipse non*
essem sub lege, id est, obligatus non es-
sem legem Moysis observare, in cærimo-
nialibus maxime, quæ cessaverunt; *ut eos*
qui sub lege erant, id est Samaritanos,
qui non erant natione Judæi, sed Persæ;
et Sadducæos, qui origine Judæi fuerunt, Cf. in Act. v, 17.
dicentes se esse de semine Sadoc pontifi- III *Reg.* i, 8.
cis tempore Salomonis; *lucrifacerem* con-
vertendo eos ad Christum. *His qui sine*
lege divina et scripta *erant,* id est gen-
tilibus, factus sum *tanquam sine lege* scri-
pta *essem,* manducando cum eis (quod Ju-
dæi reputabant illicitum), et allegando eis
dicta Prophetarum; *quum sine lege Dei*
non essem, quia et legem Moysis, quan-
tum ad moralia jussa, servavi, *sed in le-*
ge essem Christi, id est, novæ et evan-
gelicæ legi parerem; *ut lucrifacerem eos*
qui sine lege erant, id est, gentiles sal-
varem.

Factus sum infirmis in fide *infirmus,* 22
id est infirmo similis, abstinendo a lici-
tis cibis ne scandalizarentur, *ut infirmos*
lucrifacerem. Similitudo nempe est cau-
sa amoris : idcirco conformando se aliis
quantum fieri potuit, traxit corda eorum
ad se, sicque convertit eos facilius. Unde
infra ait : Ego per omnia omnibus pla- I *Cor.* x, 33.
ceo. Ideo addit nunc : *Omnibus omnia*
factus sum, applicando me singulis se-
cundum capacitatem ipsorum, *ut omnes*
facerem salvos instrumentaliter, operando
ad conversionem ipsorum. Solus autem
Deus, principalis salvator est, juxta illud
propheticum : Ego Dominus, et salvator *Osee* xiii, 4.
non est præter me.

Omnia autem facio propter Evangeli- 23
um Christi, ut cito ubique divulgetur, cur- *Ps.* cxlvii, 15.
ratque velociter sermo ejus; *ut particeps*
ejus efficiar, id est, præmia in Evangelio
promissa consequi merear, omniumque
quos convertero gloriæ consors exsistam.

Ecce quomodo circumspectus et sanctus
Apostolus omnibus cessit, nec tamen veræ
religionis metas excessit : cessit enim
ut prodesset. Quoniam ergo, secundum
Boetium, omnis alteritas discors est, similitudo
vero optanda est; ideo viri spirituales
omnibus conformare se debent,
salva observantia suæ religionis ac vitæ.

24 *Nescitis quod hi qui in stadio currunt,*
etc. ? In superioribus hortabatur Apostolus
Corinthios ad perfectionem, sui ipsius exemplo,
dixitque se ab omnibus abstinere
quæ aliquo modo offendiculum præbent
evangelicæ prædicationi, vel proximorum
saluti; nunc ostendit id esse agendum, et
hortatur ad hoc agonistarum exemplo, et
ait : *Nescitis ?* id est, imo scire et considerare
debetis, *quod hi qui in stadio
currunt,* id est pedites currentes in spatio
deputato ad cursum, ut agilitas currentis
probetur. Continet autem stadium
centum viginti sex passus; et dicitur a
stando, quoniam Hercules fertur instituisse
ut pedites tot passus percurrerent, et
in fine spatii hujus starent ac respirarent.
Ponebatur quoque in termino spatii
hujus præmium cursus, ut equus vel pannus
purpureus, quod dabatur velociori
cursori. Unde subjungitur : *omnes quidem*
isti *currunt,* ut primo pertingant ad
terminum spatii, et præmium cursus obtineant,
sed unus dumtaxat *accipit bravium,*
id est præmium cursus, ille videlicet
qui primo attingit, alii victi vacuique
discedunt. Per quod ostenditur quanta sit
utilitas fidei nostræ, in qua non uni, sed
singulis promittitur bravium cursus, quod
est beatitudo æterna. Hunc quippe fidei
cursum, non vanitas, sed veritas, non cupiditas
facit, sed caritas : et quo quis velocius
currit, eo cursus ejus est aliis utilior.
Cursus enim iste est amor, qui nectit
currentes, ut bonum unius redundet in
alium. *Sic currite,* id est, reverenter et
fortiter opus Dei implete, perseveranter
atque ardenter Deo servite, ut cum Psal-
Ps. cxviii, 32. mista dicatis : Viam mandatorum tuorum
Luc. ix, 62. cucurri. Ut enim ait Salvator, Nemo ponens
manum suam ad aratrum, et respiciens
retro, aptus est regno Dei. *Ut comprehendatis,*
id est, ut præmium supernæ
felicitatis mereamini adipisci.

Quod autem ita currendum sit, manifestat
Apostolus per similitudinem agonizantium,
id est certantium in exercitio.
Omnis enim qui in agone contendit, id 25
est, cum alio certat, ut sortiatur victoriam,
ab omnibus se abstinet, id est, universa
agonizationis impedimenta vitat et
abjicit. Sic oportet nos facere. Vita enim
præsens, agonizatio quædam est contra
adversarios nostræ salutis, sicut beatus
Job ait : Militia est vita hominis su- Job vii, 1.
per terram. Et iterum : Homo nascitur Ibid. v, 7.
ad laborem. Quidquid ergo nos impedit a
statu salutis, abjiciamus. *Et illi quidem*
agonizantes sic faciunt, *ut corruptibilem
coronam,* id est temporalem mercedem,
accipiant. Nos autem ita agamus, ut *incorruptam*
consequamur coronam, id est
divinæ essentiæ sempiternam fruitionem.
De qua Psalmista : Posuisti, inquit, in Ps. xx, 4.
capite ejus coronam de lapide pretioso;
et Petrus in prima sua Canonica, Bene- I Petr. i, 3, 4.
dictus Deus, qui regeneravit nos in hereditatem
incorruptibilem, et incontaminatam,
et immarcescibilem, conservatam
in cœlis.

Insuper Apostolus proponit se nobis in
exemplum, dicendo : *Ego igitur,* id est, 26
quia incorrupta corona servatur, *sic curro,*
id est, per viam mandatorum et semi- Ps. cxviii, 32.
tam consiliorum, ad Deum fontem vivum Ps. xli, 3.
festino, non importunis motibus corporis,
sed fervidis sanctæ caritatis affectibus.
De quo cursu scriptum est : Qui Is. xl, 31.
sperant in Domino, mutabunt fortitudinem,
assument pennas ut aquilæ; current,
et non deficient. Et rursus alibi :
Trahe me post te, curremus in odorem Cant. i, 3.
unguentorum tuorum. *Non quasi in incertum,*
id est non velut dubius de mercede,
nec ut ignarus de fine : scio enim II Tim. i, 12.
cui credidi, et certus sum quia potens
est depositum meum servare. Sic quilibet
nostrum certus esse debet de præ-

mio, certitudine conditionali, videlicet si A
Matth. usque in finem perseveraverit. Unde scri-
xxiv, 13. Jer. xxxi, ptum est : Quiescat vox tua a fletu, quo-
16. niam erit merces operi tuo. Certitudo
autem præmii, minuit vim flagelli. *Sic*
pugno contra dæmones, mundum et car-
nem, *non quasi aerem verberans,* id est,
non incassum resisto, sed tango et vinco
adversarios istos, pugnans non verbis nu-
dis, sed precibus affectuosis et bonis ope-
ribus. Sic enim pugnavit Propheta, qui
Ps. xvii, 38. ait : Persequar inimicos meos, et com-
prehendam illos, et non convertar donec B
deficiant.

27 *Sed castigo,* id est, per abstinentiam,
vigilias, et cetera virtutum exercitia, af-
fligo *corpus meum,* reprimendo motus il-
licitos, *et in servitutem redigo,* id est,
rationis imperio cultuique divino illud
subjicio, *ne forte quum aliis prædicave-*
rim, id est, de bonis agendis et vitiis de-
clinandis eos docuerim, *ipse reprobus ef-*
ficiar, id est perversus, et damnationi
obnoxius, quasi non faciens quod prædi-
co aliis, quum scriptum sit : Cœpit Je- Act. i, 1.
sus facere et docere. Qui etiam ait : Quid Luc. ix, 25.
proficit homo, si lucretur universum mun-
dum, se ipsum autem perdat, et detri-
mentum sui faciat ? Alibi quoque dixit Rom. ii, 21.
Apostolus : Qui alium doces, te ipsum
non doces ? Hic redarguuntur inanes et
miseri, qui quod alios docent, non faci-
unt : quod secundum B. Thomam super
quartum Sententiarum, est mortale pec-
catum. Hoc enim est, rebus seu factis
propriis contradicere veritati Scripturæ.

ARTICULUS X

EXPOSITIO CAPITULI DECIMI : NOLO ENIM VOS IGNORARE, FRATRES.

HORTATUS est autem Apostolus ad C
imitandum perfectionem, in fine præ-
cedentis capituli, exemplo currentium et
agonizantium, ac sui ipsius. Hic ad idem
inducit exemplo Judæorum, ostendens
quam graviter sint puniti ingrati ac re-
probi. Primo autem recolit beneficia Cre-
1 atoris, et ait : *Nolo enim,* id est, ideo dixi
præinducta, quoniam nolo *vos ignorare,*
o *fratres, quoniam patres nostri,* id est
Judæi ex Ægypto egressi cum Moyse, qui
erant carnales patres Apostolorum. Omni-
um quoque Christianorum spirituales quo- D
dammodo patres fuerunt, quoniam nostræ
fidei fundamenta jecerunt. Quod maxime
verum est de sanctis patribus qui inter
eos exstiterant, quorum fidem, mores et
opera imitamur. *Omnes sub nube fuerunt.*
Exod. xiii, 21. Ambulaverunt enim sub nube in die, quo-
niam nubes obumbravit et protexit eos
contra solis ardorem. Præcessit tamen nu-
bes eos, saltem pro aliqua sui parte, ut
viam monstraret, ut in Exodo legitur. *Et*
omnes mare Rubrum *transierunt,* in quo
submersi sunt Ægyptii. Aqua enim maris
Rubri divisa stetit ex utraque parte trans- Exod. xiv, 21-29.
euntium tanquam murus, donec filii Is-
rael per medium sicci alvei pertransis-
sent, quemadmodum in Exodo plenius
scribitur.

Et omnes in Moyse, id est per ministe- 2
rium seu ducatum Moysis, *baptizati,* id
est, spiritualiter loti, *sunt* a nebula igno-
rantiæ et peccatis, *in nube et in mari,* id
est per mirabilia Dei ostensa in nube præ-
dicta et mari Rubro. Quum enim filii Is-
rael cernerent Ægyptios se insequentes,
desperando et discredendo dixerunt ad
Moysen : Forsitan non erant sepulcra in Ibid. 11.
Ægypto, ideo eduxisti nos ut moreremur
in solitudine. Sed quum vidissent quod
nubes rediit et stetit inter ipsos et Ægy- Ibid. 19-29.

ptios, ita ut tota nocte non possent ad A
invicem accedere, et quod divina virtute
mare Rubrum divisum est, ipsisque ere-
ptis, aquæ redirent opprimentes exerci-
tum Ægyptiorum, interius baptizati sunt
Exod. xiv, 31. a prædictis peccatis, juxta illud : Timuit
populus Dominum, et crediderunt Domi-
no et Moysi servo ejus. Vel, Baptizati sunt
figuraliter tantum, id est, signum Bapti-
smatis receperunt. Nubes quippe figura-
vit gratiam Spiritus Sancti ; mare vero
significavit Baptismum.
3 *Et omnes eamdem* specie *escam spiri-* B
Ibid. xvi, 15, 35. *tualem,* videlicet manna, *manducaverunt.*
Hoc enim pane usi sunt annis quadra-
ginta. Quamvis vero manna fuerat esca
corporea, corporaliter alens, nunc tamen
vocatur esca spiritualis : Primo, quoniam
supernaturali potentia generabatur, vide-
licet divina virtute, ministerio angelorum,
Ps. lxxvii, 25; Sap. xvi, 20. in aere. Propter quod dicitur panis an-
gelorum, et panis cœli, utpote cœli aerii.
Secundo, quoniam erat figura Sacramenti
4 altaris, quod spiritualiter pascit. *Et om-*
nes eumdem potum spiritualem biberunt, C
Exod. xvii, 6; Ps. lxxvii, 15. id est aquam de petra manantem, quæ
erat eadem specie in ore bibentium. Et
dicitur potus spiritualis, quia divina vir-
tute profluxit de petra, sicut nunc sub-
ditur : *Bibebant autem de spirituali* hac
aqua ; vel, De spirituali petra, id est
aquam fluentem de petra quam Moyses
virga percussit : quæ spiritualis vocatur
propter supernaturalem effectum, et quia
figuraverat Christum. Biberunt ergo de
spirituali, *consequente eos petra,* id est,
satisfaciendo eorum desiderio, aquam co- D
piosam fundendo. Egressæ enim sunt de
Num. xx, 11. petra aquæ largissimæ, ita ut biberet po-
pulus et jumenta, ut in Numeris dicitur.
Vel, Consequente eos petra, quia ut pro-
babiliter dicitur, filii Israel tulerunt pe-
tram hanc secum. Sciendum quoque, quod
Deus bis produxit filiis Israel aquam de
Exod. xvii, 6. Num. xx, 11, 13. petra : primo, de petra Horeb, ut patet
in Exodo ; secundo, de petra ad aquas
Contradictionis, ut in Numeris habetur.
Petra autem erat Christus, non essenti-

aliter, sed figurative, id est, Christum fi-
guravit : sicut de imagine alicujus Sancti
dicimus, quod sit ille vel ille Sanctus.
Quemadmodum enim de petra illa fluxit
aqua qua potati sunt filii Israel in de-
serto, ita de latere Christi fluxit sanguis Joann. xix, 34.
et aqua, quibus potantur corda fidelium
in hoc sæculo. De Christo quoque emanat
aqua sapientiæ salutaris, et rivi gratiæ
multiformis.
Quidam exponunt prædicta solum de
bonis Judæis : qui eamdem escam spiri-
tualem, eumdemque potum spiritualem
sumpserunt nobiscum, videlicet corpus et
sanguinem Christi, quæ spiritualiter in-
tellexerunt præfigurari in cibo illo et po-
tu; sicque spiritualiter comederunt quod
manducamus et nos, secundum quod di-
cit Augustinus : Crede, et manducasti. Sed
huic sensui non videntur consonare se-
quentia. Subditur enim :
Sed non in pluribus eorum beneplaci- 5
tum est Deo, id est, multi patrum istorum
Domino displicuerunt. Non ergo de bonis
dumtaxat fit sermo. *Nam prostrati,* id
est dira morte occisi, *sunt in deserto,* Deo
ulciscente peccata eorum, ut patet de Co- Num. xvi, 1, 31, 32; xiv, 22 et seq.
re et Hon, Dathan et Abiron, et decem
exploratoribus, multisque aliis. *Hæc au-* 6
tem in figura facta sunt nostri, id est,
prostratio et reprobatio impiorum Judæo-
rum facta est, ad præsignandum quid nos
passuri sumus, si Deo ingrati fuerimus.
Sicut autem in bonis multo melius est
figuratum quam figura, ut regnum cœle-
ste quam terra promissionis; sic in malis
multo deterius est figuratum quam figura,
ut gehenna quam aliqua temporalis puni-
tio. Si ergo tam gravis fuit punitio Judæ-
orum, figurativa nostræ punitionis, quam
acerbissima erit punitio nostra, si Deum
negligimus? Unde Apostolus : Irritam quis Hebr. x, 28, 29.
faciens legem Moysis, sine ulla miseratio-
ne duobus vel tribus testibus moritur :
quanto magis putatis deteriora mereri
supplicia, qui Filium Dei conculcaverit,
et sanguinem testamenti pollutum duxe-
rit, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit?

Hæc itaque in figura nostri facta, id A
est illata, sunt illis, *ut non simus concu-
piscentes malorum,* id est, carnales et in-
ordinatas concupiscentias fugiamus : se-
cundum quod per quemdam præcipitur
Eccli. XVIII, 30. sapientem, Post concupiscentias tuas non
eas ; *sicut et illi* ingrati *concupierunt* in
Num. XI, 4. deserto, dicentes : Quis dabit nobis ad
Exod. XVII, 7. vescendum carnes ? Et alibi : Estne Deus
in nobis, an non ? De quibus ait Psalmi-
Ps. LXXVII, 18. sta : Tentaverunt Deum in cordibus suis,
7 ut peterent escas animabus suis. *Neque
idololatræ efficiamini, sicut quidam ex* B
ipsis facti sunt, vitulum aureum adoran-
Exod. XXXII, 6. tes, *quemadmodum scriptum est* in Exo-
do : *Sedit populus,* id est pars populi,
manducare et bibere, id est ad vescendum
coram simulacro ad ejus honorem, *et sur-
rexerunt ludere,* id est choros ducere, et
Ibid. 4, 8. idolum adorare, dicentes : Isti sunt dii
tui, Israel. Quorum utrumque puerile et
8 stultum est. *Neque fornicemur* corpora-
liter, *sicut quidam ex ipsis fornicati sunt*
Num. XXV, 1. cum mulieribus Madianitis, *et ceciderunt,*
id est, occisa sunt, *una die viginti tria* C
Ibid. 9. *millia.* In Numeris dicitur, Viginti qua-
tuor millia; sed numerus minor non ex-
cludit majorem. Occisi sunt autem for-
nicatores isti ab aliis filiis Israel, Moyse
Ibid. 4. præcipiente; et ob hanc culpam jussi sunt
Ibid. 8. principes suspendi. Phinees quoque per-
fodit Zambri ducem filiorum Simeonis,
et Cozbi filiam nobilissimi principis Ma-
dianitarum, in locis genitalibus : quo fa-
cto, cessavit plaga a populo.
9 *Neque tentemus Christum,* quærendo
experimentum sapientiæ vel potentiæ ejus, D
sicut quidam eorum tentaverunt Chri-
stum, secundum ejus divinitatem. Ten-
tando enim Deum, tentaverunt quamlibet
divinam Personam. Unde Dominus dixit
Ibid. XIV, 22. ad Moysen : Tentaverunt me jam per de-
cem vices. Porro persona Christi æterna
est; imo Jesus Christus æternus est, quum
sit verus Deus : supponit enim divinam
Personam. Ad quod insinuandum, Judas
Judæ 5. ait in sua Canonica : Jesus populum sal-
vans de terra Ægypti, secundo eos qui

non crediderunt perdidit. *Et a serpenti-
bus perierunt.* Misit enim in eos Dominus *Num.* XXI, 6-9.
ignitos serpentes, a quibus occisi sunt
multi, donec erectus est serpens æneus,
ad cujus adspectum sanabantur, ut le-
gitur in Numeris. *Neque murmuraveritis* 10
contra superiores aut proximos vestros,
quum increpant vos, vel aliquid adver-
sitatis accidit vobis, *sicut quidam eorum
murmuraverunt* contra Deum et Moysen,
quemadmodum scriptum est : Vociferans *Ibid.* XIV, 1-3.
omnis turba flevit, et murmurati sunt
contra Moysen, dicentes : Utinam perea-
mus, et non inducat nos Dominus in ter-
ram hanc. Unde Salvator in Evangelio
loquens Judæis : Murmuratores, inquit, Cf. Aug. in Joann. tract. XXVI, 11.
filii murmuratorum. *Et perierunt,* id est,
in deserto occisi sunt, *ab exterminatore,*
id est angelo qui eos extra fines terræ
promissionis percussit. Dixit enim Domi-
nus : Omnes qui murmurastis contra me, *Num.* XIV, 29-33.
non intrabitis terram hanc ; sed in deser-
to jacebunt cadavera vestra. Per angelos
enim exercuit Deus ultiones suas inter-
dum. De hoc exterminatore angelo Do-
minus ait : Ecce mitto angelum meum *Exod.* XXIII, 20, 21.
qui præcedat te ; observa eum, quia non
dimittet quum peccaveris.
Hæc autem omnia, scilicet ista tor- 11
menta, *in figura,* in typica significatione,
contingebant illis, videlicet ad significan-
dum quod talia, vel majora, fient nobis
si peccaverimus sicut illi. *Scripta sunt
autem ad correctionem* nostram,* quate- * correptionem
nus exemplo damnationis illorum territi,
emendemus vitam nostram. Felix enim
quem faciunt aliena damna peritum. Pro-
pter quod ait Scriptura : Pestilente flagel- *Prov.* XIX, 25.
lato, stultus sapientior erit. Itaque scripta
sunt propter nos, *in quos fines sæculo-
rum,* id est ultima tempora mundanarum
generationum, durationum seu vicissitu-
dinum, *devenerunt.* Pervenit enim in nos
ultima ætas mundi : de qua ait Joannes,
Filioli, novissima hora est. Præterea ad- I *Joann.* II, 18.
vertendum, quod juxta doctrinam divini
ac magni Dionysii, status Ecclesiæ medius
est inter statum Synagogæ et statum pa-

triæ. Sicut ergo quæ geruntur in Eccle- A
sia, figura sunt eorum quæ aguntur in
patria ; sic ea quæ acciderunt in Synagoga,
figura erant eorum quæ fiunt in
Ecclesia. Imo status et populus Judaicus,
figura erant status et populi christiani.
Idcirco omnia in figura contingebant illis.
12 *Itaque qui se existimat stare* in Deo
per caritatem et opera virtuosa, *videat
ne cadat,* id est, sollicite caveat ne peccando
gratiam perdat. Nemo ergo securus
sit, quia in medio laqueorum versamur.
Eccle. IX, 1. Dicit autem, Existimat, quia homo igno- B
rat an dignus sit amore, an odio. Propter
Job IX, 21. quod Job : Etiam si simplex, inquit, fuero,
hoc ipsum ignorabit anima mea.
13 *Tentatio vos non apprehendat,* id est,
in vobis non sit, *nisi humana,* quæ est
de peccatis non nimis enormibus, non
diabolica. Tentatio vos non apprehendat,
id est, non capiat, non vincat, non ad
consensum inducat : juxta quem sensum
Matth. VI, 13. oramus, Et ne nos inducas in tentationem.
Nisi humana, id est levis et transitoria,
scilicet, inclinando ad venialia, sine qui- C
I Joann. I, 8. bus agi non potest hæc fragilis vita. Hoc
dicitur, non hortando, vel licentiam dando
ut venialiter peccemus, sed non prohibendo,
quia vitari non potest. Nam licet
possimus vitare singula venialia, non tamen
omnia, propter fomitis corruptionem
et nimiam nostram fragilitatem. Tentationibus
ergo mortiferis viriliter resistamus
: quod utique Deo auxiliante valemus.
Subditur enim : *Fidelis autem Deus
est, qui non patietur vos tentari,* id est
impugnari a dæmone vel malis homini- D
bus, *supra id quod potestis,* id est ultra
vires : tunc enim non peccaremus, si vinceremur
; *sed faciet etiam cum tentatione
proventum,* id est spiritualem profectum,
dando gratiam resistendi, *ut possitis sustinere,*
id est per patientiam prævalere.
Tentatio ergo passiva, non est in se mala
vel fugienda, nisi forte imperfectis, quum
sit virtutis exercitium, atque materia tri-
II Tim. II, 5. umphandi. Nullus enim coronatur, nisi
qui legitime certaverit. Nam et Jacobus

ait : Omne gaudium existimate, fratres, *Jacob.* I, 2.
quum in diversas tentationes incideritis.
Propter quod ait et Propheta regius : Pro- *Ps.* XXV, 2.
ba me, Domine, et tenta me ; et Judith,
Qui tentationes non susceperunt in timore *Judith* VIII, 24, 25.
Domini et in patientia, exterminati sunt.
Propter quod, id est propter rationes 14
jam memoratas, *carissimi mihi, fugite*
mente et corpore, *ab idolorum cultura,*
quæ ad diabolicam pertinet tentationem.
Ut prudentibus, id est rationem actuum 15
humanorum scientibus, *loquor.*
Consequenter ponit rationem fugiendi
idololatriam, videlicet, quoniam corpus et
sanguinem Christi accipimus. *Vos ipsi judicate,*
id est, verum esse discernite, diligenter
pensando, *quod dico,* videlicet :
Calix benedictionis, id est contentum in 16
calice, utpote sanguis Christi : per quem
sanguinem benedicimur, id est, dona gratiarum
consequimur ; *cui* calici seu sanguini
benedicimus, id est, quem consecramus,
quum per prolationem sacrorum
verborum a nobis convertitur vinum in
sanguinem Christi ; *nonne communicatio
sanguinis Christi est?* id est, nonne veraciter
est sanguis Christi nobis communicatus
seu datus, faciensque nos communionem
habere cum Christo, incorporando
nos ei, et faciendo nos participes meriti
suæ effusionis? *Et panis quem frangimus,*
id est corpus Christi consecratum
ex pane : quem panem consecratum, id
est cujus dimensiones seu species, frangimus,
porrigendo eum fidelibus ; *nonne
participatio corporis Domini est?* id est,
nonne utique est corpus Christi vere acceptum
a nobis, faciens nos unum cum
Christo, qui ait, Qui manducat meam car- *Joann.* VI, 57.
nem, et bibit meum sanguinem, in me
manet, et ego in eo? *Quoniam unus pa-* 17
nis per proprietatem, *et unum corpus* mysticum,
unitate fidei, spei et caritatis (cujus
corporis caput est Christus), *multi* *Coloss.* I, 18.
sumus, videlicet, *omnes qui de uno pane
et de uno calice participamus,* id est,
de singulari et vero corpore et sanguine
Christi reficimur, et Sacramentum tantum

digne recipimus. Omnes enim mutamur A
in Christum, et per caritatem transforma-
mur in ipsum. Dicimur autem, secun-
dum typicam rationem, unus panis unum-
que corpus : quoniam sicut panis ex
multis granis, et unum corpus ex mul-
tis membris componitur, ita Ecclesia ex
multis personis fidelium, caritate uniente,
efficitur.

Quod autem fideles per sacram commu-
nionem participes sint corporis et san-
guinis Christi, ostendit Apostolus per id
18 quod fiebat in lege. *Videte Israel secun-* B
dum carnem, id est, carnalem populum
Judæorum considerate pro tempore vete-
ris Testamenti. *Nonne qui edunt hostias,*
id est sacerdotes et Levitæ sacrificia tem-
pli manducantes, *participes sunt altaris,* id
est eorum quæ in altari offeruntur? Sunt
utique. Ita, qui sacramentum Euchari-
stiæ sumunt, Christi participes efficiun-
19 tur. *Quid ergo? Dico,* id est, quum ido-
lorum culturam et esum sacrificiorum
quæ idolis offeruntur, prohibeo, quid di-
cere videor? An hoc *quod idolis immola-* C
tum sit aliquid, aut quod idolum sit ali-
quid ? quasi dicat, Hoc non dico. Dixi
I Cor. VIII, 4. enim supra, quod idolum nihil sit. Nunc
tamen prohibendo culturam idolorum, vi-
deor dicere quod idolum aliquid sit :
quod tamen non dico. Quemadmodum er-
go nihil est, quantum ad id quod esse
putatur, ut dictum est plenius ; sic ei
nihil offertur, secundum veritatem, quo-
niam idolum non est id cui idololatræ
sacrificare intendunt. Intendunt enim sa-
crificare rei viventi, vel imagini rei di- D
vinæ ac vivæ. Idolum autem non est
animatum, nec imago rei divinæ, sed mi-
seræ, vel saltem rei non colendæ. Ideo
20 subditur : *Sed quæ immolant gentes* ido-
lolatræ, *dæmoniis immolant,* qui moran-
tur atque respondent in idolis, quibus et
placet immolatio talis, *et non Deo* vero,
nec diis propter excellentiam gratiæ di-
Ps. XCV, 5. ctis. Unde et scriptum est : Omnes dii
gentium dæmonia.

Nolo autem vos socios fieri dæmonio-
rum, id est, nolo ut idolis sacrificando,
vel idolothyta manducando in veneratione
idolorum, vel cum scandalo fratrum infir-
morum, communionem cum dæmonibus
habeatis. Secundum Augustinum, ad hoc
genus impiæ societatis pertinent consul-
tationes et pacta quædam significationum
cum dæmonibus fœderata : ut molimina
artium magicarum, aruspicum et augu-
rum, atque ligaturæ et remedia, quæ fi-
unt in præcantationibus, in quibusdam
notis, vel rebus suspendendis vel illigan-
dis. *Non potestis calicem Domini bibere,*
id est sanguinem Christi digne accipere,
et calicem dæmoniorum, id est libamina
idolis immolata, secundum modum ex-
pressum. *Non potestis mensæ Domini par-* 21
ticipes esse, id est corpus Domini salubri-
ter sumere, *et mensæ dæmoniorum,* escas
idolis immolatas indiscrete edendo. Tan-
tum est dicere : Non potestis Deo uniri
et dæmoni. Quæ enim conventio luci ad II Cor. VI, 14.
tenebras?

Deinde Apostolus in persona Corinthi-
orum loquens, vel se eis connumerans,
quomodo Esdras et Daniel annumerant se I Esdr. IX, 6 et seq.;
injustis Judæis, quum orant pro illis, sub- Dan. IX, 4
junxit : *An æmulamur Dominum?* id est, et seq.
hoc sequitur, quod Deum ad iracundiam 22
provocamus, et ejus gloriæ invidemus,
dum ad ejus injuriam idolothyta edimus
cum scandalo infirmorum, vel in reve-
rentia idolorum. Et mirum quod hoc age-
re audeamus, quia, *numquid fortiores il-*
lo sumus, ut possimus ei resistere vel
nocere? Vel loquitur Apostolus in pro-
pria et aliorum prædicatorum persona, ut
sit sensus : An æmulamur Dominum? id
est, numquid excessive et inordinate pro
Deo afficimur, et ejus honorem defendi-
mus, prohibendo idololatriam quasi Deo
nocivam atque pœnalem? Quidam enim
habent zelum Dei, sed non secundum sci- Rom. X, 2.
entiam. Et probat quod non : quia non
sumus fortiores Deo, quum ipse omnipo-
tens sit, potens suam ulcisci injuriam.
Idcirco non oportet nos inordinate zelari
pro eo, sed ordinato affectu hæc dicimus.

Omnia mihi licent, id est, omnes cibi A
esui apti, licite a me comedi possunt,
quantum est ex parte ciborum, et evan-
gelicæ legis, quæ cibos non discernit nec
reprobat; *sed non omnia* cibaria *expedi-*
Rom. xiv, 20. *unt* saluti animæ meæ. Malum enim est
homini qui per offendiculum comedit.
23 *Omnia mihi licent* (secundum sensum
prætactum), *sed non omnia ædificant* pro-
ximos. Manducatio namque idolothytorum
24 scandalizat infirmos. *Nemo quod suum*
est quærat, id est privatum bonum et
proprium commodum tantum, *sed quod* B
alterius, id est bonum commune, seu bo-
num divinum finaliter. Ordinatio tamen
caritatis requirit ut unusquisque sibi ip-
si primo provideat in necessariis, propri-
Eccli. xiv, 5. amque in primis operetur salutem. Qui
enim sibi nequam est, cui bonus erit?
25 *Omne quod in macello venit,* id est ve-
nundatur, *manducate,* si placet, et spe-
ciale nihil impediat, scilicet votum vel
professio, *nihil interrogantes* de esca illa
venali quomodo sit adducta, vel quo fine
vendatur : et hoc, *propter conscientiam* C
infirmi adstantis, ne oriatur ei occasio
scandali, si viderit te manducare quod
pro idololatria exercenda venale proponi-
26 tur. *Domini enim est terra et plenitudo*
Ps. xxiii, 1. *ejus,* id est, omnia ista quæ versantur in
terra, Dei sunt tanquam Creatoris : ideo
munda sunt et comedi possunt, si apta
sint complexioni humanæ.
27 *Si quis vocat vos infidelium ad cœnam*
seu prandium, *et vultis ire; omne* alimen-
tum *quod vobis apponitur* ab infideli ho-
spite, *manducate,* si non sponte obligastis D
vos ad aliquam abstinentiam specialem
propter Dei amorem, *nihil interrogantes*
de qualitate cibi, an sit idolis immolatus,
an non, *propter conscientiam* infirmorum
28 præservandam a scandalo. *Si quis autem*
dixerit, Hoc immolatum est idolis; no-
lite manducare, propter illum qui indi-
cavit hoc esse idolothytum : ne arbitretur
te illud manducare sub idoli veneratio-
ne; et si infidelis est, glorietur in sua
superstitione, et confirmetur in suo erro-
re, videns te libenter accipere sacrificia
idolorum; *et propter conscientiam* custo-
diendam a vitio. *Conscientiam autem di-* 29
co, non tuam, o frater docte, qui scis
omnia munda esse et licita, *sed alterius,*
puta infirmi, ne scandalizetur. Cavendus
est itaque esus idolothyti ad vitandum
malum infirmi. Cujus ratio subditur : *Ut*
quid enim libertas mea, id est comestio
seu potestas mea libera quantum ad usum
ciborum, *judicatur,* id est, reprehenditur
et pœna digna efficitur, *ab aliena consci-*
entia, id est a conscientia infirmi, qui
scandalizatur in mea libertate, et ita cum
peccato facio quod alias sine peccato li-
cite facerem? Ne ergo damnabilis fiam,
vitandum est idolothytum coram infirmo
in fide. *Si ego cum gratia,* id est gratias 30
referens Deo, *percipio,* id est, cibum re-
cipio, *quid blasphemor,* id est, cur sic ago,
ut ab infirmis ac imperitis dicar idolola-
triam colere manducando idolothyta, *pro*
eo quod gratias ago, id est, quum ego non
comedam illud in idolorum honorem, sed
cum gratiarum actione? Ne ergo ita bla-
sphemer, non debeo idolothytis vesci co-
ram imperitis.
Ex his infert Apostolus saluberrimum
documentum. *Sive ergo manducatis, sive* 31
bibitis, vel aliud quid facitis in exerci-
tatione corporali aut spirituali, *omnia in*
gloriam Dei facite, id est, ad Dei hono-
rem finaliter ordinate, ejusque laudem et
glorificationem semper intendite, actu vel
habitu, videlicet ut possitis ejus venera-
tioni, dilectioni et contemplationi insiste-
re. Omnia quippe propter se ipsum ope- Prov. xvi, 4.
ratus est Dominus; et glorificantes se I Reg. ii, 30.
glorificat. Unde, sicut omnia bona fonta-
liter ab eo profluxerunt, ita ad ejus ho-
norem, laudem et gloriam sunt referenda.
Propter quod ait Propheta : Non nobis, Ps. cxiii, 1, juxta Hebr.
Domine, non nobis, sed nomini tuo da glo-
riam. Hoc est ergo documentum quantum
ad Deum. Quod qui implet, in omni actu,
imo et dormiendo, meretur, saltem propter
præcedentem spiritualem intentionem.
Dormit enim, ut vigilare valeat in divinis.

Deinde ponitur documentum quantum A
32 ad proximos : *Sine offensione estote Ju-*
dæis in Judaismo manentibus, *et genti-*
bus, ut sic alliciantur ad fidem, nec detur
eis occasio blasphemandi, *et Ecclesiæ Dei,*
maxime quantum ad pusillos, ut nemi-
nem offendatis, dummodo licite fieri pos-
33 sit; *sicut et ego per omnia,* id est in cun-
ctis factis et verbis meis, *omnibus placeo.*
Huic videtur contrarium, quod alibi dicit
Galat. I, 10. Apostolus : Si hominibus placerem, Chri-
sti servus non essem. Cui consonat et il-
Ps. LII, 6. lud in Psalmo : Deus dissipavit ossa eorum B
qui hominibus placent; confusi sunt, quo-
niam Deus sprevit eos. Et respondendum,
quod istæ auctoritates loquuntur de ho-
minibus, quantum ad communem et so-
litam imperfectionem eorum, secundum
Gen. VIII, 21. quam sensus et cogitatio cordis humani
prona sunt in malum. Juxta quem mo-
dum dictum est ante : Quum unus dicit, I *Cor.* III, 4.
Ego quidem sum Pauli; alius autem, Ego
Apollo : nonne homines estis? Nunc vero
loquitur Apostolus de hominibus secun-
dum veram et plenam perfectionem ipso-
rum, in quantum sunt rationales, rationis
judicium assequentes, ut sit sensus : Om-
nibus placeo, id est cunctis hominibus ra-
tionabiliter agentibus, qui rectæ rationis
sequuntur censuram. Cur autem istis pla-
ceat, subditur : *non quærens quod mihi*
utile est tantum, vel non sub ea ratio-
ne qua mihi utile est, *sed quod mul-*
tis : quærebat enim Apostolus conversio-
nem et spiritualem locupletationem uni-
versorum; *ut salvi fiant,* sortiendo vitam
æternam, quæ est beatitudo nostra atque
salvatio.

ARTICULUS XI

EXPOSITIO CAPITULI UNDECIMI : IMITATORES MEI ESTOTE.

MODO hortatus est Apostolus Corin- C
thios, ut omnia sua ad Dei gloriam
ordinent, nullique hominum offendiculum
præbeant. Ut ergo hoc agant, proponit se
ipsum eis in exemplum. De aliis quoque
diversis materiis, documentis, et notabi-
libus tractat in præsenti capitulo, sicut
1 patebit. Ait enim : *Imitatores mei estote,*
credendo, sperando, amando et operando,
sicut et ego Christi imitator sum, ejus
testimoniis credendo, ejus consiliis acqui-
escendo, ejus præceptis obtemperando.
2 *Laudo autem vos, fratres,* de hoc, sci- D
licet, *quod per omnia,* id est perfecte et
in omnibus, *mei memores estis,* recolen-
do verba et opera mea; *et sicut tradidi*
vobis præcepta mea, ita *tenetis,* id est,
impletis ea. Si hoc referatur ad perfecti-
ores inter Corinthios, de quibus jam di-
I *Cor.* I, 4, 5. xit Apostolus, Gratias ago Deo, quia in
omnibus divites facti estis in illo; et ite-
rum, Si mundus judicabitur in vobis, etc.; I *Cor.* VI, 2.
tunc intelligendum est assertive dictum.
Si vero referatur ad infirmos et imperfe-
ctos, de quibus consequenter dicetur, in-
telligendum erit ironice, id est a sensu
contrario. Et ita exponit Glossator. Corin-
thii enim obliti erant apostolicæ aucto-
ritatis Pauli, nec ejus præcepta seu mo-
nita servaverunt, propter contentionem
suam ad invicem. Unde nunc quasi no-
viter proponit eis documenta et jussa,
dicendo :
Volo autem vos scire, quod omnis viri 3
caput Christus est, id est principium in-
fluxivum et effectivum; *caput autem,* id
est principium, rector et dominus, *mu-*
lieris est *vir,* quia de costa viri femina *Gen.* II, 22.
facta est : cui dicitur, Sub viri potestate *Ibid.* III, 16.
eris, et ipse dominabitur tui; *caput ve-*

ro, id est fontale principium, *Christi* est
Deus. Ut autem hæc plenius intelligan-
tur, pensandum est quod Christus, secun-
dum utramque naturam, caput est omni-
um electorum, etiam angelorum : quia
ut Deus, creator est omnium, et unus cum
Patre dator omnis perfectionis et gratiæ.
Joann. v, 19. Quæcumque enim facit Pater, hæc et Fi-
lius similiter facit. Sed ut homo, dicitur
caput omnis viri, ad similitudinem capi-
tis naturalis : Primo, ratione suæ perfe-
ctionis. Sicut enim in capite vigent om-
nes sensus, in membris vero reliquis non
invenitur nisi tactus; sic in Christo erat
plenitudo omnium gratiarum, in aliis ve-
ro est gratia particularis. Propter quod
Ibid. III, 34. dicit Joannes : Non ad mensuram dat Deus
Spiritum, scilicet homini Christo. Secun-
do, ratione suæ excellentiæ, quia ut caput
eminet membris, sic Christus electis. Præ-
latus est enim angelis atque hominibus.
Tertio, ratione suæ influentiæ. Quemad-
modum enim caput influit membris vi-
tam et motum naturalem, sic Christus
influit nobis vitam et motum supernatu-
Ibid. I, 16. ralem. Dicit enim Joannes : De plenitu-
dine ejus accepimus omnes. Christus au-
tem ut Deus, influit auctoritative; sed ut
homo, influit sicut instrumentum Deitati
hypostatice copulatum in Verbo. Quarto,
ratione connaturalitatis. Sicut enim caput
connaturale est membris, sic Christus ho-
minibus, quorum naturam assumpsit. Por-
ro, per hoc quod dicitur Christus caput
viri, et vir caput mulieris, non est intel-
ligendum quod Christus non sit caput
mulieris (est enim utroque modo caput
mulieris, sicut et viri); sed hæc per quam-
dam coaptationem et convenientiam in-
telligenda sunt, quoniam magis convenit
vir cum Christo, quam mulier. Deus au-
tem Pater, dicitur caput, id est generati-
vum principium Christi, secundum ejus
divinitatem. Sed Deus Trinitas est caput,
id est causa, rector et Dominus Christi,
secundum assumptam humanitatem. Vi-
detur tamen satis improprie Pater dici
caput Christi secundum ejus divinitatem,

A quum non sit perfectior, dignior vel ex-
cellentior unigenito Filio suo.
Omnis vir orans aut prophetans, id est, 4
Scripturas divinitus revelatas aliis rese-
rans, *velato*, id est cooperto, *capite, detur-
pat caput suum*, id est, inconvenienter
se habet circa capitis dispositionem, ta-
lesque actus indecenter exercet. Intelli-
gendum est de oratione et prophetatione
publica et solenni, non privata atque se-
creta : sicut quum aliquis orat in per-
sona Ecclesiæ, vel in ecclesia Scripturas
B solenniter recitat, ut legens Evangelium
sive Epistolam. Velamen namque est si-
gnum subjectionis. Quum ergo vir non
sit sub femina, sed immediate sub Deo,
non debet capite velato actus exercere
prædictos.
Omnis autem mulier orans Deum *aut* 5
prophetans, modo prædicto, *non velato* 33, q. 5, c.
capite, deturpat caput suum, id est, in- Hæc imago.
honeste se habet. Quamvis autem Aposto-
lus non permisit mulierem docere (quod I *Tim.* II, 12.
hic vocatur prophetare), videlicet publice
C et solenniter coram omni multitudine, non
tamen prohibuit mulieres docere in suis
conventibus. *Unum est enim*, id est, tam
indecens est mulierem orare aut prophe- 33, q. 5, c.
tare capite non velato, *ac si decalvetur*, Mulier.
id est, crines ei abscindantur omnino. *Nam* 6
si non velatur mulier, id est, si artifici-
ale velamen ferre contemnit, *tondeatur*,
id est, in gyro radatur, et naturale vela-
men abjiciat. Quasi dicat : Alterum fieri
est necesse, videlicet ut si non velit ve-
lari, decalvetur aut tondeatur : quorum
D utrumque mulieres abhorrent. Ratio au-
tem velationis mulierum est, quia subje- Ibidem.
ctæ sunt viris, et quia inter Christum et
eas mediant viri. Verumtamen sanctimo-
niales tondentur, quoniam Christo imme-
diate desponsantur, atque a viri subjecti-
one eripiuntur. *Si*, pro Quia, *vero turpe
est mulieri*, secundum communem legem,
tonderi aut decalvari, velet caput suum,
in signum prædictæ subjectionis ac me-
diationis.
Vir quidem non debet velare caput 7

33, q. 5, c. *suum*, dum orat aut prophetat modo præ-
Hæc imago. dicto. Vel simpliciter non debet velare
caput suum, velamine totum caput ob-
volvente : quo antiquitus utebantur ali-
qui viri ; quod est pene simile velamini
mulierum. De tali enim velamine exponit
Glossa hunc locum. *Quoniam imago et*
gloria est Dei. Imago Dei attenditur in
homine, vel quantum ad essentialia at-
que interna hominis, scilicet penes vires
naturales, quæ sunt, memoria, intellectus,
voluntas, quibus homo capax est Dei : et
33, q. 5, c. ita vir et mulier simili modo dicuntur
Nec illud. imago et gloria Dei, vel potius ad ima-
ginem Dei formati. Perfectio quippe spe-
cifica consistit in indivisibili, sicut et
species numerorum. Secundo attenditur
imago Dei in homine quantum ad acci-
dentalia, ut sicuti Deus ponit res in esse
naturali, ita homo ponit eas in esse in-
telligibili. Et sicut Deus est totus in toto
universo, et totus in qualibet parte ejus,
sic anima hominis est tota in toto cor-
pore hominis, et tota in qualibet parte
ipsius. Et quantum ad hoc, vir potius ap-
pellatur et est imago et gloria Dei, quam
mulier : primo, quoniam sicut ex uno
Deo omnia profluxerunt, ita ex uno viro
nati sumus omnes homines ; item, quia
in viro magis viget ratio quam in femi-
na, et quoniam præest mulieri. Sic au-
tem videtur Apostolus nunc loqui de ima-
gine. Itaque vir imago imitativa est Dei,
quia in eo relucet divina perfectio per
modum cujusdam eminentiæ. Est quoque
gloria Dei, id est gloriosum plasma illius,
et quia divinam majestatem clarius re-
præsentat.

Mulier autem gloria est viri, id est
honorificentia ejus, quia de costa viri for-
8 mata, et ei subjecta est. *Non enim ex*
muliere formatus *est vir* primus, scilicet
Adam ; *sed mulier*, videlicet Eva, *ex viro*
Gen. II, 23. formata est. Unde Adam : Hæc, inquit,
vocabitur virago, quia de viro sumpta est.

Adhuc autem probat Apostolus, quod
mulier sit gloria viri, quia propter virum
9 producta est. *Etenim non est creatus vir*
A *propter mulierem*, id est in subsidium
Evæ : nam ante eam creatus est ; *sed*
mulier prima *propter virum* protopla-
stum, id est, in adjutorium Adæ producta
est, juxta illud : Faciamus ei adjutorium Gen. II, 18.
simile sibi. Sic ergo vir est quodammodo
finis mulieris et dignior ea, ita quod ejus
perfectio repræsentatur in femina, sicut
perfectio Dei repræsentatur in viro. Ad-
vertendum est quoque, quod gloria di-
stingui potest in gloriam glorificantem,
et glorificatam. Loquendo ergo de gloria
B glorificante, Deus est gloria viri, et etiam
mulieris, juxta illud : Tu autem, Domine, Ps. III, 4.
susceptor meus es, gloria mea, et exal-
tans caput meum. Sic quoque vir dici
potest gloria mulieris, potius quam econ-
trario. Est enim rector atque perfectio
ejus. Propter quod ait Archiapostolus in
prima sua Canonica : Viri similiter co- I Petr. III, 7.
habitantes secundum scientiam, infirmi-
ori vasculo muliebri impertientes hono-
rem, tanquam et coheredibus gratiæ.

Insuper ponit Apostolus aliam rationem
C velationis mulierum. *Ideo*, scilicet, quia 10
propter virum creata est, *debet mulier*
velamen habere super caput suum, et pro-
pter angelos, id est propter reverentiam
angelorum, qui frequenter nobiscum sunt:
in quorum conspectu velanda est mulier,
sicut et coram Deo, ut profiteatur ubique
sui subjectionem. Possunt autem angeli
hoc loco intelligi spiritus illi cœlestes de
quibus dicitur, In conspectu angelorum Ps. CXXXVII, 1.
psallam tibi ; vel sacerdotes, qui angeli Malach. II, 7.
nominantur : primo, propter ampliorem
D scientiam divinorum ; secundo, propter
annuntiationem mandatorum cœlestium ;
tertio, propter munditiam castitatis ; quar-
to, propter custodiam dominici gregis.
Verior autem ratio est, quæ ex verbis
Dionysii sumitur. Infimum enim superi-
oris ordinis, et supremum ordinis infe-
rioris, magnam habent convenientiam in
natura et nomine. Unde angeli primæ hie-
rarchiæ a calore amoris nomen sortiti
sunt, quoniam Cherubim nuncupantur,
eo quod immediate sequantur Spiritum

Sanctum, qui est amor et ignis. Quoniam
ergo angelus, stricte loquendo, proprium
nomen est spirituum infimi chori, sacer-
dotes, qui supremi sunt in ecclesiastica
hierarchia, angeli dicti sunt. Propter quod
Malach. II, 7. scriptum est : Labia sacerdotis custodi-
unt scientiam, et legem ex ore ejus re-
quirent, quia angelus Domini exercituum
est. Propter hos angelos etiam ideo ve-
landæ sunt mulieres, ne ex earum adspe-
ctu provocentur ad concupiscentiam vi-
tiosam.

Ne autem ex præinductis quis putet
33, q. 5, c. Nec illud. feminam non esse viro æqualem quan-
tum ad gratiæ et gloriæ consecutionem,
11 adjecit Apostolus : *Verumtamen neque
vir sine muliere, neque mulier sine viro*
esse potest in successu generationis hu-
manæ, id est, uterque sexus ad genera-
tionem requiritur, *in Domino,* id est se-
cundum operationem divinam qua Deus
ex viro et femina universos producit, qui
etiam virum et feminam in statu inno-
centiæ copulavit. Vel hoc ideo dicitur,
quoniam sexus uterque in Deo est, per
12 gratiam viæ, et gloriam patriæ. *Nam sic-
ut mulier de viro* formata est, scilicet
Gen. II, 21, 22. Eva de latere Adæ, *ita et vir per mulie-
rem,* id est, ceteri viri generantur ex mu-
lieribus. *Omnia autem ex Deo* mediate
Rom. XI, 36. vel immediate prodierunt, quoniam ex
ipso, per ipsum, et in ipso sunt omnia.

Consequenter probat Apostolus mulie-
rem esse velandam tempore orationis, per
13 dictamen naturalis rationis. *Vos ipsi ju-
dicate,* id est, discernite et pensate quod
quæro : *Decet mulierem non velatam* ca-
pite *orare Dominum,* præsertim in publi-
14 co? *Nec ipsa natura docet vos,* id est,
naturalis ratio non approbat hoc. Vel,
Natura, id est dispositio, lex, seu propri-
etas rerum, non testatur hoc condecens
esse. Mulier enim naturaliter verecunda
est, et inclinationem naturalem habet ad
comam nutriendam, scilicet ut naturali
velamine operiatur. Ergo et artificiale ve-
lamen addendum est ei. *Quod vir qui-
dem si comam nutriat, ignominia est illi,*
A id est, scandalosum est ei hoc facere. Se-
cundum Ambrosium, dicit hoc secundum
legem, quæ prohibet virum habere co-
mam. Verumtamen Nazaræi jubebantur *Num.* VI, 5;
esse comati seu comam nutrire ; sed hoc *Judic.* XIII, 5.
erat propter mysterium, scilicet ad insi-
nuandum quod in veteri Testamento om-
nia erant velata : quæ in novo Testamen-
to revelantur. Idcirco prohibitio comæ
modo non obligat. In aliquibus tamen
locis fidelium, ignominiosum est viris co-
mam nutrire, quia per hoc reputarentur
B effeminati et molles. Apostolus autem lo-
quitur secundum congruentiam persona-
rum, locorum ac temporum. *Mulier vero* 15
si comam nutriat, gloria est illi, id est
laudabile ; *quoniam capilli pro velamine
dati sunt ei.* Mulieres enim naturaliter
humidæ, dispositæ sunt ad capitis comam
magis quam viri. Idcirco natura dedit eis
capillos pro naturali velamine, maxime
quoniam naturaliter competit mulieri es-
se pudoratam, et viro subjectam.

Si quis autem videtur contentiosus esse, 16
C contradicendo nostræ doctrinæ; *nos talem
consuetudinem non habemus,* videlicet, ut
simus contentiosi. Unde alibi dicit Apo-
stolus : Noli verbis contendere. *Neque* II *Tim.* II, 14.
Ecclesia Dei habet hanc consuetudinem
contendendi. Vel sic : Nos talem consue-
tudinem non habemus, id est, ego et ce-
teri Apostoli, atque fideles ex Judaismo
conversi, non habemus consuetudinem ta-
lem in orando vel prophetando, qualem
iste contentiosus introducere nititur, sci-
licet ut oremus aut prophetemus publice
D atque solenniter capite cooperto, vel quod
mulier non veletur ; neque Ecclesia Dei
ex gentibus congregata, et a nobis con-
versa, habet consuetudinem talem ; id-
circo ista responsio sufficere debet con-
tentioso. Ut enim Augustinus affirmat, in
his in quibus sacra Scriptura nil certum
definit, consuetudo populi Dei et insti-
tuta majorum pro lege habenda sunt.

Hoc autem præcipio observari, quod 17
dixi de velatione capitis, vel quod dicam
de celebratione dominicæ Cœnæ. In quo-

rum utroque peccaverunt Corinthii : id- A
eo contra contentiosos utitur Apostolus
apostolicæ auctoritatis præcepto. *Non lau-
dans,* imo vituperans vos, *quod non in
melius, sed in deterius convenitis,* quia
ad ecclesiam causa communionis conve-
nitis, non ordinate, ut decet, sed infru-
ctuose et vitiose. Quod patet :

18 *Primum quidem convenientibus vobis
in ecclesiam* Dei, *audio scissuras esse,* id
est dissensiones, *inter vos,* pro spiritu-
alibus donis. Per hoc insinuatur, quod
primum vitium Corinthiorum, tempore B
conventionis eorum in ecclesiam, erat dis-
sensio, ex qua multa vitia nascebantur.
Hæc autem congregatio fidelium corpo-
ralis in domo Dei, nil prodest sine uni-
one spirituali, qua omnium voluntates
per caritatem nectuntur, ita ut eadem ve-
lint, et eadem nolint. *Et ex parte,* id
est partim, *credo* sic esse. Non enim cre-
do in omnibus vobis regnare hæc vitia,
sed in aliquibus vestrum. Nec mirum
19 quod sic credo : *Nam oportet hæreses
esse,* non necessitate absoluta, sed con- C
ditionali. Juxta quem modum ait Salva-
Matth. tor : Necesse est ut veniant scandala.
xviii, 7. Vel, Oportet, id est, utile est, non dire-
cte et per se, sed accidenter, quoniam
Deus ex malo elicit multa bona. Unde
jam subditur, cur oporteat vel expediat
hæreses esse, videlicet, *ut qui probati
sunt,* id est eruditi ac stabiles in fide,
seu approbati a Deo, *manifesti fiant in
vobis,* id est, agnoscantur vere fideles,
dum non cedunt erroribus, sed incon-
cussa mente perseverant in fide, sic quod D
discernantur ab aliis. Præterea, multiplex
utilitas provenit Ecclesiæ occasione hæ-
reticorum, videlicet diligentissima Scri-
pturarum elucidatio, patientiæ exercita-
tio, perfectorum coronatio. Multa enim
ad fidem spectantia, dum ab hæreticis
impugnabantur, considerata sunt subti-
lius, intellecta perspicacius, prædicata in-
stantius ; fides quoque diversis ac novis
miraculis est firmata.

Deinde Apostolus increpat Corinthios de
inordinata sumptione Eucharistiæ : quam
quidam eorum sumpserunt inter pran-
dia, quidam post prandium, arguentes ex
hoc, quod Christus manducantibus disci- *Marc.* xiv,
pulis, benedixit panem, eumque tradidit 22.
illis, jam celebrato veteri pascha. *Conve-* 20
nientibus ergo vobis in unum in eccle-
siam causa communionis, *jam non est,*
id est, non contingit, *dominicam Cœnam
manducare,* id est Eucharistiam sumere,
quæ in Cœna novissima fuerat instituta.
Hoc dicit Apostolus : primo, quia non
solum convenerunt causa communicandi,
sed etiam epulandi ; secundo, quia non
licuit eis tali modo communicare, quo-
niam sacramentum istud a jejunis dum-
taxat sumendum est, exceptis infirmis. Id-
eo subditur : *Unusquisque enim* vestrum 21
scissuras habentium, *suam cœnam,* id est
propria cibaria, *præsumit,* id est, parat
et secum fert ad ecclesiam, *ad mandu-
candum* in ecclesia ante sumptionem Sa-
cramenti. *Et alius quidem* ex vobis *esu-
rit,* scilicet pauper, qui sibi proprios cibos
parare non potuit, cui etiam nihil affer-
tis de vestris cibariis ; *alius autem ebri-
us est,* scilicet dives, qui sibi delicata
paravit. Et quia hæc epulatio derogavit
honori ecclesiæ, quæ consecrata est ad
cultum divinum, non ad epulandum, id-
circo increpat eos Apostolus de hoc, quod
in ecclesia materiali sine necessitate ve-
scebantur.

Numquid domos non habetis ad man- 22
ducandum et bibendum ? quasi dicat :
Imo habetis domos, in quibus talia fieri
decet potius quam in templo, quod est *Matth.* xxi,
domus orationis. *Aut ecclesiam Dei con-* 13.
temnitis, id est, inhonoratis, faciendo in
templo quod fieri debet in domo ? vel :
Ecclesiam Dei, id est congregationem pau-
perum fidelium, contemnitis ? Unde sub-
jungitur : *et confunditis eos qui non
habent* cibaria pretiosa vel sufficientia,
scilicet pauperes ? *Quid dicam vobis,* qui
tam multum erratis, ut vix inveniam quid
vobis dici primum oporteat ? *Laudo vos*
in quibusdam bonis quæ agitis, et quo-

niam fidem tenetis. *In hoc* quod sic fa-
citis in ecclesia, *non laudo* vos.
23 *Ego enim accepi a Domino*, id est, ex
divina revelatione didici, *quod et tradidi*
vobis, id est, quod docui vos de fide, in-
stitutione, et cultu seu modo sumptionis
hujus sacramenti : quod etiam nunc re-
sumo et recito vobis ; *quoniam Dominus*
noster Jesus Christus in qua nocte trade-
batur, id est vespere noctis qua traditus
Matth. xxvi, 26; Marc. xiv, 22; Luc. xxii, 17. est, captus, ligatus, et multiformiter cru-
ciatus, *accepit panem* triticeum et azy-
mum, quo tunc utebantur Judæi in esu
24 agni paschalis ; *et gratias agens* Deo Pa-
tri, *fregit* panem jam consecratum, id est
species vel dimensiones panis, non cor-
pus consecratum, *et dixit* discipulis : *Ac-*
cipite et manducate quod trado ; *hoc est*
corpus meum. Hæc verba proferendo con-
secravit Salvator corpus suum. Sed an
semel, an bis protulit verba hæc, et quan-
do protulerit verba, quid etiam demon-
stret pronomen, Hoc, et alia pene innu-
mera circa hunc locum possunt inquiri :
quæ, quia super quartum Sententiarum
copiose habentur, omitto. *Quod pro vobis*
tradetur, id est, pro vestra redemptione
morti exponetur, a Patre, a me ipso, a
Juda, a Judæis : diversimode tamen, ut
dictum est. *Hoc facite*, id est, consecra-
tionem hujus sacramenti continuate. Quod
pertinet ad sacerdotes dumtaxat. Vel, Hoc
facite, id est, corpus meum accipite at-
que comedite, *in meam commemoratio-*
nem, id est ad memoriam actualem exi-
miæ dilectionis ac acerbissimæ passionis
meæ, imo et omnium beneficiorum meo-
rum. Quod pertinet ad omnes fideles. Hoc
prædixisse videtur Psalmista, quum ait :
Ps. cx, 4, 5. Memoriam fecit mirabilium suorum mi-
sericors et miserator Dominus ; escam de-
dit timentibus se.
25 *Similiter*, sicut de acceptione panis jam
dictum est, *et calicem* cum vino quod
erat in calice, Christus accepit, et san-
Matth. xxvi, 27, 28; Marc. xiv, 23, 24; Luc. xxii, 20. guinem suum consecravit, *postquam cœ-*
navit, id est agno paschali comesto, *di-*
cens : Hic calix, id est contentum in

A calice isto, videlicet sanguis meus, qui verbis consecrationis prolatis continetur in calice, *novum testamentum est*, id est novæ promissionis stabilimentum. In veteri enim Testamento promittebantur bona temporalia et carnalia, in novo autem cœlestia et æterna. Vel, Novum testamentum, id est novæ ac evangelicæ doctrinæ, seu novi Testamenti confirmativus. *In meo sanguine*, id est virtute et pretio effusionis sanguinis mei. Per effusionem enim sanguinis Christi, præparata sunt B nobis bona cœlestia, et horum bonorum promissio stabilitur in fide et merito sanguinis Christi. Ipsum quoque novum Testamentum in sanguine Christi ratificatur, juxta illud ad Hebræos : Testamentum in mortuis confirmatum est. (Hebr. ix, 17.) *Hoc facite*, id est, calicem istum accipite et potate, *quotiescumque sumitis* eum, *in meam commemorationem* : sicut dictum fuit de corpore.

Sciendum vero, quod licet corpus et sanguis Christi dicantur pluraliter sacra- C menta, sicut quum orat Ecclesia, Purificent nos, Domine, sacramenta quæ sumpsimus, scilicet propter materialem diversitatem specierum sub quibus continentur, formaliter tamen sunt unum sacramentum, loquendo de unitate perfecta et integrali. Nam ad eumdem finem et actum completum ordinantur, videlicet ad spiritualem animæ refectionem, in qua requiritur spiritualis cibus, spiritualisque potus. Et quia hoc sacramentum cibus est animæ, cibum vero oportet essentialiter copulari D cibando, idcirco Christus in Sacramento essentialiter continetur. Sub speciebus autem panis, est corpus Christi directe, videlicet vi conversionis ; sanguis vero, anima et deitas, sunt ibi ex concomitantia naturali, eo quod non sint separata ab invicem. Simili modo sub specie vini est sanguis directe ; corpus autem, anima et divinitas, concomitanter.

Consequenter Apostolus, quasi exponens verba Christi immediate prædicta,
subjecit : *Quotiescumque enim mandu-* 26

cabitis panem hunc, hoc est corpus Christi : quod dicitur panis per proprietatem, quoniam alit (unde ait Salvator : Ego sum panis vivus), item, quia sub accidentalibus formis panis continetur ; *et calicem,* id est contentum in calice sanguinem Christi, *bibetis ; mortem Domini,* id est Christi passionem, *annuntiabitis,* prædicando, commemorando, vel repræsentando, *donec veniat* judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem in novissimo die. Constat ergo, quod usque ad finem mundi durabit celebratio hujus sacramenti.

Joann. VI, 41, 51.

27 *Itaque quicumque* celebrans, vel a sacerdote accipiens, *manducaverit panem hunc* supersubstantialem, salutarem, cœlestem atque vivificum, *vel biberit calicem,* id est sanguinem, *Domini* Salvatoris, *indigne,* id est non in statu salutis et gratiæ, non reverenter et devote, non secundum institutionem Christi et ordinationem Ecclesiæ. Requiritur enim in sumptione et celebratione hujus superbeatissimi sacramenti actualis devotio, saltem pro aliqua parte temporis, quoniam Christus præcepit hæc fieri in commemorationem, id est in actualem memoriam, suæ passionis et caritatis. Nec dubium quin loquatur de memoria procedente ex caritate : quæ utique memoria non est sine actuali devotione. *Reus erit corporis et sanguinis Domini,* id est, sic confundetur, damnabitur, et punietur, ac si Christum occidisset, ejusque sanguinem effudisset. Non tamen intelligendum est secundum omnimodam æqualitatem, sed secundum magnam similitudinem.

Præterea advertendum, quod dignitas sumendi hoc sacramentum, attendi potest dupliciter. Uno modo, ex parte sumentis : et sic potest homo digne accedere, quando videlicet non est sibi conscius de peccato mortali, ita ut de præteritis doleat, nec peccare mortaliter proponat, imo omne mortale firmiter vitare intendit, faciens quod in se est, et cum actuali devotione mentem suam disponens. Secundo, ex parte sumpti, videlicet sacramenti quod sumitur : cujus tanta est dignitas propter unitam Divinitatem, ut nullus viator tantæ valeat esse perfectionis, ut dignus sit ipsum accipere. Quatuor autem consideranda sunt in omni sacrificio, et maxime in celebratione Sacramenti altaris, videlicet : quis offert, ut homo propriam imperfectionem perpendat, confiteatur et corrigat ; cui offert, ut scilicet divinæ majestatis dignitas consideretur, et ita cum omni reverentia accedatur ; quid offert, ut qualitas sacrificii rite pensetur (hujus autem sacrificii tanta est dignitas, ut non solum hominum, sed etiam angelorum lingua enarrando deficiat) ; et propter quid offertur. Si hæc diligenter pensentur, inæstimabilis erit fructus sacrosanctæ communionis, imo experimentalis, et omni admiratione dignissimus.

28 *Probet autem se ipsum homo,* id est, interiora sua studiose scrutetur, discutiat, purget, disponat, *et sic de pane illo edat,* id est, taliter examinatus et præparatus, corpus Christi manducet, *et de calice* sanguinem *bibat.* In primitiva namque Ecclesia dabatur hoc sacramentum sub utraque specie. Sed postea ordinatum est ne detur populo sub specie vini, propter pe-
riculum effusionis. *Qui enim manducat* 29
corpus *et bibit* sanguinem Christi *indigne,* secundum sensum expositum, *judicium* reprobationis, id est meritum æternæ damnationis, *sibi manducat et bibit,* id est, communicando acquirit, quia mortaliter peccat, *non dijudicans,* id est non discernens, *corpus* et sanguinem *Domini,* id est, illud accipiens intimorate et irreverenter tanquam alium cibum.

Ecce quam terribiliter loquitur sanctus Apostolus, ut nos ab indigna communione cohibeat. Christus vero non minus terribiliter intonat, ut nos ab abstinentia communionis revocet, dicens : Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et bibetis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quid ergo inter has horribiles comminationes eligendum atque agendum

Joann. VI, 54.

I Joann. I, 8. est misero peccatori (si enim dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos *Prov.* XXIV, 16. seducimus, præsertim quum justus septies cadat in die), nisi ut se ipsum cum omni humilitate disponat pro viribus, confitendo, satisfaciendo, vitam quotidie emendando, Christi beneficia recolendo, et in sola misericordia Creatoris integra mente sperando ? Denique quamvis bonum sit, interim ab hoc sacramento abstinere ex timore et reverentia, propter propriam imperfectionem et periculi gravitatem, melius tamen est quotidie accedere, ex ferventi amore et amicabili familiaritate atque fiducia. Actus enim caritatis dignior est actu timoris. Optimum vero est taliter vivere ut dignus sit homo quotidie sumere, proficiendo in vera caritate, et per consequens in omni virtute ac dono Spiritus Sancti. Hoc namque est incessabiliter communicare, loquendo de spirituali communione : qua Paulus primus eremita quotidie communicavit, qui tamen intra centum circiter annos, hoc sacramentum sacramentaliter nunquam accepit.

30 *Ideo,* id est propter irreverentem sacramenti sumptionem, sunt *inter vos multi infirmi* corporali languore, *et imbecilles,* id est pene consumpti longa invaletudine, *et dormiunt multi,* id est, corporaliter moriuntur in pœnam hujus culpæ. Quemadmodum enim in veteri Testamento graviter, etiam in præsenti, puniti sunt, qui statim post legislationem, legem scriptam *Lev.* X, 1, 2; *Num.* XV, 32-36; *Exod.* XXXII, 1-28. transgressi sunt (ut patet de duobus filiis Aaron, et homine colligente ligna in die sabbati, adoratoribus quoque vituli aurei, qui omnes occisi sunt); ita in novo Testamento, statim post evangelicæ legis lationem et confirmationem, dire percussi sunt transgressores evangelicæ *Act.* V, 1-10. legis, ut patet de Anania et Saphira, et de excommunicatis quos dæmon in pri- *I Cor.* V, 5. mitiva Ecclesia corporaliter affligebat, ut dictum est supra. Simili modo communicantes indigne in primitiva Ecclesia frequenter mox ultionem divinam perpessi sunt, scilicet longam languoris molestiam, et interdum etiam corporalem interitum. Talia enim fiebant ad legis confirmationem, et aliorum terrorem. Facit autem Deus tales ultiones, interdum ut agnoscatur divina providentia et justitia, interdum vero ut commendetur nobis divina misericordia.

Consequenter ostendit quomodo possumus iram atque judicium Dei evadere.
Quod si nos ipsos dijudicaremus, id est, 31
nostra peccata consideraremus, arguerermus et puniremus, dicentes : Tibi soli *Ps.* L, 6. peccavi ; et illud beati Job, Vias meas in *Job* XIII, 15. conspectu Dei arguam ; *non utique judicaremur* judicio reprobationis (de quo dicitur in Joanne, Qui credit in Filium, *Joann.* III, 18. non judicatur), id est, non damnaremur : quia ut dicitur per Prophetam, Non con- *Nahum* I, 9. surget duplex tribulatio : loco cujus alia translatio habet, Non judicabit Dominus bis in id ipsum. Loquitur autem Apostolus in persona totius generis humani, quum ipse non esset in isto culpabilis.

Deinceps ponit utilitatem divinæ correctionis.
Quum judicamur autem a Do- 32
mino, id est, per nostros excessus temporalibus pœnis addicimur (sicut nunc dictum est de indigne communicantibus), *corripimur,* id est, flagello paternæ cor- *Judith* VIII, 27. rectionis percutimur : juxta illud Apocalypsis, Ego quos amo, arguo et casti- *Apoc.* III, 19. go ; et Job, Beatus homo qui corripitur a *Job* V, 17. Domino ; *ut non cum hoc mundo damnemur,* id est, ne cum mundanis et vanis hominibus, super quos non est virga Dei, *Ibid.* XXI, 9. æternaliter pereamus. Hoc est quod alibi Scriptura loquitur : Etenim non multo *II Mach.* VI, 13. tempore sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium.

Itaque, fratres mei, ne præinducta ma- 33
la vobis contingant, *quum convenitis* in ecclesiam materialem *ad manducandum* panem cœlestem, videlicet corpus dominicum, *invicem exspectate,* ut non inchoetur celebratio divinorum, nec fideles communicent, nisi quum omnes convene-

34 rint. *Si quis* autem *esurit,* non potens A
exspectare tam diu, *domi manducet* ci-
bum corporalem, non in ecclesia, sicut
hucusque fecistis. Nec tamen postmodum
communicare præsumat eodem die, quo-
niam a jejuno dumtaxat sumendum est
sacramentum. Hæc igitur facite, *ut non*
in judicium damnationis *conveniatis,* id
est, ne conveniendo inordinate, incurra-
tis, non fructum sacræ communionis, sed judicium perpetuæ mortis. *Cetera autem* quæ modo non scribo, *quum venero, disponam.* Ex hoc elicitur, quod quædam observantur in Ecclesia ex ordinatione Apostolorum, quæ scripta non sunt, ut est adoratio crucis in die Parasceves. Unde generalis consuetudo Ecclesiæ, pro lege servanda est.

ARTICULUS XII

ELUCIDATIO CAPITULI DUODECIMI : DE SPIRITUALIBUS AUTEM NOLO VOS IGNORARE.

CORRECTIS Corinthiorum erroribus cir-
ca sacramenta Baptismi, Matrimonii et
Eucharistiæ, nunc instruuntur de donis
et gratiis supernaturalibus Spiritus San-
cti, tam gratum facientibus, quam gratis
1 datis ; et ait : *De spiritualibus autem,* id
est divinis charismatibus, donis seu gra-
tiis Spiritus Sancti, *nolo vos ignorare,* id
est ignaros esse quid secundum catholi-
cam fidem de illis sit tenendum, o *fra-*
tres. Deinde ostendit Apostolus, quales isti
fuerunt antequam receperunt gratiam Dei.
2 *Scitis autem* memoriter tanquam exper-
ti, *quoniam,* id est quod, *quum gentes*
essetis, hoc est in gentilitate conversan-
tes, gentiliterque viventes, eratis *ad si-*
mulacra muta, id est idola insensata : de
Ps. cxiii, 5, sec. Hebr. quibus scriptum est, Os habent, et non
loquentur ; *prout ducebamini,* suggerente
diabolo vel propria consuetudine, *euntes,*
id est assidue proficiscentes.
3 *Ideo notum vobis facio* per præsentem
scripturam, *quod nemo in Spiritu Dei,*
id est in Spiritu Sancto, *loquens* verbo
cordis, verbo oris, vel verbo operis : de
Zach. viii, 16. quo Zacharias propheta, Hæc sunt, inquit,
verba quæ facietis, etc. ; *dicit* aliquo ho-
rum trium verborum, *anathema Jesu,* id
est blasphemiam, vel quodcumque mor-
tale peccatum a Deo separativum contra
B Christum. Hoc dicit Apostolus, ad innuendum quod per gratiam Dei vitatur mortale peccatum ; et ut sciamus illum non operari aut loqui in Spiritu Sancto, videlicet secundum gratiam ejus (quod idem est dicere), qui Christo injuriam irrogat. Unde in prima Joannis Canonica habetur : In hoc cognoscitur Spiritus Dei : omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est ; et omnis spiritus qui solvit Jesum Christum, ex Deo non est. *Et nemo potest dicere,* C *Dominus Jesus,* id est Jesum Christum cum debita attentione et cordis affectu exprimere, vel eum veraciter Dominum suum appellare, *nisi in Spiritu Sancto,* id est ex gratia gratificante. Talis enim prolatio Jesu, quum sit confessio oris et actio meritoria, procedit ex caritate et fide formata. Nec obstat quod ait Salvator : Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum. Talia enim atque similia intelliguntur de dilectione informi ac nuda, cui nec caritas, D nec operatio correspondet. Apostolus autem vult dicere, quod non possumus aliquid meritorie cogitare, loqui vel operari, nisi in Spiritu Sancto per gratiam gratificantem. (I *Joann.* iv, 2, 3.) (*Matth.* vii, 21.)

Declarata necessitate et efficacia gratiæ,

fonte quoque gratiarum ostenso, agit Apo- A
stolus de gratiis in speciali.

Denique triplex ponitur differentia hominum, quantum ad actus et habitus animæ rationalis, ut Thomas in secunda secundæ pulchre deducit. Prima est secundum diversas gratias gratis datas. Nam alii datur gratia prophetiæ, alii gratia sanitatum, alii sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, sicut patebit. Secunda differentia est secundum diversitatem officiorum ac statuum. Alii enim datum est ministerium apostolatus, alii ministerium sa- B
cerdotii, etc. Tertia est secundum diversitatem vitæ et operationum. Quidam enim sunt contemplativi, quidam activi. — Gratia autem est duplex, videlicet gratum faciens, et gratis data : quæ differunt in hoc, quod per gratiam gratum facientem convertitur rationalis creatura immediate ad Deum, conversione caritativa. Datur enim hæc gratia principaliter propter bonum ejus cui præstatur. Gratia vero gratis data, est per quam unus cooperatur
Rom. XIII, 1. saluti alterius. Quæ enim a Deo sunt, or- C
dinata sunt. Ordo autem in hoc consistit, ut ait Theologus, ut unus per alium reducatur ad Deum. Idcirco gratia gratis data, datur principaliter propter bonum alterius, scilicet propter utilitatem Ecclesiæ. — Sed ad hanc utilitatem tria requiruntur. Primo, quædam facultas exercendi actum Ecclesiæ utilem : et ista habetur per gratiam gratis datam, ut est donum linguarum, gratia miraculorum. Secundo, requiritur auctoritas exercendi actum hujusmodi, ut apostolatus, vel sacerdotium. D
Tertio quoque exigitur exsecutio operum.

Quantum ergo ad primum istorum, di-
4 cit Apostolus : *Divisiones vero gratiarum*
gratis datarum (de quibus nunc agitur), id est ipsæ gratiæ, divisæ *sunt*, quum sint diversæ ac plures (sicut dicetur), *idem autem Spiritus* est, scilicet Spiritus Sanctus, qui est omnium donorum istorum gratuitorum collator. Quantum autem ad
5 secundum, subjungitur : *Et divisiones ministrationum sunt,* id est, officia seu ministeria ecclesiasticarum personarum distincta et varia sunt, *idem autem Dominus*
distributor istorum. *Et divisiones opera-* 6
tionum sunt, id est, diversæ sunt executiones officiorum jam prædictorum, et unum opus majus et dignius est alio. Quidam per ministrationes intelligunt effectus gratiæ gratis datæ quantum ad alios, prout unus alteri subservit ; per operationes vero, effectus gratiæ quoad se ipsum. Quamvis etiam tria nomina hic expressa, videlicet Spiritus, Dominus, Deus, unicuique divinæ Personæ conveniant, proprie tamen per Spiritum accipitur Spiritus Sanctus, per Dominum Filius, per Deum Pater. *Idem vero* est *Deus qui operatur* mediate vel immediate *omnia in omnibus,* reddendo singula singulis, id est omnia quæ fiunt in quacumque re. Quidquid enim est causa causæ, est causa causati : imo effectus causæ secundæ, magis adscribendus est causæ primæ, quam causæ secundæ. Non autem operatur Deus omnia in omnibus, tanquam sit forma et esse internum omnium rerum, ut multi putaverunt, sed sicut causa efficiens et finalis, cujus virtute et desiderio operatur omnis causa secunda.

Consequenter ponit Apostolus causam finalem infusionis gratuitorum donorum.
Unicuique autem, id est omni cui datur, 7
datur manifestatio Spiritus, id est gratia gratis data qua declaratur præsentia Spiritus Sancti : non quod talis gratia semper conjuncta sit caritati, ita ut Deus per eam habitet in homine, sicut in electis habitare fertur per acceptionem ipsorum; imo gratia talis sæpe confertur malignis, ut patet de Juda proditore et Balaam. Propter quod ait Salvator : Multi dicent mihi in die illo : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et virtutes multas fecimus ? etc. Dicitur tamen gratia ista manifestatio Spiritus, quia frequentius signum est divinæ inhabitationis, et semper ostendit virtutem divinam præsentialiter operantem per dona hujusmodi. Da- *Joann.* VI, 71, 72; *Num.* XXII, 8 *et seq.* *Matth.* VII, 22.

tur ergo hæc gratia *ad utilitatem,* id est profectum Ecclesiæ : sicut ostensum est. Datur enim talentum divini beneficii, ut expendatur utiliter, non ut abscondatur ignaviter, secundum quod ait Salvator :
Luc. XIX, 13. Negotiamini dum venio. Et Petrus quoque
I *Petr.* IV, 10. hortatur : Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes.
Deinde enumerantur gratiæ gratis da-
8 tæ. *Alii quidem datur per Spiritum,* id est a Spiritu Sancto, *sermo sapientiæ,* id est sapientia aliis sermocinandi, videlicet cognitio divinorum. *Alii autem* datur *sermo scientiæ,* id est scientia rerum humanarum et creaturarum : per quas decla-
Rom. I, 20. rantur divina, quoniam invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, cognoscuntur; *secundum eumdem Spiritum,* id est secundum beneplacitum ejusdem Spiritus Sancti, et non secundum vel propter merita nostra. Exprimit autem Apostolus hæc duo dona gratuita, præmittendo sermonem, propter duo : primo, ad insinuandum quod ordinantur ad instructionem aliorum; secundo, ad innuendum quod non solum habitualis cognitio, sed etiam usus seu ordinata expressio sit a Deo. Unde dicit Salvator :
Luc. XXI, 15. Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere omnes adversarii vestri.
Eccli. XLI, 17. Et alibi habetur : Sapientia abscondita et thesaurus invisus, quæ utilitas in utroque? Sciendum vero, quod ista sapientia et scientia realiter differunt a sapientia
Is. XI, 2. et scientia quæ sunt de numero septem donorum Spiritus Sancti. Illa enim haberi non possunt sine caritate et gratia gratum faciente; ista vero, ut dictum est, possunt esse in impiis.
9 *Alteri* datur *fides,* id est constantissima certitudo de invisibilibus, quæ in sacra Scriptura præsupponuntur (non ergo sumitur fides hoc loco, prout est virtus theologica), *in eodem Spiritu,* id est virtute Spiritus Sancti. *Alii* datur *gratia sanitatum,* id est virtus curandi infirmos, *in uno Spiritu,* id est in Spiritu Sancto, qui in se ipso unus et simplex est, quamvis
10 in donis sit multiplex. *Alii* datur *opera-*

A *tio virtutum,* id est magnorum miraculorum, facultatem naturæ omnino excedentium, ut est statio solis. *Alii prophetia,* *Josue* X, 13.
id est cognitio futurorum contingentium certa atque divinitus inspirata. *Alii discretio spirituum,* id est discreta cognitio seu rectum judicium de his quæ in animo aliorum versantur, vel ab eis proferuntur, ut sciat homo quo spiritu unumquodque dicatur. Potest quoque intelligi de discretione spirituum bonorum inter malignos, ne fallatur quis a Satana pro-
B ponente mala sub specie boni, vel in specie angeli apparente. *Alii* dantur *genera linguarum,* id est diversa idiomata, seu facultas utendi compluribus linguis. *Alii* datur *interpretatio sermonum,* id est expositio alienorum idiomatum, vel difficilium sensuum, aut prophetalium visionum.

S. Thomas in prima secundæ, assignat sufficientiam gratiarum istarum hoc modo : Gratia gratis data ordinatur ad hoc, ut unus cooperetur saluti alterius. Ad hanc vero cooperationem tria requiruntur : pri-
C mum est, divinorum præclara quædam cognitio; secundum est, eorumdem firma probatio, non utique per naturalem rationem, sed per divina miracula; tertium est, eorum apta prolatio. Quantum ad primum, tria sunt necessaria. Primo, ut aliorum instructor prima principia sacræ Scripturæ, puta articulos fidei, certissime noscat : et quantum ad hoc ponitur fides, quæ jam sumitur pro certitudine fidei. Secundum est, certa cognitio principalium conclusionum ex prædictis principiis de-
D ductarum : et ita est sapientia. Tertium est, declaratio divinorum et invisibilium credendorum per manifesta exempla : sicque ponitur sermo scientiæ. Confirmatio autem seu probatio invisibilium fidei, fit per ea quæ divinæ virtuti sunt propria, et hoc, dupliciter : Primo, ut ea fiant quæ divinæ potestati sunt propria, ut sunt divina prodigia : quæ si pertineant ad corporis sanitatem, erit gratia sanitatum ; si vero ordinentur ad divinæ potentiæ manifestationem, erit operatio

virtutum. Si vero ea manifestet quæ divinæ scientiæ propria sunt, sic est prophetia, quantum ad cognitionem contingentium; vel discretio spirituum, quantum ad cognitionem secretorum cordis. Ad convenientem vero prolationem, primo requiritur facultas idiomatum, ut possit homo loqui hominibus cujuscumque idiomatis, et sic est donum linguarum; secundo exigitur intellectualis cognitio dicendorum, quod pertinet ad interpretationem sermonum.

11 *Hæc autem omnia operatur,* id est, cuncta dona prædicta efficit in nobis, *unus atque idem Spiritus* Sanctus, *dividens,* id est mensuraliter distribuens, *singulis* quibus ista præstantur, *prout vult,* id est, non secundum necessitatem naturæ, sed secundum libertatem suæ voluntatis æternæ. Ex hoc patet Spiritum Sanctum esse verum Deum : aliter enim non operaretur hæc prout vult.

12 Horum exemplum subjungitur. *Sicut enim corpus* humanum *unum est,* conjunctione membrorum et unitate suæ formæ substantialis, *et* hoc corpus *membra habet multa,* videlicet manus, pedes, etc.; *omnia autem membra corporis quum sint multa, unum corpus sunt : ita et Christus* in se unus est, habens membra diversa, scilicet universos fideles, qui Christo uniuntur ut capiti, faciuntque sub eo
Coloss. I, 18, 24. unum mysticum corpus, quod est Ecclesia. Sicut ergo diversis membris, ita diversis fidelibus diversa dona sive officia deputantur atque conveniunt. Quomodo autem corpus Christi mysticum unum sit,
13 subditur : *Etenim in uno Spiritu,* id est in Spiritu Sancto, seu gratia Spiritus Sancti, *omnes nos in unum corpus,* id est, ad hoc ut simus unum mysticum corpus per fidem et caritatem conjuncti, *baptizati sumus,* non solum in nomine Spiritus Sancti, sed in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, vel certe in nomine Christi; *sive Judæi, sive gentiles, sive servi, sive liberi :* id est, diversitas ritus aut conditionis, unitatem istam non impedit. *Et omnes in uno Spiritu* Sancto *potati sumus* spirituali potatione, id est diversis charismatibus Spiritus Sancti impleti. De qua potatione dicit Salvator apud Joannem : Qui biberit ex aqua quam ego dabo, non sitiet in æternum; sed aqua quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Joann. IV, 13, 14.

Deinde Apostolus similitudinem istam clarius explicans, subdit : *Nam et corpus* 14
non est unum membrum, sed multa. Loquitur autem de corpore naturali organico, quod constat ex membris distinctis.
Si dixerit pes : Quoniam non sum ma- 15
nus, non sum de corpore : non ideo non* * num
est de corpore? Hoc intelligi potest, vel de pede corporis humani, qui non ideo non esset pars corporis, quamvis diceret se non esse manum; vel de pede Ecclesiæ, id est homine habente gratiam inferiorem. Itaque si dixerit pes iste : Quoniam non sum manus, id est, ex quo non sum ita perfectus ut is cui operatio virtutum collata est, idcirco non sum de corpore mystico Ecclesiæ : non ideo non est de corpore? id est, ex hoc non sequitur quod non sit aliquo modo de corpore Ecclesiæ. *Et si dixerit auris : Quo-* 16
niam non sum oculus, idcirco *non sum de corpore : non ideo non est de corpore?* Possunt autem per aurem et oculum intelligi naturalis corporis membra; vel personæ ecclesiasticæ, ut per aurem intelligatur qui habet gratuitum donum scientiæ, per oculum autem, qui habet gratiam sapientiæ : quorum inferior, quamvis diceret se non esse parem superiori, ex hoc tamen non sequeretur quod nullo modo ad corpus Ecclesiæ pertineret.

Si totum corpus esset oculus, ubi esset 17
auditus, id est auris? *Si totum corpus esset auditus, ubi esset odoratus,* id est nares? Per hoc designatur, quod si omnes fideles essent unius officii, non posset salvari diversitas officiorum, gratiarum et operationum, quæ ad Ecclesiæ perfectionem requiritur, periretque decor Ecclesiæ, qui in ordine diversorum con-

18 sistit. *Nunc autem* propter exercenda ope- A
ra naturæ necessaria, *posuit,* id est ordi-
navit, formavit atque constituit, *Deus* per
causas secundas, *membra* in corpore ho-
minis, *unumquodque eorum in corpore*
Ephes. i, 11. humano, *sicut voluit,* qui omnia opera-
tur secundum propositum voluntatis suæ.
19 *Quod si essent omnia* ad corporis inte-
gritatem spectantia, *unum membrum, ubi*
esset *corpus ?* quasi dicat : Non esset cor-
pus organicum, ad cujus perfectionem di-
20 versa membra concurrunt. *Nunc autem*
ad vitandum inconveniens tale, *multa qui-* B
dem membra sunt, *unum autem* est *cor-*
pus resultans ex diversitate membrorum :
simili modo est in Ecclesia.

Sed quamvis sit tanta diversitas ordinis
in naturalibus membris corporis, ac my-
sticis membris Ecclesiæ, superiora tamen
indigent inferiorum auxilio, sicut subjun-
21 gitur : *Non potest autem oculus dicere*
manui, id est, quamvis oculus loqui pos-
set, non tamen veraciter diceret manui,
quæ est organum organorum, atque infe-
rior oculo : *Opera,* id est actione *tua non* C
indigeo. Quod enim oculus videt agen-
dum, manus exsequitur. *Aut iterum ca-*
put non potest dicere *pedibus,* qui vilio-
res sunt capite : *Non estis mihi necessarii.*
Pedes enim perducunt caput ad necessaria
alimenta. Sic in Ecclesia contemplativi,
qui designantur per oculum, indigent ope-
ra activorum ; et prælati, significati per
caput, indigent subditis, qui exprimun-
tur per pedes. Potest enim humilis, po-
test et subditus, quod non potest sublimis
et rector. D
22 *Sed multo magis quæ videntur membra*
corporis infirmiora esse, id est viliora, ut
manus et pedes, quæ cunctis membris
deserviunt ; vel, Infirmiora, id est tene-
riora, ut oculus ; *necessariora sunt* ad vi-
23 tæ sustentationem. *Et quæ putamus igno-*
biliora esse membra corporis, ut sunt
membra quæ generationi atque egestioni
deserviunt ; *his honorem abundantiorem*
circumdamus, id est, diligentius tegimus
et vestimus. Sic in Ecclesia imperfectio-
ribus major cura et subventio necessariæ
sunt, ut scilicet diligentius instruantur,
et spiritualibus donis perficiantur.* *Ho-* 24
nesta autem nostra, id est membra cor-
poris pulchriora, *nullius* operimenti et
ornatus *egent,* ut oculi, genæ, facies ; *sed*
Deus temperavit, id est, convenienter pro-
portionavit *corpus* humanum. Cujus tem-
perationis modus annectitur : *ei cui deerat*
honor, id est membris vilioribus, *ampli-*
orem tribuendo honorem, id est ornatum
vestimentorum, quia indidit hominibus
B naturalem instinctum ad hoc : *ut non* 25
sit schisma, id est disproportio membro-
rum, *in corpore, sed in idipsum,* id est
propter bonum totius corporis, *pro invi-*
cem sollicita sint membra, id est sibi in-
vicem prompte subservientia in rebus
agendis, periculisque vitandis : sicut pro
defensione oculorum manus se objicit, et
pro manuum defensione, oculus undique
conspicit ; *et si quid* molestiæ *patitur* 26
unum membrum, compatiantur omnia
membra, succurrendo læsioni membri in-
C firmi : nam et dolor unius membri re-
dundat in aliud ; *sive gloriatur,* id est,
in aliquo delectatur, *unum membrum,*
congaudeant omnia membra, id est, suo
modo congratulentur atque refloreant.

*[*Et quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent.*]

Quemadmodum ergo tanta est habitudo
inter corporis membra, ut unum alteri
auxilietur, condoleat, congratuletur, sic
esse oportet inter fideles, si velint effici
membra Christi. Unde ad ostendendum
quod ista fideles concernant, subjungi-
tur : *Vos autem estis corpus Christi* my- 27
D sticum, caritatis et fidei nexu ad invicem
et cum Christo unitum, *et* estis *membra*
dependentia quantum ad esse spirituale,
de membro, id est Christo principali ca-
pite nostro ; vel, De membro, id est perso-
na ecclesiastica, cujus prædicatione estis
conversi.

Consequenter tractat Apostolus de or-
dine prædictorum donorum, et distincti-
one ministrationum. *Et quosdam quidem,* 28
id est paucos, respectu aliorum, *posuit*
Deus per fidem et gratiam *in Ecclesia,* id

est inter fideles : *primum*, ordine digni- A
tatis, *Apostolos*, summos et primos Christi
Ps. XLVI, 10. vicarios, principes populorum ac judices.
Secundo, id est statim post apostolicam
dignitatem, posuit *Prophetas* novi Testa-
menti, mysteria Scripturarum ac futura
prænuntiantes, quales in Actibus Aposto-
Act. XXI, 10; lorum leguntur fuisse Agabus, Silas, et
XV, 32. alii plures. Areopagitam quoque Diony-
sium fuisse prophetam, testatur epistola
ejus ad evangelistam Joannem. *Tertio* lo-
co dignitatis, posuit Deus *doctores*, præ-
cepta vitæ prædicantes, et alios imbuen- B
Ibid. XIII, 1. tes. De quibus in Actibus legitur : Erant
autem in Ecclesia quæ erat Antiochiæ,
Prophetæ et doctores. *Deinde* posuit Deus
in Ecclesia *virtutes*, id est operatores mi-
raculorum in rebus extra hominem. *Ex-
inde* posuit *gratias curationum*, id est
sanatores corporum humanorum ordine
supernaturali. Certum est autem omnia
ista convenire Apostolis : erant enim sum-
mi prophetæ, et primi doctores Ecclesiæ,
signis præclari ; sed Apostolus ponit hic
ordinem gratiarum et gradus ministro- C
rum, digniora dignioribus tribuens. In-
super posuit Deus in Ecclesia *opitulatio-
nes*, id est adjutores superiorum, sicut
archidiaconi opitulantur episcopis, *guber-
nationes*, id est prælationes minorum per-
sonarum, ut sunt presbyteri, *genera lin-
guarum*, id est loquentes linguis diversis
ex gratia speciali, *interpretationes sermo-
num*, id est occultorum sensuum expla-
natores.

Quod autem non omnia dona data sint
singulis, sed uni hoc, alii illud, declarat
continuo : *Numquid omnes* homines sunt 29
Apostoli ? Non utique, sed paucissimi.
Quanto enim perfectio major, tanto est
rarior. *Numquid omnes Prophetæ ? num-
quid omnes doctores? numquid omnes vir-* 30
tutes, id est miracula operantes? *numquid
omnes gratiam habent curationum? num-
quid omnes linguis* diversis *loquuntur ?
numquid omnes interpretantur*, exponendo
obscura?

Ne autem desiderium hominum princi-
paliter feratur ad desiderandum dona is-
ta gratuita, eo quod ad honorificentiam
quamdam pertineant, monet Apostolus ut
dona gratum facientia, sicut sunt septem *Is.* XI, 2, 3.
dona Spiritus Sancti, potius desideren-
tur. *Æmulamini autem*, id est, sectami- 31
ni et optate, *charismata meliora*, id est
salubriora dona Spiritus Sancti. — *Et ad-
huc* ultra omnia prædicta, *excellentiorem
viam* ad patriam perducentem, *vobis de-
monstro* (in sequentis capituli exordio),
scilicet caritatem.

ARTICULUS XIII

EXPLANATIO CAPITULI TERTIIDECIMI : SI LINGUIS HOMINUM LOQUAR, ETC.

HABITO tractatu de gratiis gratis da- D
tis, jam agitur de caritate : quæ se-
cundum quosdam, realiter idem est cum
gratia gratum faciente ; secundum Tho-
mam vero, ab ea realiter differt, est ta-
men inseparabiliter ei unita. Caritatis igi-
1 tur dignitatem insinuans, ait : *Si linguis
hominum* universorum *loquar*, sicut et
Act. II, 4. loquor (Apostolis namque data est om-
nium linguarum notitia) ; loquar quoque
et spiritualibus linguis *angelorum*, id est,
quamvis sic loqui possem, sicut angeli
sancti loquuntur ad invicem per intelle-
ctualem conversionem unius ad alium :
ut quum superiores illuminant inferio-
res, vel inferiores superioribus proprios
manifestant conceptus. Quæ locutio est
per voluntariam determinationem ac in-

tellectualem eorum conversionem ad in-
vicem : quod enim in corporalibus facit
situs, hoc in spiritualibus efficit ordo,
secundum Augustinum. *Caritatem autem*
Dei et proximi *non habeam ; factus sum*
velut æs sonans, aut cymbalum tinniens,
id est, inanem strepitum verborum emit-
to, qui alios docet atque delectat, mihi
autem non prodest, quoniam spiritualiter
mortuus sum. Æs quoque sonando, aliis
aliquid significat ; cymbalum quoque tin-
niendo, audientes delectat. Patet ergo quod
donum linguarum sine caritate nil prosit,
quantumcumque sit sublime.
2 *Et si habuero prophetiam,* quæ est su-
pernaturalis cognitio futurorum, *et nove-*
rim mysteria omnia, id est occulta sa-
cramenta summæ Trinitatis, *et omnem*
scientiam utriusque Testamenti ; *et si ha-*
buero omnem, id est perfectam, *fidem, ita*
ut montes orando vel imperando *trans-*
feram de locis suis. De qua fide in Evan-
Marc. xi, 23. gelio loquitur Christus : Quicumque di-
xerit huic monti, Tollere et mittere in
mare, et non hæsitaverit, fiet ei. *Cari-*
tatem autem non habeam ; nihil sum,
quantum ad esse spirituale, deiforme ac
meritorium. Caritas enim vita est animæ :
ideo caritate ablata, desinit esse et vivere
3 coram Deo. — *Et si distribuero in cibos*
pauperum omnes facultates meas, id est,
omnia bona mea pauperibus nutriendis
erogavero ; *et si tradidero corpus meum*
tormentis pro observatione justitiæ, *ita*
ut ardeam, id est comburar ; *caritatem*
autem non habuero ; nihil mihi prodest
ad promerendam vitam æternam. Caritas
enim vivificat mentem, jungitque affectum
cum Deo, referens cuncta ad ultimum
finem.
4 *Caritas patiens est :* facit enim æqua-
nimiter ferre adversa amore dilecti ; *beni-*
gna est, id est clemens, facilis ad donan-
dum. Hi actus sunt a caritate imperative ;
ab habitu vero patientiæ et benignitatis
procedunt elicitive. *Caritas non æmula-*
tur, id est, non invidet prosperitati al-
terius. Porro significationes hujus verbi,

A Æmulor, continentur hoc versu : Æmulor,
inflatur, amat, invidet ac imitatur. Caritas
non agit perperam, id est perverse, im-
pediendo bonum alterius ; *non inflatur*
tumore superbiæ ; *non est ambitiosa,* op- 5
tando prælationem. *Non quærit quæ sua*
sunt : id est, non est inordinate ad se
ipsam reflexa, ita ut solum aut finaliter
intendat et quærat proprium bonum ; sed
potius quærit Dei honorem finaliter, pro-
ximorum autem salutem quærit ut pro-
priam. Vel, Non quærit quæ sua sunt, id
B est, sua non repetit cum scandalo alte-
rius : non enim amat pecunias, sed ani-
marum salutem. *Non irritatur,* id est,
nec verbis nec signis provocatur ad iram.
Non cogitat malum, id est nocumentum
inferre alicui. *Non gaudet super iniqui-* 6
tate, id est, de culpa alterius non lætatur,
imo compatitur ; *congaudet autem veri-*
tati vitæ, doctrinæ atque justitiæ, id est
bonis operibus et rectæ doctrinæ. *Omnia* 7
suffert, id est, adversa fortiter tolerat, et
proximorum defectus pie sustinet. *Omnia*
C *credit* quæ divinitus revelantur : non om-
nibus, quum non sit credendum omni I Joann. iv, 1.
spiritui ; nec simpliciter omnia quæ di-
cuntur, credit esse vera, quia hoc esset
incircumspectionis, secundum illud, In- Prov. xiv, 15.
nocens credit omni verbo : ubi innocen-
tia pro defectu sensus accipitur. *Omnia*
sperat, id est, divina promissa longani-
miter exspectat, et quæ petit, confidit
adipisci. *Omnia sustinet,* id est, onera
aliorum sustentat et portat.
Caritas nunquam excidit, id est, nun- 8
D quam finitur, aut esse desinit. Quod in-
telligendum est, non quantum ad subje-
ctum caritatis : nam habens caritatem,
potest eam amittere, juxta illud, Habeo Apoc. ii, 4.
adversum te, quod caritatem tuam pri-
mam reliquisti. Et Christus in Evangelio :
Refrigescet, inquit, caritas multorum. Sed Matth. xxiv, 12.
intelligendum est, quantum ad caritatis
perfectionem internam : quoniam ita per-
fecta est caritas, ut nec actus nec habi-
tus caritatis repugnet statui Beatorum.
Unde cum præsenti vita non finiuntur,

sed in futuro perficiuntur. Tunc enim caritatis præceptum perfecte implebitur. Potest tamen intelligi de caritate perfectorum, qui ita in dilectione et gratia confirmati sunt, ut cum Apostolo dicere
Rom. VIII, 35. queant : Quis nos separabit a caritate Christi ?

Sive sint prophetiæ, tamen *evacuabuntur,* id est, cessabunt cum vita præsenti. Prophetia enim est obscura cognitio, et concernit futura ; cognitio autem Beatorum est clara, et omnia sunt eis quasi præsentia. *Sive linguæ, cessabunt* esse in patria. Non quod substantia linguæ aut usus ejus non erit : nam Sancti in patria omnia corporis membra habebunt, et vocali laude atque corporea voce utentur, prout probabilius dicitur. Intelligendum est ergo, quod donum linguarum cessabit, quia non dabitur in patria alicui usus linguarum diversarum ad hoc, ut diversis loquatur linguis, eo quod non omnes linguas intelligant : omnes enim omnes linguas cognoscent. Et sicut probabiliter æstimant aliqui, sicut in primo statu generis humani erat populus unus et labium
Gen. XI, 1, 6. unum, ut patet in Genesi, sic in ultimo statu erit omnium electorum unum idioma. Ad quod applicari potest illud
Zach. XIV, 9. Zachariæ : In die illa erit Dominus unus, et nomen ejus unum. *Sive scientia, destruetur :* non quantum ad habitum, aut species intelligibiles ; sed quantum ad actum et modum agendi, id est quantum ad discursum et reflexionem ad phantasmata : quorum utrumque imperfectionis est. Ideo subditur :

9 *Ex parte enim,* id est imperfecte, *cognoscimus, et ex parte prophetamus.* Utraque enim cognitio valde incompleta est. Nam sicut se habet oculus noctuæ ad lumen solis, sic intellectus noster se habet ad manifestissima naturæ, id est ad cognitionem substantiarum separatarum, et maxime Dei sublimis et benedicti : quæ tamen ex sua natura sunt maxime cognoscibilia, quum sint maxime actualia
10 atque formalia. *Quum autem venerit quod*
A *perfectum est,* id est, quum in patria fuerit nobis concessa visio Dei per speciem, quæ est perfecta et prorsus purissima ; *evacuabitur,* id est destruetur, *quod ex parte est,* id est imperfectio cognoscendi : non habitus cognoscitivus, nec actio ejus perfectionalis ; sed rationativus, quo proceditur a noto ad ignotum per inquisitionem : quod non erit in patria. — Sed circa hoc aliqui movent, quod etiam dilectio nostra est imperfecta, et imperfectio nostra tolletur in patria. Ad quod B respondendum, quod licet imperfectio auferatur, directus tamen, immediatus ac proprius actus caritatis non tollitur, sed perficitur in Beatis.

Consequenter Apostolus ponit declarationem istorum per exemplum status puerilis, qui quum sit imperfectus, evacuatur adveniente matura ætate. *Quum essem* 11
parvulus ætate, sensu et quantitate, *loquebar ut parvulus,* verba imperfecte pronuntiando ; *sapiebam ut parvulus,* circa veritatis notitiam sæpe errando ; *cogita-* C *bam* puerilia et jocosa, *ut parvulus* facere solet. *Quando autem factus sum vir* ætate et sensu, *evacuavi quæ erant parvuli,* id est, puerilia dereliqui, et ad perfectionem me transtuli.

Videmus oculo intellectuali, id est, Deum 12
cognoscimus, *nunc,* id est in præsenti exsilio, *per speculum,* id est per obscuras imagines, scilicet creatas essentias, quæ Dei naturam imperfecte, imo obscurissime repræsentant. Non enim ostendunt quid Deus sit, sed quid non sit. Nec ostendunt D de Deo quid est, sed quia est. Sic ergo videmus per speculum *in ænigmate,* id est in umbrosa similitudine, utpote in formis intelligibilibus, et Scripturarum figuris ac tropis, in quibus modicum quid divinæ lucis resplendet. Omnis namque creata essentia, omnisque species intelligibilis intellectum in hac vita perficiens, in infinitum occumbit et deficit a perfectione divinæ naturæ. Idcirco eam repræsentare non potest, nisi obscure et circumvelate. Propter quod di-

vinissimus Dionysius asserit : Impossibile A est aliter nobis lucere divinum radium, nisi circumvelatum variis velaminibus sensibilium rerum. *Tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte,* id est imperfecte. (*Job* xxvi, 14.) Unde in Job dicitur : Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum ejus ; et quum vix parvam stillam sermonum ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis ejus intueri? *Tunc autem,* quum ad patriam venero, *cognoscam* Deum, *sicut et cognitus sum* ab eo, id est clare atque per speciem, sicut in prima Joan- B nis Canonica legitur (I *Joann.* iii, 2.) : Quum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.

Sciendum autem, quod Sicut, hoc loco non dicit æqualitatem, sed similitudinem quamdam, quæ consistit in hoc, quod sicut Deus gloriosus et sanctus videt se ipsum per propriam essentiam, ita quod in Deo idem sunt, quod videtur, et quo videtur, seu objectum et species ; sic nos videbimus eum per ipsius essentiam, tanquam per intelligibilem formam nostræ C menti immediate, non tamen inhæsive, unitam ; sicque Deus erit nobis quod videbimus, et quo videbimus, seu objectum et species. Nulla namque forma creata tantæ perfectionis est, ut per eam videri possit Deus secundum quod in se ipso subsistit : imo ab hujusmodi divinæ essentiæ repræsentatione deficit infinite. Unde et summi philosophi, tam Platonici quam Peripatetici, dixerunt primam causam non cognosci ab aliqua substantia separata, nisi per negationem, et quia est, ita quod tanto verius perfectiusque cognosceretur Deus ab eis, quanto clarius cernerent Deum penitus invisibilem, inenarrabilem et incomprehensibilem esse. Hoc ergo Apostolus dicit videre Deum facie ad faciem, cognoscere eum sicut cognoscit nos. Videre autem per speciem, tantum est dicere, sicut videre per essentiam. Ad quam beatificam ac superdulcissimam visionem disponitur intellectus creatus in patria immediate per lumen gloriæ, quod est gratia consummata, ponens intellectum in esse deiformi ac deificato.

Nunc autem, id est tempore viæ et 13
peregrinationis istius, *manent* in corde fidelium *fides, spes, caritas, tria hæc,* id est hæ tres virtutes theologicæ, habentes Deum pro immediato objecto. *Major autem horum,* id est dignior fide et spe, *est caritas.* Tamen virtutes theologicæ digniores sunt ceteris omnibus donis atque virtutibus.

ARTICULUS XIV

DECLARATIO CAPITULI QUARTIDECIMI : SECTAMINI CARITATEM.

FACTA determinatione quod caritas ma- D
jor sit ceteris donis, et gratiis gratis
datis, nunc hortatur Apostolus ad carita-
tis imitationem, et gratiarum gratis da-
1 tarum ponit comparationem, et ait : *Se-
ctamini* toto cordis affectu *caritatem* Dei
et proximi, quæ una est, quantum ad
habitum, eo quod Deus sit finis et ratio
diligendi proximum. Caritas ergo sectan-
da est, ut si non habeatur, studeamus
eam acquirere; si vero habetur, enitamur
in ea proficere, et omnia nostra exercitia
ad ejus incrementum referre. Ait enim
Salvator : In hoc cognoscent omnes quia (*Joann.* xiii, 35.)
discipuli mei estis, si dilectionem habu-
eritis ad invicem. *Æmulamini,* id est
concupiscite, *spiritualia* dona, videlicet
gratias gratis datas, ut aliis proficiatis.

Magis autem optate, *ut prophetetis*, quam
ut linguis loquamini, quoniam donum pro-
phetiæ majus est dono linguarum.
2 *Qui enim loquitur lingua*, id est, di-
versis loquelis utitur, sicut per donum
linguarum accepit, loquens videlicet lin-
gua ignota et peregrina; vel, Qui loqui-
tur lingua, id est idiomate proprio ac voce
sine intellectu eorum quæ dicit, profe-
rens signa quorum signata ignorat; *non
hominibus loquitur*, id est non ad instru-
ctionem eorum, *sed Deo*, id est ad laudem
ipsius, vel quia a Deo intelligitur, cujus
laudibus instat. *Nemo enim audit* : id-
circo non hominibus loquitur. Nemo enim
audit auditu cordis, id est, nullus intel-
ligit quid ille loquatur, quantum est ex
virtute locutionis illius. Donum enim lin-
guarum per se non instruit intellectum.
Sumitur nempe hoc loco, Loqui linguis,
pro locutione non perfecte intellecta, nec
satis explanata : sicut purus grammaticus
physicam legere potest in Latino, sed non
potest eam exponere; et aliquis simplex
legit Horas canonicas, quarum sensum
non capit. *Spiritus autem* prophetiæ, id
est Spiritus Sanctus per Prophetas, *lo-
quitur mysteria*, id est divina secreta.
Dat enim Prophetis intellectum eorum, ut
possint Scripturarum sententias eviden-
ter cognoscere et aliis prædicare : quod
est Ecclesiam ædificare. Propterea sub-
3 ditur : *Nam qui prophetat*, id est, Scri-
pturas exponit, et sensus latentes de-
clarat, *hominibus*, id est ad profectum
hominum, *loquitur*, scilicet *ad ædificati-
onem* incipientium, *et exhortationem* pro-
ficientium, *et consolationem* mœstorum.
4 *Qui loquitur lingua*, secundum sensum
expositum, *semetipsum ædificat*, id est,
sibimet solum proficit, seque in bono
actu exercet, proferendo verba divina, et
Deum orando, quamvis sensum non ca-
piat. *Qui autem prophetat, Ecclesiam Dei
ædificat*, sicut nunc dictum est. Prophe-
tare autem, ut patuit, et ut ait Ambro-
sius, sumitur jam pro eo quod est, visio-
nes divinas sibi vel aliis factas, seu sacras

A Scripturas divinitus revelatas, per intel-
lectuale lumen menti communicatum ex-
ponere.
Denique S. Thomas in secunda secundæ
ponit tres rationes, cur donum prophe-
tiæ dignius est dono linguarum. Prima
est, quoniam donum prophetiæ consistit
in interiori illuminatione mentis; donum
vero linguarum refertur ad diversas voces
proferendas, quæ sunt signa intelligibi-
lis veritatis. Secunda, quoniam donum
prophetiæ ordinatur ad notitiam rerum;
B donum vero linguarum, ad notitiam vo-
cum. Tertia, quia prophetiæ donum uti-
lius est, eo quod valeat ad ædificationem
Ecclesiæ, sicut declaravit Apostolus.
Ne autem Apostolus videatur donum
linguarum omnino contemnere, addit : *Vo-* 5
lo autem, quantum in me est, *vos omnes
loqui linguis* diversis ex dono Spiritus,
scilicet quum sit quoddam donum; *magis
autem* volo vos *prophetare*. *Nam major*
spiritualiter, id est perfectior, *est*, ceteris
paribus, *qui prophetat*, reserando abdita
C Scripturarum, *quam qui loquitur linguis :
nisi forte interpretetur*,* id est, ea quæ
loquitur, clare exponere possit. Sic enim
major esset, quia sic haberet utrumque
donum, videlicet prophetiam et linguas.
Nam interpretatio sermonum ad donum
prophetiæ reducitur. — Unde per sui ip-
sius exemplum ostendit, quod donum lin-
guarum non prosit aliis per se, nisi adjun-
cta interpretatione sermonum. Ait enim :
Nunc autem, o *fratres*, *si venero ad vos* 6
linguis loquens, id est diversa idiomata
D proferens; *quid vobis prodero*, ita loquen-
do? *nisi vobis loquar, aut in revelatione*,
id est exponendo revelationem divinitus
factam (quæ est, quum quædam mysteria
per figuras ostenduntur, sicut in Apoca-
lypsi), *aut in scientia*, id est exponendo
ea quæ ad scientiam spectant et fidem
illuminant, *aut in prophetia*, id est ex-
ponendo dicta prophetica, *aut in doctri-
na* morali, exponendo ea quæ morum
informationem concernunt.
Præterea introducit exemplum Aposto-

*[*ut Ecclesia ædificationem accipiat*]

lus de rebus inanimatis, ad ostendendum A
quod linguæ sine interpretatione inutiles
7 sint. *Tamen quæ sine anima sunt,* id est
inanimata, *vocem dantia,* id est sonantia
(sumit enim sonum pro voce, nam vox
proprie est animatorum), *sive* id inanima-
tum, sit *tibia, sive cithara : nisi distin-
ctionem sonorum dederint,* id est, distin-
ctos sonos reddiderint; *quomodo scietur,*
id est discernetur, *quod canitur, aut quod
citharizatur?* quasi dicat : Quis poterit
aliter judicare modos et consonantias car-
8 minis? *Etenim si incertam vocem,* id est B
indeterminatum sonum, *dederit tuba* qua
clangitur tempore prælii, *quis parabit se
ad bellum?* Nullus utique. Institutus est
enim certus modus clangendi tempore
præparationis ad pugnam.

Consequenter Apostolus applicat simi-
9 litudinem istam ad propositum. *Ita et vos
per linguam,* id est, linguis loquendo,
nisi manifestum sermonem dederitis, id
est, verba vestra plane atque faciliter ex-
posueritis; *quomodo scietur,* id est, ab
auditoribus intelligetur, *id quod dicitur,* C
id est, prædicatur a vobis? Non utique
intelligetur. *Eritis enim in aera loquen-
tes,* id est inanem sonum verborum in
aere formantes, et corporum aures, non
10 animorum intelligentias percutientes. *Tam
multa* idiomata, *utputa genera lingua-
rum sunt in hoc mundo,* videlicet sep-
tuaginta duo; *et nihil sine voce est,* id
est, unaquæque plebs utitur propria vo-
ce; vel, quælibet res habet vocem qua
11 significatur. *Si ergo nesciero virtutem,* id
est significationem, *vocis* quam loquor D
vel audio, *ero ei cui loquor,* id est, quem
docere præsumo, *barbarus,* id est non in-
telligibilis. Barbarum enim vocamus quod
non intelligimus. *Et qui loquitur mihi*
lingua extranea vel obscura, erit mihi *bar-
barus,* id est non intellectus.

12 *Sic et vos, quoniam æmulatores estis
spirituum,* id est appetitores spiritualium
munerum Spiritus Sancti, *ad ædificatio-
nem Ecclesiæ quærite ut abundetis,* id
est, ad hoc laborate spiritualibus donis
impleri, ut aliorum saluti cooperemini :
quod est ædificare Ecclesiam. *Et ideo qui* 13
loquitur lingua, id est, loquendo utitur
dono linguarum, *oret* Deum *ut interpre-
tetur,* id est, ut Deus conferat sibi gra-
tiam interpretationis sermonum, ut quæ
loquitur, plane intelligat et aliis eviden-
ter proponat. *Nam si orem lingua,* id est, 14
verba orationis sine intellectu pronun-
tiem, *spiritus meus,* id est voluntas, *orat,*
id est, ad Deum afficitur, quia ei per
caritatem unitur, et cupit adipisci quod
verba orationis significant, licet sensum
in speciali anima non cognoscat. Significa-
tur vero voluntas per spiritum, quoniam
spiritus vim impulsivam seu motivam im-
portat. Impulsio autem seu motio respi-
cit voluntatem, cujus est ferre atque im-
pellere amantem in amatum. *Mens autem
mea,* id est intellectus, *sine fructu est,*
id est sine contemplatione et delectatio-
ne, quæ consistunt in distincta et propria
cognitione eorum quæ per orationem de-
signantur. *Quid ergo est* mihi agendum? 15
Orabo spiritu, id est affectu, *orabo et
mente,* id est in intellectu, orando Deum
toto corde, ita ut diligenter attendam, at-
que ardenter optem quod oro. Simili mo-
do *psallam,* id est, Deum laudabo, *spiritu,
psallam et mente.* Ex his patet donum
prophetiæ dignius esse dono linguarum,
quia per donum prophetiæ orat quis men-
te et spiritu : intelligit enim quæ dicit;
sed per donum linguarum non orat ho-
mo, nisi in spiritu.

Ceterum si benedixeris, id est, alii bona 16
dixeris, seu benedictionem contuleris, sic-
ut facit episcopus et sacerdos, *spiritu,*
id est, non verbis quæ ab aliis intelli-
gantur, sed solum lingua; *qui supplet
locum idiotæ,* id est dato quod nemo tunc
adsit nisi illitteratus et rudis, *quomodo
dicet, Amen, super benedictionem tuam?*
id est, quomodo tibi respondebit, et con-
sensus ac desiderii verbum tuæ benedi-
ctioni adjiciet? Non potest hoc facere cum
attentione, *quoniam quid dicas nescit,* id
est, sensum tuæ benedictionis non per-

17 cipit. *Nam tu quidem bene gratias agis* A
Deo, ipsum laudando in spiritu, id est
cum affectu, *sed alter non ædificatur,* id
est, non proficit, non accenditur, nec in-
struitur in verbis tuis quæ non intelli-
git, eo quod non loqueris interpretando
seu exponendo sermonem.
18 *Gratias ago Deo meo quod omnium
vestrum lingua loquor.* Data est enim
Apostolis per donum linguarum, univer-
sarum linguarum scientia, quatenus uni-
19 versis gentibus prædicarent. *Sed in eccle-
sia* materiali, et inter fideles, *volo* potius B
quinque, id est pauca, *verba loqui sensu
meo,* id est cum intellectu perfecto, ut
me ipsum intelligam, et ab aliis intelli-
gar, *ut et alios instruam,* sicut pertinet
ad prædicatorem; *quam decem millia ver-
borum* loqui, id est quantamcumque ver-
borum multitudinem : ponit enim determi-
natum pro indeterminato, quemadmodum
Dan. VII, 10. in Daniele legitur, Millia millium mini-
strabant ei, etc. ; *in lingua* dumtaxat, id
est sine intellectu et aliorum instructione.
20 *Fratres* mei, *nolite pueri effici sensi-* C
bus, id est, pueris nolite conformari quan-
tum ad imperfectam eorum cognitionem,
ne more puerorum erretis discernendo
inter bonum et malum, verum et falsum.
Is. LXV, 20. Scriptum est enim : Puer centum anno-
rum maledicetur. *Sed malitia parvuli es-
tote,* id est, puerorum innocentiam se-
Matth. XVIII, 3. ctemini : sicut et Christus monet, Nisi
conversi fueritis, et efficiamini sicut par-
vuli, non intrabitis in regnum cœlorum ;
Ps. XVIII, 8. et Psalmista, Testimonium (inquit) Domi-
ni fidele, sapientiam præstans parvulis. D
Sensibus autem, id est interioribus actibus
intellectus, *perfecti sitis,* ut habeatis sen-
sus exercitatos ad discretionem boni et
mali. Quis autem sit sensus perfectus,
Sap. VI, 16. innuitur per Sapientem, qui dicit : Co-
gitare de sapientia, sensus est consum-
matus.
21 *In lege enim* (prout lex omnes Scriptu-
ras veteris Testamenti includit) *scriptum
Is. XXVIII, 11. est* in Isaia : *Quoniam in aliis linguis, et
labiis aliis,* id est non solum in Hebræo,

sed in diversis linguarum generibus, et
insolito modo loquendi, *loquar* per Apo-
stolos *populo huic* Judæorum ; *et nec sic,*
id est non propter tam evidens signum,
exaudient me, id est sermonibus meis
acquiescent, *dicit Dominus.* Hoc conti-
gisse patet in Actibus, ubi inducitur
quemadmodum Apostoli Spiritu Sancto re-
cepto, loquebantur Judæis variis linguis. Act. II, 4.
Judæi tamen pro majori parte perman-
serunt increduli. Hoc allegat Apostolus,
ut ostendat Corinthiis cur non debent
tam inhianter quærere donum linguarum,
quod ipsi ex quadam curiositate magis
quærebant quam gratiam prophetiæ : ob
hoc quod linguæ in signum sunt infide-
libus, ipsi vero jam erant fideles. Unde
concludit : *Itaque linguæ in signum sunt* 22
non fidelibus, sed infidelibus, id est non
propter necessitatem vel conversionem
credentium, qui sciunt Deum omnia pos-
se, nec indigent tali miraculo. Infidelibus
vero necessaria fuit novitas hujus mira-
culi, ut vel sic admonerentur converti
ad Dominum. *Prophetiæ autem* in signum
sunt, *non infidelibus, sed fidelibus,* quia
non proponuntur infidelibus, ne margari- Matth. VII, 6.
tæ projiciantur ante porcos, vel sanctum
canibus detur.
Adhuc autem probat Apostolus, quod
donum linguarum non sit adeo appeten-
dum, ut donum prophetiæ. *Si ergo uni-* 23
versa ecclesia, id est societas fidelium,
conveniat in unum mente et corpore, *et
omnes* fideles *linguis loquantur* diversis
et inelucidatis, *intrent autem idiotæ aut
infideles,* et audiant vos sic loquentes ;
nonne dicent quod insanitis, tanquam ob-
sessi vel arrepticii ? Quum enim fuerit
inter vos tantus tumultus et confusio lin-
guarum, nec unus intellexerit alium, vi-
debimini similes phreneticis, illusis atque
amentibus. *Si autem omnes* fideles *pro-* 24
phetent, id est, abdita Scripturarum ex-
ponant, et intellectualiter de secretis con-
ferant, vel divinitus revelata Dei aliis
publice dicant, *intret autem quis infidelis
aut idiota, convincitur ab omnibus* pro-

phetantibus, quod sit in aliquo errore,
dijudicatur, id est, damnabilis demon-
25 stratur, *ab omnibus. Occulta enim cordis*
ejus, videlicet peccata latentia, seu cogi-
tationes injustæ, *manifesta fiunt* per pro-
phetias illorum. *Et ita cadens in faciem,*
id est, se peccatorem agnoscens, pœni-
tens, et in terra prosternens se, *adorabit*
Deum pro indulgentia et misericordia,
pronuntians quod vere Deus in vobis sit
per gratiam specialem.

Consequenter pandit Apostolus quomo-
do utendum sit donis linguarum ac pro-
26 phetiæ. *Quid ergo est, fratres?* id est,
quum prædicta ita se habeant, quid est
agendum? *Quum convenitis* in ecclesiam,
unusquisque vestrum, id est aliquis de
omni genere congregationis vestræ; vel,
Unusquisque vestrum in se, vel in alio
sibi per caritatem conjuncto; *psalmum*
habet, id est laudem Dei cum cantico,
doctrinam habet moralem ad alios imbu-
endos, *apocalypsim,* id est revelationem,
habet, linguam habet, id est donum lin-
guarum, *interpretationem habet,* id est
facultatem exponendi Scripturas aut lin-
guas. *Omnia* autem hæc *ad ædificatio-*
nem fiant ecclesiæ, id est ordinate et
caritative, secundum quod congruit con-
gregationi fidelium.

27 *Sive lingua quis loquitur,* id est, si
aliquis loquendo utitur dono linguarum,
secundum duos fiat talis locutio, *aut ut*
multum sit, fiat secundum *tres,* id est,
non nisi duo, vel ad majus tres, ita lo-
quantur, ne tempus expendatur in tali
occupatione minus fructuosa in se. Fiat
quoque locutio ista *et per partes,* id est
successive, quantum ad tempus, ut unus
loquatur post alium, vel divisim, quan-
tum ad partes populi : vel intercise, ut
post unam partem locutionis, sequatur
ejus expositio, et post aliam partem simi-
liter : sicut fit quando prædicator prædicat
hominibus ignotæ linguæ per interpre-
tem. Ideo subditur : *et unus interprete-*
tur, id est, aliquis sit qui exponat populo
28 quæ dicuntur. *Si autem non fuerit* præ-
sens aliquis *interpres,* id est expositor,
taceat in ecclesia qui loquitur lingua, quia
nullum ædificat, nisi ipsemet interprete-
tur; *sibi autem,* id est ad suam propriam
utilitatem, *loquatur* orando, *et Deo,* id est
ad gloriam Dei in secreto, ut nullum im-
pediat.

Prophetæ, id est Scripturarum exposi- 29
tores sive doctores, *duo vel tres dicant,*
id est, in ecclesia prædicent ordinate et
sigillatim : tot enim sufficiunt; *et ceteri*
dijudicent, id est, diligenter discernant,
ne forte aliquid falsitatis commisceatur.
Quod si aliquid melius et ignotum ac 30
necessarium *revelatum fuerit* per Spiri-
tum Sanctum, *sedenti,* id est alicui au-
ditori, *prior* prophetans *taceat,* dans lo-
cum loquendi huic illuminato. *Potestis* 31
enim omnes per singulos, id est sigilla-
tim, scilicet unus post alium, *prophetare,*
id est Scripturam sacram disserere, ejus-
que mysteria declarare, *ut omnes discant,*
etiam superiores ab inferioribus, quia non
omnia omnibus revelantur, sed aliqua
uni, aliqua alteri, *et omnes exhortentur,*
id est, verbum exhortationis proponant,
quilibet suo loco ac tempore, ne fiat tur-
batio. *Et spiritus Prophetarum Prophetis* 32
subjecti sunt. Hoc multi exponunt de Spi-
ritu Sancto : qui pluraliter dicitur Spi-
ritus, propter diversitatem donorum suo-
rum, vel propter pluralitatem Prophetarum
quos implet. Dicitur autem Prophetis sub-
jectus, quia non cogit eos tacere vel lo-
qui. Ideo unus potest alteri cedere. Ap-
tius vero videtur posse intelligi de spiritu
rationali, creato videlicet : ut spiritus, id
est animæ, seu ratio et voluntas Prophe-
tarum dicantur eis subjecta, quia Prophe-
tæ non sunt locuti sicut amentes et insen-
sati, ut voluerunt hæretici; sed sponte et
libere loquebantur, ita quod sibi ipsis po-
terant imperare et obedire. *Non enim est* 33
dissensionis, id est discordiæ, *Deus,* au-
ctor vel approbator, *sed pacis :* ideo vult
ut unus alteri cedat; *sicut in omnibus*
ecclesiis sanctorum doceo per me ipsum
et discipulos meos, et per epistolas meas.

Et quia jam dixit Apostolus, Potestis A
omnes prophetare, ne hoc de utroque se-
34 xu intelligatur, subjecit : *Mulieres in ec-
clesiis taceant,* id est, nec prophetare, id
est docere, nec loqui linguis præsumant.
Non enim permittitur eis aliqua aucto-
ritate *loqui* in ecclesia, nisi secrete oran-
do ; *sed* præcipitur eis *subditas esse* viris,
Gen. III, 16. *sicut et lex dicit* in Genesi : Sub viri
35 potestate eris, et ipse dominabitur tui. *Si
quid autem volunt discere, domi viros
suos interrogent* ut instruantur, non in
ecclesia. *Turpe est enim,* id est inhone- B
stum ac indecens, *mulierem loqui in ec-
clesia :* Primo, quoniam mulieribus con-
venit esse verecundas ac subditas ; docere
autem pertinet ad eminentiorem. Secun-
do, quoniam ratio naturaliter debilior est
in femina quam in viro. Tertio, ne ex
sermocinatione mulieris concitetur libido
Eccli. IX, 11. virorum. Colloquium enim illius quasi
ignis exardescit.

Insuper increpantur Corinthiorum re-
belles, qui in aliquibus præsumpserunt
mutare ordinationes Apostoli. Ne ergo et C
huic ordinationi de silentio mulierum re-
36 sistere audeant, dicitur eis : *An a vobis
verbum Dei processit ?* id est, non utique
a vobis ortum sumpsit prædicatio evan-
gelica, sed a nobis. Idcirco tenemini ac-
quiescere nostris statutis. *An in vos solos
pervenit ?* id est, non vobis tantum, sed
aliis multis annuntiata et infusa est Chri-
sti doctrina. Ideo conformetis vos aliis,
et implete quod dico. *Si quis videtur* 37
propheta esse, aut spiritualis, id est, qui
vere prophetat, exponendo Scripturarum
mysteria, vel prædicendo futura, *cogno-
scat,* id est, spiritualiter penset, *quæ scri-
bo vobis, quoniam Domini sunt mandata,*
id est ex divina inspiratione a me pro-
lata, non ex proprio corde conficta. *Si* 38
quis autem ignorat ista quæ scire tene-
tur, *ignorabitur,* id est, a Deo non co-
gnoscetur notitia approbationis : sicut
nec illi quibus dicitur, Nescio vos unde Luc. XIII, 25.
sitis.

Itaque, fratres, æmulamini, id est de- 39
siderate, *prophetare* (secundum sensum
jam sæpe præhabitum) ; *et loqui linguis,*
id est uti dono linguarum, *nolite prohi-
bere* eos qui possunt sic loqui, quamvis
melius sit prophetare. *Omnia autem* quæ 40
fiunt inter vos, *honeste,* id est virtuose, *et
secundum ordinem,* id est ordinate, *fiant
in vobis,* ut nihil reprehensibile in actibus
vestris appareat, et cum debitis circum-
stantiis cuncta agantur. Optimum enim
in rebus est ordo ; et peccatum non est
nisi recessus ab ordine.

ARTICULUS XV

EXPOSITIO CAPITULI QUINTIDECIMI : NOTUM AUTEM VOBIS FACIO, FRATRES, EVANGELIUM.

COMPLETO tractatu de sacramentis et D
gratiis, nunc agit de resurrectione
mortuorum : de qua primo recte instru-
cti fuerunt Corinthii ab ipso Apostolo ;
postmodum vero quum recessisset Apo-
stolus, a perversis infecta est fides illorum
1 de resurrectione futura. Itaque ait : *No-
tum autem vobis facio, fratres,* id est,
ad memoriam revoco, clariusque expono,
Evangelium quod prædicavi vobis, id est
bonam annuntiationem de Christo, *quod*
Evangelium *et accepistis,* adhibendo fi-
dem evangelicæ prædicationi, *in quo et
statis,* habendo intellectum erectum ad
Deum in veritate evangelicæ legis, volun-
tatem quoque a ruina peccati elevatam,
per quod et salvamini, credendo testimo- 2
niis Evangelii, ejusque obediendo præce-

ptis. Et hoc utique sic est, *qua ratione*
prædicaverim vobis, si retinetis, id est,
si diligenter recolitis qua ratione, id est
quo fine, qua spe, seu quo argumento
prædicaverim vobis Evangelium Christi.
Prædicavi enim vobis ad hunc finem, id
est propter hanc spem, ut consequamini
vitam æternam. Argumentum quoque quo
probavi resurrectionem futuram, fuit re-
surrectio Christi. Hæc autem retinetis, et
per Evangelium istud salvamini, *nisi*, id
est si non, *frustra* et inaniter *credidistis*.
3 *Tradidi enim*, id est prædicavi, *vobis*
in primis, id est inter præcipua puncta
quæ docui : prædicavi, inquam, testimo-
nium fidei, *quod et accepi*, id est, per
divinam revelationem cognovi, non ex-
cogitavi : *quoniam Christus mortuus*, id
est occisus, *est pro peccatis nostris* tollen-
dis, *secundum Scripturas*. Scriptum est
Thren. IV, 20. enim in Threnis : Spiritus oris nostri,
Christus Dominus, captus est in peccatis
Is. LIII, 5. nostris; et in Isaia, Ipse autem vulnera-
tus est propter iniquitates nostras, attri-
4 tus est propter scelera nostra. *Et quia*
sepultus est, et quia resurrexit tertia die
secundum Scripturas. De sepultura quip-
Ibid. XI, 10. pe Isaias prædixit : Et erit sepulcrum
Ibid. LIII, 9. ejus gloriosum ; item, Dabit impios pro
sepultura, et divites pro morte sua. De
Osee VI, 3. resurrectione quoque ait Osee : Vivifica-
bit nos post duos dies, in die tertia sus-
Soph. III, 8. citabit nos ; et Sophonias, Exspecta me,
dicit Dominus, in die resurrectionis meæ
in futurum.
5 *Et quia visus est Cephæ*, id est Petro.
Quamvis locus hujus apparitionis ignore-
tur, creditur tamen facta quando Petrus
a monumento recessit in die resurrectio-
Joann. XX, 18. nis, quando videlicet Maria Magdalene di-
xit se Christum vidisse. *Et post hæc* visus
Ibid. 26. est *undecim* Apostolis in conclavi, Tho-
6 ma præsente. *Deinde visus est plus quam*
quingentis fratribus, id est discipulis, *si-*
mul; ex quibus multi manent, id est, in
corpore vivunt, *usque adhuc, quidam au-*
Apoc. XIV, 13. *tem dormierunt* somno beatæ mortis in
Domino. De hac visione nullus Evangeli-

A starum scribit. *Deinde visus est* seorsum 7
Jacobo Minori fratri Domini, primo Jero-
solymorum episcopo. De hac apparitione
non loquitur Evangelium. *Deinde* visus
est *Apostolis omnibus* in die ascensionis. Marc. XVI, 14-19.
Novissime autem omnium prædictorum, 8
videlicet post ascensionem et Spiritus San-
cti missionem, *tanquam abortivo, visus*
est et mihi proficiscenti Damascum. Ab- Act. IX, 2-7.
ortivum autem vocatur proles quæ ex-
tra debitum et congruum tempus nasci-
tur, vel cum violentia de ventre educitur,
B vel ad debitam quantitatem non pervenit.
Ideo propter tria comparat se Apostolus
abortivo : primo, quoniam alii Apostoli
ante missionem Paracleti sunt renati, ip-
se postea ab Anania; secundo, quia cum Ibid. 17.
quadam coactione conversus est, scilicet
per terrorem et minas; tertio, quia aliis
Apostolis minor fuit, consideratione vitæ
præteritæ, quando persecutus est Christi-
anos. Ideo subdit : *Ego enim sum mini-* 9
mus Apostolorum : non simpliciter, sed
quantum ad aliquid, utpote quia ultimo
C ad apostolatum vocatus est. Hoc modo Ja-
cobus Alphæi, frater Domini, dictus est Marc. XV, 40.
Minor, respectu Jacobi filii Zebedæi, non
sanctitate aut dignitate, sed quia vocatio-
ne posterior. Iterum, Minimus sum Apo-
stolorum, ratione præteritorum malorum.
Qui non sum dignus vocari apostolus, per
respectum ad merita mea præcedentia,
quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei,
viros ac mulieres ad judicium pertrahens: Act. VIII, 3; IX, 2.
quod alii Apostoli nunquam fecerunt.
Gratia autem Dei gratum faciente, et 10
D gratis data, non propriis viribus aut me-
ritis, *sum id quod sum* in esse superna-
turali et spirituali : per gratiam enim gra-
tum facientem, habeo esse deiforme et
Deo acceptum, quoad ultimum finem; per
gratiam vero gratis datam, sum aposto-
lus, propheta, doctor, interpres, signo-
rum patrator. *Et gratia ejus in me va-*
cua, id est infructuosa, *non fuit ; sed*
abundantius illis omnibus laboravi, id
est cunctis Apostolis, scilicet, quolibet eo-
rum seorsum, non plus omnibus simul

acceptis. Nullus enim Apostolorum tanta
spatia percurrisse, tot populis prædicas-
se, tot persecutiones legitur pertulisse, ut
I Cor. iv, 12. Paulus ; nec aliquis eorum sic propriis
manibus victum quæsivit, ut ipse. Sed
ne ista videatur jactanter dixisse, subje-
cit : *Non autem ego* sic laboravi propria
potestate, vel tanquam principalis causa
operum bonorum, *sed gratia Dei mecum,*
scilicet, cooperata et auxiliata est mihi,
fuitque principalior causa bonorum, quam
ego seu mea natura. Gratia enim se ha-
bet ad liberum arbitrium, ut sessor ad
equum.
11 *Sive enim ego, sive illi,* id est tam ego
quam ceteri Apostoli, *sic prædicavimus,*
videlicet Christum resurrexisse, vel nos
per ejus gratiam operari, *et sic credidi-
stis* sicut evangelizavimus vobis.
Præterea, ex resurrectione Christi ca-
pitis nostri, ostendit Apostolus generalem
12 resurrectionem futuram. *Si autem,* id est
Quia, *Christus prædicatur* a veris Apo-
stolis *quod resurrexit a mortuis : quomo-
do quidam* hæretici *dicunt in vobis,* id
est inter vos, *quoniam resurrectio mor-
tuorum* corporalis et universalis *non est*
13 credenda, neque futura? *Si autem resur-
rectio mortuorum non est* futura, sequitur
quod *neque Christus resurrexit.* Eadem
quippe ratio est de capite et de mem-
14 bris. *Si autem Christus non resurrexit*
veraciter, sed phantastice : sicut dixerunt
hæretici, scilicet Marciani et Marcionitæ,
qui Christi incarnationem dixerunt fuisse
phantasticam, quos secutus est immun-
dissimus Manichæus ; *inanis est ergo,* id
est, infructuosa, vana et falsa est, *prædi-
catio nostra* quæ asserit Christum resur-
rexisse. Simili ratione *inanis est et fides*
15 *vestra* catholica. *Invenimur autem,* id est,
si ita est ut dicunt hæretici, nos Apo-
stoli esse probamur *et sumus falsi testes
Dei,* id est mendaciter testantes de Deo ;
*quoniam testimonium diximus adversus
Deum,* id est contra veritatem et volun-
tatem Dei, videlicet *quod suscitaverit Chri-
stum* a morte ; *quem non suscitavit,* id
est, quem sequitur non esse suscitatum
a Deo, *si mortui non resurgunt. Nam si* 16
*mortui non resurgunt, neque Christus re-
surrexit,* qui ad hoc incarnatus et passus
est, ideoque surrexit, ut nos ad immor-
talem vitam reduceret. *Quod si Christus* 17
non resurrexit, vana est fides vestra, quia
non potest vos ad ultimum finem seu
veram felicitatem perducere ; *adhuc enim,*
scilicet post Baptismi ac fidei receptio-
nem, *estis in peccatis vestris* præteritis,
sicut et ante, secundum eos qui Christi
resurrectionem non profitentur. Fides et-
enim vana, et Baptismus falsum repræ-
sentans, non tollunt peccata. Baptismus
autem, Christi sepulturam ac resurrecti-
onem repræsentat, ut dictum est ad Ro- Rom. vi, 4.
manos. Si ergo Christus non resurrexit,
fides vestra inanis est, et Baptismus falsa
significat. Non ergo tolluntur vestra pec-
cata per fidem atque Baptismum. *Ergo* 18
et qui dormierunt in Christo, id est, in
fide Christi defuncti sunt, *perierunt,* id
est, damnati sunt, eo quod in fide inani
et pristinis vitiis sint defuncti.
Consequenter ponit aliam rationem re-
surrectionis futuræ. *Si in hac vita tan-* 19
tum in Christo sperantes sumus, id est,
si solum confidimus per Christum conse-
qui bona in hac vita præsenti, et non
potius vitam æternam in anima et corpo-
re, *miserabiliores,* id est infeliciores, *su-
mus omnibus hominibus* (non Christianis),
qui in hac vita præsenti suis fruuntur
deliciis. Nos vero nec in præsenti, nec
in futuro gaudebimus : imo tanto mi-
serabiliores essemus, quanto graviora et
plura propter fidem et Christum sustine-
remus.
Nunc autem, id est, ne prædicta in- 20
convenientia concedantur, veritas ita ha-
bet, videlicet quod *Christus resurrexit a
mortuis,* qui est *primitiæ,* id est primi-
tivus vel primus, *dormientium,* id est
mortuorum : qui dormientes dicuntur,
quoniam Christo jubente faciliter et in-
tegre quasi de somno reducentur ad vi-
tam. Horum dicitur Christus primitiæ,

quoniam primus tempore, et propria vir-
tute surrexit, loquendo de dormientibus
in fine sæculi suscitandis. Aliqui tamen
Matth. IX, pauci ante Christum surrexerunt, quorum
25; *Luc.* VII, 14, 15; *Joan.* XI, 43, 44. ipsemet tres suscitavit. Unde de Christo
legitur in Apocalypsi : Qui est testis fi-
Apoc. I, 5. 21 delis, primogenitus mortuorum. *Quoniam*
quidem per hominem, scilicet Adam pri-
mum nostrum parentem, *mors* naturæ et
Gen. III, 19; *Sap.* II, 24. culpæ ingressa est genus humanum, pro-
pter originale peccatum illius, *et per ho-*
minem, scilicet Christum, id est merito
passionis ejus, erit *resurrectio mortuo-*
rum, qui immutabuntur. Potentior est
enim Christus ad reparandum, quam Adam
22 ad destruendum. *Et sicut in Adam,* id
est in prævaricatione Adæ, *omnes mori-*
untur, incurrendo originale peccatum et
moriendi necessitatem, eo quod peccatum
illius traducatur in posteros ; *ita et in*
Christo, id est virtute et merito Christi,
omnes vivificabuntur in resurrectione fu-
tura, et vitam gloriæ consequentur omnes
electi : imo meritum Christi omnino in
se sufficiens est, ut omnes simpliciter per
ipsum beatam resurrectionem sortiantur.
Porro, quod impii resurgent, non erit
merito Christi, sed divina ejus virtute.
Apostolus autem nunc loqui videtur de
omnibus electis, qui merito Christi bea-
tam immortalitatem adipiscentur. De qui-
Joann. XII, 32. bus et Christus dixit : Omnia traham ad
Dan. VII, 14. me ipsum ; Daniel propheta quoque, Om-
nes (inquit) populi, tribus et linguæ ser-
vient ei.
23 *Unusquisque autem in suo ordine,* id
est, in suo gradu et dignitate, secundum
exigentiam meritorum suorum, resurget,
ut Apostolus in ordine Apostolorum, mar-
tyr in ordine martyrum. Deinde exponit
hunc ordinem : *Primitiæ Christus,* id
est, omnium resurgentium in finali ju-
dicio primus tempore, et summus digni-
tate, est Christus, qui prior surrexit, ut
fidem et spem faceret, formamque præ-
beret credentibus ; *deinde* in fine sæculi
I *Thess.* IV, 15. suscitabuntur *hi qui sunt Christi,* id est
fideles, electi, utpote *qui in adventum*
A *ejus crediderunt,* id est in Christum ven-
turum ad faciendam universalem remu-
nerationem. Isti resurgent Christo poste-
riores tempore, et inferiores dignitate.
Resurgent etiam ante eos qui non sunt
Christi, id est ante infideles et reprobos,
non ordine temporis, sed dignitatis. Re-
surrectio enim erit in momento. vers. 52.
24 *Deinde,* id est resurrectione completa,
erit *finis* hujus mundi, quia tunc species
generabilium esse cessabunt, et status *Apoc.* XXI, 1.
mundi mutabitur. Erit quoque tunc fi-
B nis, id est consummatio seu plena per-
fectio electorum, qui tunc in anima et
corpore glorificabuntur. *Quum* Christus
homo *tradiderit,* id est, obtulerit, seu
præsentaverit, *regnum* militantis Eccle-
siæ, id est electos fideles, in quibus Chri-
stus interim regnat per fidem, regens eos
per gratiam. Hoc regnum offeret et præ-
sentabit Salvator *Deo et Patri,* id est Patri
æterno, tanquam elegantissimam prædam
de antiqui hostis manu excussam, atque
de vinculis mortis æternæ suo pretiosis-
C simo sanguine liberatam. Dicitur autem
Christus hoc regnum Patri sic præsenta-
re, quia adducet electos ad summi cœli
palatium, in quo habitat Deus Pater, po-
netque eos illic in conspectu Patris, non
ut Pater incipiat eos inspicere, sed ut
ipsi eum per speciem contemplari inci-
piant. Juxta quem modum ait Psalmista :
Quando veniam et apparebo ante conspe- *Ps.* XLI, 3.
ctum Dei ? — Vel sic : *Quum* Christus
tradiderit, id est dederit, *regnum* prædi-
ctum *Patri,* videlicet ut Pater in electis
D regnet, eosque regat gubernatione comple-
ta, puta per gloriosam fruitionem et con-
firmationem eorum in bono, quos modo
regit gubernatione incompleta per grati-
am viæ amissibilem, quæ tamen imper-
fectio est ex parte nostri, qui sæpe pec-
camus, non recte tendentes ad ultimum
finem. Viatores enim reguntur a Deo per
hoc, quod diriguntur in ultimum finem,
sed hæc gubernatio non excludit omne
malum. Comprehensores vero reguntur a
Deo per hoc, quod in ipso ultimo fine

immobiliter conservantur. Ut ergo Pater hoc modo regnet in ipsis fidelibus, Christus dat eos Patri.

Denique dat eos Patri, non quasi non sint Patris : imo a Patre dati sunt Chri-
Ps. II, 8. sto, juxta illud in Psalmo, Postula a me, et dabo tibi gentes. Et alibi ipse Chri-
Joann. VI, 37. stus : Omne, inquit, quod dat mihi Pater, ad me veniet. Alibi quoque apertius
Ibid. XVII, 6. loquitur Patri : Tui (inquiens) erant, et tu mihi eos dedisti. Quomodo ergo dat Christus eos Patri, nisi secundum manifestationem ? Nunc enim ignoratur, qui
Eccle. IX, 1. amore sint digni ; sed tunc Christus manifestabit, qui ad Patrem pertineant, di-
Matth. XXV, 34. cens electis : Venite, benedicti Patris mei. Hoc modo et nos damus aliqua Deo, prout
I Par. XXIX, 14. David testatur : Tua, Domine, sunt omnia, et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Per hoc autem quod Christus dicitur tradere regnum Deo Patri, non est intelligendum quod tollat aut adimat illud sibi aut Sancto Spiritui. Una namque divina Persona expressa, singulæ dantur intelligi, ubi non obviat relativa distinctio.

Itaque finis erit, *quum evacuaverit*, id est, cessare fecerit Christus, *omnem principatum, et potestatem, et virtutem*, id est universos gradus prælationum, angelorum, dæmonum et hominum : quia ut dicit Glossa, quamdiu durat hic mundus, angeli angelis, dæmones dæmonibus, homines hominibus præsunt, ad utilitatem vel deceptionem viventium ; sed omnibus collectis, jam omnis cessabit prælatio, quoniam ultra non erit necessaria. Ideo hanc prælationem dicitur Christus evacuare, quia omnes suos exaltabit in regno, tanto unumquemque sublimius, quanto jam amplius humiliatur. Vel, Quum evacuaverit omnem principatum, etc., hoc est, manifestaverit nullam creaturarum habuisse aliquid horum nisi a Deo.

Sed quum ordo angelorum in prælatione consistat, et inter ceteros ordines hi tres computentur, videlicet Principatus, Potestates, Virtutes : quæri potest, quomo-

A do angelorum evacuentur prælatio, principatus, potestas et virtus. Et respondendum, secundum Thomam in prima parte, quod in ordinibus angelorum duo pensantur, videlicet distinctio seu gradus perfectionum, secundum differentiam naturæ et gratiæ : et quantum ad hoc, ordines angelorum nunquam cessabunt, quia natura eorum non corrumpetur, nec gratia auferetur. Secundo consideratur in ordinibus angelorum exsecutio officiorum. Hæc autem exsecutio post diem judicii

B cessabit, secundum quod ordinatur ad reductionem hominum ad suum principium creativum. Manebit vero, prout consistit in consecutione ultimi finis seu adeptione beatificæ fruitionis : nam actiones hierarchicæ manebunt post diem judicii in Beatis, non propter novam influentiam, sed propter conservationem perfectionis influxæ. Sicut enim inferiores angeli a superioribus illustrantur, sic inferiorum cognitio talis a superiorum illuminatione dependet, non solum quantum ad rece-

C ptionem, sed etiam quantum ad conservationem. Homines quoque, qui angelorum ministerio ad beatitudinem perducuntur, aliquam illuminationem habebunt per angelorum officia. Hæc est responsio S. Thomæ : quæ licet probabilis sit, auctoritatem tamen non habet, secundum aliquos, saltem in multis. — Porro de dæmonibus aliqui dicunt, quod post diem judicii non cruciabunt homines, sed omnes simul, tam dæmones quam homines reprobi, uno igne, non tamen æqualiter, punientur.

D Quamvis autem communiter dicant expositores aliqui, per principatus designari majores, per potestates vero medios, et per virtutes, inferiores, tam in angelis quam hominibus, et suo modo in dæmonibus, ita quod Apostolus enumerando incipit a superioribus : documentis tamen divini et magni Dionysii potius consonare videtur, ut dicamus opposito modo, ita quod enumeratio Apostoli incipit ab inferiori, videlicet a principatibus, per quos intelliguntur inferiores, per potesta-

tes, medii, per virtutes autem, superio-
res. Dionysius enim in libro de Principa-
tu angelico, ponit Virtutes ante Potestates
ac Principatus. Nam Principatus ponit in
summo ordine infimæ hierarchiæ, Pote-
states vero in infimo ordine secundæ hie-
rarchiæ, Virtutes autem in medio ordine
hujus hierarchiæ.
25 *Oportet autem,* ut impleantur Scriptu-
ræ, *illum,* videlicet Christum, *regnare* jam
per fidem in Ecclesia militanti, juxta il-
Luc. I, 32. lud : Dabit illi Dominus Deus sedem Da-
vid patris ejus, et regnabit in domo Jacob
Ps. CIX, 1. in æternum; *donec ponat* ipse Christus
divina sua virtute, *omnes inimicos,* id est
adversarios suos incredulos et perversos,
sub pedibus ejus, id est sub suæ potesta-
tis plenaria subjectione : quod erit in die
judicii, quando implebitur illud prophe-
Is. XLV, 25. ticum, Ad eum venient, et confundentur
omnes qui repugnant ei. Interim ergo du-
rabit status Ecclesiæ, et regimen Christi
in ea. Hæc dictio, Donec, sumitur hic in-
clusive, non exclusive. Non enim Chri-
stus regnare cessabit, quum fuerint sibi
omnes subjecti, sed si interim regnat, cer-
tius est quod postmodum regnabit. Simili
modo sumitur in Psalmo, quum dicitur :
Ps. LXX, 18. Deus, ne derelinquas me, donec annun-
26 tiem brachium tuum. *Novissime autem,*
vers. 54. quando videlicet in die novissimo mor-
tale hoc induerit immortalitatem, *inimi-
ca destruetur mors,* id est mors quam
naturaliter abhorremus, et quæ nostræ
vitæ adversatur. Quod autem Christus po-
net inimicos omnes sub pedibus, hinc
constat : *Omnia enim,* cœlestia, terrestria
Ps. VIII, 8; et infernalia, *subjecit* Pater *sub pedibus*
Hebr. II, 8. Matth. *ejus,* scilicet Christi. Unde ipse ait : Data
XXVIII, 18. est mihi omnis potestas in cœlo et in
27 terra. *Quum autem dicat* Scriptura, *Omnia
subjecta sunt ei,* scilicet Christo a Patre,
intelligendum est hoc *sine dubio, præter
eum,* id est præter Patrem, *qui subjecit
ei omnia,* scilicet Christo.
28 *Quum autem subjecta fuerint illi,* id
est Christo, *omnia,* quando videlicet om-
nes adversarii ejus fuerint ei plene sub-
jecti, et cunctis fidelibus et infidelibus
manifestatum fuerit Christum Dominum
esse universorum, quando perversi per
experientiam suæ damnationis scient Chri-
stum esse Dominum omnium ; *tunc ipse
Filius subjectus erit ei,* id est Patri, *qui
sibi,* id est Filio, *subjecit omnia* creata.
Erit autem Christus secundum formam
servi Patri subjectus, non quod modo non
sit subjectus, sed quia tunc cum corpore
suo mystico manifestabitur subditus Pa-
tri coram universis electis. *Ut sit Deus*
Pater, vel Christus secundum divinam na-
turam, *omnia* causaliter, objective seu
fruitive, *in omnibus* comprehensoribus.
Quidquid enim amari possit vel appeti,
habent in Deo; et Deus est causa totius
beatitudinis electorum, qui nihil quærunt
aut diligunt nisi Deum, et alia in Deo,
propter Deum, et secundum Deum. Deus
quippe est unum illud quod solum ne- Luc. X, 42.
cessarium est, in quo est omnium bo-
norum ac pulchrorum ac desiderabilium
plenitudo immensa, qui solus quietat ra-
tionalis creaturæ affectum.
Præterea redit Apostolus ad probandum
generalem resurrectionem futuram. *Alio-* 29
qui, id est, si mortui non resurgent, *quid
facient qui baptizantur,* id est, lacrimis
pœnitentiæ seu aquis afflictionum per-
funduntur, *pro mortuis,* id est pro remis-
sione peccatorum mortuis impendenda, *si
omnino mortui non resurgunt ?* quasi di-
cat, Inanis esset labor eorum : sicut ha-
betur de Juda, quod nisi eos qui cecide- II Mach. XII, 44.
rant resurrecturos speraret, superfluum
videretur et vanum orare pro mortuis.
Sed posset quis instare et dicere, quod
licet corpora resuscitanda non essent, ani-
mæ tamen præmio donarentur, sicut et
nunc ante resurrectionem. Pium ergo et
utile esset pro defunctis, hoc modo ba-
ptizari ac deprecari propter animas libe-
randas de pœnis, quamvis corpora nun-
quam resurgerent. Et respondendum, quod
tunc non esset tam utile sicuti modo. *Ut
quid et baptizantur* vivi (juxta sensum
prædictum) *pro illis* defunctis ? Est ergo

baptismus afflictionis, de quo in Evan-
Luc. xii, 50. gelio dicit Salvator : Ego baptismo habeo
baptizari. Vel sic : Quid facient qui ba-
ptizantur pro mortuis, id est pro pecca-
tis suis delendis, vel se ipsis spiritualiter
mortificandis, ad similitudinem mortis Do-
mini Salvatoris? quasi dicat : Inaniter ba-
ptizantur, quum non sint vitam habitu-
30 ri. *Ut quid,* id est quo fructu, *et nos*
Apostoli, prædicatores et martyres Chri-
sti, *periclitamur,* id est, pericula pati-
Rom. viii, 36. mur, imo et mortificamur, vel ad suppli-
A cia ducimur, *omni hora,* id est assidue?
Quotidie enim *morior,* id est, gravibus 31
tribulationibus afficior : et hoc verum es-
se juro *per gloriam vestram, fratres,* id
est per beatitudinem vobis paratam in
cœlo ; vel, Propter gloriam vestram, id
est ad hoc ut vos gloriam mereamini
sempiternam ; *quam habeo* per certissi-
mam exspectationem et propinquam po-
tentiam, *in Christo Jesu Domino nostro,*
id est virtute et gratia ac merito Christi,
vel per contemplationem ipsius.

ARTICULUS XVI

PROSECUTIO EXPLANATIONIS HUJUS CAPITULI QUINTIDECIMI, AB EO LOCO : SI SECUNDUM HOMINEM AD BESTIAS PUGNAVI EPHESI.

RURSUS ostendit Apostolus resurrecti-
onem futuram, quoniam alias infru-
ctuosa fuisset disputatio sua contra infi-
32 deles. Ait enim : *Si secundum hominem,*
id est secundum rationis processum, *ad*
bestias, id est contra homines bestiales,
resurrectionem negantes, *pugnavi,* id est,
acriter disputavi, *Ephesi,* id est in civita-
te Ephesina (sumitur autem Si, pro Quia);
quid mihi prodest disputatio illa, *si mor-*
tui non resurgunt ? Imo si mortui non
resurgunt, *Manducemus et bibamus,* id
est, gulæ voluptatibus insistamus, *cras*
enim, id est in brevi, *moriemur,* et nul-
* retributio la erit tribulatio* alia. Hoc de Isaia sum-
Is. xxii, 13. ptum est : quod illic dicitur in persona
desperantium Judæorum, et convenit in
hos qui non putant vitam post hanc vi-
tam, propter quod voluptatibus se expo-
nunt ut pecora. In quorum persona dicit
Sap. ii, 5, 2, 6. Sapiens : Umbræ transitus est tempus no-
strum ; et post hoc erimus tanquam non
fuerimus. Venite ergo et fruamur bonis
quæ sunt.

Sed ne talibus credamus, monet Apo-
33 stolus : *Nolite seduci,* id est, non permit-
B tatis vos ab aliquo decipi. *Corrumpunt*
enim mores bonos, id est actus morales
seu habitus virtuosos, *colloquia mala,* ma-
xime hæreticorum atque carnalium. *Evi-* 34
gilate, justi, a somno pigritiæ, et estote
solliciti, *et nolite peccare. Ignorantiam*
enim Dei quidam habent, id est, divina
scientia, puta notitia fidei divinitus re-
velatæ, aliqui carent, illi scilicet qui ne-
gant resurrectionem futuram. *Ad reve-*
rentiam, id est ad verecundiam, *vobis*
loquor, ut erubescatis de hoc quod inter
C vos est error de resurrectione mortuo-
rum. Nam et error atque defectus infe-
riorum, redundat et cedit in confusio-
nem superiorum. Unde verecundum est
justis et doctis, præsertim prælatis, quod
inferiorum errores et vitia non exstirpant.

Consequenter ostenditur resurrectio mor-
tuorum possibilis per exempla naturæ ;
ponitque verba perfidorum, subjungens :
Sed dicit, infideliter interrogando, *aliquis* 35
ignorans Deum : *Quomodo,* id est quo or-
dine, qua virtute, quo modo et specie,
D *resurgunt mortui ? quali autem corpore*
venient ? id est, si resurgent, quale cor-

pus habebunt, redeundo ad vitam cor-
poream, scilicet mortale an immortale?
36 Huic respondet Apostolus : *Insipiens,* qui
divinam virtutem et opera naturæ non
pensas, *tu quod seminas, non vivificatur,*
id est, granum quod mittis in terram,
non vegetatur seu crescit, *nisi prius mo-
riatur,* id est, resolvatur et putrefiat. Un-
Joann. XII, 24, 25. de asserit Christus : Nisi granum frumenti
cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum
37 solum manet. *Et quod seminas, non cor-
pus quod futurum est,* id est, quod ex-
surget de terra, *seminas,* id est non her-
bam, stipulam, paleam, vel tam multiplex
granum, sicut de terra nascetur; *sed* se-
minas *nudum,* id est purum ac solum,
*granum, utputa tritici, aut alicujus ce-
38 terorum* seminum. *Deus autem dat,* per
influentiam causarum secundarum, *illi*
grano seminato seu nascituro *corpus* cum
arista et palea, *sicut vult,* id est, libere
instituit. Opus enim naturæ ac intelligen-
tiæ, est opus causæ primæ. *Et unicuique
seminum* dat Deus *proprium corpus,* id
est corpus suæ speciei conveniens. Quem-
admodum ergo nudum granum semina-
tur, Deique nutu vestitum ac multiplica-
tum resurgit; sic mortuus divina virtute
* *alias* poterit. potitur* vivere, atque in corpore melio-
rato resurgere.

Deinde Apostolus manifestat differen-
tiam corporum resurgentium, quantum ad
dignitatem et gloriam, secundum exigen-
39 tiam meritorum. *Non omnis caro, eadem
caro,* id est, non omnia animalia habent
corpus ejusdem rationis, dignitatis ac dis-
positionis, sed juxta diversitatem forma-
rum substantialium, requiritur diversitas
materiarum : forma namque est finis ma-
teriæ; sed juxta diversitatem finium, di-
versificantur et media. Ideo subditur :
Sed alia, id est alterius dispositionis, est
caro *hominum, alia pecorum, alia volu-
crum, alia autem piscium.* Sumitur vero
caro hoc loco communiter, pro corpore
animato sensitivo. Strictius vero eam su-
mendo, dicuntur Cartusienses (quorum et
ego unus sum, utinam digne) non come-

A dere carnes. *Et* quædam sunt *corpora cœ- 40
lestia,* ut orbes ac sidera, *et* sunt *corpora
terrestria,* ut saxa et arbores. Subditur
autem de differentia corporum, postquam
dictum est de differentia carnium, quo-
niam corpus communius est quam caro.
Sed alia quidem est *cœlestium* corporum
gloria, id est perfectio, ornatus seu pul-
chritudo, *alia autem terrestrium.* Nec so-
lum hæc corpora inter se distant, sed
corpora quoque cœlestia inter se diffe-
runt : nam *alia,* scilicet major, est *cla- 41
B ritas solis, alia claritas lunæ,* videlicet
minor quam illa, *et alia claritas stella-
rum.* Hoc videmus ad oculum. *Stella enim*
una *a stella* alia *differt in claritate,* quo-
niam major est lux unius quam alterius.
Sic et resurrectio mortuorum distincta 42
erit, quantum ad gloriam corporum sus-
citandorum, non quantum ad veritatem
naturæ eorum. Omnia enim erunt ejus-
dem naturæ seu speciei, sicuti et modo,
sed dignitas præmiorum erit diversa.

Porro exemplum Apostoli magis con-
C sonat opinioni dicentium materiam pri-
mam in omnibus corporibus esse ejusdem
rationis, quam eorum qui ponunt eam
distinguendam specifice.

Deinde ponuntur dotes corporum glo-
rificandorum. *Seminatur in corruptione,*
id est, corpus humanum concipitur, ge-
neratur, et more seminis sub terra hu-
matur corruptibile seu corruptum; *surget
in incorruptione,* id est, in resurrectione
erit incorruptibile per dotem impassibili-
tatis. Simili modo jam *seminatur in igno- 43
D bilitate,* id est vile atque obscurum; *sur-
get in gloria,* id est, resurgendo recipiet
claritatem, ut sit gloriosum ac nobile. *Se-
minatur in infirmitate,* id est, fragilita-
tem et infirmitatem ad motum habens :
corpus enim quod corrumpitur, aggravat *Sap.* IX, 15.
animam ; *surget in virtute,* id est, sur-
gendo habebit facillimam mobilitatem jux-
ta animæ voluntatem, per dotem agili-
tatis. *Seminatur corpus animale,* id est 44
grossum et alimoniis indigens, atque cor-
poribus aliorum animalium simile; *surget*

corpus spirituale, id est subtile ac spiritui simile, quantum ad aliquas proprietates : non tamen ita subtile ut exeat limites suæ naturæ. Erit enim palpabile atque visibile, carnem habens et ossa, *Luc.* xxiv, 39. sicut et Christus in semetipso ostendisse scribitur.

Hæ ergo sunt quatuor dotes corporum Beatorum : quæ erunt in corporibus quodammodo ex redundantia beatitudinis animæ ad corpus, sicut in epistola ad Dioscorum tangit Augustinus. Ex hoc enim quod anima fruitive Deo unitur, quatuor bona consequitur, videlicet : Internæ lucis splendidissimam claritatem : et ex hoc redundat in corpus claritas copiosa, tanto abundantior, quanto major est gloria animæ. *Matth.* xiii, 43. Fulgebunt enim justi sicut sol. Secundo, consequitur anima omnium desideriorum suorum plenam quietationem : ex quo redundat in corpus agilitas, seu mobilitatis velocitas. Jam enim corpus infirmum est, quoniam desiderio animæ satisfacere nequit in exsecutione motus et operationis ; tunc vero movebitur juxta desiderium ac imperium animæ, non tamen in instanti. Propterea scriptum *Sap.* iii, 7. est : Fulgebunt justi, et tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Tertio, consequitur anima omnis mali remotionem : et ex hoc redundat in corpus impassibilitas. Quarto, consequitur anima maximam *I Joann.* iii, 2. deiformitatem, juxta illud Joannis : Similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Et ex hoc redundat in corpus spiritualitas seu subtilitas. Denique, sicut major erit beatitudo animarum, quam esset naturalis felicitas angelorum ; sic major erit perfectio corporum glorificatorum, quam sit perfectio cœlestium corporum : ita quod claritas, agilitas, impassibilitas atque subtilitas, major seu dignior futura erit in illis quam in cœlestibus corporibus. In præsenti quoque vita habet corpus ab anima quatuor proportionabiliter ad prædicta, videlicet exsistentiam, pulchritudinem, conservationem et motum.

Quod autem corpus resurget spirituale, A probat Apostolus. *Si est,* id est, quia jam est, *corpus animale,* secundum sensum prædictum ; *est,* id est, aliquando erit in nobis, et jam in aliquibus est, *et* corpus *spirituale,* secundum intellectum expressum : corpus enim dicitur animale, ad differentiam corporis spiritualis. Quod vero sit corpus animale, probat auctoritate Scripturæ. *Sicut scriptum est* in Genesi : *Factus est primus homo,* scilicet *Adam,* 45
Gen. ii, 7. *in animam viventem,* id est, in sui formatione adeptus est animam dantem corpori B vitam animalem, sustentatione ciborum indigentem : propter quam vitam corpus vocatum est animale. *Novissimus Adam,* id est Christus, factus est *in spiritum vivificantem,* id est, in sua resurrectione recepit spiritum rationalem, seu animam dantem corpori suo vitam spiritualem, cibis et potibus non indigentem, sed insolubilem atque perpetuam. Christus enim posuit animam suam, et iterum sumpsit eam ; *Joann.* x, 17. sed non talem resumpsit, qualem posuit. Posuit namque C passibilem, impassibilem vero recepit. Dicitur autem Christus Adam : primo, quoniam de eadem materia habuit corpus ; secundo, quoniam sicut ex Adam omnes nascuntur, sic ex Christo renascuntur ; tertio, nam sicut de latere Adæ formata *Gen.* ii, 21, 22. est Eva, ita ex latere Christi formata est Ecclesia. Dicitur quoque novissimus Adam, quoniam nemo ei succedet, qui sit caput et auctor fidelium. *Sed non prius quod* 46
spirituale, id est, nec Christus habuit, nec alii habent primo corpus spirituale, se- D cundum proprietatem, ut dictum est ; *sed quod animale,* id est, primo oportet habere corpus animale, *deinde* habetur corpus *quod spirituale* est. Christus equidem ante passionem habuit corpus animale, id est cibo utens, ac dissolubile. Post resurrectionem vero habuit corpus spirituale. Ita erit et nobis. Jam enim habemus corpora animalia ; post resurrectionem vero habebimus corpus spirituale.

Sciendum quod duplex est ordo, videlicet generationis et naturæ. Secundum

ordinem generationis, imperfectum præ- A
cedit perfectum, ut pueritia juventutem.
Et hoc modo animale præcedit spirituale.
Secundum ordinem vero naturæ, perfe-
ctum præcedit imperfectum. Imperfecta
enim a perfectis procedunt.

Deinde ostendit Apostolus, unde simus
47 animales, et unde erimus spirituales. *Pri-
mus homo,* scilicet Adam, materialiter ha-
Gen. II, 7. bens originem *de terra,* quia de limo
terræ formatus, fuit *terrenus,* id est na-
turaliter animalis atque passibilis. Maxi-
Ibid. III, 6. me tamen terrenus effectus est, trans- B
grediendo divinum præceptum. *Secundus
homo,* id est Christus : qui dicitur secun-
dus homo, quoniam inter eum et Adam
nullus est medius, qui sit caput et prin-
cipium hominum sicut ipse. Hic ergo de-
Luc. I, 78. scendens *de cœlo* et oriens ex alto, est
cœlestis : Primo, quia de cœlis descen-
dit, non divinitatem amittendo, vel locum
mutando, aut corpus de cœlo secum por-
tando, sed corpus humanum assumendo,
atque in mundo visibiliter apparendo.
Joann. III, 13. Propter quod ipse ait : Nemo ascendit C
in cœlum, nisi qui descendit de cœlo ; et
Ibid. XVI, 28. alibi, Exivi a Patre, et veni in mundum.
Secundo, quia cœlesti virtute conceptus
ac natus. Tertio, quia cœliformiter, id est
48 absque macula, in terra conversatus. *Qua-
lis terrenus,* id est, qualis fuit Adam, *ta-
les et terreni,* id est, tales modo nos su-
mus, quia animales, mortales et fragiles,
imo originali peccato infecti. *Et qualis
cœlestis,* id est, qualis in resurrectione
factus est Christus, videlicet corpus glo-
rificatum sortitus, *tales et cœlestes,* id est, D
tales erunt electi in resurrectione futu-
Philipp. III, 21. ra, quando reformabit corpus humilita-
tis nostræ, configuratum corpori claritatis
suæ.

49 *Igitur,* ut cœlestes effici valeamus, stu-
dendum est nobis ut *sicut portavimus
imaginem terreni,* id est, sicut assimilati
sumus primo parenti, sequendo ejus ve-
stigia, inobediendo, et originale peccatum
ab ipso contrahendo, sic *portemus et ima-
ginem cœlestis,* id est, Christo nos con-
formemus per caritatem, obedientiam,
humilitatem, et omnium tribulationum
patientissimam sustinentiam. Non enim
aliter possumus fieri cœlestes sive feli-
ces. Ideo subditur : *Hoc autem dico, fra-* 50
tres, quia caro et sanguis, id est homines
carnales affectibus vitiosis subjecti, seu
opera carnis, *regnum Dei possidere non
possunt :* in cœlo enim non nubent, ne- *Matth.* XXII, 30.
que nubentur. *Neque corruptio incorru-
ptelam possidebit,* id est, qui servit cor-
ruptioni peccati, non sortietur beatam
immortalitatem. Peccatum enim mentem
inficit, corrumpit, et in nihilum redigit.
Virtus vero consolidat animum, et stabilit
eum in Deo : idcirco impassibilitatem, quæ
est perfecta incorruptela, meretur et pos-
sidebit. Unde scriptum est : Incorruptio *Sap.* VI, 20.
facit esse proximum Deo.

Insuper manifestat Apostolus resurgen-
di modum ac ordinem. *Ecce.* Quum di- 51
citur, Ecce, insinuatur notabile esse quod
dicitur. *Mysterium,* id est occultum ali-
quid de materia futuræ resurrectionis, *vo-
bis dico,* videlicet : *Omnes quidem* gene-
raliter *resurgemus* boni et mali in fine
sæculi : qui interim non surrexerunt re-
surrectione consummata, quomodo certum
est resurrexisse Virginem gloriosam. Nam
et vivi qui tunc inventi fuerint, in igne
conflagrationis morientur, ut solvant de-
bitum carnis, protinusque cum aliis sur-
gent. Resurrectio namque non convenit
nisi ei quod cecidit. *Sed non omnes im-
mutabimur,* hoc est, non omnes in melius
reformabimur, quoniam soli electi glo-
rificabuntur. Reprobi vero resurgent in
pejus : habebunt enim corpora ipso ad-
spectu horribilissima, scilicet obscura, gra-
vissima, grossa et passibilia.

Resurgemus autem *in momento, in ictu* 52
oculi, id est in brevissimo temporis spa-
tio, hoc est, quam cito oculus aperitur
aut clauditur. Divina enim virtus immen-
sa est. Non tamen fiet repente, quia col-
lectio cinerum fiet ab angelo, non sine
motu locali. Surgemus quoque *in novis-
sima tuba.* Hæc tuba tripliciter intelligi

potest. Primo, per tubam intelligitur im- A
perium Dei, cujus nutu resurrectio fiet.
Unde ad Thessalonicenses ab ipso indu-
I Thess. IV, 15. citur : Quoniam ipse Dominus in jussu
et in voce archangeli, et in tuba Dei de-
scendet de cœlo. Secundo, per tubam in-
Joann. V, 28. telligitur vox Christi, qui ait : Veniet hora
in qua omnes qui in monumentis sunt,
audient vocem Filii Dei. Tertio, per tu-
bam accipi potest ad litteram vox alicu-
jus archangeli, cui commissa fuerit talis
Matth. XXV, 6. prolatio. Unde in Evangelio dicitur : Me-
dia nocte clamor factus est, Ecce sponsus
venit, exite obviam ei.

Canet enim tuba quælibet jam præfa-
ta, id est, terribiliter imperabit resurre-
ctionem mortuorum. Et ut dicit Hiero-
nymus, sic canet, quod totus mundus
tinniet. *Et mortui resurgent incorrupti,*
id est cum corpore integro, quia divina
virtus supplebit quod aliquibus defuit, ut
claudis, monstris et pueris. Omnes etiam
surgent in perfecta ætate et convenienti
quantitate. *Et nos* electi *immutabimur,* id
est, immortalitatis gloriam consequemur.
53 *Oportet enim,* quatenus divina impleatur
promissio, et justa fiat remuneratio, *cor-*
ruptibile hoc corpus *induere incorrupti-*
onem, id est indissolubilitatem, ut resolvi
non possit, *et* oportet *mortale hoc* corpus
induere immortalitatem, id est perpetu-
am subsistentiam. Hoc proprie refertur
ad corpora electorum : quamvis et cor-
pora reproborum futura sint immortalia
et incorruptibilia ; sed immortalitas illa
erit tantis miseriis plena, ut potius esse
videatur mors continua, quam immorta-
litas vera.
54 *Quum autem mortale hoc* corpus *indu-*
erit immortalitatem, scilicet in die no-
vissimo, quando idem numero corpus
resurget, prout apertissime ait beatus Job :
Job XIX, 25, 26. Scio quod Redemptor meus vivit, et in
novissimo die de terra surrecturus sum,
et rursum circumdabor pelle mea, etc. ;
tunc fiet, id est implebitur, *sermo* pro-
pheticus *qui scriptus est* in Osee, secun-
dum translationem Septuaginta interpre-
tum : *Absorpta,* id est victa, *est mors,* sive
diabolus, *in victoria,* id est per victori-
osam passionem ac resurrectionem Chri-
sti, qui mortem nostram moriendo de-
struxit, sicut per Osee loquitur (quod
tamen jam allegatum est secundum trans-
lationem Septuaginta interpretum) : Ero *Osee* XIII, 14.
mors tua, o mors, etc. Abstulit enim a
nobis mortem culpæ atque gehennæ, et
in fine sæculi tribuet immortalitatem com-
pletam.

Præterea Apostolus de beneficio tanto
B exsultans, et in persona feliciter resur-
gentium loquens, ex Propheta eodem ad-
jecit : *Ubi est,* o *mors, victoria tua?* qua 55
omnes occidisti, sicut scriptum est : Quis *Ps.* LXXXVIII, 49.
est homo qui vivet, et non videbit mor-
tem? *Ubi est, mors, stimulus tuus?* id
est peccatum quod mortem induxit, sic-
uti stimulus læsionem infigit. Ideo sub-
ditur : *Stimulus autem mortis,* id est 56
mortem inducens, *peccatum est* actuale
vel originale. Mors enim est pœna pec-
cati. Quasi dicat : Ista victoria mortis, ac
C stimulus ejus, ab electis ablata sunt. Un-
de in Isaia legitur : Præcipitabit Dominus *Is.* XXV, 8.
mortem in sempiternum, et opprobrium
populi sui auferet ; item in Psalmo : La- *Ps.* CXXIII, 7.
queus contritus est, et nos liberati su-
mus. Ne autem putetur culpa per legem
deleta, subjungitur : *Virtus vero,* id est
incentivum seu augmentum, *peccati* est
lex Moysis, non directe, sed ex occasione
et humana perversitate, quæ nititur (te-
stante Poeta) in vetitum semper, cupitque
negatum. De hoc autem in epistola ad
D Romanos plenissime dictum est. *Deo au-* 57
tem gratias qui dedit nobis victoriam,
jam in spe, et partim in re ; postea autem
dabit perfecte in re : victoriam, inquam,
peccati et mortis, non nostris meritis, sed
per Dominum nostrum Jesum Christum,
id est virtute ac merito Christi.

Postremo ponit Apostolus admonitio-
nem saluberrimam et consolatoriam. *Ita-* 58
que, quum omnia hæc ita se habeant,
o *fratres mei dilectissimi, stabiles estote*
in fide, *et immobiles* in caritate ; *abun-*

dantes in opere Domini semper, id est
actibus virtuosis incessanter intenti, *sci-
entes quod labor vester* ex caritate pro-
cedens, *non est inanis,* id est sine merce-
de, *in Domino.* Imo, ut apud Sapientem
Sap. iii, 15. legitur : Bonorum laborum gloriosus est
fructus. Hoc totum brevi versiculo com-
Ps. xxvi, 14. prehendit Psalmista, dicens : Exspecta Do-
minum, viriliter age, et confortetur cor
tuum, et sustine Dominum. Magna est
A itaque perfectio, cordis stabilitas in Do-
mino, ne homo moveatur impetu passio-
num, delectationibus temporalium rerum,
vel minis, aut hujusmodi aliquo peccati
vento. Idcirco scriptum est : Non te ven- Eccli. v, 11,
tiles in omnem ventum ; sed esto firmus 12.
in via Domini, et in veritate sensus tui.
Et iterum Scriptura dicit : Sapiens per- Ibid. xxvii,
manet ut sol, stultus autem mutatur ut 12.
luna.

ARTICULUS XVII

ELUCIDATIO CAPITULI SEXTIDECIMI : DE COLLECTIS AUTEM QUÆ FIUNT IN SANCTOS.

EXPEDITIS determinationibus princi-
palium materierum in quibus instru-
endi erant Corinthii, jam agit Apostolus
de quibusdam ordinationibus particulari-
bus : primo de eleemosynis, quas genti-
les conversi faciebant Judæis conversis
1 qui in Jerusalem erant. Ait enim : *De
collectis autem,* id est donis seu elee-
mosynis, *quæ* congregantur et *fiunt in
sanctos,* id est in sustentationem sancto-
rum in Jerusalem habitantium : qui om-
Act. ii, 45; iv, 34-37. nia sua vendiderunt, et ante Apostolorum
pedes [pretia] posuerunt : quibus con-
sumptis, et fame orta in Judæa, in magna
penuria fuerunt. Propter quod ordinave-
runt Apostoli, ut conversi ex gentibus,
mitterent eis subsidia vitæ. *Sicut ordi-
navi in Ecclesiis Galatiæ,* id est congre-
gationibus fidelium in Galatia (quæ est
pars Græciæ) habitantium, scilicet Gala-
2 tis, *ita et vos facite per unam sabbati,* id
est una die septimanæ. *Unusquisque ve-
strum apud se reponat,* id est, in propria
domo ponat in loco securo, ne forte si
alii commiserit, defraudetur : ponat er-
go, apud se *recondens,* munus *quod ei
bene placuerit,* id est tantum quantum
libenter dat, ne gravetur ; *ut non quum
venero,* id est, apud vos fuero, *tunc col-*
B *lectæ fiant,* id est, eleemosynæ congre-
gentur : quia tunc alia habebimus ex-
pedire ; gravaret quoque vos, si totum
simul daretis. *Quum autem præsens fuero* 3
apud vos : *quos probaveritis,* id est, ap-
probaveritis, seu aptos judicaveritis, *per
epistolas hos mittam,* id est, istos desti-
nabo cum litteris commendatoriis meis
ac vestris, *perferre gratiam vestram,* id
est gratiosam eleemosynam, *in Jerusalem*
ad primitivam Ecclesiam sub Jacobo mi-
litantem. *Quod si dignum fuerit,* id est, 4
C rationabilis causa occurrerit, *ut et ego
eam* in Jerusalem cum eleemosynis istis,
mecum ibunt quos probaveritis.

Veniam autem ad vos, quum Macedo- 5
niam (quæ est pars Græciæ) *pertransiero,*
visitando illic et in locis vicinis discipu-
los. *Nam Macedoniam* provinciam illam
pertransibo, non diu ibi morando, quum
non sit necesse. *Apud vos autem forsi-* 6
tan, scilicet si Deus præstiterit, *perma-
nebo* multis diebus, *vel etiam hiemabo :*
quia multa sunt corrigenda in vobis, ideo
D diuturna medici spiritualis præsentia vo-
bis necessaria est; *ut vos me ducatis** *quo-* * deducatis
cumque iero, quum a vobis recessero. Il-
la tamen non fuit principalis causa hujus
mansionis ; sed hoc dicit Apostolus ad

inflammandum caritatem eorum ad se,
7 vel ad familiaritatem ostendendam. *No-*
lo enim vos modo in transitu videre, id
est tempore modico. [*Spero enim me ali-*
quantulum temporis manere apud vos, si
8 *Dominus permiserit.*] *Permanebo autem*
Ephesi, unde et istam epistolam vobis
9 transmisi, *usque ad Pentecosten. Ostium*
enim mihi apertum est magnum et evi-
dens, id est, vehemens ratio mihi occurrit
illic manendi, eo quod corda multorum
parata sint recipere verbum Dei; *et adver-*
sarii multi sunt ibi qui Evangelio con-
tradicunt, contra quos oportet me armare
fideles, vel illis quoque aperte resistere.
10 *Si autem venerit Timotheus* ad vos,
videte, id est,* studete ad hoc, *ut sine ti-*
more sit apud vos, id est secure, ita ut
nullus ei molestus sit. *Opus enim Domini*
operatur, prædicando Evangelium Chri-
11 sti, *sicut et ego. Ne quis ergo illum sper-*
nat, eo quod juvenis sit. Unde alibi di-
I Tim. IV, 12. cit : Nemo adolescentiam tuam contemnat.
Deducite autem illum in pace, egrediendo
et ambulando cum eo pacifice per ali-
quod spatium, *ut veniat ad me* Ephesum.
Exspecto enim illum cum fratribus cum
12 eo venturis. *De Apollo autem fratre :* qui
Act. XVIII, 24, 25. erat vir potens in Scripturis et eloquens;
quem Apostolus ordinavit Corinthiis in
episcopum, sicut et ipsi rogaverunt; *no-*
tum vobis facio, quoniam multum roga-
vi eum, non præcepi, *ut veniret ad vos*
cum fratribus secum agentibus. Recesse-
rat quippe a Corinthiis propter dissen-
sionem eorum, quam sedare non potuit :
propter quod rediit Ephesum ad Aposto-
lum. *Et utique non fuit voluntas ejus*
ut nunc veniret ad vos, quamdiu estis in
ista discordia. *Veniet autem quum ei va-*
cuum, id est opportunum, *fuerit,* quando
videlicet perceperit vos emendatos.
13 *Vigilate,* id est, diligentes et solliciti
estote, ne torpor pigritiæ irruat super
vos; *state,* id est, firmiter perseverate,
Jer. XLVIII, 10. *in fide; viriliter agite :* maledictus enim
qui facit opus Dei negligenter; *confor-*
tamini, proficiendo semper in gratia Dei;
et omnia vestra opera *in caritate fiant,* 14
id est caritative atque concorditer : aliter
enim non essent meritoria.
Obsecro autem vos, fratres, nostis do- 15
mum Stephanæ, id est familiam illius
matronæ. Unde supra dixi : Baptizavi au- I Cor. I, 16.
tem et Stephanæ domum. Nostis etiam
et domum *Fortunati et Achaici,* id est
horum virorum qui mecum fuerunt, quum
vobis prædicavi; *quoniam sunt primitiæ*
Achaiæ, id est, primi in Achaia credi-
derunt, *et in ministerium sanctorum or-*
dinaverunt se ipsos, id est, sponte se
obtulerunt ad ministrandum fidelibus. Hoc
itaque obsecro, *ut et vos subditi sitis* per 16
humilem obedientiam, *ejusmodi,* id est
istis et talibus personis, *et omni coope-*
ranti mihi *et laboranti* mecum in vobis,
id est ad vestram salutem. *Gaudeo autem* 17
in præsentia Stephanæ et Fortunati et
Achaici, id est, de hoc lætor quod tales
personæ vobiscum sunt; *quoniam id quod*
vobis deerat, quantum ad salutarem do-
ctrinam, *ipsi suppleverunt,* docendo vos
plenius. *Refecerunt enim,* id est, spiri- 18
tualiter nutrierunt seu impleverunt, *et*
meum spiritum, id est animam meam ju-
cunditate, eo quod instruant vos, *et ve-*
strum spiritum refecerunt veritatis noti-
tia. Vel sic : Gaudeo autem in præsentia
Stephanæ, etc., id est de hoc quod ve-
nerunt ad me : quoniam illud quod vo-
bis deerat, id est quod vos minus debito
mihi fecistis, ipsi suppleverunt. Refece-
runt enim, id est, consolati sunt, vel pa-
verunt, et meum spiritum et vestrum :
quia mihi benefaciendo, benefecerunt et
vobis, quibus Apostolum servaverunt. *Co-*
gnoscite ergo, id est, diligenter attendite
et honorate, *qui ejusmodi sunt,* id est
tales personas.
Salutant vos, id est, salutem vobis cu- 19
piunt atque annuntiant, *omnes Ecclesiæ*
Asiæ minoris : cujus metropolis est Ephe-
sus, ubi conscripta est præsens epistola.
Salutant vos in Domino multum, id est
cum ingenti affectu, *Priscilla* mulier, *et*
Aquila vir ejus, *cum domestica sua ec-*

clesia, id est cum societate fidelium com-
morante in domo eorum, *apud quos et*
hospitor. Horum duorum frequenter Apo-
stolus meminit, quia in primitiva Eccle-
sia notabiles erant, et bene instructi in
20 fide. *Salutant vos fratres omnes* in Ephe-
so exsistentes. *Salutate invicem in oscu-*
lo sancto, id est spirituali et puro, etiam
corporali : sicut in primitiva Ecclesia
21 fuerat consuetudo. *Salutatio mea manu*
Pauli, id est propria manu subscripta.
Scripsit enim Apostolus propria manu in
fine epistolarum suarum salutationem, ne
deciperentur fideles, recipiendo epistolas
pseudoapostolorum pro epistolis Pauli.
22 *Si quis non amat Dominum nostrum*
Jesum Christum, sit anathema, id est se-
paratus a consortio fidelium, et condem-
natus a Deo, *Maranatha,* id est in adventu
Domini, vel donec veniat Dominus. Ma-
ranatha quippe interpretatur, Dominus ve-
nit. Dicitque Lyra, quod sint duæ dictio-
nes. Augustinus vero, cui potius creditur,
ait quod sit unum nomen compositum
ex Græco et Syro : et potius est Syrum
quam Hebræum. Hæc autem imprecatio
mali, non est intelligenda dicta de zelo
ultionis seu invidiæ, sed affectu justitiæ,
vel modo prænuntiationis propheticæ.
Gratia Domini nostri Jesu Christi vo- 23
biscum, quæ est formale ac habituale
principium totius vitæ meritoriæ ; sed *et*
caritas mea, id est talis dilectio qualem 24
ego habeo, sit *cum omnibus vobis in Chri-*
sto Jesu, id est finaliter propter Chri-
stum. *Amen.* Christus enim est finis no-
ster, sicut in Apocalypsi testatur : Ego Apoc. I, 8.
sum Alpha et Omega, principium et fi-
nis. Cui semper sit omnis honor, virtus,
beatitudo et gloria, quoniam ipse cum
Patre et Spiritu Sancto est super omnia
Deus sublimis et benedictus. Amen.

ENARRATIO
IN EPISTOLAM II BEATI PAULI
AD CORINTHIOS

PRÆFATIO

AUDI, *fili mi, disciplinam patris tui, ut addatur gratia capiti tuo.* Prov. I, 8, 9.
Quum prælatis Ecclesiæ dicat Salvator, Qui vos audit, me audit, et qui vos *Luc.* x, 16.
spernit, me spernit : constat quod pari audientia accipienda atque implenda sunt verba prælatorum et Christi. Quidam itaque Corinthiorum hoc attendentes, ex priori epistola Pauli correcti fuerunt, obedientes præceptis Apostoli, tanquam Christi. Quidam vero eorum in suo perstiterunt errore, præferentes Paulo pseudoapostolos. Propter hoc scribit Apostolus Corinthiis hanc secundam epistolam : in qua se verum Christi probat apostolum, atque fallacium apostolorum vanitatem ac falsitatem demonstrat; errantes Corinthios reducit ad viam justitiæ, bonos vero incitat ad meliora, præsertim ad observationem patientiæ, proponens se ipsum illis in exemplum. Non ergo cessandum est bono prælato a spirituali cura infirmi subjecti, si statim non emendetur; sed continuanda est admonitio, increpatio, exercitatio, quamdiu spes est de reparatione errantis.

ENARRATIO

IN EPISTOLAM II BEATI PAULI

AD CORINTHIOS

ARTICULUS PRIMUS

EXPOSITIO PRIMI CAPITULI : PAULUS APOSTOLUS JESU CHRISTI PER VOLUNTATEM DEI.

QUONIAM Corinthiorum nonnulli mi- A
nus digne de Paulo senserunt, atque
ob hoc propriam salutem neglexerunt,
parvi pendentes verba Pauli, et pseudo-
apostolis credentes ; idcirco in exordio
hujus epistolæ, in qua more solito præ-
mittitur salutatio, quum dixisset, Paulus,
statim adjecit, Apostolus Jesu Christi per
voluntatem Dei, non ut se ipsum magni-
ficaret, sed ut illorum provideret saluti.
Potest enim, et dum ratio postulat, debet
prælatus auctoritatem suam ostendere, ne
sui contemptus impediat subditorum sa- B
lutem.

Ponens ergo Apostolus personas scri-
1 bentes seu salutantes, ait : *Paulus apo-
stolus Jesu Christi per voluntatem Dei*, id
est a Deo seu divina voluntate ad grati-
am apostolatus assumptus, non a se ipso
vel ab hominibus intrusus inordinate, *et
Timotheus* Ephesiorum episcopus, *frater*
noster spiritualis. Hunc sibi adjungit Apo-
stolus, ne Corinthii aliquid sinistrum su-
spicentur de eo, quasi eos accusaverit apud
Apostolum ex rancore. Priorem enim epi- C
stolam tulit Corinthiis, rediensque nun-
tiavit Apostolo facta et verba Corinthio-
rum. Quamvis autem Apostolus solus istam
epistolam dictaverit, uterque tamen man-
dat et mittit eam Corinthiis : et forte quia
Paulus multa scribit ex Timothei relatu.
Itaque, Paulus et Timotheus mandant *Ec-
clesiæ Dei*, id est congregationi fidelium,
quæ est Corinthi, id est in civitate sic
dicta, metropolitana Achaiæ, *cum sanctis
omnibus*, id est et sanctis omnibus, ut-
pote cunctis veraciter christianis, qui uti-
que sancti et virtuosi sunt, *qui sunt*, id
est demorantur, *in universa Achaia*, id
est quocumque loco provinciæ sic voca-
tæ, quæ erat pars Græciæ.

Gratia, quæ est supernaturalis habitus, 2
principium omnis meritoriæ operationis,
essentiam animæ immediate perficiens, *vo-
bis* præstetur; *et pax*, id est tranquillitas
mentis : de qua angeli cecinerunt, Et in *Luc.* II, 14.
terra pax hominibus bonæ voluntatis; *a
Deo Patre nostro* per gratiam adoptionis,
id est a tota superbenedicta Trinitate, quæ
est unus verus Deus, creator et pater no-
ster, cui quotidie dicimus : Pater noster, *Matth.* VI, 9.
qui es in cœlis; *et Domino nostro Jesu
Christo*, id est per Christum mediatorem *I Tim.* II, 5.
Dei ac hominum, per quem omnis gloria

nobis confertur. Christus enim ut Deus, est idem collator principalis cum Patre et Spiritu Sancto ; sed secundum naturam assumptam, est dator gratiæ mediatus ac instrumentalis, quia per ipsum tanquam per causam meritoriam ac mediatricem, dantur nobis charismata Spiritus Sancti.

Consequenter procedit Apostolus ad narrationem, captatque benevolentiam Corinthiorum, et a gratiarum actione incipi-
3 ens, affatur perfectos. *Benedictus Deus,* id est, ab omnibus benedicatur et exaltetur, semperque sit benedictus Deus Trinitas, *et Pater Domini nostri Jesu Christi,* id est persona Patris æterni, qui est genitor Christi secundum ejus divinam naturam. Hunc Patrem Apostolus specialiter exprimit exemplo Christi, qui per totum Evangelium omnia refert specialiter ad gloriam Patris, quemadmodum ait : Honorifico Patrem meum. (Joann. VIII, 49.) Non quod Pater major sit Filio aut Spiritu Sancto, sed quia auctoritas est in Patre, atque fontalis origo, respectu Filii et Spiritus Sancti, quorum uterque suscepit a Patre quidquid habet et est. Vel sic : Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, id est persona Patris, qui est Deus Christi secundum naturam humanam, et Pater ipsius secundum naturam divinam. Unde in Evangelio Christus testatur : Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum. (Ibid. XX, 17.) Vel, Deus, ratione essentiæ et emanationis ad extra ; Pater vero, ratione proprietatis relativæ et emanationis ad intra. Porro quod subditur, simili sensu accipi potest, tam de persona Patris, quam de tota Trinitate, Patre nostro ratione creationis, gubernationis et adoptationis.

Pater misericordiarum, id est causa paterna piorum affectuum ex divina benignitate manantium ; vel, Pater misericordiarum intransitive, id est Pater multum misericors seu misericordia plenus. Et dicitur, Pater misericordiarum, quamvis misericordia Dei sit una ac simplex, propter diversos effectus pietatis divinæ. Unde etiam ait Psalmista : Misericordias Domini in æternum cantabo. (Ps. LXXXVIII, 2.) *Et Deus totius consolationis,* id est dator atque benignus infusor omnis veræ, perfectæ ac spiritu-
alis consolationis sive lætitiæ, *qui conso-* 4
latur nos in omni tribulatione nostra, quam propter justitiam patimur a mundo, carne aut diabolo. Consolatur autem nos, vel a tribulationibus liberando, vel in tribulationibus patientiam dando, ita ut omne gaudium æstimemus quum diversas inciderimus tentationes ; (Jacob. I, 2.) vel in ipso corde copiosam exsultationem concitando ex contemplatione divinorum, sic ut tribulationis acerbitas vix sentiatur. Hinc scriptum est in Job : Ipse vulnerat, et medetur ; percutit, et manus ejus sanabunt. (Job V, 18.) Et Habacuc propheta orat : Quum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. (Habac. III, 2.)

Ut possimus et ipsi consolari eos : id est, tam copiose et ad hoc consolatur Deus nos Apostolos, virosque perfectos, ut ex plenitudine, gustu et experientia consolationis nobis infusæ, valeamus et nos consolari eos *qui in omni pressura sunt,* in quacumque afflictione, proponendo nos eis in exemplum : possimus, inquam, consolari eos *per exhortationem qua exhortamur et ipsi a Deo,* id est admonendo eos taliter per prædicationem vocalem, sicut admonemur a Domino per inspirationem seu allocutionem internam : videlicet, commemorando præmia sempiterna pro præsentibus brevibusque tribulationibus rependenda, proponendo etiam persecutiones passionesque Christi et aliorum electorum pro exemplo, quemadmodum retulit Judith : Memores (inquiens) esse debent, quomodo pater noster Abraham tentatus est, et omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. (Judith VIII, 22, 23.)

Elucescit autem ex his, quia alios spiritualiter consolari aptus non est, qui divinam consolationem expertus non est. Ideo per Sapientem dicitur : Vir in multis expertus cogitabit multa. (Eccli. XXXIV, 9.) Verumtamen ali-

qui ad Deum conversi, tribulantur, ten-
tantur et angustiantur; nullam tamen con-
solationem experiuntur : quibus cœlum
est æneum, terraque ferrea; qui cum be-
Job xxx, 20, 21. ato Job Domino dicere possunt : Sto, et
non respicis me; clamo, et non exaudis
me ; mutatus es mihi in crudelem. Sed
isti non desperent, non frangantur, nec
pusillanimes fiant, sed manum Domini
longanimiter præstolentur, scientes quod
Judith xiii, 17. Deus non deserat sperantes in se, dicen-
Job xiii, 15. tesque cum Job : Etiam si occiderit me,
in ipso sperabo. Interim vero carnalem
consolationem despiciant, quatenus in Dei
contemplatione refloreant, juxta illud in
Ps. lxxvi, 3, 4. Psalmo : Renuit consolari anima mea; me-
mor fui Dei, et delectatus sum.

Denique, quod consolemur a Deo, alios-
que consolari possimus, patet ex hoc :
5 *Quoniam sicut abundant passiones Chri-*
sti, id est persecutiones quæ in Christo
capite nostro præcesserunt, et propter
eum fidelibus infliguntur, ejus quoque
amore æquanimiter tolerantur, *in nobis*
Joann. xv, 20; xiii, 16. famulis Christi, quibus ipse ait : Si me
persecuti sunt, et vos persequentur, quia
non est servus major domino suo; *ita et*
per Christum, id est per gratiam et mi-
sericordiam Christi, *abundat consolatio*
Rom. viii, 17. *nostra.* Qui enim compatitur, et conglo-
Ps. xciii, 19. rificabitur. Propterea dicit Propheta : Se-
cundum multitudinem dolorum meorum
in corde meo, consolationes tuæ lætifica-
verunt animam meam. Alibi quoque di-
II *Mach.* v, 20. cit Scriptura : Qui derelictus est in ira
Dei omnipotentis, iterum in magna re-
conciliatione cum summa gloria exalta-
bitur.

6 *Sive autem tribulamur,* tribulatio ista
accidit nobis *pro vestra exhortatione et*
salute, id est, utilis est ad exhortandum
vos salubriter, scilicet ut vos exemplo no-
stri tribulationes sustineatis libenter; *si-*
ve consolamur a Deo, hoc fit *pro vestra*
consolatione, id est, utile est ad consolan-
dum vos, quoniam eadem merces nobis
et vobis promittitur; *sive exhortamur,* id
est, divinitus admonemur omnia fortiter

A perpeti, hoc fit *pro vestra exhortatione*
et salute, quia per hoc idonei efficimur
admonere vos ad vestram salutem, sicut
et ipsi a Deo monemur; *quæ* exhortatio
operatur in vobis *tolerantiam earumdem*
passionum, id est, inducit et provocat vos
ad tolerandum pro Christo persecutiones
et adversitates, *quas et nos patimur : ut* 7
et *spes nostra,* id est fiducia qua spera-
mus vos beatitudinem adepturos, *firma,*
id est constans et efficax, *sit pro vobis,*
id est ad commodum vestrum. Dum enim
B prælati conspiciunt subditos suos in vir-
tutibus agiles, secure et firmiter sperant
bona æterna eis fore parata. Unde et Sa-
lomon : Filius sapiens lætificat patrem. *Prov.* x, 1.
Scientes, certitudine revelationis divinæ
et experientiæ, non ratiocinationis huma-
næ (de qua scientia ait Job : Scio quod *Job* xix, 25.
Redemptor meus vivit, et in novissimo
die de terra surrecturus sum), *quoniam,*
id est quod, *sicut socii,* id est participes
et consortes, *estis passionum,* id est tri-
bulationum pro Christo, imitando ejus
C vestigia, *sic eritis et* socii *consolationis*
divinæ per gratiam Christi in præsenti
inchoative et imperfecte, in futuro au-
tem plene ac jugiter. Si enim sustine- II *Tim.* ii, 12.
mus, et conregnabimus. Ideo scriptum
est : Communicantes Christi passionibus I *Petr.* iv, 13.
gaudete, ut et in revelatione gloriæ ejus
gaudeatis.

Præterea narrat Apostolus magnitudi-
nem persecutionum suarum in speciali :
primo, ut alii exemplo sui ad patientiam
animentur; secundo, ut discipulis insi-
D nuet quanta pro eorum patiatur salute;
tertio, ut nos, advertentes quam modi-
cum patiamur comparatione Apostoli, ab
inordinato mœrore cessemus. Itaque ait :
Nolo enim vos ignorare, fratres. Raro 8
Apostolus discipulos suos nominat filios,
sæpe autem fratres. In quo percutitur
quorumdam superiorum superbia, qui ni-
mium proni sunt vocare subditos suos, fi-
lios, non tam ex paterna dilectione, quam
ex quadam animositate. Idcirco ait Scri-
ptura : Rectorem te posuerunt? Noli ex- *Eccli.* xxxii, 1.

tolli ; esto in illis quasi unus ex ipsis.
Nolo ergo vos ignorare *de tribulatione*
nostra quæ facta est, id est, nobis illata
est, *in Asia,* id est in Epheso urbe Asiæ,
Act. XIX, 24 *et seq.* ab Alexandro argentario qui fecit ædes
Dianæ : de qua tribulatione multa scri-
pta sunt in Actibus; *quoniam supra mo-*
dum solitum *gravati sumus, et supra vir-*
tutem naturalem atque humanam : non
tamen ultra virtutem nobis per gratiam
communicatam, quia supra dictum est :
I *Cor.* X, 13. Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari
supra id quod potestis; *ita ut tæderet nos*
etiam vivere, secundum inferiorem partem
animæ, scilicet sensualitatem, vel sensiti-
vum appetitum (quemadmodum scriptum
Marc. XIV, 33. est de Christo : Cœpit Jesus pavere et
tædere) : non tamen secundum rationem
fide et spe adornatam, quia hoc esset
contra patientiæ perfectionem.

Posset præterea sciscitari quis hoc lo-
co, an liceat homini mortem optare pro-
pter adversitatum acerbitatem. Et primo
apparet quod sic, auctoritate Apostoli lo-
co præsenti. Secundo, quoniam Elias per-
III *Reg.* XIX, 4. secutionem Jezabel fugiens, dixit : Sufficit
mihi, Domine, tolle animam meam. To-
Tob. III, 6. bias quoque excæcatus, oravit : Præcipe,
Domine, in pace recipi spiritum meum.
Job VII, 15. Simili modo Job ait : Elegit suspendium
anima mea, et mortem ossa mea. Et re-
spondendum, quod non licet propter per-
secutiones vitandas optare mortem abso-
lute, et sicut terminum vitæ. Licet tamen
sub conditione, videlicet divina voluntate
supposita, et mortem considerando tan-
quam ingressum vitæ futuræ : sic tamen,
ut quamvis persecutio sit occasio hujus
desiderii, caritas sit præcipiens atque eli-
ciens actum hunc.

9 *Sed et ipsi,* id est ego et adhærentes
mihi, *in nobis responsum mortis habui-*
mus, id est, ex persecutionis illius con-
sideratione animus noster nobis respon-
dit, et certe putavimus, quod mors nobis
instaret : non enim arbitrabamur nos pos-
se evadere. Quod ideo Deus permisit, *ut*
non simus fidentes in nobis, id est, ne in

A propria potestate speremus : Maledictus *Jer.* XVII, 5.
enim, inquit Jeremias, qui confidit in ho-
mine; *sed in Deo.* Unde per Isaiam quo-
que dicitur : Quis ambulat in tenebris, et *Is.* L, 10.
non est ei lumen? speret in nomine Do-
mini, et innitatur super Deum suum. Et
Jeremias iterum : Benedictus vir qui con- *Jer.* XVII, 7.
fidit in Domino. *Qui suscitat mortuos* cor-
poraliter, animam iterum corpori unien-
do, et spiritualiter, caritatem et gratiam
peccatoribus conferendo. De talibus spi-
ritualiter mortuis Christus in Evangelio
B loquitur : Dimitte mortuos sepelire mor- *Matth.* VIII, 22.
tuos suos. *Qui de tantis periculis* vitæ 10
corporalis *eripuit nos* in Epheso, *et eruit*
incessanter, quum tribulamur. *In quem*
speramus, id est, de cujus bonitate con-
fidimus, *quoniam et adhuc eripiet* in fu-
turo a similibus periculis. Non quod Apo-
stolus a tribulationibus erui concupivit,
quasi mortem pro Christo pati imparatus,
sed quia in carne manere necessarium *Philipp.* I, 24.
fuit propter discipulos. Eripiet ergo nos,
adjuvantibus et vobis in oratione fusa 11
C *pro nobis,* id est vestra oratione nobis
succurrente, et istam ereptionem nobis
promerente seu impetrante ad hunc fi-
nem, *ut ex multarum personis facierum,*
id est a personis diversarum dispositio-
num, ætatum, virtutum, meritorum atque
respectuum, scilicet a cunctis gradibus
fidelium, qui sunt *ejus quæ in nobis est*
donationis, id est gratiæ nobis divinitus
distributæ, participes, *per multos,* id est
ab his diversis pluribusque fidelibus, *gra-*
tiæ agantur Deo *pro nobis,* id est pro
D nostri ereptione : videlicet, ut omnes fi-
deles gratias referant Deo pro conserva-
tione vitæ meæ ad profectum eorum. Et
merito hoc agere debent, dignumque est
sic fieri :

Nam gloria nostra, id est causa atque 12
materia nostræ spiritualis exsultationis in
Deo, *hæc est, testimonium conscientiæ no-*
stræ, id est fiducialis testificatio consci-
entiæ propriæ. Secura enim mens, quasi *Prov.* XV, 15.
juge convivium. Semper vero præsumit *Sap.* XVII, 10.
sæva conscientia perturbata. Deinde ponit

quid sibi perhibeat atque testetur con- A
scientia sua, videlicet : *quod in simplici-*
tate bona, quæ duplicitatis plicam exclu-
dit, *et sinceritate,* id est munda intentione
ac pura veritate, *Dei, et non in sapientia*
carnali aut sæculari, quæ docet sensibi-
Jacob. III, 15. lia bona exquirere : de qua dicitur, Non
est ista sapientia desursum, sed terrena,
animalis et diabolica; *sed in gratia Dei,*
id est secundum instinctum et opera gra-
tiæ nobis a Deo infusæ, *conversati sumus*
in hoc mundo, a tempore conversionis
nostræ ad Christum, *abundantius autem,* B
id est, gratiosius conversati sumus, *ad*
vos, id est vobiscum, a quibus nihil re-
cepimus. De hac laudabili simplicitate,
qua homo corde, ore et opere, uniformi
modo se habet, omnem vitans simulatio-
nem hypocritarum, scriptum est in Pro-
Prov. II, 21. verbiis : Recti habitabunt in terra, et sim-
Ibid. III, 32. plices permanebunt in ea; et iterum, Cum
simplicibus sermocinatio Dei. Ad hanc
simplicitatem hortatur Jacobus, dicens :
Jacob. IV, 8. Purificate corda, duplices animo. Porro,
quod ita habuerimus nos ad vos, patet : C
13 *Non enim alia,* id est opposita, *scribi-*
mus vobis in hac secunda epistola, *quam*
quæ legistis in prima epistola vobis a me
missa, *et cognovistis* ex lectione illius epi-
stolæ, imo et per experientiam operum
meorum inter vos. *Spero autem quod us-*
que in finem, id est perseveranter ac fir-
miter, *cognoscetis* nos in simplicitate et
14 sinceritate conversari, *sicut et cognovistis*
nos ex parte, id est, quemadmodum par-
tim jam rectitudinem nostram considera-
stis expertique estis; *quia gloria vestra,* D
id est causa vestræ lætitiæ, nos *sumus.*
Prov. XVII, 6. Honestus enim et sapiens pater lætificat
filios bonos, qui utique in gratia patris
sui cordialiter jucundantur. *Sicut et vos*
Ibid. X, 1. estis gloria *nostra.* Nam filius sapiens,
gloria est patris, ut Salomon dicit. Maxi-
me enim gaudent boni patres de filiorum
suorum profectu, sicut Joannes in sua ait
III *Joann.* 4. Canonica : Majorem horum gratiam non
habeo, quam ut audiam filios meos in
veritate ambulare. Unde alio loco dicit

Apostolus : Nunc vivimus, si vos statis I *Thess.* III, 8.
in Domino. Sic autem unus nostrum est
gloria alterius *in die Domini nostri Jesu*
Christi, id est ad hoc, ut in die judicii
simul glorificemur. Vel, quod unus sit
gloria alterius, evidentius apparebit in die
prædicto, quando omnia aperta erunt ac *Hebr.* IV, 13.
nuda : propter quod, tempus illud dies
vocatur.
Et hac confidentia, qua ita sincere me 15
circa vos habui, et quia unus nostrum
alterius est gloria, *volui prius venire ad*
vos quam ire in Macedoniam, sicut promisi I *Cor.* XVI, 5.
me venturum ad vos : quamvis ita non
feci propter culpam vestram, scilicet pro-
pter vestram perversitatem et litem; *ut*
secundam gratiam, id est alium profe-
ctum, *haberetis* ex meo adventu, qui in-
fructuosus non est, hoc est, ut sicut in
primo adventu meo ad vos, instruxi vos
circa credenda, sic modo docerem vos cir-
ca agenda; *et per vos,* id est a vobis, et 16
vestro ducatu, *transire in Macedoniam,*
provinciam Græciæ; *et iterum a Macedo-*
nia volui *venire ad vos,* ut tertiam gra-
tiam, id est, perfectam informationem ha-
beretis, *et a vobis deduci in Judæam,* ut
sanctis qui ibi sunt, vestras eleemosynas
ferrem. Sed quia Apostolus non venit sic-
ut prædixit, quidam Corinthiorum repre-
henderunt ipsum de levitate, falsitate et
carnalitate, quasi propter corporale com-
modum venire distulerit. Ideo de iis ma-
lis se excusans, adjecit :
Quum ergo hoc voluissem, id est, vos 17
visitare optassem, sicut jam dixi, *num-*
quid levitate aut instabilitate *usus sum,*
mutando propositum sine rationabili cau-
sa? *aut quæ cogito* facere, *secundum car-*
nem cogito? id est, numquid carnali sensu
utor, dum vos visitare propono, quod ta-
men non facio, tanquam propter carnis
commoditatem hoc differam, *ut sit apud*
me Est et Non, id est affirmatio et ne-
gatio de eodem, puta mendacium? Non
utique, quoniam nihil dixi intentione fal-
lendi : et hoc ipsum quod dixi, intelli-
gendum erat, nisi rationabile impedimen-

tum occurreret. Mendacium vero est falsa
vocis significatio cum intentione fallendi.
18 *Fidelis autem,* id est verus in promis-
sis, *Deus* est : idcirco non mittit nuntios
falsos et infideles. Cujus signum vel ra-
tio est : *quia sermo noster qui fuit apud
vos,* id est prædicatio nostra vobis pro-
posita, *non est in illo Est et Non,* id est
affirmans et negans aliquid de eodem se-
cundum idem, sic enim mendax esset ;
sed est in illo Est, id est, simpliciter af-
firmavit esse in Deo, vel in effectibus
ejus, quod in eis est, id est quod eis ve-
19 raciter competit. *Dei enim Filius Jesus
Christus, qui in vobis per nos prædica-
tus est,* id est a nobis vobis evangelizatus,
videlicet *per me* sicut per principalem, *et
Silvanum* (quem aliqui dicunt esse Si-
lam apostolum) *et Timotheum,* coopera-
tores adjutoresque meos, *non fuit in illo
Est et Non* est, id est contradictionem in-
cludens seu falsitatem ; *sed Est in illo
fuit,* id est, sermo noster de Christo sic
pronuntiatus est, sicut vere in Christo im-
pletum est. Vere enim natus, passus ac
20 resuscitatus est, sicut docuimus. *Quotquot
enim promissiones Dei sunt,* id est uni-
versæ promissiones Patris factæ de Chri-
sto, *in illo* etiam *Est,* id est, in Christo
Joann I, 17. vere implentur. Unde Joannes dicit : Gra-
tia et veritas per Christum facta est. Et
Ibid. XIX, 30. Christus in cruce dicebat : Consummatum
est. *Ideo dicimus et per ipsum* Christum,
Amen, id est, verum est, *Deo* Patri, quia
per Christum fatemur verificata esse Pa-
tris promissa, *ad gloriam nostram,* id est
ad nostram salutem, quæ consistit in hoc
quod divinam veritatem agnoscimus at-
Matth. X, 32; *Luc.* XII, 8. que fatemur, sicut ait Salvator : Qui me
confessus fuerit coram hominibus, confi-
tebor et ego eum coram Patre meo.
21 *Qui autem confirmat nos vobiscum,* id
est nos et vos simul, *in Christo,* id est in
fide et dilectione Christi, *et qui unxit nos*
interna et spirituali unctione, videlicet
perfusione Spiritus Sancti : de qua et
I *Joann* II, 20, 27. apostolus Joannes : Vos unctionem habe-
tis a Sancto ; et unctio ejus docet vos de
A omnibus. Hæc unctio primo confertur in
Baptismo. Qui ergo sic confirmavit et un-
xit nos, est *Deus : qui et signavit nos,* id 22
est, in libro vitæ conscripsit, ab aliis di-
screvit, et ad se pertinere monstravit, *et
dedit pignus Spiritus,* id est arrham Spi-
ritus Sancti, videlicet dona divina, quæ
sunt pignus certificans nos de inhabitati-
one Spiritus Sancti, et futura beatitudine
nobis præstanda. Ex perceptione quippe
præsentium munerum, certa fit exspe-
ctatio futurorum. Itaque, qui dedit pi-
B gnus istud *in cordibus nostris,* in quibus
dona Spiritus Sancti recipiuntur, est Deus.
Ideo omne bonum ei adscribimus.
Insuper pandit cur ad eos non vene-
rit : *Ego autem testem Deum invoco,* id 23
est, per Deum testor et juro : et hoc, *in
animam meam,* id est contra bonum ani-
mæ meæ, si mentior; *quod parcens vobis,*
id est, vestræ infirmitati condescendens
ac providens, *non veni ultra,* id est post
primam vicem, vel a tempore ultimi re-
cessus mei a vobis, *Corinthum,* videlicet
C ne cogerer vehementer dure corripere
vos : ideo malui vos scripto corrigere, vo-
bisque aliquantum correctis, venire. *Non
quia dominamur fidei vestræ,* id est vobis
fidelibus. Tanquam dicat : Non ideo asse-
ro me vobis pepercisse, quasi fides vestra
nostro subjiciatur imperio, quum fides sit
voluntatis, vel quasi vobis dominemur.
Unde Petrus : Pascite, inquit, qui in vobis I *Petr.* V, 2, 3.
est gregem, non ut dominantes in cleris,
sed forma gregis effecti. *Sed adjutores,*
id est cooperatores, *sumus gaudii vestri*
D spiritualis, quod nunc habetis per fidem,
et in futuro sortituri estis per speciem :
hoc est, inducimus vos per exhortationem
ad opera bona, ex quibus gloriamini in
Domino jam in isto exsilio, et per quæ
futuram felicitatem meremini : de qua
Salvator, Intra, inquit, in gaudium Domini *Matth.* XXV, 21, 23.
tui. Adjutores, inquam, sumus gaudii ve-
stri, idcirco, *nam fide statis :* id est, per
fidem erecti estis ad Deum in bonis ope-
ribus, ideo cooperamur vobis, inducendo
vos ad perseverantiam atque profectum.

ARTICULUS II

EXPLANATIO CAPITULI SECUNDI : STATUI AUTEM HOC APUD ME, ETC.

DENIQUE plenius reserans Apostolus A
cur ad Corinthios ultra non venerit,
1 ait : *Statui autem hoc apud me,* id est,
in animo meo firmiter ordinavi atque pro-
posui, *ne iterum in tristitia,* id est cum
cordis dolore, *venirem ad vos,* dolendo
propter vestram discordiam. Vel, In tri-
stitia, id est, ne veniens vos tristes effi-
cerem, corripiendo vos dure : doleo nam-
que de vestra imperfectione. Quod patet
2 per hoc : *Si enim ego contristo vos,* red-
arguendo vestra peccata; *et quis* ex vo-
bis *est qui me lætificet,* id est, tristitiam B
meam in lætitiam mutet, *nisi qui contri-
statur,* id est, ad bonam tristitiam, scili-
cet pœnitentiam salutarem, movetur, *ex
me,* id est ex mea increpatione? Quem-
admodum ergo de vestris culpis doleo,
3 ita de pœnitentia vestra exsulto. *Et hoc
ipsum,* videlicet quod nemo errantium in
vobis me lætificat, nisi qui contristatur ex
me, *scripsi vobis* in ista epistola, *ut non,
quum venero* ad vos, *tristitiam* novam
super tristitiam ante conceptam *habeam,*
id est, ne vehementer doleam invenien- C
do vos in dissensionibus constitutos ; *de
quibus,* id est de quorum profectu atque
salute, *oportuerat,* id est, decens erat, *me
gaudere* in Domino, eo quod sum *confi-
dens in omnibus vobis,* id est, de vestra
correctione et obedientia præsumo et spe-
ro, *quia meum gaudium* spirituale, quo
de vestra emendatione et gratia lætor,
omnium vestrum est, id est, in vos re-
dundat, vobisque prodest atque commu-
ne est. Sicut enim ego de vestra correcti-
one glorior, sic et vos de eadem gloriari D
debetis.

Habui autem magnam tristitiam, per-
cepta vestra dissensione : cujus signum
est : *Nam ex multa tribulatione,* id est 4
afflictione, *et angustia,* id est pressura et
sollicitudine *cordis, scripsi vobis* superi-
orem epistolam, *per multas lacrimas,* id
est copiose lugendo ob vestros errores. Et
hoc feci, vel me hoc fecisse jam recito,
non finaliter ad hoc *ut contristemini :*
tristitia non est finis ultimate intentus,
sed gloria; *sed ut sciatis* per experienti-
am curæ meæ ad vos, *quam caritatem,* id
est, quantam quamque specialem dilecti-
onem, *habeam abundantius,* id est mul-
tum abundanter, *in vobis,* id est ad ve-
stras personas; hocque scientes, libentius
acquiescatis admonitionibus meis, certi
quod ex caritate procedant. Nihil enim
ita provocat dilectionem, sicut dum unus
sentit se amari ab alio. Hinc etiam con-
stat, quod bonum ac utile sit alii mani-
festare dilectionem quæ ad ipsum habe-
tur, quia amanti facilius consentitur. Per
accidens tamen, hoc malum est : primo,
si habeat speciem adulationis; secundo, si
alter per hoc moveatur ad gloriam vanam.

Deinde agit Apostolus de illo enormi
et publico fornicatore qui patris sui ha- *I Cor.* v, 1,
bebat uxorem, quem et Apostolus tradidit 5.
Satanæ, sicut in prima epistola patuit. *Si* 5
quis autem, id est aliquis vestrum, *me
contristavit,* maxime fornicator prædictus,
non me contristavit tristitia immoderata
actum rationis impediente : quæ in sapi-
entem non cadit, secundum Philosophum.
De qua tristitia scriptum est : Non con- *Prov.* xii,
tristabit justum quidquid ei acciderit ; 21.
itemque : Tristitiam longe expelle a te : *Eccli.* xxx,
multos enim occidit tristitia, et non est 24, 25.
utilitas in ea. Itaque, Non me contrista-
vit omnino, *sed ex parte,* id est aliquo
modo, et moderate, prout caritas exigit

tristari de peccato alterius. Vel, Non me A
contristavit, scilicet solum, sed ex parte,
id est, etiam aliqui aliorum me contrista-
runt. Et hoc dico, *ut non onerem omnes*
vos, id est, ne videar omnibus vobis gra-
vem culpam imponere, et increpationem
inducere.
6 *Sufficit illi,* id est, satis gravis et pro
sufficienti pœna reputanda est, *qui ejus-*
modi est, id est fornicatori præfato, *ob-*
jurgatio hæc, id est increpatio et excom-
municatio, *quæ fit,* id est, facta est illi, *a*
pluribus, id est omnibus vobis, quibus B
collectis objurgatus fuit. Magnum enim
intra se fert tormentum, qui vitia sua
cernit ab omnibus detestari. Et in tantum
7 sufficit ei objurgatio ista, *ita ut econtra-*
rio, scilicet pro excommunicatione, *ma-*
gis donetis ei, id est, ignoscatis, *et conso-*
lemini eum verbis atque exemplis sacræ
Scripturæ ad divinæ misericordiæ com-
mendationem spectantibus : ut est illud
Ezech. in Ezechiele, Nolo mortem peccatoris ; et
xviii, 32 ; xxxiii, 11. illud Zachariæ, Convertimini ad me, et
Zach. i, 3. convertar ad vos, dicit Dominus ; *ne forte* C
abundantiori tristitia absorbeatur, id est,
inordinato mœrore et excessivo cordis do-
lore desperet et pereat, *qui ejusmodi est,* id
Prov. xv, 13. est fornicator jam dictus : quia ut Salomon
ait, In mœrore animi dejicitur spiritus.
8 *Propter quod obsecro vos* ex humilita-
te, qui possem præcipere apostolica au-
ctoritate, *ut confirmetis,* id est, per opera
caritativa ac fortia ostendatis, *in illum*
pœnitentem *caritatem* fraternam, hortan-
do, consolando, atque ad pristinam so-
cietatem et communionem ipsum admit- D
9 tendo. *Ideo enim et scripsi vobis, ut*
cognoscam, id est videam, *experimentum*
vestrum, id est facta experimentalia, per
quæ experimentaliter constet, *an in om-*
nibus præceptis et admonitionibus *obe-*
dientes sitis mihi : quatenus, si ita non
est, instruam vos plenius de obedientia
generaliter observanda. Viris quippe he-
roicis, divinis atque perfectis, quos cer-
tum est a Spiritu Sancto moveri, in om-
nibus obediendum videtur, etiam si supra
vires et contra rationem naturalem vide-
tur quod jubetur.

Cur vero donare et parcere debeant
prædicto pœnitenti, quem Apostolus non
exprimit nominatim, ne confundatur, sub-
jungitur : *Cui autem aliquid donastis,* id 10
est ei cui vos ignovistis, *et ego* donavi.
Nam quum illi rogabant Apostolum pro
indulgentia et reconciliatione alicujus in-
justi, Apostolus consensit : ideo dignum
est ut et ipsi quoque ignoscant pro quo
rogat Apostolus, et ut donatio seu remis-
sio Apostoli agnoscatur rata et efficax.
Nam et ego donavi, id est, ignovi, et ab-
solvi pœnitentem, *si quid donavi* (hoc
addit Apostolus, ad innuendum quod non
passim aut indiscrete donavit, sicut et
Timotheo transcripsit : Manus cito nemi- I *Tim.* v, 22.
ni imposueris), *propter vos,* id est ad
vestram instantiam. Hoc feci *in persona*
Christi, id est vice et loco Christi, cujus
vicarii sumus : quibus et ipse suam po-
testatem commisit, et solvendi itemque *Matth.* xvi, 19 ; xviii, 18.
ligandi virtutem largitus est ; *ut non cir-* 11
cumveniamur a Satana, id est, ne a dia-
bolo decipiamur, habendo nos nimium
rigorose aut nimis remisse circa subje-
ctos : quorum utrumque prælato vitandum
est. *Non enim ignoramus cogitationes ejus*
in communi, id est machinamenta, astu-
tias atque suggestiones, quibus conatur
fideles a medio virtutis retrahere. In spe-
ciali tamen nescit aliquis cogitationes dæ-
monum, sicut nec hominum, nisi ex spe-
ciali revelatione.

Præterea manifestat Apostolus, quod
occasione Corinthiorum impeditus sit Tro-
ade. *Quum autem venissem Troadem pro-* 12
pter Evangelium Christi illic prædican-
dum, *et ostium mihi apertum esset,* id
est corda hominum aperta et præparata
recipere verbum Dei, *in Domino,* id est
in virtute et gratia Dei ; vel, In Domino,
id est secundum placitum voluntatis di-
vinæ ; *non habui requiem spiritui meo,* 13
id est, mente quietus non fui, nec desi-
derio meo satisfacere potui, *eo quod non*
invenerim ibi *Titum fratrem meum,* epi-

scopum Cretensem, sicut condixeramus.
Impeditus enim Titus et retardatus, mansit apud Corinthios. Unde eo absente non potuit Apostolus et adversariis resistere, et fideles satis instruere. *Sed valefaciens eis,* videlicet Trojanis conversis, *profectus sum in Macedoniam.* Ad quod forsitan
Act. xvi, 8, 9. pertinet illud Actuum : Quum autem pertransisissent Mysiam, descenderunt Troadem ; et visio per noctem Paulo ostensa est : Vir Macedo quidam erat stans et deprecans eum, et dicens : Transiens in Macedoniam, adjuva nos.

Incipit insuper Apostolus commendare
In I Cor. i, 1. se ipsum, propter causas superius assi-
14 gnatas. *Deo autem gratias* referimus, *qui semper triumphat,* id est triumphare facit, *nos in Christo Jesu,* id est in virtute et gratia Christi; *et odorem notitiæ suæ,* id est dulcem ac odoriferam suæ majestatis sapientiam, id est sacræ Scripturæ doctrinam (quæ dulcis est, quia inflammat affectum : quod non facit naturalis sapientia, nisi debili modo), *manifestat per nos,* id est per nostram prædicationem, *in omni loco :* quemadmodum scri-
Ps. xviii, 5. ptum est, In omnem terram exivit sonus
15 eorum. *Quia Christi bonus odor sumus,* id est, per nos, videlicet per nostræ prædicationis instantiam, operationem miraculosam, et conversationem exemplarem, Christi bonitas, veritas atque dulcedo aliis innotescit ac sapit. De tali odore in Can-
Cant. i, 3. ticis legitur : Curremus in odorem un-

A guentorum tuorum ; itemque, Odor oris Cant. vii, 8.
tui, sicut odor malorum punicorum. Sic ergo sumus bonus odor Christi *Deo,* id est ad gloriam sanctæ et superbeatissimæ Trinitatis, cujus fides et gloria mundo per nos revelatur, *in his qui salvi fiunt, et in his qui pereunt,* sed differenter :
aliis quidem, videlicet reprobis, sumus 16
odor mortis culpæ *in mortem* pœnæ æternæ ; per accidens tamen, ratione perversitatis eorum, quia ex nostra prædicatione et bonitate ad invidiam incitantur, gra-
B viusque delinquunt ; *aliis autem,* puta electis, sumus *odor vitæ* gratiæ tendentis *in vitam* gloriæ, quia ex nostra prædicatione divino accenduntur amore, quo nihil est dulcius.

Et ad hæc agenda, videlicet ut sit aliquis bonus odor Christi, secundum modum dictum, *quis* illorum pseudoapostolorum *tam idoneus* est sicut nos Apostoli ?
Nemo utique. *Non enim sumus sicut* 17
plurimi falsi doctores, *adulterantes verbum Dei,* id est perverse interpretantes,
C et sine fructu debito facientes divinam Scripturam ; *sed ex sinceritate,* id est, pura intentione et vero intellectu verba divina prædicamus, *sicut ex Deo* edocti, tanquam divinitus informati, et loquentes *coram Deo,* id est reverenter et sancte, ac si Deum cerneremus præsentem, cujus præsentiam oculo intellectuali attendimus, *in Christo,* id est secundum Christi voluntatem et institutionem, *loquimur.*

ARTICULUS III

DECLARATIO CAPITULI TERTII : INCIPIMUS, ETC.

MANIFESTATUM erat Apostolo, quod aliqui Corinthiorum scandalizabantur in hoc quod toties commendavit se ipsum, quasi inaniter moveretur, propriam magis quam Dei gloriam quærens, quod
D est contra Salomonis doctrinam, dicentis : Laudet te alienus, et non os tuum ; Prov. xxvii, 2.
extraneus, et non labia tua. Unde et Salvator : Si ego glorifico me ipsum, gloria Joann. viii, 54.
mea nihil est. Ideo Apostolus in hujus

capitis exordio excludit malam suspicio-
nem illorum, dicendo :
1 *Incipimus iterum* in hac epistola, sic-
ut in prima, *commendare,* id est lauda-
re, *nos ipsos,* videlicet propter propriam
gloriam nostram, et non potius propter
gloriam Dei, ad vestri instructionem, ut
agnita veritate nobis credatis, non pseu-
doapostolis? *Aut numquid egemus, sicut
quidam* fallaces atque hypocritæ, *com-
mendaticiis,* id est laudatoriis, *epistolis*
mittendis *ad vos, aut ex vobis,* id est
a vobis ad alios transmittendis? quasi di-
cat : Nequaquam indigemus hujusmodi
epistolis ex parte nostri, quem propria
virtus satis commendat; tamen propter
ignaros necessarium est, ne fallantur.
Quod autem non indigemus commenda-
2 ticiis litteris, patet: nam, *Epistola nostra,*
id est, aliquid simile epistolæ nostræ, vi-
delicet conversi ac instituti a nobis, *vos
estis,* quia in vobis nostra virtus et sapi-
entia declarantur quasi in libro : epistola,
inquam, *scripta,* id est vehementer im-
pressa, *in cordibus nostris,* quoniam in-
desinenter memoriam sollicitudinemque
pro vestra salute habemus; *quæ* episto-
la *scitur et legitur ab omnibus homini-
bus,* id est, cunctis fidelibus constat vos
esse conversos et institutos a nobis. Le-
gunt quoque et discunt seu pensant in
vobis, vel ex vestræ conversationis intui-
tu, quales nos simus, sicut ex considera-
tione discipuli innotescit prudentia per-
fectioque magistri.
3 *Manifestati,* id est, per fidem et opera
bona hoc aliis de vobis ostensum est, *quo-
niam epistola estis Christi,* id est a Chri-
sto principaliter instituti et scripti, cujus
etiam virtus et gratia in vobis repræsen-
tatur, *ministrata a nobis,* id est, nostro
ministerio ad fidem deducti et Christo
exhibiti estis : epistola, inquam, *scripta*
Jer. xxxvi, 18. *non atramento,* quomodo scripsit Baruch
ex ore Jeremiæ, *sed Spiritu Dei vivi,* id
est Spiritu Sancto, a quo instituti estis
et inter electos adscripti. Ipse enim est
digitus Dei, quo divina in nobis scribun-
A tur seu imprimuntur. De quo loquitur
Christus : Si in digito Dei ejicio dæmo- *Luc.* xi, 20.
nia, etc. Scripti autem *non in tabulis
lapideis,* quomodo scripta erat lex Moy- *Exod.* xxxiv, 4, 28.
sis, id est non instituti in cordibus du-
ris, nec hujusmodi cordibus impressi, *sed
in tabulis cordis carnalibus,* id est in
cordibus piis ac mollibus, vel in intel-
lectu prudenti, voluntate benigna, memo-
ria stabili. De quibus tabulis legitur in
Proverbiis : Serva mandata et legem qua- *Prov.* vii, 2, 3.
si pupillam oculi tui, et in tabulis cordis
B tui scribe ea. In talibus ergo tabulis fi-
deles scripti dicuntur a Spiritu Sancto :
Primo, quia per ejus institutionem et gra-
tiam corda habent hujusmodi: lata, scilicet
per caritatem ; aperta, per obedientia-
lem promptitudinem; plena, per mansue-
tudinem ; mollia, per divini verbi cele-
rem receptionem et compunctionem. Unde
Dominus per Ezechielem promittit : Au- *Ezech.* xxxvi, 26, 27.
feram cor lapideum de carne vestra, et
dabo vobis cor carneum, et spiritum no-
vum ponam in medio vestri. Secundo,
C quia piis fidelibusque prælatis ac proxi-
mis impressit Spiritus Sanctus curam de
salute aliorum.
Præterea declarat Apostolus, quod non
proprie commendet se ipsum, sed Deum,
quum omne bonum ei adscribat. *Fidu-* 4
ciam autem talem, id est audaciam sic
loquendi de nostris præconiis, *habemus
per Christum,* id est a Christo per gra-
tiam ejus, *ad Deum* Trinitatem, coram
quo ista fiducialiter dicimus. *Non quod* 5
sufficientes simus cogitare, et per conse-
D quens nec dicere, nec facere possumus,
aliquid meritorium *a nobis,* id est pro-
pria potestate, *quasi ex nobis,* id est tan-
quam ex prima et principali virtute. Licet
enim nos simus causa operis boni per
liberum arbitrium, quia nec aliter mere-
remur, natura tamen nostra indiget gra-
tia : nam liberum arbitrium indiget non
solum habitu gratiæ supernaturalis et di-
vinæ dilectionis, sed etiam actuali moti-
one Spiritus Sancti nos excitantis. In quo
damnatur error Pelagii, asserentis quod

inchoatio operum meritoriorum sit a no-
bis, consummatio vero a Deo. Inchoatio
enim in nobis, est cogitatio, in qua ope-
ratur Deus, secundum Apostolum. Unde
Philipp. II, 13. alibi loquitur : Deus operatur in nobis
velle et perficere. Ideo subditur : *sed suf-
ficientia nostra,* id est virtus et efficacia
meritorie cogitandi, loquendi ac operan-
di, *ex Deo est,* id est ex motione et gratia
Jacob. I, 17. Dei, a quo est omne datum optimum et
donum perfectum. Propter quod ait Sal-
Joann. XV, 5. vator : Sine me nihil potestis facere ; et
Osee XIII, 9. per Prophetam : Perditio tua, Israel, ex
te ; in me tantummodo auxilium tuum.
6 *Qui et idoneos nos fecit ministros,* id
est efficaces et dignos prædicatores, *novi
Testamenti,* id est evangelicæ legis ; *non
littera,* id est non instructione litterali,
sed spiritu, id est illustratione Spiritus
Sancti, a quo vitam et sapientiam nos ad
tantum officium dignificantem accepimus.
Novum quippe Testamentum non est da-
tum Apostolis per exteriorem scripturam,
sed per internam illustrationem. Ideo vo-
catur lex spiritus. Lex autem Mosaica
appellatur lex litteræ, quia in libro ac
tabulis scripta. Ad cujus distinctionis in-
sinuationem Dominus ait per Jeremiam :
Jer. XXXI, 31, 32. Ecce dies veniunt, et feriam domui Israel
et domui Juda pactum novum, non tale
quale pepigi cum patribus eorum, etc.
Ratio autem cur Deus nos fecit idoneos
non littera sed spiritu, est : *Littera enim,*
id est lex scripta, *occidit* ex occasione,
quia non contulit gratiam, et auxit con-
cupiscentiam, eo quod homo nitatur in
vetitum ; auxit quoque generaliter cul-
II Petr. II, 21. pam, quoniam post veritatis notitiam gra-
vius est peccare quam ante ; *Spiritus
Act.* VIII, 17; X, 44; etc. *autem* Sanctus, qui per Apostolorum mi-
nistrationem dabatur fidelibus, et nunc
per sacramenta Ecclesiæ datur homini-
bus, *vivificat* vita gratiæ corda creden-
tium. Vel sic : Littera, id est sensus lit-
teralis, vel potius qui litteralis videtur,
occidit; spiritus autem, id est intellectus
spiritualis ac mysticus, vivificat.
Proinde ostendit Apostolus dignitatem

A ministrorum novi Testamenti, comparatio-
ne ministrorum veteris Testamenti. *Quod* 7
si, id est Quia, *ministratio mortis,* id est
exhibitio instrumentalis veteris legis, per
occasionem occidentis animam transgres-
soris (ut dictum est sæpius : virtus enim *I Cor.* XV, 56.
peccati lex), et etiam mortem corporalem
facile inferentis, *litteris* visibilibus *de-
formata,* id est scripta, *in lapidibus,* id
est lapideis tabulis, *fuit in gloria,* id est,
gloriam habuit in suo ministro, seu mi-
nisteriali legislatore, *ita ut non possent* *Exod.* XXXIV, 29-35.
B *filii Israel intendere,* id est visum figere,
in faciem Moysis propter gloriam, id est
claritatem, *vultus ejus :* in quo apparu-
erunt radii splendidi, angulariter ascen-
dentes in similitudine cornuum, reper-
cutientes intuitum filiorum Israel : unde
et facies ejus dicitur fuisse cornuta ; *quæ
evacuatur,* id est, quæ claritas Moysis,
vel quæ ministratio finitur et cessat. Cito
enim desiit claritas illa ; vetus quoque
lex cessavit, nova lege promulgata. *Quo-* 8
modo non magis ministratio Spiritus, id
C est evangelicæ legis gratiam Sancti Spi-
ritus ratione sacramentorum continentis,
erit in gloria, id est, dignitatem et glo-
riam habebit in suis ministris, puta Apo-
stolis, in præsenti atque futuro, etiam
ampliorem quam ministratio mortis ? qua-
si dicat, Imo habebit. Ideo subditur :
Nam si ministratio damnationis, id est ve- 9
teris legis, damnationem æternam acciden-
ter augentis et inferentis, quoniam pec-
catum prohibendo, nec tamen gratiam
largiendo, auxit peccatum, sicque dam-
D nationi fecit obnoxium. Sicut enim occi-
dit, ita et damnavit. De cujus rei intellectu
tractatum est plenius ad Romanos. Si ergo *Rom.* III, VII, VIII.
ministratio ista *gloria est,* id est honor
et dignitas Moysis ; *multo magis abundat
ministerium justitiæ,* id est ministratio
novæ legis, veram perfectionem et gra-
tiam juste vivendi includentis, *in gloria,*
id est, copiosiorem gloriam habet anne-
xam. Ecce quomodo sanctus Apostolus se
ipsum et coapostolos suos Moysi præfert,
saltem quantum ad gratias gratis datas.

10 *Nam nec glorificatum est,* id est, glo- A
riosum reputandum non est, *quod claruit
in hac parte,* id est lumen vultus Moy-
sis, *propter excellentem gloriam,* id est
propter vehementem excessum dignitatis
et gloriæ ministris novi Testamenti con-
cessum, quæ tanta est, ut comparatione
ejus, gloria vultus Moysis quasi nihil sit.
Vel sic : Nam nec glorificatum est, id
est, hominibus perfecte revelari non po-
tuit, quod claruit in hac parte, id est
gloria ministris novæ legis collata. Tanta
est enim gloria et dignitas Apostolorum, B
ut viatores capere nequeant. Porro quod
11 subditur, utique consonat expositioni. *Si
enim quod evacuatur,* id est vetus Te-
stamentum quod cessavit, *per gloriam est,*
id est, per gloriam et claritatem Moysis
præstitum, datum ac receptum est; *mul-
to magis quod manet,* id est nova lex, cui
alia non succedet danda a Deo, *in glo-
ria est,* id est, dignitatem gloriosam habet
annexam.
12 *Habentes igitur talem spem,* videlicet
quod tanta nobis collata est gratia, et tan- C
ta gloria præparata, *multa fiducia uti-
mur,* id est, cum ingenti confidentia no-
strum officium exercemus, certi de gloria
remunerationis, et non celamus mysteria
13 Scripturarum, seu mysticos sensus. *Et*
Exod. xxxiv, 33. *non sicut Moyses ponebat velamen,* id est
pannum quemdam seu operimentum, *su-
per faciem suam* cornutam seu lucidam
ex colloquio Dei, *ut non intenderent filii
Israel in faciem ejus,* quia nec eam in-
spicere poterant præ splendore, nisi es-
set velo obducta. Per quod figurabatur, D
quod spiritualis et verus intellectus ve-
teris Testamenti tegebatur obscuritatibus
figurarum legalium. *Quod* velamen *eva-
cuatur,* id est, per doctrinam Apostolo-
rum atque doctorum aufertur, dum vete-
ris Testamenti Scriptura vere elucidatur.
14 *Sed obtusi,* id est excæcati, *sunt sensus
eorum,* id est mentales oculi infidelium
Ps. lxviii, 24. Judæorum : juxta illud, Obscurentur ocu-
li eorum ne videant. *Usque in hodiernum
enim diem id ipsum velamen,* id est fi-
guralis obscuritas legis, *in lectione veteris
Testamenti,* id est, dum legitur Scriptu-
ra veteris Testamenti, Judæis *manet non
revelatum,* id est occulta seu non intel-
lecta, quia non aliter intelligunt Scriptu-
ras legis veteris modo, quam ante. Ideo
velamen non est amotum a corde eorum :
quamvis a re ipsa amotum sit. Unde sub-
ditur : *quoniam in Christo evacuatur,* id
est, per fidem et doctrinam Christi amo-
vetur, et veritas Scripturarum ostenditur.
In cujus figura, tempore dominicæ pas-
sionis velum templi est scissum a summo *Matth.* xxvii, 51.
usque deorsum. Per Christi etenim pas-
sionem revelantur legis ac Prophetarum
sacramenta. Velamen itaque appellatur
opertio prophetiæ, quæ in Christo imple-
tur. *Sed usque in hodiernum diem,* id 15
est tempus gratiæ, *quum legitur Moyses,*
id est Pentateuchus, videlicet Scriptura
quinque librorum Moysis, *velamen,* id est
cæcitas seu opertio ista, *est positum super
cor eorum,* id est infidelium Judæorum.
Quum autem conversi fuerint ad Do- 16
minum, recipiendo fidem catholicam, *au-
feretur velamen* prædictum a corde eo-
rum : imo ista conversio aliquid aliud
non videtur, nisi velaminis hujus abla-
tio. Tunc enim illuminabuntur corda ip-
sorum, juxta illud propheticum : Post *Osee* iii, 5.
hæc revertentur filii Israel, et quærent
Dominum Deum suum, et David regem
suum, id est Messiam, sicut Judæi quo-
que exponunt. Denique, quod per Spiri-
tum Sanctum auferatur velamen, decla-
rat. *Dominus autem Spiritus est.* Quamvis 17
hoc de Deo Trinitate verum sit, juxta il-
lud, Spiritus est Deus ; jam tamen de *Joann.* iv, 24.
Spiritu Sancto asseritur, qui quum sit
Dominus, omnia agit quæ vult, et quo-
modo vult, sicut superius dictum est :
Hæc omnia operatur unus atque idem Spi- I *Cor.* xii, 11.
ritus, dividens singulis prout vult. Illu-
minat ergo quos vult, et derelinquit quos
vult, sicut legitur : Spiritus ubi vult, *Joann.* iii, 8.
spirat. *Ubi autem est Spiritus Domini,* id
est in mente quam per gratiam Spiritus
Sanctus inhabitat, *ibi libertas* dilectionis,

non coactio timoris, libera vacatio animi A
a jugo diaboli et a servitute peccati, ad
contemplandum, diligendum ac operandum ea quæ Dei sunt. Infidelibus itaque
inest velamen.
18 *Nos vero omnes,* id est fideles, præsertim Apostoli et viri perfecti, *revelata facie* interiori, id est intellectu a prædicto
velamine liberato, *gloriam Domini,* id est
majestatem divinam, seu Dominum gloriosum, vel Filium Dei Patris (de quo
Is. XL, 5. Isaias, Revelabitur, inquit, gloria Domi-
Prov. X, 1. ni : siquidem filius sapiens, gloria patris B
est), *speculantes* nunc per fidem et per
I *Cor.* XIII, 12. speculum in ænigmate ; *in eamdem imaginem,* id est divinæ majestatis seu Filii
Dei quamdam deiformem assimilationem,
transformamur : quia cognitio fit per assimilationem cognoscentis ad cognitum,
secundum Boetium. Ideo contemplator divinorum, divinus seu deiformis efficitur.
Transformamur autem, id est, salubriter
commutamur, *a claritate* luminis naturalis, *in claritatem* luminis gratiæ, et a
claritate viæ seu gratiæ, in claritatem patriæ et gloriæ. Vel sic, et melius, ut opinor : A claritate in claritatem, id est de
gratia minori in gratiam ampliorem, proficiendo in bonis et proficiscendo de vir- *Ps.* LXXXIII, 8.
tutibus in virtutes. Quanto enim divinorum contemplationi magis insistimus,
tanto exuberantiori lumine cœlestis gratiæ
perfundimur atque implemur ; et transformamur, id est, a forma seu modo propriæ subsistentiæ transferimur ad divinæ
naturæ seu formæ modum ac imitationem. Imo unum cum Deo per caritatem
efficimur, angelicam et divinam in hoc
exsilio conversationem inchoantes. Et omnia hæc nobis insunt et competunt, non
a nobis, sed *tanquam a Domini Spiritu,*
id est virtute et gratia Spiritus Sancti,
sicut alibi dictum est : Spiritus adjuvat *Rom.* VIII, 26.
infirmitatem nostram.

ARTICULUS IV

ELUCIDATIO CAPITULI QUARTI : IDEO HABENTES HANC ADMINISTRATIONEM.

LAUDAVIT se sanctus Apostolus ad gloriam Dei et ædificationem audientium, in præcedenti capitulo, ratione dignitatis ministerii sibi commissi ; nunc
idem facit ex debito usu obsequii sui, ostendens se fructuose et optime usum gratia sibi concessa.
1 *Ideo,* id est, quoniam tantam claritatem a Spiritu Sancto suscepimus, *habentes
hanc administrationem* novæ legis, videlicet apostolatum seu ministerium tantæ
dignitatis, *juxta quod misericordiam consecuti sumus,* id est secundum mensu- D
ram divinæ pietatis nobis impensæ, *non
deficimus* in adversis, nec ab exsecutione
2 nostri cessamus officii, *sed abdicamus,*
id est abjicimus, *occulta dedecoris,* id est
C vitia latentia, quæ non decent, sed deformant et indecorant ; *non ambulantes
in astutia,* id est, non dolose aut simulatorie conversantes sicut hypocritæ. Simulatores namque et callidi provocant *Job* XXXVI, 13.
iram Dei. Astutia autem quandoque in bono accipitur, pro quadam circumspectione, sicut in Proverbiis legitur : Astutus *Prov.* XIV, 15.
considerat gressus suos. Nunc vero pro
versutia sumitur. Unde Salomon : Vir, in- *Ibid.* 17.
quit, versutus odiosus est. *Neque adulterantes,* id est, perverse interpretantes, seu
admiscentes falsitatibus, *verbum Dei,* videlicet Evangelium Christi ; *sed in manifestatione veritatis* conversamur, id est,
ipsam veritatem publice prædicamus et
clare exponimus, *commendantes,* id est

commendabiles seu laude dignos facientes, *nosmetipsos,* recte docendo et bene agendo, *ad omnem conscientiam hominum,* id est testimonia conscientiarum, vel in conscientiis hominum, ita ut nemo bona conscientia vituperare nos poterit. Et hoc facimus *coram Deo,* id est divinam præsentiam cogitando, nosque in Dei cuncta cernentis conspectu ponendo, cum omni reverentia atque custodia cordis.

3 *Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum,* id est, si prædicatio nostra de Christo aliquibus absconditur, ita ut eam non audiant, vel auditam non capiant; *in his qui pereunt,* id est in cordibus reproborum, *est opertum,* id est, occultatum
4 est hoc modo : *In quibus deus hujus sæculi,* id est diabolus dominus impiorum
Joann. xiv, 30. (de quo ait Salvator : Venit princeps hujus mundi), *excæcavit* cooperative seu suggestive *mentes infidelium.* Vel : Deus
I *Tim.* i, 17. hujus sæculi, id est Deus verus omnium sæculorum, hominumque malorum creator et Deus, excæcavit mentes, id est intellectus infidelium, permissive : quemadmo-
Exod. iv, 21; vii, 3; ix, 12; etc. dum dicitur Pharaonis cor indurasse. Unde et Christus in Evangelio : In judicium,
Joann. ix, 39. inquit, ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant; et qui vident, cæci fiant. *Ut non fulgeat,* id est innotescat, *eis illuminatio Evangelii,* id est evangelica doctrina, *gloriæ,* id est majestatis, *Christi, qui est imago Dei,* id est a Patre secundum rationem similitudinis genitus. Est enim a Patre procedens, eique similis et æqualis per omnia. Propter
Ibid. xiv, 9. quod ipse ait : Qui videt me, videt et Patrem. Porro quod Christus sit imago Dei, hinc liquet :

5 *Non enim nosmetipsos prædicamus,* quasi in nobis salus vestra consistat, *sed Jesum Christum Dominum nostrum* prædicamus esse omnium salvatorem ; *nos autem servos vestros* esse prædicamus, hoc est, vobis servientes in exhibitione spiritualium alimentorum, parantes vobis mensam Domini, spiritualemque escam proponentes, *per Jesum,* id est ex commissione

A et per gratiam Christi, qui nobis hoc in-
junxit officium. *Quoniam Deus* trinus, 6
simplex atque omnipotens, *qui dixit,* id est, interiori verbo fecit, *de tenebris,* id est post tenebras, vel, De tenebris, id est de materia obscura, *lucem* sensibilem *splendescere,* id est inchoative oriri. Un-
de dicitur in Genesi : In principio crea- *Gen.* i, 1-3.
vit Deus cœlum et terram, et tenebræ erant super faciem abyssi; dixitque Deus, Fiat lux ; et facta est lux. *Ipse illuxit in cordibus nostris,* id est, lumen fidei
B atque divinæ sapientiæ mentibus nostris infudit, *ad illuminationem scientiæ claritatis Dei,* id est ad hoc ut nos illuminemur ad cognoscendum claritatem, id est nobilitatem seu excellentiam Dei; vel, Ad illuminationem, etc., id est ad hoc ut alios doceamus de notitia claritatis Dei, id est perfectionis divinæ : illuminationem, inquam, scientiæ tendentis *in faciem Jesu Christi,* id est dirigentis nos ad veram Christi notitiam, qua eum agnoscimus esse Deum et hominem. Facies au-
C tem notitiam significat, quia per faciem unusquisque potissimum cognoscitur.

Habemus autem thesaurum istum, id 7
est gratiam tantæ illuminationis. Unde
et Salomon : Thesaurus, inquit, deside- *Prov.* xxi, 20.
rabilis in ore sapientis ; et rursus : Pre- *Ibid.* iii, 15.
tiosior est sapientia cunctis opibus ; et omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. *In vasis fictilibus,* id est corporibus fragilibus. Non quod corpus, quod est pars integralis hominis, sit hujus thesauri subjectum immediatum, sed ani-
D ma : quoniam tamen animæ subjectum est corpus, ideo nos in corpore peregrinantes, dicimur thesaurum istum habere in vasis fictilibus. *Ut sublimitas,* id est altitudo nostræ perfectionis in vita, in signis, in documentis, *sit virtutis Dei,* id est, Deo adscribatur, non nostræ fragilitati. Ideo additur : *et non ex nobis,* id est, non ex nostra naturali potestate oriri putetur.

In omnibus, loco, causa et tempore, sal- 8
tem in genere, *tribulationem patimur* propter justitiam; *sed non angustiamur,* id

est, non opprimimur mente, quia de Dei
auxilio certi sumus. *Aporiamur*, id est,
temporalibus bonis privamur et pauperes
sumus; *sed non destituimur*, id est, non
caremus spiritualibus verisque divitiis :
imo in his tanto magis abundamus, quan-
to in illis pauperiores propter Christum
Matth. v, 3. sumus. Etenim beati pauperes, quoniam
9 ipsorum est regnum cœlorum. *Persecuti-*
onem, id est de loco ad locum fugatio-
nem, *patimur; sed non derelinquimur* a
Deo. *Dejicimur*, id est conculcamur; *sed*
non perimus, quoniam liberamur semper
a Domino corporaliter aut spiritualiter, et
interim utroque modo.
10 *Semper mortificationem Jesu*, id est
passionem dominicam, *in corpore nostro*
circumferentes, per cruciformem imitati-
onem et corporis quotidianam flagellatio-
Philipp. I, 20. nem. Unde alibi dicit Apostolus : In omni
fiducia magnificabitur Christus in corpo-
re meo, sive per vitam, sive per mortem;
Galat. VI, 17. item, Ego stigmata Domini Jesu in cor-
pore meo porto. *Ut et vita Jesu*, id est
conversatio quam habuit in hoc mundo,
in corporibus nostris manifestetur, id est,
Christi vestigia in agendo sectemur; vel,
Vita Jesu immortalis quam nunc habet, in
corporibus nostris manifestetur in resur-
Philipp. III, 21. rectione futura, quando reformabit cor-
pus humilitatis nostræ configuratum cor-
11 pori claritatis suæ. *Semper enim*, id est in
omni differentia temporis in genere, *nos*
Apostoli et alii successores nostri, *qui vi-*
vimus nunc in vita naturæ et gratiæ, *in*
mortem tradimur, id est, periculis mor-
tis afficimur, *propter Jesum*, id est ejus
amore, et propter prædicationem evange-
licæ veritatis : sicut et Christus prædixit,
Joann. XVI, 2. Venit hora ut omnis qui interficit vos,
arbitretur obsequium se præstare Deo; et
Matth. X, 22; XXIV, 9. denuo, Eritis odio omnibus hominibus
propter Filium hominis; *ut et vita Jesu*,
quam habet jam immortalis, *manifeste-*
tur in carne nostra mortali, id est, glo-
ria immortalitatis nostræ carni præstetur,
I *Cor.* XV, 53. quando corruptibile hoc induet incorru-
ptionem, et mortale hoc immortalitatem.

Ergo mors, id est passio Christi, *in nobis* 12
operatur, id est, fructuosa est nobis, ex-
citando nos ad sui imitationem. *Vita au-*
tem naturæ seu culpæ, operatur *in vobis*
qui Christi vestigia imitari negligitis; vel,
Vita gratiæ, scilicet fides et caritas, ope-
ratur in vobis opera meritoria : quia per
hoc quod nos taliter mortificamur, vos ad
Deum convertimini, et vivitis coram illo.

Consequenter ostendit eamdem fuisse
fidem in populo utriusque Testamenti,
tractatque de diversis effectibus, meritis
et actibus fidei. *Habentes autem* nos novi 13
Testamenti ministri *eumdem spiritum fi-*
dei, id est Spiritum Sanctum fidei dato-
rem, quem habuerunt Sancti antiqui. Vel
per spiritum fidei, intelligenda est ipsa
fides, vel gratia seu motio fidei, quæ una
et eadem est in his qui ante Christi ad-
ventum fuerunt, et in posterioribus, quam-
vis sit modo magis explicita. *Sicut scri-*
ptum est in libro Psalmorum a David
propheta : *Credidi* corde, *propter quod* *Ps.* CXV, 10.
locutus sum ore verba fidelis confessio-
nis. Confessio namque ista est actus fi-
dei. Unde alibi dictum est : Corde credi- *Rom.* X, 10.
tur ad justitiam, ore autem confessio fit
ad salutem. *Et nos credimus* ea quæ illi,
propter quod et loquimur fidem catholi-
cam, confitendo ac prædicando; *scientes* 14
fide certissima, *quoniam* Deus Pater seu
Trinitas, *qui suscitavit Jesum* occisum a
morte, *et nos* electos *cum Jesu*, id est sic-
ut et Jesum, vel ad hoc ut simus cum Je-
su in regno, *suscitabit* in die novissimo,
et constituet nos *vobiscum* ad dexteram *Matth.* XXV, 33.
in patria, ubi agni ponentur.

Omnia enim propter vos, id est, uni- 15
versa ministeria nostra ad vestram ordi-
nantur salutem, *ut gratia* Dei *abundans*
per multos, id est ab uno transfusa seu
ministrata in alium : secundum quod Pe-
trus hortatur, Unusquisque sicut accepit I *Petr.* IV, 10.
gratiam, in alterutrum illam administran-
tes; *in gratiarum actione abundet*, id est,
cum gratiarum actione copiose referatur
et ordinetur, seu refluat ad suum princi-
pium, scilicet Deum, *in gloriam Dei*, qua-

tenus omnes Deo gratias referant, et om-
16 ne charisma gratiæ illi tribuant. *Propter
quod* prosequendum, videlicet ut Deo gra-
tiæ referantur, *non deficimus* in adver-
sis, nec fatigamur in opere bono, nec
Matth. x, 22. cessamus, quoniam sola perseverantia co-
ronatur. *Sed licet is qui foris est, noster
homo,* id est caro nostra mortalis, in qua
est humana effigies qua homines esse co-
gnoscimur, *corrumpatur,* quotidie tenden-
do ad mortem, et sustinendo læsuras ac
plagas; *tamen is qui intus est,* id est ani-
ma nostra, in qua est summæ Trinitatis
imago, *renovatur,* recipiendo nova lumi-
na gratiarum, reflorendo in Dei cognitio-
ne, ascendendo in divino amore, *de die
in diem,* id est assidue, dum spiritualiter
crescimus atque proficimus. Hoc autem
dicitur, non quasi in nobis sint duo ho-
mines, sed propter distinctionem essen-
tialium partium hominis.
17 *Id enim quod in præsenti* exsilio seu
tempore *est momentaneum et leve tribu-
lationis nostræ,* id est tribulatio ista le-
A vis atque brevissima (comparatione fu-
turæ jucunditatis ac æternitatis) quam
patimur jam, *supra modum,* id est ultra
condignum et capacitatem nostri intelle-
ctus, *in sublimitate,* id est in regno cœ-
lesti, vel in liberalitate bonitatis divinæ,
æternum gloriæ pondus, id est perpe-
tuam felicitatis mensuram : de qua ait
Salvator, Mensuram bonam et confertam Luc. vi, 38.
et coagitatam et supereffluentem dabunt
in sinum vestrum; *operatur,* id est, me-
retur et efficit, *in nobis,* nunc per spem,
B postmodum vero in re, *non contemplan-* 18
tibus nobis, id est, quia non principaliter
adspicimus, nec finaliter intuemur, *quæ
videntur,* id est visibilia et terrena, *sed
quæ non videntur,* id est bona supercœ-
lestia, quæ oculus non vidit, nec auris I Cor. ii, 9.
audivit. *Quæ enim videntur* a nobis oculo
corporali, *temporalia sunt,* id est trans-
itoria et caduca; *quæ autem non viden-
tur,* id est spiritualia bona nobis præpa-
rata in regno, *æterna sunt* essentialiter
vel participative.

ARTICULUS V

ELUCIDATIO CAPITULI QUINTI : SCIMUS ENIM QUONIAM SI TERRESTRIS DOMUS NOSTRA HUJUS HABITATIONIS DISSOLVATUR.

DIXIT Apostolus in fine præcedentis
II Cor. iv, 17. capituli, quod levis ac momentanea
tribulatio præsentis exsilii, æternum glo-
riæ pondus operetur in nobis. Hujus au-
1 tem nunc assignat rationem. *Scimus enim*
per revelationem divinam, *quoniam si ter-
restris domus nostra,* id est, quod si ca-
ro nostra mortalis, *hujus habitationis,* id
est præsentis mansionis, qua anima de-
git ac hospitatur in corpore, *dissolvatur*
per mortem, vel pro Christo occidatur,
quod ædificationem, id est habitaculum,
ex Deo, id est a divina virtute, *habemus*
in spe, et habebimus tandem in re, vi-
C delicet *domum non manufactam,* id est
carnem impassibilem, glorificatam, non
humana potentia, sed divina, *æternam in
cœlis,* id est in cœlo perpetuo duratu-
ram, vel ab æterno prædestinatam. Sed
quoniam hanc domum non habebimus an-
te diem judicii, Apostolus loqui videtur
de eo quod statim post dissolutionem cor-
poris, animæ perfectorum consequuntur.
Ideo, alii per domum istam non manu-
factam, intelligunt gloriam animæ, quæ
dicitur domus, propter excellentiam su-
D am ad animæ capacitatem. Unde testatur
Christus : In domo Patris mei mansiones Joann. xiv, 2.

multæ sunt, id est distincti gradus præ-
miorum. Alii vero per domum istam in-
telligunt cœlum empyreum, quod est lo-
cus atque palatium Beatorum. Et dicitur
non manufactum, juxta illud ad Hebræos :
Hebr. IX, 24. Non in manufacta sancta Jesus introiit,
sed in ipsum cœlum.
2 *Nam et in hoc ingemiscimus,* id est,
desiderio hujus domus et gloriæ suspira-
Prov. XIII, 12. mus et flemus præ tædio dilationis : Spes
enim quæ differtur, affligit animam; *ha-
bitationem nostram quæ de cœlo est,* id
est hanc domum non manufactam, cœle-
stem, vel cœlesti virtute formatam, seu
gloriæ consecutionem, *superindui,* id est
ea operiri, circumdari, sive ornari, *cupi-
entes :* quod utique desiderium ortum ha-
bet a fide, non a lumine naturali. Sumus
autem veraciter et efficaciter ista cupi-
3 entes, *si tamen vestiti* donis et gratiis
Spiritus Sancti, *non nudi* a bonis operi-
bus, *inveniamur* a Deo cuncta spectante.
4 *Nam et qui sumus in hoc tabernaculo,* id
est, in hoc passibili corpore degimus, *in-
gemiscimus,* suspirando ad habitationem
cœlestem, *gravati* pondere atque miseriis
Sap. IX, 15. corruptibilis carnis. Corpus namque quod
corrumpitur, aggravat animam, et depri-
mit terrena inhabitatio sensum multa co-
gitantem. Ingemiscimus autem *eo quod no-
lumus exspoliari,* id est a corporis unione
penitus atque finaliter separari : quum
naturale sit animæ corpus informare; et
Sancti in patria cupiunt corporibus glo-
rificandis conjungi; *sed supervestiri,* id
est immortalitatem et glorificationem cor-
poris adipisci, *ut absorbeatur quod mor-
tale est,* id est, mortalitas, pœnalitas et
imperfectio auferantur a corpore, *a vita,*
id est ab impassibilitate et gloria super-
veniente, prædictam imperfectionem ex-
cludente.
5 *Qui autem efficit nos in hoc ipsum,* id
est, qui prædictam voluntatem inspirat,
vel ad hujus desiderii consummationem
perducit, est *Deus,* non causa naturalis,
II *Cor.* I, 22. *qui dedit nobis pignus Spiritus.* Hoc idem
primo capitulo hujus epistolæ dictum est

A atque expositum. *Audentes igitur semper,* 6
id est, incessanter audemus ex magna in
Deum fiducia futuram habitationem ap-
petere, atque in omnibus viriliter agere,
et scientes auxilium gratiæ nobis collatum.
Causa autem audaciæ subditur : *quoniam
dum sumus,* id est vivimus, *in corpore*
isto mortali, *peregrinamur a Domino,* id
est, a patria separamur, atque a Deo di-
stamus, conversando in valle lacrimarum,
in carcere mortis, in gravi exsilio. *Per* 7
fidem enim ambulamus, id est, per obs-
B curam notitiam ad patriam tendimus, *et
non per speciem,* id est propriam et ad-
æquatam similitudinem, Deum non cer-
nimus. Non enim videmus eum sicuti est, I *Joann.* III, 2;
id est clare seu facie ad faciem, sed per I *Cor.* XIII, 12.
formas creatas, quæ a repræsentatione
perfecta ac faciali divinæ essentiæ in in-
finitum deficiunt, sicut in præcedenti epi-
stola pertractatum est planius. *Audemus* 8
autem, id est fiducialiter quærimus, non
metu mortis retracti, aut aliqua difficul-
tate victi, *et bonam voluntatem,* id est
C rationabile desiderium, *habemus magis
peregrinari a corpore,* id est potius a
corpore per mortem separari, *et præsen-
tes esse ad Dominum,* id est Deo immedi-
ate uniri, eumque coram et per speciem
intueri. Loquitur autem de præsentia glo-
riæ, non de præsentia gratiæ tantum. Un-
de ait Psalmographus : Adimplebis me *Ps.* XV, 11.
lætitia cum vultu tuo; item : Quando ve- *Ps.* XLI, 3.
niam et apparebo ante faciem Dei?
Et ideo, scilicet ut Deo feliciter unia- 9
mur, *contendimus,* id est, forti conatu
D studemus, *sive absentes,* id est a Domino
peregrinantes, et in hac vita manentes,
sive præsentes, id est divino judicio præ-
sentati, *placere illi,* id est, ne separemur
ab ejus conspectu. Nam et in divino ju-
dicio satagemus respondere pro nobis ad
ea quæ contra nos proponent diaboli. Me-
rito autem contendimus Deo placere : *Om-* 10
nes enim nos, id est homines universos,
bonos ac malos, *manifestari,* id est pu-
blice præsentari seu apparere, *oportet,* vel
in judicio particulari statim post mortem,

vel in judicio universali in die novissi-
mo, vel potius in utroque, *ante tribunal*
Christi, id est coram judice Christo, seu
ante districtam judiciariam ejus potesta-
tem, *ut referat unusquisque,* id est re-
portet, *propria corporis,* id est debitam
mercedem, videlicet pœnam vel gloriam
pro actibus per corpus operatis, seu tem-
pore corporalis vitæ exhibitis, *prout ges-*
sit, sive bonum gessit, *sive malum.* Sub
peccato autem commissionis includitur
Matth. III, 10; VII, 19. peccatum omissionis, quia et arbor quæ
non facit fructum bonum, in ignem mit-
tetur, etiam si malum non gessit.
11 *Scientes ergo timorem Domini,* id est
quam timorate atque sollicite ambulan-
dum sit coram Deo sancto et metuendo :
Job XXXI, 23. de quo ait beatus Job, Semper quasi tu-
mentes super me fluctus timui Deum ; et
Ibid. XXIII, 15. rursus, Considerans eum timore sollici-
tor ; *hominibus suademus,* id est, consilia
monitaque salutis proponimus, quatenus
Deum præ omnibus timeant, non servili,
Eccli. I, 27. sed filiali aut saltem initiali timore. Ti-
mor enim Dei expellit peccatum. *Deo au-*
tem manifesti, id est plenissime cogniti,
vel per approbationem noti, *sumus. Spero*
autem et in conscientiis vestris manife-
stos nos esse, id est, confido quod consci-
entiæ vestræ de nobis recte vereque sen-
tiant, quia sic viximus inter vos ut non
possitis rationabiliter contra nos moveri.
12 *Non iterum commendamus nos vobis,*
id est, ad propriam laudem ista non di-
cimus, sicut nec ante ; *sed occasionem,* id
est causam incidentalem atque materiam,
damus vobis per commemorationem isto-
rum, *gloriandi,* id est spiritualiter exsul-
tandi, *pro nobis,* id est pro gratia nobis
concessa, vel pro defensione nostra con-
tra æmulos et detractores nostros, qui co-
nantur se nobis præferre, et vos a nobis
avertere ; *ut habeatis* rationabilem respon-
sionem et veram lætitiam *ad eos qui in*
facie, id est de apparente et simulata ju-
stitia, *gloriantur, et non in corde,* id est
non ex conscientiæ puritate, neque de
veris virtutibus. Quod autem non com-
A mendemus nos ipsos inaniter, et quod vos
pro nobis gloriari possitis, patet ex hoc :
Sive enim mente excedimus, contemplan- 13
do divina, et supergrediendo terrena ; *Deo,*
id est, hoc gratiæ Dei adscribimus, atque
ad gloriam ejus referimus. *Sive sobrii*
sumus, instruendo vos in moralibus, et
condescendendo infirmitatibus vestris ; *vo-*
bis, id est, ad vestram utilitatem hoc fa-
cimus. Vel sic : Sive mente excedimus,
id est, laudando nos ipsos insensati esse
videamur (quia stultorum est, laudibus
B propriis inhærere) ; Deo, id est, ad glo-
riam Dei hoc agimus, ut benedicatur Deus
in donis suis. Sive sobrii sumus, mode-
rate loquendo de perfectionibus nostris,
sicut ad virtuosum sapientemque perti-
net, ut in his quæ propriam laudem con-
cernunt, magis declinet ad minus quam
ad majus ; vobis, id est, pro vestri infor-
matione et commodo hoc facimus.
Caritas enim Christi, id est dilectio 14
qua Christum proximumque diligimus,
urget, id est, incitat et vehementer in-
C clinat, *nos* ista efficere, quoniam Christi
gloriam et proximorum salutem tanto am-
plius zelamus, quanto in vera caritate per-
fectiores fuerimus ; *æstimantes,* id est fir-
miter reputantes, *hoc, quoniam si* (pro
quia) *unus,* utpote solus Christus, *pro om-*
nibus hominibus liberandis *mortuus est,*
ergo omnes mortui sunt, id est vitiis mor-
tificati merito passionis Christi, quantum
est ex parte ipsius Salvatoris, qui mori-
endo omnia ad se traxit. Vel, Omnes mor- Joann. XII, 32.
tui sunt, id est, mortem culpæ incur-
D rerunt ex originali peccato : aliter non
egerent salvatore. *Et pro omnibus mor-* 15
tuus est Christus, ut et qui vivunt vita
naturæ seu gratiæ, *jam non sibi vivant,*
id est, non propriæ voluntati deserviant,
videlicet ad honorem proprium vitam su-
am ordinent ; *sed ei* vivant, id est, ad
ejus honorem et gloriam omnia opera sua
interiora exterioraque referant, *qui pro*
ipsis mortuus est et resurrexit, videlicet
Christi. Sic vivere Christo, est vere abne-
gare atque vivifice mortificare se ipsum.

16 *Itaque,* id est, quia pro omnibus mor-
tuus est Christus, *nos* Apostoli et viri per-
fecti, *ex hoc,* id est posthac, *neminem*
novimus notitia approbationis, id est, nul-
lum viatorem laudamus, *secundum car-*
nem, id est carnaliter, scilicet propter
causas indignas. Vel, Neminem novimus
secundum carnem, id est secundum ea
quæ carnis conditionem respiciunt : talia
enim non curamus neque attendimus. *Et*
si cognovimus secundum carnem Chri-
stum, id est, quamvis mysteria Christi
carnaliter et superficialiter intellexerimus,
et Christum non nisi secundum huma-
nam naturam noverimus sensu humano;
sed nunc jam Spiritu Sancto recepto *non*
novimus eum hoc modo, sed spirituali-
ter ac supernaturaliter, tanquam Deum et
hominem.

17 *Si qua ergo,* id est quia aliqua, *in Chri-*
sto est *nova creatura,* id est, aliquis in
Christi Baptismo renatus est, *vetera trans-*
ierunt, id est, pristina vitia ab illo remo-
ta sunt, pœnalitates quoque deletæ sunt,
modo in spe, tandem delendæ in re; *ecce*
facta sunt omnia nova, id est, per infu-
sionem Spiritus Sancti omnia spirituali-
ter renovata sunt, corpus, anima, cogita-
tio, verbum et opera. Unde in Apocalypsi
Apoc. XXI, 5. dicitur : Dixit qui sedebat in throno, Ec-
18 ce nova facio omnia. *Omnia autem ex*
Deo Patre vel sancta Trinitate originali-
ter profluxerunt et condita sunt, *qui nos*
reconciliavit sibi, id est, peccata nostra
nobis ignovit, *per Christum,* id est incar-
natione, passione seu merito Christi ho-
minis : imo Christus ut Deus, reconcilia-
vit nos sibi per se ipsum, ut hominem
talem ; *et dedit nobis ministerium re-*
conciliationis, id est, officium evangelicæ

A prædicationis, qua ista reconciliatio an-
nuntiatur hominibus, commisit nobis suis
vicariis. *Quoniam quidem Deus* Pater, vel 19
Verbum increatum, imo et Spiritus San-
ctus, hoc est Deus Trinitas, *erat in Christo*
homine *mundum,* id est electos, *recon-*
cilians sibi (ut dictum est), *non reputans,*
id est non juste ulciscens, nec in æter-
num reservans, *illis delicta ipsorum* origi-
nalia aut actualia. Christus namque Agnus *Joann.* I, 29.
Dei omnia tulit peccata. *Et posuit in no-*
bis verbum reconciliationis, id est præ-
B dicationem pacificationis inter Deum et
homines factæ.

Pro Christo ergo, id est pro Christi 20
amore et gloria, *legatione,* id est missio-
ne, *fungimur,* quia a Deo missi sumus I *Cor.* I, 17.
annuntiare Evangelium Christi, *tanquam*
Deo exhortante corda audientium *per nos,*
id est per prædicationem nostram. Ipse
enim loquitur per nos. *Obsecramus pro*
Christo, id est vice, loco, vel amore Chri-
sti, *reconciliamini Deo,* id est, peccata
vestra deflete, vitam corrigite, Deo pla-
C cere contendite. *Eum qui non noverat* 21
peccatum per approbationem vel experi-
entiam, scilicet Christum, Pater *pro no-*
bis, id est pro nostra redemptione, *pec-*
catum fecit, id est hostiam pro peccato.
Sumitur enim hic peccatum pro hostia
peccati, sicut et apud Osee, ubi dicitur :
Peccata populi mei comedent. Vel sic : *Osee* IV, 8.
Eum qui non noverat peccatum, pro no-
bis peccatum, id est culpam, fecit. Pec-
catum enim, præcipue originale, occasio
fuit incarnationis passionisque Christi, sic-
D que quodam modo fecit eum hominem.
Ut nos efficeremur justitia Dei, id est
justificati a Deo, *in illo,* id est merito
Christi.

ARTICULUS VI

EXPLANATIO CAPITULI SEXTI : ADJUVANTES AUTEM EXHORTAMUR.

RECOMMENDATIS novi Testamenti my- A
steriis, jam omnes ad perfectionem
1 invitantur, dicente Apostolo : *Adjuvantes*
autem verbo, operatione, oratione, ve-
stram imbecillitatem; vel, Adjuvantes, id
est Christo cooperantes in vestra conver-
sione; *exhortamur ne in vacuum,* id est,
sine fructu et perseverantia, *gratiam Dei*
habitualem et gratum facientem *recipia-*
tis in Baptismo, vel Pœnitentiæ sacramen-
to. Gratiæ enim finis est adeptio gloriæ.
Idcirco gratiam Dei in vacuum recipit,
qui per eam bene vivendo æternam bea- B
II *Petr.* II, 21. titudinem non acquirit. Melius est enim
viam justitiæ ignorasse, quam post agni-
tionem reverti retrorsum. Simili modo,
melius quodammodo est gratiam non re-
cepisse, quam receptam perdidisse.
Quod autem Deus paratus sit gratiam
2 dare, probatur. *Ait enim* Dominus per
Is. XLIX, 8. Isaiam : *Tempore accepto,* id est tempore
opportuno et congruo, maxime novæ le-
gis et gratiæ, *exaudivi te,* instanter oran-
tem pro quocumque negotio tibi salubri.
Matth. VII, 8. Omnis enim qui petit, accipit ; et qui C
quærit, invenit; et pulsanti aperietur. *Et*
in die salutis, id est tempore liberatio-
nis humanæ factæ per Christum, *adjuvi*
te, dando tibi supernaturale auxilium gra-
tiæ atque virtutum : sicut ait Psalmista,
Ps. CXX, 2. Auxilium meum a Domino; et, Nisi quia
Ps. XCIII, 17. Dominus adjuvit me, paulo minus habi-
tasset in inferno anima mea. Denique præ-
allegatam Isaiæ auctoritatem quasi expo-
nit, applicans eam ad tempus Christi. *Ecce*
nunc tempus acceptabile, id est gratum
et aptum ad gratiam promerendam, quia D
nunc maxime operatur meritum passio-
nis dominicæ, *ecce nunc dies salutis,* id
est tempus salvationis a Christo exhibitæ.
Unde legitur in Actibus : Omnes Prophe- *Act.* III, 24.
tæ a Samuel et deinceps annuntiaverunt
dies istos.
Nemini dantes ullam offensionem, id 3
est aliquod scandalum verbo aut facto no-
stro minus recto. Unde alio loco dictum
est : Hoc judicate, ne ponatis fratribus *Rom.* XIV, 13.
offendiculum. Hoc enim est caritatis. *Ut*
non vituperetur ministerium nostrum, id
est obsequium quo Christo servimus do-
cendo et operando. Si autem reprehensi-
biliter egerimus, servitium nostrum vi-
tuperatur a subditis ; et scandalizantur,
minusque diligenter advertunt ac implent
quod eis proponitur.
Sed in omnibus observantiis mandato- 4
rum atque consiliorum, *exhibeamus nos-*
metipsos sicut Dei ministros, id est, prout
decet veros famulos Christi : et primo,
in multa patientia, id est copiosa et prom-
pta tolerantia adversitatum, ne passio tri-
stitiæ regnet in nobis : in patientia, in-
quam, servanda *in tribulationibus,* id est
afflictionibus a quocumque inflictis, *in*
necessitatibus, id est penuriis victus at-
que vestitus, *in angustiis,* id est cordis
pressuris ; *in plagis, in carceribus,* qui- 5
bus læsi captique fuimus, ne liberi et
incolumes prædicemus ubique ; *in sedi-*
tionibus contra nos motis, *in laboribus*
manualibus pro alimonia corporis, *in vi-*
giliis propter protractionem prædicatio-
nis et orationis, *in jejuniis* pro carne do-
manda et gratia impetranda, *in castitate* 6
mentis et corporis, *in scientia,* id est no-
titia eorum quæ ad salutem exiguntur,
in longanimitate, id est longa et certa
exspectatione futuræ beatitudinis, *in sua-*
vitate, id est mentis dulcedine, et blanda
quadam applicatione ad proximum, *in*

Spiritu Sancto, id est in omni directione A
Spiritus Sancti; *in caritate non ficta,* id
est non simulata aut falsa, qualem habent
I *Joann.* III, 18. hypocritæ : unde dicit Joannes, Non dili-
gamus verbo, neque lingua, sed opere et
7 veritate; *in verbo veritatis,* id est præ-
Joann. XIV, 6. dicatione Christi, qui est via, veritas et
vita, seu evangelicæ theoriæ, *in virtute*
Dei, id est divinæ potestati semper inni-
tendo, non propriis viribus ; *per arma*
justitiæ, id est virtutes seu opera virtu-
osa, animam munientia per modum ar-
morum, *a dextris,* id est in prosperis, *et* B
a sinistris, id est adversis, quatenus nec
in prosperis erigamur, nec adversis de-
jiciamur, sed animo roborato in gratia,
regia semper via tendamus ad patriam
electorum.

Exhibeamus insuper nos Dei ministros,
8 *per gloriam et ignobilitatem,* id est ho-
norationem et vilipensionem, ut sive glo-
rificemur ab hominibus, sive vilipenda-
mur ab eis, in Christi servitio firmiter
stemus; *per infamiam* quoque *et bonam*
famam, id est, sive diffamemur, sive ce- C
lebre nomen habeamus coram hominibus,
in Christo stabiliter perseveremus, non
curantes laudes aut vituperia hominum.
Ut seductores reputati a multis erranti-
bus, *et veraces* sumus verbo ac rebus ;
sicut qui ignoti, quasi a Deo reprobati,
secundum opinionem illorum, *et* tamen
cogniti sumus Deo per approbationem.
9 *Quasi morientes* vitam naturalem perden-
do : quotidie enim putabant quidam ad-
versarii fidei Apostolos occidendos; *et ec-*
ce vivimus, Deo nos conservante in vita D
naturæ et gratiæ. *Ut castigati,* id est Deo
permittente flagellati pro culpis nostris,
vel aliorum, vel propter exemplum atque
Prov. III, 12; *Hebr.* XII, 6. coronam (Deus enim flagellat omnem fi-
lium quem recipit, ut Salomon loquitur),
et non mortificati, id est non occisi : sæ-
pe enim a morte corporali divina virtute
Ps. CXVII, 18. erepti sunt. Unde fertur in Psalmo : Ca-
stigans castigavit me Dominus, et morti
10 non tradidit me. *Quasi tristes* propter ad-
versa, *semper autem gaudentes* in Domi-
no, per veram patientiam et consolatio-
nem internam. Propter quod in Actibus
recolitur : Ibant Apostoli gaudentes a con- *Act.* V, 41.
spectu concilii, quoniam digni habiti sunt
pro nomine Jesu contumeliam pati. *Sic-*
ut egentes temporalibus bonis, secundum
veritatem, vel spiritualibus donis, secun-
dum errantium suspiciones, *multos autem,*
id est omnes quos ad Christum conver-
timus, sumus *locupletantes* spiritualibus
bonis. *Tanquam nihil habentes,* quoni-
am omnia dereliquimus propter Christum,
et omnia possidentes, quantum ad neces-
sitatem vel utilitatem : timentibus quippe *Ps.* XXXIII, 10.
Deum nihil deest. Unde dicit Salvator :
Primum quærite regnum Dei et justiti- *Matth.* VI, 33.
am ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.
Christus quoque subjecit Apostolis ani- *Ibid.* X, 8;
mata et inanimata, dæmones, et homines, *Luc.* X, 17, 19.
quorum peccata solvere et non solvere *Matth.* XVIII, 18.
potuerunt.

Consequenter ostendit se ista loqui ex
caritatis fervore. *Os nostrum patet ad vos,* 11
id est, ad vestram informationem aper-
tum est, *o Corinthii,* quoniam de mini-
sterii mei dignitate, Evangelii veritate,
propriæ quoque personæ commendatio-
ne, jam multa locutus sum vobis. *Cor*
nostrum dilatatum est spiritualiter lati-
tudine caritatis, id est, affectus noster in-
terior extendit mentem nostram ad vos.
Non angustiamini in nobis, id est, ex 12
parte nostri nolite angustias seu minora-
tiones scientiæ atque virtutum incurrere :
nos enim parati sumus omnia nostra vo-
bis communicare, et cor vestrum dilata-
re ad diligendum cœlestia. *Angustiamini*
autem, id est, confringimini ac minora-
mini, *in cordibus* vestris* duris, quæ ob **visceribus*
suam malitiam non dilatantur per copio-
sam spiritualium receptionem bonorum :
hoc est, parvitatem et paupertatem vestræ
scientiæ atque virtutis nolite adscribere
nobis, sed propriis cordibus incapacibus
et indignis. *Eamdem autem remunerati-* 13
onem, id est idem præmium, *habentes* vos
nunc in spe, habituri illud tandem in
re, quod nos habemus habiturique su-

mus, videlicet visionem Dei per speci-
em, quæ est tota merces, *tanquam filiis*
meis spiritualibus *dico : Dilatamini et vos*
corde, quemadmodum dilatatum est cor
nostrum.
14 *Nolite jugum ducere,* id est societatem
aut familiaritatem habere, *cum infideli-*
bus et perversis. Jugum enim a jungendo
nomen sortitur. Sicut ergo dilectio est
jugum Christi, per quod ei nectuntur, et
ab eo ducuntur electi, sic jugum diaboli
est peccatum. Idcirco iniquis et perfidis
jungi non debemus, id est communicare
eorum peccatis, imo et occasiones hujus
communionis vitare oportet, videlicet so-
cietatem et familiaritatem. Hujus ratio
subditur : *Quæ enim participatio,* id est
mutua communio seu convenientia, *justi-*
tiæ cum iniquitate? Nulla utique, quum
sint omnino contrariæ. Vos autem justi
estis per fidem formatam, illi vero ini-
qui : non ergo jungi debetis. *Aut quæ*
societas luci ad tenebras? Nulla, videlicet
naturalis ac fixa ; sed lux tenebras pel-
lit. Vos autem per Dei cognitionem lux
estis, illi vero tenebris ignorantiæ pleni.
15 *Quæ autem conventio Christi ad Belial?*
Nulla plane. Belial autem interpretatur
apostata, quo significatur diabolus : sed
Matth. VI, 24. his duobus dominis nemo potest servire.
Vos igitur Christiani, cum filiis Belial no-
lite conjungi. *Aut quæ pars,* id est com-
munio, *fideli cum infideli?*
16 *Quis autem consensus templo Dei,* id
I Cor. III, 16. est personæ fideli, in qua per gratiam
habitat Deus, *cum idolis?* id est idolola-
tris, qui idola sunt per similitudinem,
Ps. CXXXIV, 18. juxta illud in Psalmo, Similes illis fiant
qui faciunt ea. Non ergo debetis illis so-
ciari. *Vos enim,* in quorum cordibus ha-
bitat Deus, *estis templum* animatum ac
mysticum *Dei vivi, sicut dicit Dominus*
Exod. XXIX, 45 ; Lev. XXVI, 11 ; Ezec. XLIII, 9 ; Apoc. XXI, 3. per Moysen, Ezechielem, atque Joannem
in Apocalypsi : *Quoniam inhabitabo in*
illis, id est, intima mentis electorum in-
habitabo per caritatem et gratiam, *et in-*
ambulabo, id est, in corde eorum quasi
in paradiso voluptatis conversabor, quia

A deliciæ meæ esse cum filiis hominum. Prov. VIII, 31.
Inambulabo autem, id est, eos faciam am-
bulare de virtute in virtutem, et de via Ps. LXXXIII, 8.
ad patriam ; *et ero illorum Deus,* non
solum generaliter, sicut omnium Deus
sum propter universalem creationem ac
providentiam, sed singulariter valde, di-
rigendo, protegendo, finaliterque salvan-
do ; *et ipsi erunt mihi,* id est ad honorem
et gloriam nominis mei, *populus,* colen-
do et diligendo me super omnia : sicut
in prima sua epistola asserit Petrus, Vos I Petr. II, 9.
B genus electum, gens sancta, populus ac-
quisitionis ; et Psalmista, Beneplacitum Ps. CXLIX, 4.
est Domino in populo suo.
Ex dictis infert Apostolus admonitio-
nem intentam. *Propter quod,* id est, quia 17
non est societas inter prædicta, *exite* spi-
ritualiter, et si fieri potest et expedit,
etiam corporaliter, *de medio eorum,* id
est de conventu pravorum. Quid enim pa- Jer. XXIII, 28.
leis ad triticum? Hoc est, nolite cordis
similitudine eis conjungi, sed fugite ac-
tus eorum. *Et separamini* ab eis, loco
C vel corde, *dicit Dominus; et immundum*
ne tetigeritis, id est, peccato nolite con-
sentire. Digni enim sunt morte, non so- Rom. I, 32.
lum qui faciunt, sed etiam qui consen-
serint. *Et ego recipiam vos,* id est, pie 18
amplectar venientes ad me brachiis pie-
tatis : de quibus per Prophetam loquor,
Portavi vos in brachiis meis. *Et ero vo-* Osee XI, 3.
bis in patrem, id est, paterne vos fove-
bo ac diligam, *et vos eritis mihi in fili-*
os, quantum ad viros, *et filias,* quantum
ad feminas, *dicit Dominus Deus omni-*
D *potens.*
Porro Scriptura hic allegata, quantum
ad sensum in diversis sacræ paginæ locis
habetur. Pro eo enim quod hic dictum
est, Inhabitabo in illis, scriptum est in
Levitico : Ponam tabernaculum meum in Lev. XXVI, 11.
medio vestri. Pro eo quod subditur, Et
inambulabo, legitur in Deuteronomio : Do- Deut. XXIII, 14.
minus Deus tuus ambulat in medio ca-
strorum. Totum tamen istud, et item quod
subditur, Et ero illorum Deus, et ipsi
erunt mihi populus, etc., in Levitico in- Lev. XXVI, 12.

cluditur. Ei quoque quod subinfertur, Ex-
ite de medio eorum, consonat quod Petrus
Act. II, 40. disseruit : Separamini, inquiens, a gene-
ratione hac prava. Sed et in Apocalypsi
Apoc. XXI, 3. ait Scriptura : Ecce tabernaculum Dei
A cum hominibus, et habitabit cum eis ; et
ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum
eis erit illorum Deus. Quæ utique verba
plena sunt omni dulcedine, caritate atque
fiducia.

ARTICULUS VII

EXPOSITIO CAPITULI SEPTIMI : HAS IGITUR HABENTES PROMISSIONES.

EX præinductis in fine præcedentis ca-
pituli infert Apostolus admonitionem
1 salubrem, et ait : *Has igitur habentes*
promissiones, o *carissimi* fratres, imme-
diate expressas, videlicet quod Deus ha-
bitabit et ambulabit in nobis, recipietque
nos, et erit in nobis, *mundemus nos* per
Ps. XXXI, 5; *Prov.* XXVIII, 13. veram confessionem (omnia enim in con-
fessione lavantur), per contritionem, per
dominicæ passionis memoriam, præsertim
per divini amoris accensionem, quoniam
I Petr. IV, 8. caritas operit multitudinem peccatorum,
ab omni inquinamento carnis et spiritus,
id est ab universis peccatis carnalibus, ut
sunt gula, luxuria, et spiritualibus, ut
sunt invidia, superbia; *perficientes sancti-*
ficationem, id est, inchoatam in Baptismo
vel Pœnitentia sanctitatem ad perfectio-
nem ducentes, perseverando ac proficien-
do in bonis usque in finem : et hoc, *in*
timore Dei casto ac filiali : de quo in
Eccli. I, 28. Ecclesiastico dicitur, Qui sine timore est,
justificari non potest; atque in Psalmo,
Ps. XXXIII, 10. Timete Dominum, omnes sancti ejus.
2 *Capite nos*, id est, verba nostra sapi-
enter pensate, et nos ipsos in exemplum
accipite. *Neminem læsimus* post nostram
conversionem, id est, nullum ad pecca-
tum induximus directe, verbo vel opere,
neminem corrupimus per falsam doctri-
nam, *neminem circumvenimus*, id est,
3 defraudando decepimus. *Non ad condem-*
nationem vestram dico, id est, non ideo
ista commemoro, ut aggravem vestra pec-
B cata, vosque relinquam ac pereatis. *Præ-*
diximus enim, et supra jam scripsimus, *II Cor.* III, 2.
quod in cordibus nostris estis scripti per
curam et caritatis affectum, et jugem me-
moriam, *ad commoriendum et conviven-*
dum : id est, in tantum vos meo cordi
impressi, ut pro vestra salute paratus sim
mori, aut manere in vita præsenti, ut in-
struam vos.
Multa mihi fiducia est apud vos, id 4
est, de vestra caritate et pietate multum
confido, et firmiter spero de felicitate ve-
C stra futura ; *multa mihi gloriatio* inest
spiritualis in Domino, *pro vobis*, id est
ex consideratione gratiæ vobis concessæ ;
repletus sum consolatione, audita vestra
emendatione, *superabundo gaudio* spiri-
tuali, propter beneficia Dei vobis collata,
in omni tribulatione nostra, quam ab ad-
versariis fidei patimur. *Nam et quum ve-* 5
nissemus in Macedoniam, nullam requiem
habuit caro nostra, id est nos ipsi. Ponit
enim partem pro toto : nam superius di-
xit, Non habui requiem spiritui meo. *Sed* *II Cor.* II, 13.
D *omnem*, id est multiplicem seu perfe-
ctam, *tribulationem*, videlicet exteriorem
et interiorem, *passi sumus. Foris pugnæ*,
id est impugnationes a perversis ac per-
fidis, *intus*, id est in corde, fuerunt *ti-*
mores paternæ sollicitudinis pro Ecclesiis
Dei ne subverterentur. *Sed qui consolatur* 6
humiles, consolatus est nos Deus in ad-
ventu Titi : de cujus adventu gavisi su-
mus, propter adjutorium quod nobis im-

7 pendit. *Non solum autem in adventu ejus* A
consolatus est nos Deus, *sed etiam* a Deo
principaliter consolati sumus, *in conso-
latione,* id est per consolationem, *qua
consolatus est* nos Titus Dei minister *in
vobis,* id est de vestra correctione, *refe-
rens nobis vestrum desiderium* pro gratia
acquirenda, vel pro mea præsentia, *ve-
strum fletum* propter peccata præterita,
vestram æmulationem, id est bonum ze-
lum, *pro me,* id est pro nostra defensione
contra detractores nostros et pseudoapo-
stolos, quibus rationabiliter indignati es- B
tis; *ita ut magis gauderem* de vestra prc-
speritate, quam dolui de mea adversitate.
Denique, quod consolatus sim, patet :
8 *Quoniam etsi contristavi vos in epistola*
superiori, in qua dure correpti estis, *non
me pœnitet* hoc fecisse. *Etsi,* id est Licet,
pœniteret me vos contristasse, conside-
rando tristitiam sub ratione tristitiæ tan-
tum, secundum quem modum non habet
rationem boni et appetibilis; tamen *vi-
dens quod epistola illa, etsi ad horam,*
9 *vos contristavit, nunc gaudeo* de vestra C
contristatione pœnitentiali ; *non quia con-
tristati estis* in genere, seu qualitercum-
que (non enim omnis tristitia bona est),
sed quia contristati estis ad pœnitentiam
salutarem ac sacramentalem, id est, ve-
stra contristatio bonum finem sortita est :
nam ad pœnitentiam vos induxit, quæ
est dolor de malis præteritis. *Contristati
enim estis secundum Deum,* id est se-
cundum beneplacitum Dei, dolentes de
peccatis vestris : quod complacet Deo, qui
Ezech. ait per Ezechielem, Confundimini et eru- D
xxxvi, 32. *Matth.* iv, bescite super viis vestris ; et alibi, Pœ-
17. nitentiam agite, appropinquabit enim re-
gnum cœlorum ; *ut in nullo,* id est nec
in blandis nec in prosperis, *detrimentum*
salutis *patiamini ex nobis,* id est, ne nos
aliquo modo simus vobis occasio detri-
menti, sed totum quod pro vobis agimus,
vestræ prosit saluti.
10 *Quæ enim secundum Deum tristitia est,*
id est tristitia ordinata de peccato com-
misso, *pœnitentiam,* id est cessationem
a malo et satisfactionem tendentem *in sa-
lutem stabilem,* id est veram atque per-
petuam beatitudinem promerentem, *ope-
ratur* in genere causæ formalis. De hac
bona tristitia scriptum est : Cor sapien- *Eccle.* vii,
tium ubi tristitia, et cor stultorum ubi 5.
lætitia ; et iterum, Per tristitiam vultus *Ibid.* 4.
corrigitur animus delinquentis. De præ-
dicta quoque stabili salute alibi dicitur :
Israel salvatus est in Domino salute æter- *Is.* xlv, 17.
na. *Sæculi autem tristitia,* id est dolor
de amissione temporalium rerum et ma-
nifestatione propriæ iniquitatis, *mortem*
culpæ *operatur,* id est, ad peccandum in-
ducit : imo et mortem naturæ consciscit,
quoniam nulla passio animæ adeo cor-
ruptiva atque contraria vitæ est, sicut tri-
stitia, prout in prima secundæ Thomas
pulchre demonstrat. Propter quod Salo-
mon loquitur : Spiritus tristis exsiccat *Prov.* xvii,
ossa. In Ecclesiastico quoque legitur : Mul- 22. *Eccli.* xxx,
tos occidit tristitia. 25.
Insuper, quod tristitia ista secundum
Deum operativa sit pœnitentiæ in salu-
tem, ostendit Apostolus. *Ecce enim hoc* 11
ipsum, secundum Deum contristari vos,
id est tristitia hæc Domino placens, *quan-
tam in vobis operatur sollicitudinem* pla-
candi Deum et cavendi a peccatis : *sed
defensionem,* id est, resistentiam contra
tentationes diaboli et incentiva peccati :
pœnitens enim munit et armat se contra
causas peccandi ; *sed indignationem,* id
est horrorem peccati, vel abominationem
contra vos ipsos, qui tam prave egistis ;
sed timorem divini judicii, infernalis tor-
menti, similisque peccati : pœnitens nem-
pe formidat incidere manus Dei viventis, *Hebr.* x, 31.
et timet ne denuo peccet; *sed desiderium*
veniæ ac profectus ; *sed æmulationem,* id
est bonorum imitationem ac zelum. Un-
de in Apocalypsi dicitur : Æmulare ergo, *Apoc.* iii,
et pœnitentiam age. Vel, Æmulationem, id 19.
est zelum contra falsos qui vos ad vitia
induxerunt. *Sed vindictam,* id est puni-
tionem peccati. Qui enim veraciter pœ-
nitet, peccata sua in se ipso ulciscitur,
infligendo sibi pœnam secundum culpæ

mensuram. Nam et satisfactio est pars
Pœnitentiæ, sicut contritio atque confes-
sio. *In omnibus* agendis *exhibuistis vos*
incontaminatos esse, id est inculpabiles,
negotio christiano exercendo : id est, ita
vos reformastis, ut in omnibus christia-
næ conversationis officiis incontaminati
sitis, saltem a mortali peccato. Potest quo-
(I Cor. v.) que specialiter accipi de negotio quod eis
commisit Apostolus, circa punitionem ejus
qui uxorem habuit sui patris : quod uti-
que negotium Corinthii fideliter expedi-
verunt.
12 *Igitur etsi scripsi vobis* in præcedenti
epistola, hoc feci, *non* solum *propter eum*
qui fecit injuriam, id est propter cor-
rectionem fornicatoris qui rapuit patris
sui uxorem, *nec* solum *propter eum qui*
passus est injuriam, id est patrem cui
ablata et rapta est uxor a proprio filio;
sed ad manifestandam sollicitudinem no-
stram, quam pro vobis, id est pro vestra
13 salute, *habemus coram Deo,* id est, Deo
spectante, nostrumque affectum effunden-
do coram eo pro vobis cum humili pre-
ce. *Ideo consolati sumus* de vestri cor-
rectione.
In consolatione autem nostra jam sæpe
prædicta, id est ultra hanc consolationem,
abundantius magis, id est abundantissi-
me, vel plus quam ante doluimus, *gavisi*
sumus super, id est de, *gaudio Titi,* ita
ut gaudium ejus esset objectum atque
materia gaudii nostri, *quia refectus est,*
id est recreatus et confortatus, *spiritus*
ejus paulo ante propter vestra peccata
mœstus, *ab omnibus vobis* de correctio-
A ne, vel profectu, vel bono proposito cu-
juslibet vestrum. Qui enim nondum cor-
recti sunt, se emendare decreverunt, et
ita spes bona lætificat Titum. *Et si quid* 14
apud illum, id est quia de aliquo apud
Titum, *de vobis gloriatus sum,* commen-
dando vos, et de vestra emendatione spem
bonam ei præstando, *non sum confusus*
de hac gloriatione, quum non sim men-
dax inventus; *sed sicut omnia* ad vestram
salutem pertinentia *vobis in veritate lo-*
cuti sumus prædicatione vocali, vel per
B epistolas, *ita et gloriatio nostra, quæ fuit*
ad Titum de vobis (ut dictum est), *ve-*
ritas facta est, id est ad effectum per-
ducta; vel, sic esse innotuit Tito, sicut
ei prædixi, quoniam estis correcti et lau-
de digni inventi. *Et viscera ejus,* id est 15
intima caritas ac desiderium Titi, *abun-*
dantius nunc quam ante, quia nunc videt
vestram obedientiam, *in vobis sunt,* id
est, in vos tendunt, atque figuntur : amor
enim tendit in amatum, et quiescit in
ipso; Titi, inquam, *reminiscentis omni-*
C *um vestrum obedientiam* (retulit enim Ti-
tus Apostolo cum ingenti lætitia obedien-
tiam Corinthiorum), *quomodo cum timore*
cordis *et tremore* corporis *excepistis eum*
cum debita reverentia, sicut et vobis præ- (I Cor. xvi,
cepi tales recipere tanquam me ipsum, 10; Galat.
imo ut Christum. iv, 14.)
Gaudeo de hoc, et ob hoc, *quod in* 16
omnibus rebus *confido in vobis,* sperans
vos semper ad obediendum paratos, sic-
ut et nunc obedientiam vestram expertus
sum. Una equidem actio virtuosa præstat
D fiduciam de alia, atque majori.

ARTICULUS VIII

DECLARATIO CAPITULI OCTAVI : NOTAM AUTEM FACIMUS VOBIS, FRATRES, GRATIAM DEI.

PRÆTEREA admonet Apostolus Corin- A
thios ad faciendam atque mittendam
eleemosynam pauperibus qui erant in Je-
rusalem sub regimine Jacobi ; proponit-
que Corinthiis exemplum Macedonum, di-
1 cens : *Notam autem facimus vobis, fratres,*
gratiam Dei quæ data est in Ecclesiis
Macedoniæ, id est, insinuamus vobis vir-
tutem misericordiæ quam Deus largitus
est Macedonibus (qui sunt Græci) ad fi-
dem conversis. Ex qua virtute et gratia
divinitus inspirata, moti sunt eleemosy-
nam dare Judæis conversis in Jerusalem B
morantibus, qui, facta fame in Judæa,
magnam habuerunt inopiam. Hoc itaque
2 notificamus vobis, *quod in multo expe-*
rimento tribulationis, id est in magna
tribulatione quam experti sunt, *abundan-*
tia gaudii ipsorum fuit, id est, copiosa
lætitia inerat eis : quia de tribulatione
sua propter Christum illata, vehementer
Luc. VI, 23; gavisi sunt, sicut dicit Salvator, Gaudete
Matth. V, 12. in illa hora, quia merces vestra copiosa
est in cœlis ; *et altissima,* id est sponta-
nea multumque meritoria, *paupertas eo-* C
rum, puta Macedonum, *abundavit,* id est,
abundantem effectum habuit vel osten-
dit, *in divitias simplicitatis,* id est in
spiritualem opulentiam puræ intentionis
et bonæ conscientiæ *eorum :* quia quum
pauperes essent, tamen modica simplici
animo tribuendo, spiritualiter ditiores ef-
fecti sunt.
3 *Quia secundum virtutem* justitiæ, id
est vere ac juste, *testimonium illis red-*
do, et supra virtutem, id est ultra suam
possibilitatem, *voluntarii fuerunt* ad dan- D
dum. Nam quum modica possiderent, mul-
ta dare optabant ; tantaque dederunt, ut
4 etiam ipsi postmodum egerent. *Cum mul-*
ta exhortatione obsecrantes nos gratiam
et communicationem ministerii, id est,
ut consentiremus ipsis in hoc, quod dare
possent tantam eleemosynam, qua com-
municarent atque participes essent mi-
nisterii, id est obsequii pietatis, videli-
cet largitionis eleemosynarum, *quod fit*
in sanctos, id est pauperes in Jerusalem
commorantes : qui sancti vocantur, quo-
niam omnibus suis venditis, pretia ante *Act.* IV, 34,
Apostolorum pedes posuerunt, egene com- 35.
muniterque viventes. Quum enim Mace-
dones pauperes essent, non videtur eis
Apostolus consensisse ut darent tam mul-
tum ; sed ipsi caritate fervente rogabant
Apostolum ut liceret eis tanta conferre.
Et non sicut speravimus, id est, non 5
tam moderate se habuerunt in dando sic-
ut putavimus, *sed semetipsos dederunt,*
id est obtulerunt, *primum,* id est princi-
paliter et ante omnia, *Domino,* se ipsos et
omnia sua ad cultum et gloriam Dei or-
dinantes ; *deinde* dederunt se ipsos *nobis*
per filialem obedientiam et caritativam
subjectionem : et hoc, *per voluntatem*
Dei, id est causa Dei, seu propter divinæ
voluntatis beneplacitum et honorem : quo-
niam Deus requirit ut prælatis vicariis *Luc.* X, 16.
suis obediatur sicut et sibi. *Ita ut roga-* 6
remus Titum, ut quemadmodum cœpit,
ita et perficiat in vobis etiam gratiam
istam, id est, ad tantam perfectionem,
tamque liberalem eleemosynæ distribu-
tionem vos conetur inducere, instruen-
do, hortando, et alios in exemplum vobis
proponendo, quemadmodum dudum jam
facere incepit in vobis.
Sed sicut in omnibus gratiarum cha- 7
rismatibus *abundatis,* videlicet *fide* qua
certi estis de præmio, *et sermone,* id est

efficacia in loquendo, *et scientia* Scri-
pturarum, *et omni sollicitudine* in pro-
videndo vobis ac aliis, præsertim in spi-
ritualibus bonis, et item in temporalibus,
prout ratio exigit ; *insuper et caritate*
vestra tendente *in nos,* quoniam multum
diligitis me tanquam magistrum verita-
tis, et patrem vestræ spiritualis regene-
rationis : sic cupio *ut et in hac gratia* mi-
8 sericordiæ et liberalitatis *abundetis. Non*
quasi imperans dico, id est, ad eleemo-
synam istam non obligo vos præcepto,
ne efficiamini transgressores mandati, *sed*
per aliorum, puta Macedonum, *sollicitu-*
dinem imitatione dignam, *etiam vestræ*
caritatis ingenium bonum, id est vestræ
dilectionis indolem seu industriam, *com-*
probans sive experiens, an scilicet sic aga-
tis, sicut confidimus.

Porro ad hanc perfectionem invitat eos
9 Apostolus exemplo Christi. *Scitis enim*
per fidem *gratiam,* id est beneficia vel
caritatem, *Domini nostri Jesu Christi* ad
nos. *Quoniam propter vos egenus factus*
est in sua incarnatione et conversatione
Matth. VIII, 20. in hoc mundo. Propter quod ait : Vulpes
foveas habent, et volucres cœli nidos ;
Filius autem hominis non habet ubi ca-
Luc. II, 7. put reclinet. Natus quoque, positus est
in præsepio, quia non erat ei locus in
Zach. IX, 9. diversorio. Unde scriptum est : Exsulta,
filia Sion, ecce Rex tuus venit tibi justus
et salvator ; ipse pauper, et ascendens
super asinam. Hanc paupertatem vehe-
mentissime admiratus est Jeremias, cla-
Jer. XIV, 8. mans : Quare quasi colonus venturus es
in terra, et quasi viator declinans ad ma-
nendum ? *Quum dives esset,* in divina
natura habens omnium bonorum atque
pulchrorum plenitudinem infinitam sim-
pliciterque perfectam. *Ut illius inopia,* id
est merito paupertatis Christi, *vos divites*
essetis, id est, spiritualium bonorum co-
piam consequeremini. Nam Christi incar-
natio, nostra deificatio est ; Christi conver-
satio, nostra est perfectio ; Christi penuria,
nostra est opulentia.
10 *Et consilium in hoc do,* videlicet ut

A eleemosynam detis ex hac consideratio-
ne : *Hoc enim vobis utile est,* id est me-
ritorium vitæ æternæ, *qui non solum fa-*
cere, sed et velle per caritatem *cœpistis*
ab anno priore, id est præterito. *Nunc* 11
vero et facto perficite, id est, opere adim-
plete ; *ut quemadmodum promptus* ad
dandum *est animus,* id est amorosus im-
petus, *voluntatis, ita sit et perficiendi*
animus promptus in vobis *ex eo quod ha-*
betis, id est ex facultatibus seu substan-
tiis vestris, quatenus opere ostendatis et
B exsequamini in effectu, quod diu incho-
astis et proposuistis. *Si enim voluntas* 12
prompta est dare eleemosynam ; *secun-*
dum id quod habet, accepta est, id est,
dando quod sibi in promptu est et super-
est, seu superfluit, grata et placens est
Deo, *non secundum id quod non habet,* id
est, non exigitur ut ultra vires vel sibi
necessaria tribuat. Unde in Evangelio ait
Salvator : Quod superest, date eleemosy- *Luc.* XI, 41.
nam, et omnia munda sunt vobis.

Non enim hæc dicimus aut volumus, 13
C *ut aliis,* scilicet pauperibus in Jerusalem
quibus succurritis, *sit remissio,* id est
vacantia et otiositas, vivendo de vestris
eleemosynis otiose, *vobis autem sit tribu-*
latio, id est gravamen in dando ultra vi-
res ; *sed ex æqualitate,* id est cum discre-
tione et debita proportione, *in præsenti* 14
tempore velociter decurrente, *vestra abun-*
dantia in temporalibus, *illorum inopiam*
in eisdem temporalibus, utpote indigen-
tiam victus atque vestitus, *suppleat : ut*
et illorum abundantia, id est spiritualis
D opulentia in gratia et virtute, *vestræ ino-*
piæ in eisdem spiritualibus bonis seu me-
ritis, *sit supplementum :* id est, quatenus
ipsi dum de vestris eleemosynis susten-
tantur, orent pro vobis, et impetrent quod
ipsi meritis vestris impetrare non pote-
stis ; *ut fiat æqualitas,* id est, commen-
suratio, seu proportio in datis et acceptis,
dum pro temporalibus spiritualia repen-
duntur, secundum quamdam decentiam
æquitatis ; vel, Fiat æqualitas remunera-
tionis æternæ saltem in genere, ita ut

omnes simul præmium essentiale (quod A
est Dei fruitio) acquiratis : quod signi-
Matth. xx, 2. ficatur per denarium diurnum, quem sin-
guli operarii receperunt. *Sicut scriptum*
est, in figura hujus æqualitatis, de manna
Exod. xvi, 18. in Exodo, ubi sic legitur : Nec qui plus
collegerat, habuit plus ; nec qui minus
collegerat, habuit minus. Quod nunc aliis
15 verbis hic dicitur : *Qui multum* habuit,
id est, plus quam mensuram gomor de
manna collegit, *non abundavit,* id est,
non plus retinuit sibi quam gomor ; *et*
qui modicum collegit de manna, *non mi-* B
noravit, id est, minus non habuit quam
continet gomor. Nec hoc miraculose fie-
bat, sed quum omnes collegissent, totum
simul ponebatur, mensurabaturque sin-
gulis de manna tantum quantum continet
gomor.

16 *Gratias autem Deo* agimus, *qui dedit*
eamdem sollicitudinem pro vobis, id est
pro vestri informatione, *in corde Titi,*
17 quam habeo ego pro vobis; *quoniam ex-*
hortationem quidem suscepit, id est, no-
stræ admonitioni ut iret ad vos, tandem C
acquievit ; *sed quum sollicitior esset* pro
vobis, caritate urgente, *sua voluntate,* id
est proprio motu, *profectus est ad vos,*
non tantum ob nostram exhortationem.
18 *Misimus etiam cum illo fratrem,* id est
Lucam evangelistam, *cujus laus est in*
Evangelio ab ipso gloriosissime conscri-
pto, *per omnes Ecclesias,* quæ ejus evan-
gelio utuntur, ejusque sapientiam lau-
19 dant. *Non solum autem* est laus ejus in
Evangelio, *sed et ordinatus est ab eccle-*
siis Judææ *comes,* id est socius, *peregri-* D
nationis nostræ, qua tanquam peregrini
ambulamus per mundum, evangelizantes
ubique. Comes, inquam, est nostræ pe-
regrinationis, *in hac gratia,* id est in
prædicatione evangelica, *quæ ministratur,*
id est, Deo jubente annuntiatur, *a nobis*
I Cor. x, 31. *ad Domini gloriam,* ad cujus gloriam or-
dinanda sunt omnia. Ordinatus est etiam
comes noster *et* ad *destinatam voluntatem*
nostram, id est ad complendum propo-
situm nostræ voluntatis : est enim adju-
tor noster idoneus. *Devitantes hoc, ne quis* 20
nos vituperet, id est, occasionem habeat
obloquendi nobis, *in hac plenitudine* præ-
dicationis evangelicæ vel largitionis elee-
mosynæ, *quæ ministratur a nobis,* qui
et aliis prædicamus, et eleemosynas gen-
tium pauperibus in Judæa mittimus vel
portamus. Si enim Apostolus Titum et
fratrem cum illo non misisset Corinthiis
pro collectione eleemosynarum, vel in suis
prædicationibus immemor fuisset paupe-
rum prædictorum, aliqui dicere potuis-
sent : Bene quidem prædicat, sed negotium
sibi commissum de collectione eleemosy-
narum pro usu pauperum, negligit. —
Præterea, quidam per fratrem istum cum
Tito missum, intelligunt Barnabam apo-
stolum, cujus laus est in Evangelio præ-
dicato per omnes Ecclesias : quem con- Act. xi-xv.
stat fuisse comitem Pauli in prædicando
multis diebus.

Itaque, devitamus vituperium istud :
Providemus enim bona, id est, provide 21
facimus ut opera nostra bona sint, *non*
solum coram Deo, id est divino judicio,
sed etiam coram hominibus, id est, irre-
prehensibilia sint, ne alii scandalizentur
aut detrahant. Duæ etenim res sunt, con-
scientia, et fama. Conscientia prodest tibi,
fama proximo. Qui ergo conscientiæ suæ
confidens, negligit famam, crudelis est.
Debemus namque exemplares esse ad in-
vicem, sicut monet Salvator, dicens : Sic Matth. v, 16.
luceat lux vestra coram hominibus.

Misimus autem cum illis, videlicet cum 22
Tito et Luca seu Barnaba, *et fratrem no-*
strum. Iste est Apollo, Corinthiorum epi-
scopus, de quo in epistola superiori dictum
est : Ego plantavi, Apollo rigavit. Qui pro- I Cor. iii, 6.
pter discordiam Corinthiorum discessit ab
eis, rediens ad Apostolum Ephesum ; et
rogatus a Paulo ut rediret Corinthum, non
acquievit donec a Tito percepit emen-
dationem Corinthiorum. Idcirco nunc ab
Apostolo mittitur. *Quem probavimus,* id
est, experti sumus, *in multis sæpe solli-*
citum esse pro vestra salute ; *nunc au-*
tem, audita vestra emendatione, probavi-

mus eum *multo sollicitiorem, confidentia*
multa in vos, id est ex magna fiducia ve-
23 stræ reformationis, *sive pro Tito,* id est
sollicitiorem eum invenimus etiam propter
ea quæ a Tito audivit, qui multa ei bona
narravit de vobis, *qui* Titus *est socius*
meus in opere Christi, *et in vobis,* id est
in vestri conversione seu reformatione,
adjutor meus. Porro, epistola hæc intri-
cata atque truncata est : ideo necesse est
supplere. Sequitur enim : *sive fratres no-*
stri Apostoli Ecclesiarum gloriæ Christi :
id est, etiam alii quidam Apostoli, fra-
tres nostri, fuerunt causa sollicitudinis
atque reversionis Apollinis ad vos, quia
ab illis rogatus fuit : qui sunt apostoli
Ecclesiarum gloriæ Christi, id est prin-
A cipes et doctores congregationum fideli-
um, in quibus majestas et gloria Christi
relucet, quia glorificatur, honoratur, et
scitur ab eis.
Ostensionem ergo quæ est caritatis ve- 24
stræ, id est signum vestræ dilectionis, seu
caritatem vestram quam aliis ostendistis :
exhibitio enim operis, signum est dile-
ctionis, *et* ostensionem *gloriæ nostræ pro*
vobis, id est opus quo ostendistis glori-
ficationem nostram de vestro profectu ha-
bitam esse veram, *in illos ostendite,* re-
B cipiendo atque tractando eos cum debita
reverentia, *in facie Ecclesiarum,* id est
publice in conspectu fidelium, ut ædifi-
centur in vobis, sciantque vera esse quæ
de vobis patefecimus eis.

ARTICULUS IX

EXPOSITIO CAPITULI NONI : NAM DE MINISTERIO QUOD FIT IN SANCTOS.

MANIFESTAT autem Apostolus, præ-
senti capitulo, modum faciendi ele-
emosynas præmemoratas ; ostendensque
superiora convenienter esse inducta, sub-
1 jungit : *Nam de ministerio quod fit in*
sanctos, id est de erogatione eleemosyna-
rum quæ dantur pauperibus in Jerusa-
lem consistentibus, *ex abundanti,* id est
quasi superfluum, *est mihi scribere vobis*
ultra quam scripsi. Cujus ratio subditur :
2 *Scio enim promptum animum vestrum*
ad dandum eas ; *pro quo de vobis glorior*
apud Macedones, proponens vos eis in
exemplum. *Quoniam et Achaia,* provin-
cia Græciæ : cujus Achaiæ civitas metro-
politana est Corinthus ; *parata est* ad ele-
emosynarum harum contributionem *ab*
anno præterito ; et vestra æmulatio, id
est amorosa zelatio pro pauperibus, *pro-*
vocavit plurimos ad imitandum vos : sicut
Prov. XXVII, 17. in Proverbiis dicitur, Ferrum ferro acui-
tur, et homo exacuit faciem proximi sui.
C *Misimus autem fratres* prædictos nun- 3
tios valde spectabiles, videlicet Titum, Lu-
cam seu Barnabam, et Apollinem ad vos,
ut ne quod gloriamur de vobis, id est de
vestra promptitudine, *evacuetur in hac*
parte, id est, sine fructu et opere sit. Mi-
simus ergo fratres, *ut quemadmodum di-*
xi, id est, vobis consului, et Macedonibus
retuli, *parati sitis* omnino ad dandum ;
ne quum venerint mecum Macedones, et 4
invenerint vos imparatos, erubescamus
nos tanquam spe nostra frustrati, et qua-
D si mendaces inventi, *ut non dicamus vos,*
id est, de vobis interim sileamus, *in hac*
substantia, id est in ista eleemosynarum
donatione : quum tamen certum sit im-
parationem hanc magis erubescibilem es-
se vobis, quam nobis. *Necessarium er-* 5
go existimavi rogare fratres præfatos, *ut*
præveniant, id est, ante me veniant, *ad*
vos, et præparent repromissam benedicti-
onem hanc, id est sæpe promissam elee-

mosynarum collationem, *paratam esse*, id A
est collectam atque seorsum repositam,
sic quasi benedictionem, id est grate li-
beraliterque donatam, ut sit opus carita-
tis, *non quasi avaritiam*, id est ex cupi-
ditate extortam.
6 *Hoc autem dico*, id est, ista admoneo,
nam *Qui parce seminat*, id est, secundum
mensuram facultatum suarum modicam
eleemosynam tribuit, *parce et metet*, id
est, parvam retributionem accipiet. Si au-
tem quis parum habeat, et de illo modi-
cum largiatur, non parce, sed liberaliter B
Luc. XXI, 2-4. seminat : sicut et Christus affirmat paupe-
rem viduam duo minuta mittentem, plus
omnibus præstitisse : alii enim ex abun-
danti sibi, miserunt, illa vero ex neces-
sariis. Hinc quoque ad Galatas dicit Apo-
Galat. VI, 8. stolus : Quæ seminaverit homo, hæc et
Eccle. XI, 1. metet. Et Ecclesiastes : Mitte panem tuum
super transeuntes aquas, quia post multa
tempora invenies eum. Deus autem po-
tius pensat ac præmiat affectum, quam
opus. Ideo scriptum est in Jeremia et
Jer. IV, 3; *Osee* X, 12. Osee : Novate vobis novale, et nolite se- C
rere super spinas. Verumtamen seminatio
et messio, quantum ad aliquid, contrario
Ps. CXXV, 5. modo fiunt, juxta illud Psalmistæ : Qui
seminant in lacrimis, in exsultatione me-
tent. Hoc tamen intelligi potest de ope-
re pœnitentiali, quod lacrimose agendum
est ; eleemosyna vero lætanter fieri de-
bet. *Et qui seminat in benedictionibus*,
id est, liberaliter et caritative bona sua
egenis communicat, *de benedictionibus et
metet*, id est, propter opera sua gratiose
et abundanter, vel saltem animo prom- D
pto, collata, copiosam mercedem recipiet.
Ps. XL, 2. Ideo ait Psalmista : Beatus qui intelligit
super egenum et pauperem ; in die mala
liberabit eum Dominus. Quamvis autem
unusquisque in patria de suo præmio con-
tentetur, et ultra condignum præmietur,
dicitur tamen parce metere, qui parce
seminat, respective, non absolute : pri-
mo, quoniam comparatione aliorum mi-
nus habet ; secundo, quoniam præmium
correspondet merito.

Unusquisque det pauperi *prout desti-* 7
navit in corde suo, id est tantum quan-
tum ratio sibi dictat, et ipse rationabiliter
ordinavit, *non ex tristitia*, id est non ex
tædio quod patitur propter instantiam po-
stulantis : nam ut Augustinus testatur, Qui
dat ut careat tædio interpellantis, non ut
reficiat viscera indigentis, et rem perdit
et meritum ; *aut ex necessitate*, id est co-
actione, sed jucunde ac sponte. *Hilarem
enim datorem*, id est eum qui animo af-
fectuoso, corde favorabili, lætaque mente
donat donanda, *diligit Deus*, id est, ap-
probat atque remunerat. Unde in Eccle-
siastico habetur : In omni dato hilarem *Eccli.* XXXV, 11.
fac vultum tuum. Et in Paralipomenon li-
bro David ait : Ego, inquit, in simplicitate I *Par.* XXIX, 17.
cordis mei lætus obtuli omnia hæc.
Potens est autem Deus, cui non est im- 8
possibile, imo nec difficile omne verbum, *Luc.* I, 37; *Jer.* XXXII, 17.
omnem gratiam, id est omnia dona Spi-
ritus Sancti, omnem virtutem atque sci-
entiam, *abundare facere in vobis*, id est
cordibus vestris abundanter infundere ; *ut
in omnibus* spiritualibus et temporalibus,
vel in omnibus ad salutem necessariis,
semper omnem sufficientiam habentes, se-
cundum conditionem et statum viatorum,
abundetis in omne opus bonum, id est,
opera meritoria ex interiori gratia copiose
agatis. *Sicut scriptum est* in Psalmo : *Di-* 9
spersit vir justus, id est, diversis tribuit *Ps.* CXI, 9.
indigentibus, non totum simul indiscrete
effudit, *dedit pauperibus* eleemosynas cor-
porales aut spirituales : idcirco *justitia*
interior *ejus manet in sæculum sæculi*, id
est in via et in patria, quia æternam glo-
riam promeretur : et ipsa nunquam ex-
stinguitur, quamvis in patria non maneat
eleemosynarum largitio.
Qui autem administrat semen, id est 10
Deus qui confert materiam eleemosyna-
rum, *seminanti*, id est eleemosynas faci-
enti : Deus enim omnium bonorum est *Jacob.* I, 17.
dator, et quæ aliis damus, de manu ejus I *Par.* XXIX, 14.
accepimus ; *et panem*, id est victualium
sufficientiam, *ad manducandum præsta-
bit* eleemosynarum factoribus. Beati enim *Matth.* V, 7.

misericordes, quoniam ipsi misericordi-
am consequentur. *Et multiplicabit semen
vestrum,* id est bona unde eleemosynæ
fiunt. Tales enim personæ communiter
plus abundant in temporalibus, quam ava-
ri et immisericordes. Propter quod in Pro-
Prov. III, 3, 4. verbiis legitur : Misericordia et veritas
non te deserant, et invenies gratiam co-
ram Deo et hominibus. *Et augebit incre-
menta frugum,* id est profectus operum
seu meritorum, *justitiæ vestræ,* id est quæ
ex habituali et interiori vestra justitia ori-
Ps. LXXXIII, 8. untur, ut ambuletis de virtute in virtu-
Matth. XXV, 29. tem. Habenti enim (hoc est pio et grato)
dabitur, et abundabit; ei autem qui non
habet, et quod videtur habere auferetur
ab eo.
11 *Ut in omnibus* spiritualibus donis *lo-
cupletati abundetis,* id est, corde cresca-
tis, *in omnem simplicitatem* bonam (de
qua dictum est sæpe), id est in perfe-
ctam conscientiæ puritatem et vitæ inno-
centiam, *quæ* simplicitas *operatur per vos*
formaliter *gratiarum actionem Deo,* id
est, inducit vos ad hoc ut Domino gra-
tias referatis, eum in omnibus glorifican-
do simplici corde. Sic enim Job simplex
erat, qui tanta perpessus, patientissime
Job I, 21. dixit : Dominus dedit, Dominus abstulit;
sicut Domino placuit, ita factum est; sit
nomen Domini benedictum.
Quod autem Deo gratiæ referantur, hinc
12 liquet : *Quoniam ministerium hujus of-
ficii,* id est communicatio seu administra-
tio eleemosynarum istarum, *non solum
supplet ea quæ desunt sanctis,* id est, non
tantum succurrit pauperibus in Jerusa-
lem quantum ad vitæ corporalis susten-

A tationem, *sed etiam abundat per multos
in gratiarum actione,* id est, multos in-
ducit, et abundanter fructificat in eis, ad
agendas gratias, *in Domino,* id est ad glo-
riam Dei et secundum voluntatem ipsi-
us : qui multi, *per probationem ministerii* 13
hujus, id est per approbationem et ex-
perientiam largitionis eleemosynarum ve-
strarum, sunt *glorificantes Deum in obe-
dientia confessionis vestræ,* id est pro
obedientia qua fidem vestram non solum
verbis, sed etiam rebus profitemini, suc-
B currendo egenis, obediendoque nobis :
confessionis, inquam, tendentis *in Evan-
gelium Christi,* ut præceptis atque consi-
liis evangelicis obtemperetis. Glorificantes
etiam Deum *et per simplicitatem com-
municationis* vestræ *in illos,* id est pro-
pter communicationem bonorum vestro-
rum simplici animo, scilicet solum Dei
respectu, factam pauperibus in Judæa, *et
in omnes,* id est ceteris quoque pauperi-
bus pie exhibitam. Glorificantes insuper
Deum *et in ipsorum* pauperum *obsecrati-* 14
C *one* fusa *pro vobis :* pauperum, dico, *de-
siderantium,* id est ardenter amantium,
vel videre cupientium, *vos* in præsenti, si-
ve in patria, *propter eminentem gratiam
Dei* exsistentem *in vobis,* id est propter
magnam virtutum perfectionem vobis di-
vinitus præstitam.
Gratias autem Deo super inenarrabili 15
dono ejus, id est de tam ineffabili pietate
et gratia vobis concessa : cujus gratiæ
magnitudo explicari non potest, si con-
sideretur humana ingratitudo, declivitas
D atque fragilitas, divina quoque celsitudo,
misericordia et justitia.

ARTICULUS X

EXPOSITIO CAPITULI DECIMI : IPSE AUTEM EGO PAULUS, ETC.

FACTA exhortatione ad bonos, jam ser-
mo dirigitur ad incorrectos, qui ad-
huc pseudoapostolis adhæserunt : qui mul-
ta vitia imposuerunt Apostolo, de quibus
se consequenter excusat, sicut patebit.
1 Ait ergo : *Ipse autem ego Paulus ob-
secro,* id est, per sacra rogo, *vos,* scili-
cet *per mansuetudinem,* id est mitita-
tem, quæ iram refrenat, *et modestiam,* id
est moderamen seu discretionem, *Chri-*
Jer. xi, 19. *sti :* qui per Jeremiam ait, Ego quasi
agnus mansuetus qui portatur ad victi-
Matth. xi, 29. mam; et iterum, Discite a me quia mitis
sum et humilis corde ; *qui in facie qui-
dem,* id est in præsentia vestra, sive ex-
terius, *humilis sum inter vos* exsistens,
quasi blandiens vobis, sicut pseudoapo-
stoli mihi imponunt, *absens autem* a vobis
confido in vobis, id est, fiducialiter, au-
dacter et dure redarguo vos, quia non
timeo mihi mala inferri a vobis dum ab-
sens sum, quemadmodum præsens. Im-
posuerunt autem Apostolo quod esset car-
nalis, quoniam more carnalium, præsens
exsistens, dulcis et blandus esset in ver-
bis, quasi timens periculum si durius
2 ageret, absens vero rigidus foret. *Rogo
autem vos,* ne sic sentiatis de me, *ne præ-
sens,* id est apud vos exsistens, *audeam,*
id est, audacter me habeam, incorrectos
durissime increpando, *per eam confiden-
tiam,* id est fiduciam illam imperterri-
tam, *qua existimor* ab æmulis *audere,* id
est audacter invehere, *in quosdam,* id est
incorrectos a pseudoapostolis deceptos,
quum absens sum, *qui* incorrecti *arbi-
trantur nos tanquam secundum carnem
ambulemus,* id est, carnaliter conversari,
et in temporalibus finem nos constituere
existimant : qui utique errant.

A *In carne enim ambulantes,* id est in 3
hac corruptibili carne viventes et pere-
grinantes, *non secundum carnem milita-
mus,* id est, non carnaliter exercemur ad
prælium contra adversarios humanæ sa-
lutis. Militia quippe est vita hominis su- *Job* vii, 1.
per terram ; sed militia nostra spiritualis
est, et triumphum spiritualem intendit.
Nam arma militiæ nostræ, quibus præ- 4
dicando et conversando contra dæmones
et perversos homines dimicamus, videli-
cet virtutes et dona Spiritus Sancti, *non*
B *carnalia sunt,* nec humana virtute ade-
pta, *sed potentia Deo,* id est Dei virtute
efficacia, *ad destructionem munitionum,*
id est virium quibus dæmones et impii
homines contra fidei veritatem armantur;
consilia impiorum *destruentes* nostra præ-
dicatione et miraculorum operatione ; *et* 5
omnem altitudinem, id est præsumptio-
nem ac profunditatem mundanæ et na-
turalis sapientiæ, *extollentem se adversus
scientiam Dei,* id est theologicæ veritati
seu fidei assertionibus contradicentem, de-
C struentes seu reprobantes. Hoc fecit Apo-
stolus Athenis, disputando contra philo- *Act.* xvii,
sophos. *Et in captivitatem redigentes,* id 16 *et seq.*
est, captivantes, et nostræ doctrinæ ac fi-
dei jugo subdentes, *omnem intellectum,*
id est mentem quorumdam de omni ge-
nere hominum, *in obsequium Christi,* id
est ad hoc ut Christo deserviant, ejusque
auctoritati potius quam humanæ rationi
adhæreant. Convertit enim Apostolus quos-
dam doctos, et quosdam indoctos ; sicque
de ceteris generibus hominum quosdam
D convertit ad Christum : et sic quoque
omnium intellectum subjecit fidei præce-
ptisque Christi, quatenus incomprehensi-
bilia credant, et Deo in cunctis obediant.

6 *Et in promptu habentes,* id est, expedite
potentes, *ulcisci omnem inobedientiam,*
I Cor. v, 5. tradendo excommunicatos et impios Sa-
tanæ in interitum carnis, vel, Christum
invocando possumus de eis ultionem ac-
quirere, *quum impleta fuerit vestra obe-
dientia,* id est, perfectam esse noverimus
vestram obedientiam. Tunc enim et non
ante, decet nos contra rebelles insurgere,
quoniam prius confirmandi sunt boni,
quam mali torquendi. Ad quod pertinere
Apoc. vii, 3. potest illud Apocalypsis : Nolite nocere
terræ et mari, neque arboribus, quoad-
usque signemus servos Dei nostri in fron-
tibus eorum.
7 *Quæ secundum faciem sunt, videte :*
id est, si prædicta spiritualia quibus os-
tendi me esse verum Christi apostolum
et falsis præferendum, non vobis suffi-
ciunt, quæ secundum faciem sunt, id est,
manifeste apparent in illis et in me, vi-
dete, id est pensate. *Si quis* illorum pseu-
doapostolorum *confidit sibi,* id est, de
propria perfectione præsumit, *Christi se
esse,* id est ad Christum per gratiam se
pertinere, *hoc cogitet iterum apud se,* id
est, diligenter consideret atque revolvat,
ne se præferat nobis ; *quia sicut ipse
Christi est,* secundum opinionem suam
fallacem, *ita et nos* Christi sumus fideles
8 ministri, secundum veritatem. *Nam et si
amplius aliquid gloriatus fuero* in Do-
mino *de potestate nostra,* quam illi de sua
gloriari possunt, id est, quamvis illis no-
stram potestatem prætulero, *quam dedit
nobis Dominus in ædificationem, et non
in destructionem,* id est ad hoc ut ea
salubriter utamur, non impie abutamur,
videlicet ut vos verbis atque exemplis
ædificemus in vita spirituali, et non in-
ficiamus nec subvertamus quempiam ve-
strum ; *non erubescam* quasi præsumptuo-
se hoc agens, quia sic est. Verumtamen
ministri Christi potestate sibi concessa
abuti possunt, et sæpius abutuntur, ut
patet de malis sacerdotibus, sed non sine
grandi peccato.
Denique, ne isti erronei æstimarent Apo-

A stolum non esse facturum quum præsens
adesset, quod absens minabatur, dicendo
se potentem et promptum ulcisci omnem
inobedientiam : ne igitur ita sentirent,
adjunxit : *Ut autem non existimer* ab in- 9
correctis et falsis, *tanquam terrere vos
per epistolas,* id est in epistolis meis ad
vos missis verba minatoria miscere, quæ
non audebo præsens implere (nam hoc
mihi imponunt) ; *quoniam quidem episto-* 10
læ meæ, *inquiunt* illi detractores, *graves
sunt et fortes,* id est minaces, et intellectu
B difficiles, atque verbosæ, *præsentia au-
tem corporis infirma,* id est, nos ipsi cor-
poraliter præsentes, impotentes et timidi
sumus, non audentes exercere rigorem,
sed adulantes, *et sermo* noster *contempti-
bilis,* id est non rhetoricus, nec humanis
argumentis firmatus, sed simplex et nu-
dus, nil probans ; *hoc cogitet qui ejus-* 11
modi est, id est qui talia nobis imponit,
quia quales sumus verbo per epistolas,
id est in epistolis, dum sumus *absentes,
tales* erimus *et præsentes, in facto,* id
C est, opere exsequemur quæcumque mi-
namur, et nos facturos prædicimus in
epistolis vobis transmissis.
Non enim audemus salva conscientia, 12
inserere, id est connumerare, *aut compa-
rare,* id est vere pares asserere, *nos, qui-
busdam qui semetipsos commendant* ob
propriam laudem et aliorum deceptionem,
videlicet ambitiosis et pseudoapostolis, qui
potestatem sibi usurpant, et delinquenti-
um vitia palpant. Si enim diceremus nos
eis pares aut similes, mentiremur. *Sed*
D nos *ipsi in nobis,* id est in consideratione
et examine mentis nostræ, sumus *nosmet-
ipsos metientes* seu mensurantes, id est,
nos ipsos diligenter discutimus, gratiam-
que nobis collatam perpendimus, ne præ-
fixos nobis terminos transgrediamur, et Deut. xix, 14 ; Prov.
plus justo nos ipsos jactemus, *et sumus* xxii, 28.
comparantes nosmetipsos nobis, id est,
moderate et sobrie de nobis sentimus,
propriamque mensuram pensamus.
Nos autem non in immensum gloria- 13
bimur, id est, ultra terminum nobis divi-

nitus præstitutum nihil præsumimus, *sed*
gloriamur, et gloriando exercemus nostræ
prædicationis officium, *secundum mensu-*
ram regulæ, id est secundum extensio-
nem ordinationis divinæ, quæ omnium
rerum prima regula est; *quam* mensu-
ram seu extensionem *mensus est nobis*
Deus, id est, perambulandam præfixit sa-
pientia Dei : cujus nutu missi sunt singu-
li Apostolorum ad certas determinatasque
gentes, de quarum conversione gloriaren-
tur in Domino. Ideo subditur : *mensuram*
pertingendi usque ad vos : quia ex divi-
na revelatione perrexit Apostolus Corin-
14 thum. *Non enim quasi non pertingentes*
ad vos, ad quorum conversionem desti-
nati sumus, *superextendimus nos,* id est,
ultra præscriptum a Deo terminum non
tendimus. *Usque ad vos enim pervenimus*
in Evangelio Christi, id est in prædicati-
one evangelica. Non tamen dumtaxat us-
que ad Corinthum venit, quippe qui ad
Rom. xv, 19. Illyricum mare per circuitum Evangelium
Christi replevit.

15 *Non in immensum,* id est sine debito
moderamine, *gloriantes in alienis labo-*
ribus, id est in prædicatione et conver-
sione aliorum, quasi illos labores nobis
attribuamus, vel de conversis per alios
principaliter gloriemur ; sed gloriamur de
nostro labore in vestri conversione; *spem*
autem habentes crescentis fidei vestræ, id
est, profectum sumus sperantes de fide
vestra crescente et proficiente de uno vir-
tuoso actu in alium. Quis autem sit iste
profectus speratus (qui dicitur spes, su-
mendo spem pro bono sperato), subjun-
gitur : *in vobis magnificari,* id est in
cordibus vestris tales esse seu cognosci,
quales veraciter sumus, ne posthac vili-
pendamur a vobis ; vel, In vobis, id est
per vos magnificari apud alios, quibus

A ex vestri conversione ac perfectione inno-
tescit nos esse veros Dei apostolos : magni-
ficari autem *secundum regulam nostram,*
id est secundum mensuram, proportionem
seu modum gratiæ nobis collatæ, ne quis
nos altiores putet quam sumus; *in abun-*
dantia, id est in copiosa ac fervida prom-
ptitudine animi, parati sumus *etiam in* 16
illa quæ ultra vos sunt loca *evangeliza-*
re, id est gentibus valde distantibus præ-
dicare, *non in aliena regula,* id est men-
sura seu plebe aliis commissa, videlicet
B *in his quæ præparata sunt,* id est per
prædicationem aliorum ad fidem conver-
sa, *gloriari* inaniter. Non enim in illis
gloriabatur Apostolus, sicut nunc dictum
est, sed de iis qui suæ sorti contigerant.
Unde Romanis dixit : Sic autem prædicavi *Rom.* xv,
Evangelium hoc, non ubi nominatus est 20.
Christus, ne super alienum fundamentum
ædificarem.

Qui autem gloriatur, in Domino, id 17
est secundum doctrinam et voluntatem I *Cor.* I, 31; *Jer.* IX, 23,
Domini, *glorietur,* omnia bona ad Deum 24.
C referendo finaliter. Vel, In Domino, id est
in contemplatione ac dilectione divina :
imo in omni actu virtuoso lætandum est.
Hoc modo gloriabatur Virgo benedicta, di-
cendo : Exsultavit spiritus meus in Deo *Luc.* I, 47.
salutari meo. Et Habacuc : Ego, inquit, *Habac.* III,
in Domino gaudebo, et exsultabo in Deo 18.
Jesu meo. Debemus quoque gloriari in
Domino, congratulando totis præcordiis di-
vinæ beatitudini ac perfectioni. *Non enim* 18
qui se ipsum commendat ob propriam
laudem, *ille probatus* justus vel appro-
D batus *est* coram Deo et discretis personis,
sed reprobatus : quoniam Salomon ait,
Laudet te alienus, et non os tuum ; *sed* *Prov.* XXVII,
probatus est quem Deus commendat, id 2.
est, laude dignum judicat, seu commen-
dabilem facit per virtutes et signa.

ARTICULUS XI

ELUCIDATIO CAPITULI UNDECIMI : UTINAM SUSTINERETIS MODICUM QUID INSIPIENTIÆ MEÆ.

COMPLETA excusatione Apostoli, qua
se excusavit de malis sibi a pseudo-
apostolis impositis, nunc invehitur con-
tra illos. Et primo petit se patienter au-
1 diri a suis. *Utinam sustineretis modicum
quid insipientiæ meæ,* id est, utinam æqua-
nimiter audiretis paululum verba mea,
quibus laudo me ipsum : quod esse vi-
detur insipientis, et ab aliquibus fatuum
Prov. xxvii, 2. reputatur, quum dicat Scriptura, Laudet
te alienus, et non os tuum. Quocirca sci-
endum, quod moralia, quum versentur
circa particularia, mutabilia sunt, atque
mutanda secundum diversitatem locorum,
causarum, temporum et personarum. Id-
circo de eis tam certæ regulæ dari non
possunt, quin vicissim patiantur instan-
tiam propter rationabilem causam : quod
viri eruditi attendunt, non autem indo-
cti. Unde quum aliquid fit a justo vel
sapiente, quod contrariari videtur verbis
regularum moralium, quamvis intentio-
ni earum non repugnet, indiscreti ac sto-
lidi judicant illud illicitum. Quum ergo
Scriptura prohibeat laudare se ipsum, in-
sipientiæ est semper secundum opinio-
nem stultorum, ut quisquam laudet se
ipsum. Ideo dicit Apostolus, se optare ut
sustineant modicum insipientiæ suæ secun-
dum æstimationem indiscretorum : quod
tamen, secundum veritatem, erat magnum
quid sapientiæ. Salomonis enim verbum
intelligendum est, quando occultatio pro-
priæ laudis non vergit in præjudicium
veritatis, nec in detrimentum salutis pro-
ximorum, nec in honoris divini dispen-
dium : et ob has causas Paulus commen-
davit se ipsum. Simili modo solvitur quod
Apostolus in suis epistolis toties suos lau-
dat discipulos, quum tamen in Ecclesia-
A stico scriptum sit : Ante mortem ne lau- Eccli. xi, 30.
des hominem quemquam.

Sed et supportate me, id est, patienter
auscultate quæ dico, et ferte me sicut
decet prælatum supportari a subditis suis.
Et merito me supportare debetis : *Æmu-* 2
lor enim vos, id est, ardenter diligo, non
qualitercumque, seu carnali affectione,
sed *Dei æmulatione,* id est sincero ac
deiformi amore, videlicet ad hunc finem
ad quem vos amat Deus, ut consequami-
ni vitam æternam. — Denique, Æmulari,
B multis modis accipitur : Primo, pro in-
dignatione, juxta illud Ezechielis : Erat Ezech. viii, 3.
idolum zeli ad provocandum æmulatio-
nem. Secundo, pro rancore, ut ad Roma-
nos Paulus : Non in contentione et æmu- Rom. xiii, 13.
latione. Tertio, pro desiderio boni nondum
adepti, sicut dictum est supra : Æmula- I Cor. xii, 31.
mini charismata meliora. Quarto, pro dile-
ctione, ut ibi : Fortis est ut mors dilectio, Cant. viii, 6.
dura sicut inferus æmulatio. Quinto, pro
inordinato amore, ut est illud Apostoli :
Æmulantur vos non bene. Sexto, pro imi- Galat. iv, 17.
C tatione, juxta illud : Bonum æmulamini Ibid. 18.
in bono semper.

Quod autem æmuler vos, patet : *Despon-
di enim* annulo fidei, id est, spirituali
matrimonio junxi, *vos* omnes fideles, *uni
viro,* videlicet Christo, *virginem castam
exhibere Christo,* id est ad hoc ut exhi-
beam vos Christo sponsam ac virginem
illibatam. Omnes enim fideles caritate con-
nexi, sunt una sponsa Christi unaque virgo
spiritualiter, propter integræ fidei unita-
tem. Carnis namque virginitas, est inte-
D gritas corporis a contagione carnali; vir-
ginitas cordis, est fides incorrupta. Unde
apud Osee Dominus loquitur : Sponsabo Osee ii, 20.
te mihi in fide. Ideo singulariter dixit,

Virginem, propter unitatem catholicæ fi-
dei, solidæ spei, atque amoris divini. Hu-
jus conjunctionis internæ ac matrimonialis
inter Christum et Ecclesiam paranymphus
erat Apostolus, tanquam Sponsi secreta-
rius et amicus.

Consequenter præmonet Apostolus Co-
rinthios contra futura pericula, scilicet ne
recidivent, vel tentationibus superentur.
3 *Timeo autem, ne sicut serpens,* id est dia-
Is. xxvii, 1. bolus : de quo in Isaia legitur, Visitabit
Dominus super Leviathan serpentem tor-
tuosum; *Evam* in paradiso *seduxit astu-*
Gen. iii, 4, 5. *tia,* id est calliditate *sua,* dicens : Nequa-
quam moriemini, sed eritis sicut dii; *ita*
corrumpantur sensus vestri, id est, in-
tellectus vestri mendaciter informentur a
pseudodoctoribus et pestiferis, *et excidant*
a simplicitate, id est a pura fide et sim-
plici veritate, *quæ est in Christo,* sicut in
causa atque magistro; vel, Est in Chri-
sto, quoniam est secundum beneplacitum
ejus, et complacet ei. Timeo ergo ne de-
cipiamini a falsis doctoribus, sed non de-
4 betis eos advertere : *Nam si is* fallax *qui*
venit, id est, vos accedit gratia informan-
di, *alium Christum,* id est excellentiorem
salvatorem, *prædicat* vobis *quem non præ-*
dicavimus : quod esse non potest, quum
Christum dicamus Deum verum; *aut ali-*
um spiritum meliorem *accipitis* per præ-
dicationem falsam, *quem non accepistis*
ex prædicatione nostra : quod esse non
potest, quia per nostram prædicationem
vobis est datus Spiritus Sanctus verus
Deus; *aut aliud,* id est salubrius, *evan-*
gelium recipitis ab illo fallaci, *quod non*
recepistis : quod esse non valet; *recte pa-*
teremini, id est, tunc merito sustinere-
tis doctrinam illorum fallacium. Sed ita
non est :

5 *Existimo enim nihil me minus fecisse,*
docendo, miracula operando, gratiam Spi-
ritus Sancti vobis impetrando, *a magnis,*
id est veris *Apostolis :* et per consequens
præferendi mihi non sunt pseudoaposto-
6 li. *Nam et si* ego *imperitus* sum *sermone,*
id est ignarus humanæ eloquentiæ, præ-
A sertim in lingua peregrina; *sed non sci-*
entia imperitus sum, quum sim in divinis
Scripturis eruditus, non solum humana
instructione ad pedes Gamalielis, sed mul- *Act.* xxii, 3.
to copiosius ex illuminatione divina in
raptu meo usque ad tertium cœlum. Sed II *Cor.* xii, 2.
videtur Apostolus agere contra id quod
ipse alios docuit, dicens : Qui se existi- I *Cor.* viii, 2.
mat aliquid scire, nondum scit quemad-
modum oporteat eum scire. Et Salomon
ait : Vidisti hominem sapientem sibi vi- *Prov.* xxvi, 12.
deri? magis illo spem stultus habebit. Et
B respondendum, quod hæc atque similia
ideo dicuntur, quia non debet aliquis sa-
piens esse in oculis propriis, adscribendo
sibi quod habet, sed solum in Domino.
In omnibus autem verbis et factis *mani-*
festatus sum vobis, id est, experimento di-
dicistis, qualis sim, et quantam a Domino
sortitus sim gratiam, in docendo, conver-
sando, et signa agendo.

Deinde ostendit Apostolus, quod propter
suam humilitatem non debeat vilipendi.
Aut numquid peccatum feci, me ipsum 7
C *humilians,* id est, inferioribus me con-
formans, propriis manibus laborando, et I *Cor.* iv, 12.
non tanquam prælatus de bonis vestris
vivendo, *ut vos exaltemini,* id est, profe-
ctum sumatis in gratia, ædificati meæ hu-
militatis ac agilitatis exemplo? Humiliavi
autem me, *quoniam gratis,* id est sine
acceptione temporalis commodi, *Evange-*
lium Dei evangelizavi vobis. Alias autem 8
Ecclesias exspoliavi accipiens stipendium,
id est, a ceteris fidelium cœtibus multa
accepi stipendia vitæ, *ad ministerium ve-*
D *strum,* id est ad hoc ut vobis liberius præ-
dicare possem. *Et quum essem apud vos,* 9
et egerem victu, *nulli* vestrum *onerosus*
fui, aliquid exigendo vel recipiendo a vo-
bis. *Nam quod mihi deerat* pro sustenta-
tione vitæ, consumptis his quæ ab aliis
Ecclesiis cepi, *suppleverunt,* id est, mihi
dederunt, *fratres qui venerunt* ad me *a*
Macedonia : a quibus tanquam a bene cor-
rectis aliquid accepi, præsertim ne trista-
rentur et fructu eleemosynæ privarentur,
si nihil ab eis sumpsissem. *Et in omnibus*

diebus atque negotiis, *sine onere me vobis* A
servavi, a receptione stipendiorum vestro-
rum seu sumptuum abstinendo, *et ser-*
10 *vabo* in posterum. *Est veritas Christi in*
me, id est, per veritatem Christi in me
exsistentem hoc assero, *quoniam hæc glo-*
ria, id est ista perfectio et bona glori-
atio, scilicet quod prædicavi vobis sine
gravamine vestro, *non infringetur,* id est,
non tolletur neque deficiet, *in me in re-*
gionibus, id est Ecclesiis, *Achaiæ* : cujus
metropolis est Corinthus.
11 *Quare?* id est, cur hoc ago et agam? an
ideo *quia non diligo vos? Deus scit* quod
non facio ideo. Unde constat quod inter-
dum ad dilectionem pertineat, aliquid ab
alio capere; ad odium vero, nil velle re-
12 cipere. *Quod autem facio, et faciam,* ser-
vando me vobis sine onere, ideo facio, *ut*
amputem occasionem eorum qui volunt
occasionem, id est, studium pseudoaposto-
lorum impediam, qui quærunt occasionem
aliquid acquirendi a vobis meo exemplo.
Unde si viderent me vestris stipendiis sus-
tentari, ipsi audaciam sumerent multa exi-
gendi a vobis. Amputo ergo occasionem
eorum, *ut in quo gloriantur,* id est in
apostolatu, de quo se inaniter jactant, *in-*
veniantur sicut et nos, id est similes no-
bis sint, nil accipiendo a vobis, sicut et
nos nihil accipimus. Quod autem inaniter
gloriantur de suo officio, patet :
13 *Nam ejusmodi pseudoapostoli, sunt ope-*
rarii subdoli, id est fallaces ministri,
transfigurantes se sunt *in Apostolos Chri-*
sti, id est, speciem religionis assumunt,
sanctitatem simulant, et per exteriorem
apparentiam ostentant se ac si essent ve-
14 ri Apostoli. *Et non mirum* est hoc : *ipse*
enim Satanas princeps illorum, *transfi-*
gurat se in angelum lucis, id est, in si-
Is. IX, 6, militudine Christi Angeli magni consilii,
juxta LXX. seu alterius cujuscumque angelici spi-
ritus, se ostendit, quantum ad formam
assumptam. Multa quoque vera et bona
suggerit, quatenus credatur missus a Deo,
et fallat. Ideo per alium Apostolum dici-
I *Joann.* IV, 1. tur : Nolite omni spiritui credere, sed pro-

bate spiritus, si ex Deo sunt. *Non est er-* 15
go magnum, id est multum mirandum, *si*
ministri ejus, id est homines seductores,
transfigurentur, id est, sanctitatis speci-
em exterius induant, *velut* sint *ministri*
justitiæ. Quorum ministrorum, tam Chri-
sti quam Satanæ, *finis,* id est retributio
finalis, *erit secundum opera ipsorum.*
Iterum dico quod dixi superius, scili- 16
cet, Supportate me, et, Utinam sustine-
retis modicum quid insipientiæ meæ; *ne*
quis me putet insipientem, dum de spiri-
B tualibus gratiis mihi collatis glorior, quum
non inaniter glorier, sed in Domino, ad
ædificationem proximorum. *Alioqui,* id
est, si non sustinetis me in spiritualibus
gloriantem, *velut insipientem accipite me*
gloriantem in carnalibus, secundum mo-
dum dicendum : quæ gloriatio videtur ma-
gis insipiens, quam illa quæ de spiritua-
libus est, quamvis nulla earum in me fuit
vana ac stulta, sed propter efficacem cau-
sam assumpta. Sic ergo accipite me, *ut*
et ego modicum quid glorier secundum
C carnem, seu de his quæ carnis generosi-
tatem concernunt : quæ gloriatio modica
est. *Quod loquor* de nobilitate nostra se- 17
cundum carnem, *non loquor,* id est, lo-
qui non videor, *secundum Deum,* id est
sapienter et juste, quia speciem stultitiæ
habet laudare se ipsum, *sed quasi in in-*
sipientia, id est per modum vanitatis at-
que stultitiæ loquor, secundum apparen-
tiam superficialem, quando finis interior
non pensatur, *in hac substantia,* id est
exsistentia seu materia, *gloriæ* hujus.
D Cur autem Apostolus voluerit secundum
carnem gloriari, subjecit. *Quoniam multi* 18
falsi atque pestiferi *gloriantur secundum*
carnem, id est carnaliter, seu de his quæ
carnis dignitatem respiciunt, ut sunt no-
bilitas generis, conditionis libertas; *et ego*
gloriabor de iisdem, non tamen eodem fi-
ne quo illi, sed ne a vobis æstimer illis
inferior, sicque contempto me, propriæ
salutis patiamini detrimentum. Gloriabor
ergo hoc modo, non obstante quod vide-
atur inane et stultum.

19 *Libenter enim suffertis insipientes, quum sitis ipsi sapientes.* Locus iste dupliciter explanatur. Primo sic : *Libenter,* id est caritative ac prompte, sine omni murmuratione, *suffertis insipientes,* id est homines passionatos, vitiosos, ac indoctos, æquanimiter patiendo importunitatem eorum in verbis et factis. Unde Salomon
Prov. xxvi, 4. loquitur : Ne respondeas stulto secundum stultitiam suam, ne efficiaris ei similis ;
Eccli. viii, 4, 5. et iterum alius, Non litiges cum homine linguato, nec communices homini indocto. Hos ergo libenter suffertis, *quum sitis ipsi sapientes,* id est virtutibus eruditi secundum Christi doctrinam. Hoc enim ad veram sapientiam pertinet, ut insipientes tolerentur, nisi eorum perversitas noceat bono communi, aut propter excessum intolerabilis fiat. Verumtamen quidam, non ex caritate et humilitate, sed ex superbia et vanitate sufferunt insipientes : quia quum aliquid ab eis patiuntur, mox reputant eos stultos ac miseros, et indignum judicant ut se tam vilibus opponant, vel eos respiciant aut affentur. Hi insipientiores sunt his quos reputant insipientes. — Porro, quod libenter sustineatis in-
20 sipientes, hinc constat : *Sustinetis enim* lætanter pro Christi amore præmioque futuro, *si quis vos in servitutem redigit,* id est, suo dominio subjicit : sicut frequenter in primitiva Ecclesia infideles tyranni redegerunt fideles in servos et famulos. Sustinetis insuper *si quis devorat,* id est, bona vestra consumit, *si quis accipit,* id est, vestra rapit, vel vos ipsos comprehendit : quemadmodum de quibusdam
Mich. iii, 3. Dominus apud Prophetam protestatur, Comederunt carnem populi mei, et pellem desuper excoriaverunt ; *si quis extollitur,* id est, vobis se præfert, vel superba verba contra vos profert ; *si quis in faciem vos cædit* alapas dando : impletis enim
Matth. v, 39. illud in Evangelio, Si quis te percusserit in unam maxillam, præbe ei et alteram.
21 *Secundum ignobilitatem dico* vos hæc sustinere, id est, hæc tanta sustinetis, tanquam ignobiliores injuriatoribus vestris, de carnis nobilitate lætantibus, *quasi nos infirmi fuerimus in hac parte,* id est, sic ista sustinetis ab illis, quasi nos illis ignobiliores essemus : quod ita non est, sicut patebit.

Secundo, et magis quidem ad litteram, exponitur sic : *Libenter suffertis insipientes,* id est pseudoapostolos inaniter se commendantes, quorum verba et opera suffertis, *quum sitis ipsi sapientes.* Ironice loquitur, ut confundantur ad pœnitentiam. Stulte quippe egerunt, sustinendo hujusmodi pestilentes. *Sustinetis enim, si quis* pseudoapostolus *vos in servitutem redigit,* id est, a libertate ac dilectione evangelicæ legis, in observantias legis scriptæ vos transfert, prædicando oportere utramque legem omnino servare, ut fallaces ; *si quis* illorum falsorum *devorat, si quis accipit* vestra : sicut de Pharisæis ait Salvator, quod devorabant domos vi- *Marc.* xii, 40.
duarum sub obtentu prolixæ orationis ; *si quis* illorum *extollitur* contra vos, jactans se natum de semine Patriarcharum, et esse circumcisum, vos vero fuisse idololatras, et incircumcisos jam esse. Quæ autem sequuntur, exponuntur sicut jam patuit.

Denique, quod falsi isti non fuerint excellentiores Apostolo, etiam in carnalibus, de quibus inaniter gloriabantur, ostenditur. *In quo quis audet,* id est, in quo aliquis illorum pseudoapostolorum se laudare præsumit,* *audeo et ego* me collaudare, *[in insipientia dico,]
non tamen eo fine quo illi (ut dictum est).
Hebræi sunt lingua et natione, *et ego* si- 22
militer. *Israelitæ sunt,* id est de tribu Jacob, qui alio nomine appellatus est Is- *Gen.* xxxii, 28; xxxv, 10.
rael, *et ego* Israelita sum. *Semen Abrahæ sunt,* id est, carnales, non spirituales filii Abrahæ sunt, *et ego* utroque modo Abra-
hæ filius sum. *Ministri Christi sunt,* se- 23
cundum apparentem sanctitatem et suam præsumptionem, non autem secundum veritatem ; *et ego* verus Christi minister sum. *Ut minus sapiens,* id est per modum stultioris, *dico, plus ego,* id est, perfectior sum Christi minister quam illi : quod tamen dicere, videtur ad insipien-

tiam pertinere. Ideo dico hoc ut minus
sapiens, quamvis secundum veritatem, sa-
pienter loquar et salubriter agam, ita me
commendando : sicut jam dictum est sæ-
pius.
Sum ergo minister Christi plus illis :
Primo, *in laboribus plurimis,* quia pro
Christi amore et proximorum conversio-
ne plus pseudoapostolis laboravi, imo et
I Cor. xv, 10. plus veris Apostolis, juxta illud : Plus
omnibus laboravi ; *in carceribus abun-
dantius,* id est, frequentius et durius quam
illi fui incarceratus; *in plagis,* id est vul-
neribus flagellorum mihi inflictis, *supra
modum* humanæ virtutis seu ultra men-
suram aliorum ; *in mortibus,* id est gra-
vissimis pœnis seu mortis periculis, fui
frequenter. Plagas vero describit, adjun-
24 gens : *A Judæis* obstinatis ac perfidis
quinquies, id est quinque vicibus, *qua-
dragenas* plagas seu percussiones, *una
minus,* id est una percussione subtracta,
accepi, id est triginta novem. Erat nem-
pe, Deo jubente, præceptum per Moysen,
Deut. xxv, 2, 3. ut si quis aliquid dignum plagis commit-
teret, prosterneretur, et coram adstantibus
flagellaretur, ita ut pro mensura peccati
esset et modus plagarum : sic tamen ut
quadragenarium numerum non excederet,
ne fœde laceratus frater, ante aliorum
conspectum jaceret. Ne ergo Judæi vide-
rentur crudeles, dederunt Apostolo non
quadraginta, sed triginta novem plagas.
25 *Ter virgis cæsus sum* a gentilibus : sicut
Act. xvi, 22. in Actibus Apostolorum partim describi-
tur ; *semel lapidatus sum* Lycaoniæ a Ju-
Ibid. xiv, 18. dæis, quando me traxerunt extra civita-
tem, æstimantes me mortuum : prout in
Actibus legitur ; *ter naufragium feci,* id
est sustinui ; *nocte et die in profundo
maris,* id est in alto aquarum multa-
26 rum, *fui* tempestate detentus; *in itineri-
bus* pro Christo fui *sæpe,* in quibus ta-
men sunt multæ insidiæ. Multa enim spa-
tia perambulavit Apostolus, disseminando
verbum Dei.
Ostensus sum quoque servus Christi
præ ceteris : *periculis fluminum, pericu-*

A *lis latronum,* id est sustinendo pericula
mortis in fluminibus et a latronibus ; *pe-
riculis ex genere,* periculis in civitate,* *[periculis ex gentibus,]
periculis in solitudine, id est sustinendo
pericula a Judæis, de genere meo exsi-
stentibus, pericula etiam civium contra
me insurgentium, atque pericula a bestiis
eremi quam perambulavi ; *periculis in
mari, periculis in falsis fratribus,* id est
sufferendo discrimina mortis, non solum
ex parte maris, sicut prædixi, sed etiam
ab his qui versantur et insidiantur in ma-
B ri, ut sunt piratæ ; patiendo item peri-
cula varia a simulatis fidelibus, puta hæ-
reticis, hypocritis et dolosis. De qualibus
in Jeremia dicitur : Sagitta vulnerans lin- Jer. ix, 8.
gua eorum, et in ore suo pacem cum
amico suo loquitur, et occulte ponit ei
insidias.
Insuper fui plus ceteris servus Christi :
in labore manuum mearum, de propriis 27
laboribus victum ac necessaria procuran- I Cor. iv, 12; I Thess. ii, 9; II Thess. iii, 8.
do, *et ærumna,* id est inopia seu languo-
re ; *in vigiliis multis :* paucissimo enim
C tempore dormivit Apostolus, sed die ac
nocte insistebat divinis ultra omnem fa-
cultatem humanam ; *in fame et siti, in
jejuniis multis, in frigore et nuditate.*
Omnia enim incommoda ista afflictiones-
que corporis patiebatur Apostolus : non
quod penitus nudus incesserit, nisi forte
ab aliquibus spoliatus, sed quia vestimen-
torum penuriam passus sit : quia etsi ali-
quid boni habuisset, dedisset illud egenis.
Hæc itaque passus sum, *præter,* id est 28
ultra, *illa quæ extrinsecus sunt,* id est,
D quæ ex parte aliorum me cruciant, *in-
stantia mea quotidiana,* id est, quæ mihi
assidue instant atque occurrunt ex con-
sideratione proximorum, quibus compa-
tior, et pro quibus sollicitor. Ideo sub-
ditur : *sollicitudo omnium Ecclesiarum,*
quia ex fervida caritate de omnium salute
sollicitor sicut de propria. Sollicitudo au-
tem mentem affligit. *Quis infirmatur* in 29
anima, titubando in fide vel ceteris donis
gratuitis, *et ego non infirmor,* id est, non
affligor, ejus defectibus cordialiter com-

patiendo, sicut perfecta requirit dilectio? A
Quis scandalizatur, id est, ad ruinam pec-
cati inducitur ex verbo vel facto alterius
inordinato, *et ego non uror,* id est, flam-
ma caritatis accendor in compassione il-
lius, et desiderando reparationem ipsius?
30 *Si gloriari oportet,* id est, quia necesse
est me gloriari de bonis mihi concessis,
ad vestri informationem, ne me pseudo-
apostolis inferiorem putetis; *quæ infir-
mitatis meæ sunt,* id est de his quæ mihi
conveniunt ex parte passibilitatis et hu-
militatis meæ, *gloriabor* in Domino, ut- B
puta de tribulationibus quas pro Christo
sustinui, non de nobilitate prosapiæ aut
sublimitate potentiæ, de quibus pseudo
illi apostoli se jactant.

Consequenter tangit Apostolus quam-
dam, quam passus est, specialem perse-
cutionem, de qua gloriatur in Domino.
Præmittitque juramentum, ut firmius si-
bi credatur : loquebatur enim tardis ad
31 credendum. *Deus et Pater Domini nostri
Jesu Christi,* id est Pater æternus, qui
est Deus Christi secundum naturam as- C
sumptam, et Pater ejus secundum natu-
ram divinam, *scit,* quem nihil latet, *qui
est benedictus in sæcula,* id est in sem-
piternum laudatus, *quod non mentior* in
32 his quæ dixi et dicam, videlicet : *Dama-
sci præpositus gentis Aretæ regis,* id est
præpositus civitatis Damascenæ, videlicet
gentis Aretæ regis, id est populi subjecti
Aretæ regi, sub quo iste præpositus re-
xit Damascum. Sumit autem Apostolus ur-
bem pro habitatoribus ejus, puta Dama-
scum pro gente in Damasco morante, ac D
subdita regi Aretæ. Hic ergo præpositus
custodiebat civitatem Damascenorum, id
est, ad instantiam et propter munera Ju-
dæorum custodiri fecit portas Damasci ne
exirem, *ut me comprehenderet* in civitate
latentem; *et per fenestram* domus muro 33
adhærentis, *in sporta dimissus sum* a di-
scipulis, *per murum* civitatis, *et sic effugi
manus ejus.* Hoc etiam modo Michol di- I *Reg.* xix, 11, 12.
misit David, et Rahab nuntios Josue. *Josue* ii, 15.

Patet ergo non esse contemnendum hu-
manum auxilium, quamdiu ordinate et
congrue haberi potest, quamvis sem-
per in Domino sit sperandum, præsertim
quum et virtus humani auxilii a Deo de-
pendeat. Debet enim homo facere quod
in se est, nec ante recurrendum est ad
solum Dei suffragium, nisi quum deficit
humanum. Imo non debet quisquam ex-
spectare divinum auxilium, dum habet
quod agat, ne Deum tentare videatur. Sic
Ezechias piissimus videns se regi Assy-
riorum prævalere non posse, totum se
contulit ad rogandum Dominum, ut le- IV *Reg.* xix, 14-19.
gitur in libro Regum. Nihilo minus fecit
quod in se erat, imo quidquid sibi pos-
sibile fuit, obstruendo fontes, faciendo- II *Par.* xxxii, 2-8.
que machinas. Unde Deus, qui Paulum
usque ad tertium cœlum rapuit, poterat II *Cor.* xii, 2.
eum aliter liberare a prædicti manu præ-
positi, quam per fenestram et sportam;
sed sic eum eripuit, ut instruamur non
deserere humana præsidia, nec sine neces-
sitate ad solum Dei convolare auxilium.

Hanc persecutionem est in Damasco pas-
sus Paulus, statim post sui conversionem, *Act.* ix, 23-25.
ut patet in Actibus Apostolorum.

ARTICULUS XII

EXPOSITIO CAPITULI DUODECIMI : SI GLORIARI OPORTET, NON EXPEDIT.

DECLARAVIT Apostolus excellentiam suam, in superiori capitulo, per mala quæ pertulit. Jam ostendit eamdem per
1 specialia bona sibi concessa, et ait : *Si gloriari oportet,* id est, quia necesse est ut gloriando commendem me ipsum ad Dei honorem, ut reprimam gloriam illorum pseudodoctorum, et fideles ædificationem recipiant; *non expedit quidem* se
Prov. xxvii, 2. ipsum laudando gloriari, secundum apparentiam et quorumdam opinionem, vel secundum legem communem (sicut jam sæpius dictum est), tamen propter rationabilem causam expediens est. *Veniam autem,* id est, describendo procedam, *ad visiones et revelationes Domini,* id est divina secreta quæ vidi mente ac intellexi.

Visio autem et revelatio sæpe pro eodem sumuntur. Interdum vero distinguuntur : ut visio appelletur, quum aliqua repræsentantur visione corporali vel imaginaria, quorum significatio ignoratur :
Gen. xli; *Dan.* ii. quemadmodum Pharao vidit boves et spicas, et Nabuchodonosor statuam, significationes vero Danieli et Joseph revelatæ fuerunt. Porro revelatio dicitur, quando significatio ostensæ veritatis innotescit, instruente Spiritu Sancto per se ipsum vel angelum. Unde quum in revelatione seu manifestatione divina sint duo, videlicet signum et signatum, visio refertur ad signum, revelatio ad signatum. Visio itaque et revelatio sic sumpta, interdum separantur, sicut in Pharaone et Joseph ; interdum sunt simul, sicut in omnibus pene
Dan. x, 1. Prophetis : intelligentia enim opus est in visione.

2 *Scio hominem in Christo* per fidem et caritatem stabilitum, videlicet me ipsum.

A Consuetudo autem est viris sanctis, quum aliquid magnificum de se ipsis conscribunt aut asserunt, non exprimere proprium nomen, sed loqui de se ipsis velut de aliis. Scio itaque hominem *ante annos quatuordecim,* qui lapsi sunt a tempore revelationis usque ad horam enarrationis præsentis. Unde tenendum videtur, quod raptus de quo jam sermo est, fuit statim in ipsa conversione Pauli, quum triduo erat cæcus, non manducans neque *Act.* ix, 8, 9. bibens. *Sive in corpore, sive extra cor-*
B *pus, nescio,* id est, an homo iste tempore hujus revelationis seu raptus, fuit vivens in corpore, anima exsistente in corpore per suam essentiam, an anima ejus fuit realiter a corpore separata, et substantialiter in cœlum tertium sublevata, ac denuo corpori reunita, visione cessante, hoc nescio. *Deus scit* quomodo fuerat ; vel, Deus scit quod veraciter dico me istud nescire. Sciebat autem Apostolus corpus suum mansisse in terra, sed de anima sua dubius fuit an erat in cœlo solum
C per contemplationem, an per essentiam tanquam a corpore separata. Scio ergo *raptum* in spiritu supernaturaliter atque fortissime *hujusmodi usque ad tertium cœlum,* id est cœlum empyreum, quod est locus Beatorum. Et dicitur empyreum, quasi igneum, non a calore, sed splendore. Vocaturque tertium, respectu octavæ sphæræ, quæ dicitur firmamentum, seu cœlum sidereum, et cœli crystallini seu aquei, quod secundum philosophos dicitur nona sphæra.

D Quidam exponunt hos cœlos spiritualiter : ut per primum cœlum intelligatur visio corporalis divinitus facta, qua unus videt quod alius adstans videre non po-

Dan. v, 5. test, quemadmodum Balthasar vidit articulos manus in pariete scribentis : quæ visio dicitur cœlum, quia in ea uni celatur, quod alteri revelatur. Secundum autem cœlum est visio imaginaria, quando in somno vel ecstasi videntur imagines *Act.* x, 10, 11. corporales, non corpora : sicut Petrus vigilando in ecstasi vidit vas quoddam, et *Gen.* xli, 1 *et seq.* Pharao dormiens vidit boves. Tertium cœlum est visio pure intellectualis, qua nec corpus, nec corporis species cernitur, sed in contemplatione divinorum anagogica, mens ipsa supernaturaliter figitur. Juxta quem modum Paulus in raptu vidit Deum : vidit enim divinam essentiam clare et immediate, seu facie ad faciem, atque per speciem, sicut Beati in patria, prout Augustinus testatur in libello de Videndo Deum ad Paulinam. Unde certissimum est, quod Paulus tunc non vixit sicut homo, seu vita sensitiva naturali atque humana, eo quod Dominus dicat ad *Exod.* xxxiii, 20. Moysen : Non videbit me homo et vivet. Nam etsi anima ejus mansit in corpore, tamen suspensa et abstracta erat ab omni actione interiorum exteriorumque sensuum.

Quidam insuper per primum cœlum intelligunt infimam hierarchiam, in qua sunt Angeli, Archangeli, Principatus. Per secundum cœlum, mediam hierarchiam, in qua sunt Potestates, Virtutes et Dominationes. Per tertium, summam, in qua sunt Throni, Cherubim et Seraphim. Dicunt ergo Apostolum raptum usque ad tertium cœlum, id est usque ad æqualitatem cognitionis angelorum summæ hierarchiæ, ita ut tam clare viderit Deum quam illi. — Postremo nonnulli per primum cœlum intelligunt cognitionem cœlestium orbium ; per secundum, cognitionem cœlestium animorum ; per tertium, notitiam divinarum Personarum, ad quarum contemplationem raptus est Paulus : nec dubium quin alia quoque vidit in Deo.

3 *Et scio hujusmodi hominem, sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus*
4 *scit : quoniam raptus est in paradisum,* id est in prædictum tertium cœlum spirituale seu corporale : quod dicitur paradisus, ratione dulcedinis et tranquillitatis quæ ibi sentitur. De quo paradiso scriptum est in Apocalypsi : Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei. *Apoc.* ii, 7. Loquitur autem Apostolus de paradiso terrestri, ut aliqui opinantur, dicentes Apostolum bis raptum fuisse, semel in cœlum tertium, et semel in paradisum, quando videlicet ingressus est templum Dei, de quo dicebat : Factum est, inquiens, revertente me in Jerusalem, *Act.* xxii, 17. et orante in templo, fieri me in excessu mentis. Et isti sequuntur Ambrosium. Quorum positionem reprobant quidam per hoc, quod visio ista secunda facta fuit diu post scripturam ac missionem præsentis epistolæ, utpote instante captione et ductione Apostoli ad Romanorum imperatorem; hanc vero epistolam jam ante scripsit a Troade, ut dicit Hieronymus in præsentis epistolæ prologo. Sed ista reprobatio non valet. Quamvis enim Apostolus hanc secundam visionem recitet in Actibus, ubi describitur ejus captivitas ex qua Romam delatus est, tamen intuenti diligenter textum præallegati capituli, *Ibidem.* constat quod Apostolus visionem illam habuerit statim post primam, quando videlicet a Damasco reversus, ingressus est templum. Quomodocumque autem dicatur, sequentia verba veritatem habent, et magis conveniunt raptui ejus in tertium cœlum, quam in paradisum, si distinctæ visiones dicantur. Et licet distinctæ visiones essent, tamen per paradisum posset spiritualiter accipi suavissima quædam tranquillitas mentis.

Subdit ergo : *Et audivit arcana verba,* id est, Deo in anima ejus loquente per illuminationem internam, percepit atque cognovit quædam secreta de Deo et creaturis, præsertim de mysteriis Christi, de prædestinatione divina, de angelorum ordinibus, multisque aliis, quorum cognitio omnem naturalem cognitionem excedit. Denique, cessante hoc raptu ad intelle-

ctum pertinente, remanserunt in anima
Pauli quædam similitudines, per quas me-
mor erat eorum quæ vidit in raptu. Nec
oportet dicere, quod omnium memor man-
Sap. IX, 15. sit quæ vidit in raptu, quia corpus quod
corrumpitur, aggravat animam ; sed tanta
mansit in eo illorum memoria sive sci-
entia, quanta necessaria fuit sibi ad in-
structionem Ecclesiæ, vel profectum ani-
mæ suæ. *Quæ non licet homini loqui,* id
est manifestari, quum non sint capaces
aut digni, nisi forte essent tales qualis
Paulus, ut potius dici possent dii quam
Tob. XII, 7. homines. Unde Tobiæ Raphael dixit : Sa-
cramentum regis abscondere bonum est ;
Is. XXIV, 16. et Isaias, Secretum (ait) meum mihi, se-
cretum meum mihi. Aliquibus tamen san-
ctissimis divinissimisque hominibus, ut
Dionysio, creditur Paulus multa de his
arcanis revelasse.
5 *Pro hujusmodi gloriabor,* id est, pro
tantis beneficiis mihi divinitus distributis
lætabor in Domino, gratias referendo; *pro
me autem,* id est de me ipso, *nihil glo-
riabor, nisi in infirmitatibus meis,* id est
persecutionibus et calamitatibus atque lan-
guoribus, quæ pro Christo, vel propter
ipsius amorem libenter sustineo : de qui-
Ps. LXXXIX, 15. bus in Domino glorior, juxta illud, Lætati
sumus pro diebus quibus nos humiliasti,
6 annis quibus vidimus mala. *Nam et si
voluero gloriari* de revelationibus seu in-
firmitatibus meis, *non ero insipiens,* se-
cundum veritatem, quamvis quidam hoc
putent : non enim inaniter, sed in Domino
gloriabor ; *veritatem enim dicam,* laudan-
do et gloriando hoc modo. *Parco autem,*
id est, moderate et sobrie refero gratias
mihi donatas, non omnes exprimens, *ne
quis me existimet supra id quod videt
in me,* id est, ne aliquis homo putet me
altioris naturæ vel dignioris conditionis
quam sum, utputa angelum incarnatum,
vel hominem impassibilem, cujus tamen
oppositum videt, *aut audit* ab aliis *ali-
quid ex me,* id est de me, videlicet quod
sum homo passibilis sicut et ceteri ; vel,
Ex me, id est ex ore meo quo dico me

A similem aliis, mortalem atque passibilem.
Ne ergo putet me aliquis esse altiorem
quam talem, ideo parco. Vel sic : Parco
autem, ne quis suspiciosus me existimet
erigi per tumorem superbiæ, supra id
quod videt in me, aut audit aliquid ex
me, id est ultra famam meritorum me-
orum.
Consequenter ostendit Apostolus datum
sibi esse remedium contra superbiam. Ma-
gna enim specialisque gratia, solet esse
elationis occasio. Cetera enim vitia re-
B gnant in impiis, superbia vero de spiri-
tuali excellentia virtuosos fortius tangere
solet. *Et ne magnitudo revelationum* di- 7
vinarum *extollat me* ex occasione, id est,
ad superbiendum inducat me, *datus est
mihi* a Deo effective vel permissive *sti-
mulus carnis meæ.* Per hunc stimulum
quidam intelligunt corporalem infirmita-
tem, ac pœnam quamdam punctivam, vi-
delicet dolorem laterum, vel passionem
iliacam, aut simile aliquid. Corporis au-
tem infirmitas, mentis humilitatem con-
C servat, quia per eam inducitur homo ad
propriæ fragilitatis ac imperfectionis con-
siderationem. Subditur autem : *angelus
Satanæ,* id est dæmon, a suo principe
apostata missus ad affligendum me sicut
afflixit Job, scilicet, *qui me colaphizet,* id *Job* I, 12-
est, ictibus infirmitatis fatiget : non quod 19; II, 7.
stimulus iste fuerit realiter angelus Sata-
næ, sed quia inferebatur et concitabatur
ab eo. Alii per stimulum carnis intelli-
gunt tentationem libidinis, seu concupi-
scentiam carnis, quam dicunt gravius in-
D citasse Apostolum post raptum quam ante.
Et ne æstimetur stimulatio ista fuisse a
causa interiori, hoc est a carne, sed a dia-
bolo, subditur : Angelus Satanæ, stimu-
lum istum in me agitans indefesse, ut me
colaphizet, id est, confusibiliter tractet.
Talis autem tentatio maxime reprimit mo-
tus spiritualis superbiæ, quoniam facit
hominem experimento scire propriæ con-
ditionis miserabilem inclinationem, et pro-
nitatem in malum. Tentatio autem cui
non consentitur, non est peccatum, sed

materia exercendæ virtutis. Quod tamen A
intelligendum est de tentatione exteriori,
illa videlicet quæ fit ab hoste, non a car-
ne : quæ enim a carne est, sive interior,
peccatum est veniale, licet ei denegetur
consensus. Verumtamen, secundum do-
ctores, motus primo primi, qui sunt ex
causa pure naturali nequaquam volunta-
ria, nullo modo habent rationem peccati.
8 *Propter quod,* id est propter stimuli
hujus inquietudinem sive molestiam, *ter*
rogavi Dominum supplicatione præcipua
ac solenni, *ut discederet a me* tribulatio B
stimuli hujus, quæ videbatur mihi magis
9 obesse quam prodesse. *Et dixit mihi* Do-
minus, per inspirationem internam, sive
per angelum : *Sufficit tibi gratia mea,*
id est, excellentia spiritualis perfectionis
quam tibi largitus sum, satis efficax est
ut per eam omni tentationi prævaleas,
omnemque languorem æquanimiter feras.
Nam virtus, id est actus virtuosus seu
habitus virtutis, *in infirmitate perficitur*
dupliciter, scilicet : materialiter, prout in-
firmitas est materia exercendæ virtutis, C
videlicet humilitatis et patientiæ ; secun-
do, occasionaliter, quoniam propriæ in-
firmitatis experimentalis cognitio, efficit
hominem ad vitia præcavenda cautiorem,
et ad divinæ misericordiæ implorationem
magis diligentem et humilem. Vel sic :
Virtus in infirmitate, id est per infirmita-
tem, perficitur, quia contra eam pugnando
eamque vincendo augetur ac roboratur.
Jacob. I, 3, 4. Propter quod dicit Scriptura : Probatio fi-
dei patientiam operatur, patientia autem
opus perfectum habet. Præterea, quum D
Joann. XV, 16; XVI, 23. dicat Salvator, Quodcumque petieritis Pa-
trem in nomine meo, dabit vobis, certum
est Paulum istud non petiisse in nomine
Jesu, id est secundum rationem veræ sa-
lutis. Homo enim comparatur ad Deum,
sicut ægrotus ad medicum. Quemadmo-
dum ergo pius ac sapiens medicus non
semper exaudit precem ægroti ad votum,
quamvis exaudiat eum ad commodum
ejus : sic Deus non semper exaudit ele-
ctos et sanctos secundum votum ipsorum,
quia quod postulant, non simpliciter ex-
pedit eis ; exaudit tamen eos quantum ad
aliquid melius.
Libenter ergo gloriabor in infirmitati-
bus meis, id est de hoc quod tribulatio-
nes istas sustineo. Hoc enim ad perfectam
obedientiam pertinet : quæ delectabiliter
agit, sicut et Jacobus dicit, Omne gaudi- *Jacob.* I, 2.
um existimate, fratres, quum in diversas
tentationes incideritis. *Ut inhabitet in me*
virtus Christi, id est, gratia Christi per-
ficiatur in me. Christus enim testatur :
In patientia vestra possidebitis animas ve- *Luc.* XXI, 19.
stras. *Propter quod placeo mihi,* id est, ve- 10
hementer delector, *in infirmitatibus meis*
corporis, *in contumeliis* verborum ab aliis
mihi illatis, *in necessitatibus,* id est in-
digentiis victualium, *in persecutionibus,*
quibus de loco ad locum expellor, *in an-*
gustiis animi *pro Christo.* In his namque
gaudendum est quæ homini prosunt ad *Matth.* V, 12.
promerendam vitam æternam, ad profi-
ciendum in gratia, ad satisfaciendum pro
culpa, ad imitandum vestigia Christi. Ta-
lia autem sunt omnia præinducta : id-
eo habenda est in illis complacentia. Ad
quam perfectionem non pervenit, nisi qui
privato exterminato amore, in divina pro-
fecerit caritate. In prædictis ergo placeo
mihi : *Quum enim infirmor,* id est af-
fligor, vel corpore langueo, *tunc potens*
sum in anima, per gratiam patienter fe-
rendo adversa.
Factus sum insipiens, id est similis 11
stulto, laudando me ipsum, quum hoc sit
opus ignavi ; *vos me coegistis,* id est, ar-
dens dilectio qua vestram quæro salu-
tem, compulit me ad hoc. *Ego enim a vo-*
bis debui commendari tanquam magister,
pater, atque Apostolus vester : quod non
fecistis, sed pseudoapostolis mihi detra-
hentibus consensistis. Subditi ergo lauda-
re debent bonos prælatos suos. *Nihil enim*
minus feci, prædicando, miracula operan-
do, et multipliciter laborando in Ecclesia
Dei, præsertim in vobis, *ab his,* id est
quam hi, *qui sunt supra modum* com-
munem, id est excellenter, *Apostoli,* sci-

licet Petrus, Jacobus et Joannes. Vel sensus Apostoli est, quod ipse non minus fecit conversis a se, quam illi conversis ab ipsis.

Tametsi nihil sum ex me ipso, vel comparatione illorum sublimium Aposto-
12 lorum, ut aliqui opinantur, *signa tamen apostolatus mei,* id est opera supernaturalia per quæ probor verus Dei Apostolus, *facta sunt super vos,* id est in vobis, *in omni,* id est perfecta, *patientia :* quæ declarat veram esse doctrinam meam, quia
Prov. xix. 11. doctrina viri per patientiam noscitur ; *in* B *signis,* id est miraculis minoribus, ut sunt sanatio febris, illuminatio cæci, *et prodigiis,* id est miraculis majoribus, ut sunt suscitatio mortui, cognitio secretorum cordis, et futurorum pure contingentium, *et* A *virtutibus* animæ universis, ut sunt humilitas, caritas, etc. ; vel, Virtutibus, id est ceteris quibuscumque operibus divina potestate peractis. Virtus enim uno modo est genus ad signum et prodigium. Nam omne miraculum dicitur virtus, quia
divina virtute peragitur. *Quid est enim* 13
quod minus habuistis a me *præ ceteris Ecclesiis,* id est quam aliæ Ecclesiæ a suis Apostolis, vel etiam a me, *nisi quod ego non gravavi vos,* stipendia seu sumptus vitæ sumendo a vobis (quod certum est non pertinere ad minorem beneficentiam, sed majorem)? Unde in hoc plus habuistis quam Ecclesiæ aliæ. Unde ironice subdit : *Donate mihi hanc injuriam,* id est, si quid peccavi, non gravando vos, hoc mihi ignoscite.

ARTICULUS XIII

EXPOSITIO CAPITULI TERTIIDECIMI : ECCE TERTIO HOC PARATUS SUM VENIRE AD VOS.

QUIDAM incipiunt hujus epistolæ capitulum ultimum hoc loco quo dicitur, Ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos ; quidam vero infra, ubi scriptum est, Ecce tertio hoc venio ad vos. Quæ forte diversitas contigit propter coincidentiam verborum istorum. Sed modica vis est, quo loco incipiatur.

Ostendens ergo benevolentiam suam
14 Apostolus ad Corinthios, ait : *Ecce tertio*
(cap. xii.) *hoc* tempore, id est hac tertia vice, *paratus sum* voluntate *venire ad vos.* Non quod ante bis venerit, sed semel ; et D alia vice venire proposuit, non tamen venit. Nunc autem tertio paratum se dicit venire ad eos. *Et non ero gravis vobis,* vestra recipiendo. Quod ideo dico, ne me putetis primo callide nil sumpsisse, ut modo abundantius capiam. *Non enim quæro quæ vestra sunt,* id est temporalia vestra, *sed vos,* id est salutem anima- C rum vestrarum. *Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.* Hoc de carnalibus parentibus verum est, quibus incumbit filios suos nutrire, eisque in temporalibus providere. In casu tamen, justum et condecens est filios carnales parentibus thesaurizare, vel saltem necessaria ministrare. Spirituales vero filios dignum est necessaria vitæ spiritualibus patribus ministrare, dummodo filii tales habeant propria : monachi enim a patribus suis provisionem accipiunt. Apostolus vero in tantum se asserit nil velle accipere, ut legem patris carnalis filiorumque ejus, ad spiritualem referat patrem ac filios spirituales : quod et suo modo verum est. Nam filii spirituales non debent suis prælatis thesaurizare, id est divitias congregare, quamvis debeant eis necessaria ministrare ; sed parentes spirituales filiis spiritualibus thesaurizare de-

bent, præsertim spirituales divitias vitæ
æternæ, imo et temporalia eis præbere, si
eis adsit facultas, ipsique egeant : sicut et
II Cor. xi, 8. ego Paulus quodammodo feci, alias Eccle-
sias exspoliando ad ministerium vestrum.
Denique non solum mea, sed et me ip-
15 sum paratus sum vobis communicare. *Ego
autem libentissime,* id est promptissima
caritate, *impendam* vobis spiritualia bona
quæ habeo, et temporalia si quæ habu-
ero, *et superimpendar ipse,* id est, ultra
illa me ipsum impendam, *pro animabus
vestris,* id est pro salute earum, tanquam
paratus mori pro vobis. Hinc alibi loqui-
I Joann. iii, 16. tur Scriptura : In hoc cognovimus cari-
tatem Dei, quoniam ille pro nobis animam
suam posuit; et nos debemus pro fratri-
bus animas ponere. *Licet plus vos diligens*
quam alios quosdam, vel, quam pseudo
illi apostoli vos diligant, *minus diligar* a
vobis quam falsi illi; vel, quam ab aliis,
et sic estis caritati meæ pro parte ingra-
ti. Dilectio enim est primum et maximum
donum gratuitum, in quo cetera dona seu
beneficia conferuntur.
16 *Sed esto,* id est, concedatur sic esse ut
dixi nuncque resumo, videlicet : *Ego vos
non gravavi,* vestra exigendo aut recipi-
endo; *sed* dici posset, *quum essem astu-
tus,* id est nequiter callidus, *dolo vos ce-
pi,* id est, fraudulenter vestra obtinui,
17 aliorum mediante auxilio. *Numquid per
aliquem eorum quos misi ad vos, circum-
veni vos,* id est decepi? Non utique. Nam
18 *Rogavi Titum ire ad vos, et misi cum
II Cor. viii, 18. illo fratrem,* cujus laus est in Evangelio
per omnes Ecclesias, scilicet Lucam vel
Barnabam. *Numquid Titus vos circumve-
nit? Nonne eodem spiritu,* id est ductu
ejusdem Spiritus Sancti, vel pari volun-
tate, *ambulavimus* inter vos? *nonne eis-
dem vestigiis,* id est similibus actibus ex-
terioribus? qui vestigia appellantur, quia
in eis relucet ac repræsentatur bonitas et
Matth. vii, 16. malitia voluntatis, juxta illud : A fructi-
bus eorum cognoscetis eos.
19 *Olim putatis,* id est, jamdudum, vel jam
diu existimatis falsa suspicione, *quod ex-
cusemus nos apud vos,* tanquam in aliquo
rei quantum ad vos : quod ita non est.
Coram Deo, id est in divinæ præsentiæ
conspectu nos ipsos constituendo, *in Chri-
sto,* id est secundum Christi voluntatem
et sapientiam, *loquimur* omnia ista. *Om-
nia autem* ista, *carissimi,* operamur et lo-
quimur laudando nos ipsos, et vituperando
pseudoapostolos, *propter vestram ædifica-
tionem,* ut agnita veritate declinetis a ma-
lo, et bona agatis. *Timeo enim, ne forte* 20
quum venero ad vos, *non quales volo* vos
esse, *inveniam vos,* videlicet incorrectos
atque discordes, *et ego inveniar a vobis,
qualem non vultis,* utpote durus corre-
ptor, tradensque eos Satanæ in interitum I Cor. v, 5.
carnis qui se non correxerunt. Timeo ita-
que, *ne forte contentiones,* id est lites ver-
borum, *æmulationes,* id est invidiæ, *ani-
mositates, dissensiones,* id est discordiæ,
detractiones, susurrationes, id est occulta
semina discordiarum, *inflationes* superio-
rum contra subditos, *seditiones,* id est tu-
multus ad pugnam, seu perturbationes,
sint inter vos. Timeo itaque ista vitia in-
veniri in vobis, *ne iterum quum venero* 21
ad vos, *humiliet me Deus,* id est, contri-
stet atque affligat, *apud vos,* quibus con-
dolerem errantibus, *et lugeam multos ex
his qui ante* missionem primæ epistolæ
peccaverunt, etiam post Baptismum, *et non
egerunt pœnitentiam super immunditia,*
id est de vitio contra naturam, vel ince-
stu, *et fornicatione* simplici, quæ est so-
luti cum soluta, *et impudicitia,* id est
virginum defloratione, *quam gesserunt.*
Et debetis districtionem meam timere :
nam, *Ecce tertio hoc,* quantum ad cordis 1
propositum, *venio,* id est, brevi veniam, (cap. xiii.)
ad vos. Semel enim venit; et secunda vi-
ce venire disposuit, quod non fecit pro-
pter discordiam Corinthiorum. Idcirco di-
cit se nunc tertio advenire. *In ore duorum
vel trium testium* approbatorum accusan-
tium vel attestantium, *stabit omne ver-
bum,* id est, firmiter recipietur, credetur
et determinabitur, quidquid accusandum
vel judicandum occurrerit. Idem habetur Deut. xix, 15.

2 in lege Mosaica. *Prædixi enim* vobis, *et*
prædico nunc *ut præsens vobis*, id est
tanta certitudine ac si corpore præsens
essem, vel, Ut præsens spiritu, *et nunc*
absens corpore, prædico *iis qui ante pec-*
caverunt, secundum sensum jam dictum,
et ceteris omnibus qui illis in peccato
communicaverunt, vel postea, scilicet post
missionem primæ epistolæ, inique ege-
runt, *quoniam si venero iterum, non par-*
cam eis, sed duorum vel trium testium
testimonio credens, convictos rigide tra-
ctabo.

Consequenter ostendit Apostolus omnia
hæc verba et opera sua se exercere, non
propria potestate, sed Christi auctoritate.
3 *An experimentum quæritis ejus*, id est,
vultisne propter incredulitatem vestram
experiri judiciariam potestatem ipsius, *qui*
in me loquitur, id est cujus nutu et in-
spiratione hæc loquor, qui est *Christus*,
cujus auctoritate facio universa pro ve-
stra salute, *qui in vobis non infirmatur,*
sed potens est in vobis, id est, potestatem
suam in vobis ostendit, magnalia inter vos
4 operando? *Nam etsi crucifixus est ex in-*
firmitate, id est secundum naturam hu-
manam passibilem; *sed vivit ex virtute*
Dei, id est, divina potestate surrexit, et
immortaliter vivit. *Nam et nos* imitatores
Christi, *infirmi sumus in illo*, id est, ex-
emplo et amore Christi varias persecuti-
ones tribulationesque patimur, quoniam
Joann. XIII, 16. non est major servus domino suo; *sed vi-*
vimus vita gratiæ *ex virtute Dei* grati-
am infundentis : vivimus autem *in vobis*,
id est in vestri conversione et sancta con-
versatione manifestatur vita gratiæ nobis
concessa, quemadmodum causa relucet in
suo effectu.

Quoniam ergo potestatem puniendi ha-
5 beo, et veniens non parcam, *vosmetipsos*
tentate, id est, interiora et exteriora ve-
stra prudenter discutite, *si estis in fide*
catholica, in omnibus recte credendo; vel,
Si estis in fide formata per opera bona,
id est, si fide et opere christiani estis, *ipsi*
vos probate, id est examinate. Potest enim
A homo certo scire se habere fidem infor-
mem; conjective vero et probabiliter sci-
re potest an sit in fide formata, id est
caritati conjuncta. Quoniam ergo homo se
ipsum hoc modo cognoscere valet, sub-
ditur : *An non cognoscitis vosmetipsos*,
quantum ad dona et gratias Spiritus San-
cti, videlicet, an pertineatis ad Deum per
fidem et gratiam, utpote *quia*, id est quod,
Christus Jesus in vobis est, habitando in *Ephes.* III, 17.
cordibus vestris per fidem et caritatem?
nisi forte reprobi estis, id est, imo cogno-
B scitis vosmetipsos hoc modo, vel aliquan-
do saltem cognoscetis, si non estis præ-
sciti atque damnandi. *Spero autem quod* 6
cognoscetis de nobis per opera nostra vir-
tuosa atque miracula, *quia*, id est quod,
nos non sumus reprobi, sed electi. Unaquæ- *Matth.* VII, 16; XII, 33.
que enim arbor a fructu suo cognoscitur.

Oramus autem Deum, ut nihil mali, 7
mortalis peccati præcipue, nec etiam ve-
nialis, quantum possibile est, *faciatis*, id
est, ut detur vobis gratia immaculatæ vi-
tæ; *non ut nos probati pareamus*, id est,
C virtutibus exercitati, et laude digni vi-
deamur hominibus, habendo discipulos
tantæ perfectionis. Non enim quærimus
gloriam nostram, sed Dei honorem ve-
stramque salutem. Ideo subditur, *sed ut*
vos quod bonum, id est meritorium, *est*
faciatis, non solum actu exteriori, sed
etiam interiori, *nos autem ut reprobi si-*
mus, id est, abjecti et impotentes esse
putemur, non ostendentes auctoritatem
nostram in vestri correctione. *Non enim* 8
possumus licite agere *aliquid adversus ve-*
D *ritatem* vitæ, justitiæ et doctrinæ, *sed pro*
veritate tuenda possumus aliquid : imo
qui hoc potest quod sibi non expedit,
quanto id amplius potest, tanto impoten-
tior est. Aliqui tamen abutentes potestate
sibi concessa, veritatem impugnant, et in
quibusdam expugnant; sed tandem a ve-
ritate vincuntur. *Gaudemus enim quan-* 9
do nos infirmi sumus in corpore et af-
flicti, *vos autem potentes estis* in anima
gratia Dei supernaturaliter confirmata. *Hoc*
et oramus, videlicet *vestram consummati-*

onem, id est perfectionis plenitudinem, A deprecantes Dominum ut omnium virtutum apicem attingatis adjutorio gratiæ Dei.

10 *Ideo hæc absens scribo* vobis, præmonendo vos, quia monitio habet correctionem præcedere, *ut non præsens* corpore apud vos, *durius agam,* id est, multum dure vestra peccata ulciscar, *secundum potestatem* apostolicam et sacerdotalem, qua possum excommunicare, solvere et ligare, *quam Dominus dedit mihi in ædificationem,* id est ad profectum fidelium, *et non in destructionem,* id est non ad hoc ut cor- B da eorum subvertam, et potestate abutar.

11 *De cetero, fratres, gaudete* in cultu di-
Ps. xcix, 2. vino : juxta illud, Servite Domino in lætitia; *perfecti estote* in virtute et gratia, secundum conditionem præsentis fragilis
Matth. v, 48. status : prout dicit Salvator, Estote et vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. Ad hanc perfectionem exigitur indefessa custodia cordis. Nam sicut navis in flumine posita, continuo descendit per aquæ motum, nisi remigetur in contrarium; sic anima ex carnis corruptione C et pronitate in malum incessanter descendit a perfectione virtutis, nisi in con-
Prov. iv, 23. trarium renitatur. Ideo Salomon : Omni (inquit) custodia custodi cor tuum. *Exhortamini* mutuo verbis ardentibus, *idem sapite,* id est, in cognitione veritatis et gustu bonitatis conformes estote, *pacem* internam, id est mentis tranquillitatem,
Rom. xii, 18. *habete,* et quantum fieri potest, cum omnibus hominibus pacem quæ ex caritate procedit, habere satagite; *et Deus* amator ac largitor *pacis* spiritualis *et dilectionis* sinceræ *erit vobiscum,* id est, in cordibus vestris per dona ista manebit : quemadmodum pollicetur, Ad eum, inquiens, ve- Joann. xiv, 23.
niemus, et mansionem apud eum faciemus; et iterum, Beati pacifici, quoniam Matth. v, 9.
filii Dei vocabuntur.

12 *Salutate invicem in osculo sancto,* id est caritativo et puro, quod est internæ unionis (quam efficit caritas) signum. *Salutant vos,* id est, beatitudinem optant et dicunt vobis, *omnes sancti* qui mecum sunt, quorum merita vobis communicantur per desideria caritativa quæ habent de vestra salute.

13 *Gratia Domini nostri Jesu Christi* gratificans atque deificans, quam ipse ut Deus nobis infundit, *et caritas Dei* Patris, *et communicatio Sancti Spiritus,* id est influxio septem donorum Spiritus Sancti, *sit cum omnibus vobis. Amen.* Videtur autem Apostolus gratiam appropriare Filio, quia per eum reconciliati gratiamque sortiti sumus ; caritatem vero Patri, quia propter nimiam caritatem suam qua di- Ephes. ii, 4; Galat. iv, 4.
lexit nos, Filium suum misit, et contulit nobis; communicationem vero Spiritui Sancto, cui convenit bonitas, ad quam spectat sui ipsius liberalis diffusio. In his insuper verbis superbenedicta Trinitas, ejusque potentiæ unitas commendatur, quum divinæ Personæ distinctis nominibus exprimuntur, et uni Personæ adscribitur, quod certum est fieri ab alia, imo a tribus simul : quæ est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

ENARRATIO
IN EPISTOLAM BEATI PAULI
AD GALATAS

PROŒMIUM

ESTO *firmus in via Domini, et in veritate sensus tui.* Eccli. v, 12.

Perfectio creaturæ est Creatori ordinate assimilari. Incommutabili autem æternoque Deo assimilatur anima rationalis per stabilitatem, firmitatem, seu fixionem suam in contemplatione ac dilectione divinorum. Idcirco Scriptura instabiles multipliciter reprehendit; stabiles quoque in bono e diverso commendat. Unde in epistola nunc exponenda, arguuntur præcipue ab Apostolo Galatæ de hoc, quod ita instabiles erant in evangelica veritate, quam primo ab Apostolo didicerunt, et post ejus recessum a pseudoapostolis multipliciter subversi fuerunt, ita ut crederent evangelicam legem sine cærimonialibus veteris Testamenti nequaquam sufficere ad salutem. Denique Galatæ Græci sunt. Nam Galli olim quamdam Græciæ ingredientes provinciam, Græcis se miscuerunt. Propter quod illa provincia primo dicta est Gallogræcia, deinde Galatia. Habitatores quoque ipsius primo vocati sunt Gallogræci, postea Galatæ : qui etiam tardi et obtusi fuerunt ingenii, quum tamen Græci semper fuerint ingeniosi. His igitur scribit Apostolus ab Epheso, revocans eos ad evangelicæ veritatis integritatem, et christianæ fidei puritatem. Proceditque in epistola more solito, salutationem præmittendo, deinde ad narrationem veniendo.

Is. LVII, 20; I *Thess.* v, 14; I *Cor.* xv, 58; xvi, 13.

ENARRATIO
IN EPISTOLAM BEATI PAULI
AD GALATAS

ARTICULUS PRIMUS

EXPOSITIO CAPITULI PRIMI : PAULUS APOSTOLUS, NON AB HOMINIBUS, NEQUE PER HOMINEM.

QUONIAM improbaturus erat Apostolus,
in præsentis epistolæ processu, detra-
ctores sui pseudoapostolos, increpaturus-
que Galatas eo quod contra suam doctri-
nam pseudoapostolis credidissent ; idcirco
in exordio hujus epistolæ personam suam
ipsius magnifice laudat, sicut et id sæ-
pius facit, non ex aliqua vanitate, neque
ob propriam laudem, sed ex vera carita-
te, ad filiorum suorum spiritualem ædi-
In II Cor. xi, 18; xii, 1. ficationem, sicut in expositione præceden-
tis epistolæ plenissime patuit.
1 Ait ergo : *Paulus* ordinatus seu factus
et missus *apostolus, non ab hominibus*
viatoribus, scilicet Anania aut ceteris Apo-
stolis, *neque per hominem* purum, qui
fuerit mediator inter Deum et Paulum,
*sed per Jesum Christum, et Deum Pa-
trem,* id est a Christo Dei Filio, ejusque
æterno Patre, imo a tota superfelicissima
Trinitate, uno simplici Deo, cujus sicut
essentia una est, sic opera indivisa sunt.
Verumtamen Paulus factus est apostolus
per Christum ministerialiter, mediate et
instrumentaliter, secundum quod Christus
Act. ix, 3, 10. est homo : sic enim in via apparuit Pau-
lo, et Ananiæ in Damasco. Omnia quoque

A gratiarum charismata per Christum ho-
minem et merita ejus conferuntur homi-
nibus. *Qui* Deus Pater *suscitavit eum,* vi-
delicet Christum, *a mortuis. Et qui mecum* 2
sunt in Epheso *omnes fratres* mandant
Ecclesiis, id est congregationibus fideli-
um, *Galatiæ,* provinciæ sic vocatæ.
Gratia gratum faciens, quæ est habitus 3
deiformis ac supernaturalis, animam po-
nens in esse divino ac meritorio, *et pax,*
id est ordinata tranquillitas, *vobis* pie
præstentur *a Deo Patre nostro,* id est san-
B cta Trinitate, cui dicimus : Pater noster, Matth. vi, 9.
qui es in cœlis ; *et Domino nostro Jesu*
Christo Dei ac hominum mediatore, per I Tim. ii, 5.
quem seu merito cujus, secundum quod
homo est, munera gratiarum nobis præ-
stantur. Si autem per Patrem nostrum,
quis intelligere velit distinctam Patris per-
sonam, per Dominum Christum designa-
bitur persona Filii, secundum quod Deus
est, Patri æqualis, et idem auctor pacis
et gratiæ cum Deo Patre, juxta illud :
Quæcumque facit Pater, hæc et Filius si- Joann. v, 19.
C militer facit. *Qui* Christus *dedit,* id est 4
obtulit, *semetipsum* tempore passionis in
patibulo crucis, *pro peccatis nostris,* id

est pro remissione peccatorum nostrorum, A
quemadmodum in Evangelio loquitur :
Matth. XX, 28. Venit Filius hominis dare animam suam
Joann. X, 14, 15. redemptionem pro multis; et rursus : Ego
sum pastor bonus, et animam meam po-
Is. LIII, 5. no pro ovibus meis. Hinc et Isaias : Ipse
autem, inquit, vulneratus est propter ini-
quitates nostras, attritus est propter sce-
lera nostra. Sic autem obtulit Christus se
ipsum pro nobis, ex ardentissima cari-
tate qua Dei Patris honorem et nostram
optabat salutem, ex promptissima quo-
Philipp. II, 8. que obedientia qua, ut homo, voluntati B
Patris in omnibus paruit. Denique, sicut
Pater dedit seu tradidit Christum homi-
nem pro nobis, sic etiam Verbum seu
Christus ut Deus, dedit se ipsum ut ho-
minem pro nobis. Quomodo autem Pater
Rom. VIII, 32. tradidit Christum pro nobis, dictum est
plenius ad Romanos.

Ut eriperet nos de præsenti sæculo ne-
I Joann. V, 19. *quam,* id est de mundo isto, qui totus
in malo positus est, scilicet de conversa-
tione sæculari, et malis quæ fiunt in sæ-
Ps. LXIII, 3. culo, de conventu malignantium, de con- C
sortio reproborum; vel, De præsenti sæculo
nequam, id est de hoc sensibili inferio-
rique mundo transferret ad patriam Bea-
I Petr. I, 18, 19. torum. Hinc ait Scriptura : Non corrupti-
bilibus auro vel argento redempti estis
de vana vestra conversatione, sed pretioso
sanguine Agni immaculati. Eramus quip-
pe funibus peccatorum constricti, et va-
riis vitiis irretiti, sed Christi passione ac
merito absoluti eductique sumus. Propter
Is. LIII, 6, 4. quod Isaias ait : Omnes nos quasi oves
erravimus, unusquisque in viam suam D
declinavit; et Dominus posuit in eo ini-
quitatem omnium nostrum. Vere languo-
res nostros ipse tulit, et peccata nostra
ipse portavit. *Secundum voluntatem Dei*
et Patris nostri, id est, prout Deus Pater
noster Christo homini inspiravit, atque
per ejus sacratissimam passionem genus
humanum reparare decrevit atque voluit.
Ideo passione instante Christus dicebat :
Matth. XXVI, 42. Pater, si non potest hic calix transire quin
bibam illum, fiat voluntas tua. Item et
alibi testatur : Ego quæ placita sunt ei *Joann.* VIII, 29.
facio semper. Hinc rursus prædixit Pro-
pheta : Dominus voluit eum conterere in *Is.* LIII, 10.
infirmitate.

Cui Deo et Patri nostro, videlicet sum- 5
mæ Trinitati, *est gloria,* id est frequens
fama cum laude, de hac redemptione. Vel,
Cui, id est Christo, est gloria, quoniam
sua passione meruit præmium accidenta-
le, sicut alibi Apostolus aperit : Humili- *Philipp.* II, 8, 9.
avit semetipsum, factus obediens usque
ad mortem : propter quod et Deus exal-
tavit illum, et dedit illi nomen quod est
super omne nomen. Propterea quoque et
Propheta dixit : Si posuerit animam suam *Is.* LIII, 10.
pro peccato, videbit semen longævum, et
voluntas Domini in manu ejus dirigetur.
In sæcula sæculorum, id est in sempi-
ternum. *Amen,* id est, sic fiat, vel ve-
rum est.

Consequenter procedit Apostolus ad nar-
rationem, et primo de levitate increpat
Galatas. *Miror,* quasi causam ignorans, et 6
inopinatam rem audiens, scilicet, *quod sic,*
id est hoc modo, seu vehementer, *tam*
cito post meum recessum a vobis, quos
bene instruxi, *transferimini,* id est aver-
timini, *ab eo qui vos vocavit* per inspi-
rationem internam et meam prædicatio-
nem *in gratiam Christi,* id est ad fidem
et dona gratuita Salvatoris, id est a Deo
Trinitate (qui est prima principalisque
causa conversionis nostræ : propter quod
Christus ait, Nemo potest venire ad me *Joann.* VI, 44.
nisi Pater meus traxerit eum; item, Om- *Ibid.* 45.
nis, inquit, qui audivit a Patre et didi-
cit, venit ad me), *in aliud evangelium,* id
est in falsam annuntiationem et vanam
doctrinam a pseudoapostolis excogitatam,
qui asserunt legalia simul cum Evangelio
Christi esse servanda : quam annuntiatio-
nem pseudoapostolorum vos æstimatis fo-
re evangelium, quum tamen non sit ve-
raciter evangelium, quoniam evangelium
est bona annuntiatio. Ideo subditur : *quod* 7
non est aliud evangelium, quum non sit
evangelium, sed humana inventio, *nisi*
sunt aliqui falsi *qui vos conturbant,* id

est, in dubitationem atque errorem cor-
da vestra inducunt. Nisi ergo hi essent,
istud aliud evangelium nec esset, nec aliud
esset vere vel apparenter. *Et volunt con-
vertere,* id est in aliud mutare, *Evange-
lium Christi,* scilicet in carnales ac cæ-
rimoniales observantias legis, quasi sine
illis non sufficiat ad salutem lex nova.
Vel sic : Transferimini in aliud evange-
lium, id est in doctrinam legis Mosaicæ,
quod non est aliud ab Evangelio Christi,
secundum intentionem finalem et intelli-
gentiam spiritualem, nisi sunt aliqui qui
conturbant vos, id est præter hoc quod
aliqui interpretantur perverse documenta
legalia, admiscentes carnalia spiritualibus,
et nova veteribus. Secundum externam
ergo superficiem et carnalem sensum dif-
ferunt evangelia ista.
8 *Sed licet nos* Apostoli *aut angelus* san-
ctus descendens *de cœlo, evangelizet vobis
præterquam quod evangelizavimus vobis,*
id est, aliud prædicet nostræ prædicatio-
ni contrarium, *anathema sit,* id est, ex-
communicatus et maledictus habeatur ta-
9 lis assertor. *Sicut prædixi* jam immediate,
et nunc iterum dico, id est, resumo, ut
repetitio sit confirmationis indicium : *Si
quis,* quicumque sit ille, *vobis evangeli-
zaverit præter id,* id est contrarium ei,
quod accepistis ex nostra prædicatione de
Christo, *anathema sit,* id est divisus ab
aliis, ne eos sua falsitate inficiat.
10 *Modo enim hominibus suadeo,* id est,
numquid hæc dico et comprobare laboro
ad complacendum hominibus, *an Deo,* id
est, annon ad Dei honorem, ut ei place-
am? *An quæro hominibus placere,* ob pro-
priam laudem, et sicut finale bonum ?
Non utique. Nam, *si adhuc hominibus
placerem, Christi servus non essem.* Vi-
detur huic contrarium, quod alibi dixit
I Cor. x, 33. Apostolus : Ego per omnia omnibus pla-
Rom. xv, 2. ceo; et rursus, Unusquisque proximo suo
placeat in bonum. Sed hæc difficultas sæ-
pe soluta est. Nunc enim Apostolus lo-
quitur de homine, quantum ad id quod
communiter in hominibus dominatur, quod

A est sensualitas et peccatum. Juxta quem
modum Corinthiis ait : Quum sit inter I Cor. III, 3.
vos zelus et contentio, nonne carnales es-
tis, et secundum hominem ambulatis ? Est
igitur sensus : Si adhuc hominibus pla-
cerem, faciendo ea quæ placent carna-
libus et injustis, prout ipsi sunt; Christi
servus non essem, quoniam ejus vestigia
non imitarer. Ipse enim ait : Quia de Joann. XV, 19.
mundo non estis, sed ego elegi vos de
mundo, propterea odit vos mundus. Si-
mili quoque sensu dicit Psalmista : Quo- Ps. LII, 6.
B niam Deus dissipavit ossa eorum qui ho-
minibus placent; confusi sunt, quoniam
Deus sprevit eos. Interdum vero Aposto-
lus loquitur de homine, quantum ad id
quod convenit ei secundum partem sui
superiorem, id est prout ratione ornatur,
et sanctæ Trinitatis imagine decoratur :
ut est illud, Si secundum hominem ad I Cor. XV, 32.
bestias pugnavi, id est, secundum ratio-
nis processum contra bestiales homines
disputavi. Hoc modo de homine loquen-
do, debemus velle placere hominibus ad
C ædificationem eorum et gloriam Dei.
Consequenter ostendit Apostolus doctri-
nam evangelicam a se prædicatam, esse
authenticam, perfectam, atque divinam seu
supernaturalem. *Notum enim vobis facio,* 11
fratres, evangelium, id est de evange-
lio, *quod evangelizatum est a me, quia
non est secundum hominem,* id est hu-
manum, seu naturali ratione inventum,
firmatum, aut divulgatum. *Neque enim* 12
ego ab homine puro *accepi illud,* ut illud
aliis prædicarem, *neque didici* illud ab
D homine puro, *sed per revelationem Jesu
Christi,* id est secretam, internam, subi-
taneam et supernaturalem instructionem
Filii Dei, tempore raptus mei in tertium II Cor. XII, 2.
cœlum. Quod patet :
Audistis enim conversationem meam 13
quam habui *aliquando,* scilicet antequam
christianus fierem, *in Judaismo,* id est
in lege et ritu Judæorum; *quoniam supra
modum,* id est multum excessive et plus
aliis, *persequebar Ecclesiam Dei* primiti- Act. VII, 57, 59; VIII, 3;
vam, maxime in Jerusalem, *et expugna-* IX, 1, 2.

bam illam, quosdam occidendo, quosdam
incarcerando, aliisque modis torquendo fi-
14 deles, *et proficiebam,* id est, fortiter age-
bam, *in Judaismo supra multos coœtaneos
meos in genere meo,* id est præ multis
adolescentibus mihi in ætate comparibus,
atque de meo genere natis, puta Judæis.
Vel, per genus suum intelligit tribum Ben-
jamin. *Abundantius* illis *æmulator,* id est
amator et imitator, *exsistens paternarum
mearum traditionum,* id est ordinationum
ac jussionum moralium seu judicialium,
a Moyse et Prophetis datarum, vel ab aliis
additarum.

15 *Quum autem placuit ei,* videlicet Deo
omnipotenti, qui omnia libere agit, *qui
me segregavit ex utero matris meæ,* id
est, de ventre materno eduxit ; vel, Se-
gregavit, id est, ab aliorum (puta Scri-
barum et Pharisæorum) grege separavit,
et ex utero matris meæ, id est de consortio
16 seu medio Synagogæ,* *ut revelaret,* id est
* [et vocavit per gratiam suam,] declararet, *Filium suum in me,* id est in
corde meo, dans mihi notitiam veram de
Christo, *ut evangelizarem illum in genti-*
Rom. I, 5; Galat. II, 8; I Tim. II, 7. *bus,* quia gentilibus specialiter datus sum
ac missus apostolus; *continuo non acqui-
evi carni et sanguini,* id est concupi-
scentiis carnis, neque Judæis mihi carne
propinquis, meque a Christo avertere de-
17 siderantibus. *Neque veni Jerosolymam ad
antecessores meos Apostolos,* id est ceteros
Apostolos, qui ante me ad gratiam apo-
stolatus promoti fuerunt : unde patescit
quod non fuit ab eis instructus; *sed abii*
a Damasco *in Arabiam* causa prædican-
di : ubi tunc nullus Apostolorum prædi-
cavit. — Huic videtur dissonare, et etiam
his quæ sequuntur, quod scriptum est in
Actibus Apostolorum, ubi, quum dictum
Act. IX, 25. est quod discipuli dimiserunt eum nocte
Ibid. 26, 27. in sporta a Damasco, mox subditur : Quum
autem venisset in Jerusalem, tentavit se
jungere discipulis, et omnes fugerunt, non
credentes quod esset discipulus. Barna-
bas autem apprehensum illum duxit ad
Apostolos, et narravit illis quomodo in
via vidisset Dominum, etc. Ad hoc qui-

A dam respondent, quod Apostolus post sui
conversionem, non statim venit in Jeru-
salem, sed post longum tempus, forte post
tres annos. Scriptura enim non servat
semper ordinem rerum gestarum. Alii di-
cunt, quod licet venerit, non tamen re-
putatur venisse, quia mox abiit. — *Et
iterum* ab Arabia *reversus sum Dama-
scum :* ubi primo disputavi, prædicavi, et
Judæos confudi. *Deinde post annos tres* 18
a mei conversione, quum jam tribus cir-
citer annis prædicassem, *veni Jerosoly-*
B *mam videre Petrum,* non propter infor-
mationem, sed dilectionem et reverentiam
ejus ; *et mansi apud illum diebus quin-
decim. Alium autem Apostolorum vidi* 19
neminem hac vice, *nisi Jacobum fratrem
Domini,* id est Jacobum primum Jeroso-
lymorum fidelium episcopum : qui pro-
pter singularem similitudinem suam cum
Christo, tam in corporis dispositione, quam
in animæ sanctitate, dictus est frater Do-
mini.

Quæ autem scribo vobis, ecce coram 20
C *Deo, quia non mentior.* Jurat Apostolus
propter tarditatem Galatarum ad creden-
dum. Juratio enim cum debitis facta cir-
cumstantiis suis, est actus virtutis quæ
dicitur latria, sicut frequenter ostensum
est. Christus autem non absolute prohi-
buit jurationem, sed jurationem incautam
et non necessariam.

Deinde, videlicet postquam in Jerusa- 21
lem fui cum Petro, *veni in partes Syriæ
et Ciliciæ,* unde et natus eram, quia a
Tarso Ciliciæ fui oriundus. Huic concor- Act. XXII, 3.
D dat illud Actuum : Disputabat cum Græ- Ibid. IX, 29, 30.
cis (videlicet in Jerusalem) ; illi autem
quærebant interficere eum. Quod quum
cognovissent fratres, deduxerunt eum Cæ-
saream, et dimiserunt Tarsum.

Eram autem ignotus facie, id est ad- 22
spectu, *Ecclesiis Judææ,* id est Judæis
conversis : eram tamen eis notus per fa-
mam ; *quæ erant in Christo* per fidem
et caritatem conjunctæ. *Tantum autem* 23
auditum habebant, id est, hoc audiendo
perceperunt de me : *Quoniam* Paulus iste

qui persequebatur nos aliquando, ante- A
quam conversus erat ad Christum, *nunc*
evangelizat fidem quam aliquando expu-
gnabat, id est, in cordibus Christianorum
24 exstinguere nitebatur. *Et in me clarifi-*
cabant Deum, id est, de gratia et benefi-
ciis Dei mihi concessis, gratias Domino
retulerunt ex caritate fraterna, et Deum
in me famulo ejus honorabant, laudando
potentiam atque clementiam ejus, qui me
tam potenter misericorditerque convertit,
et tantam gratiam contulit.

ARTICULUS II

ELUCIDATIO CAPITULI SECUNDI : DEINDE POST ANNOS QUATUORDECIM, ETC.

1 DEINDE, expleta prædicatione in Sy- B
ria atque Cilicia, *post annos qua-*
tuordecim a Christi passione, in quibus
includuntur tres anni prædicti a Pauli
conversione, post quos prius venit Jeru-
salem, *iterum ascendi* a terris humiliori-
bus *Jerosolymam,* dum quæstio erat de
Act. xv, 4 et seq. legalium observatione (prout in Actibus
plenius enarratur), *cum Barnaba* ex Ju-
dæis converso, *assumpto et Tito* ex genti-
litate converso : quatenus horum testimo-
nio comprobarem, falsam esse assertionem
dicentium me aliud Judæis, aliud genti- C
2 bus prædicare. *Ascendi autem,* non meo
decreto, sed *secundum revelationem* Chri-
sti mihi ostensam. *Et contuli cum illis*
Jerosolymitis *evangelium quod prædico*
in gentibus, id est, de prædicatione et do-
ctrina evangelica quam annuntio genti-
bus, habui tractatum cum illis, generali-
ter tamen et quasi superficialiter. *Seorsum*
autem, id est in privato, separatim, con-
tuli particulariter et profunde *cum his qui*
videbantur veraciter *aliquid esse,* id est
ceteris præstantiores ac doctiores : per D
quos intelligit Petrum, Jacobum et Joan-
nem, sicut patebit post pauca. Ideo autem
contuli, *ne forte in vacuum,* id est infru-
ctuose, quantum ad auditores, *currerem,*
prædicando Evangelium Dei, *aut cucurris-*
sem inaniter. Prædicatio nempe apostoli
Pauli multis erat suspecta, quia cum Chri-
sto in carne conversatus non fuit, nec
cum ceteris Apostolis Spiritum Sanctum
recepit, nec inter Apostolos diu fuerat
conversatus. Ideo propter securos redden-
dos alios, necessarium sibi fuit Jerosoly-
mam ire et cum Apostolis loqui, ut eorum
auctoritate sua prædicatio roboraretur. Un-
de quod ait, Ne forte, etc., non sic est in-
telligendum quasi Apostolus aliquo modo
ambigeret de suæ prædicationis veritate ;
sed ad aliorum æstimationem refertur, qui-
bus prædicatio Pauli non profuisset, nisi
cum aliis contulisset Apostolis.
Ostenso quod doctrina Pauli ab Apo-
stolis commendata sit, ostenditur quod fa-
cta ejus laudata sint. *Sed neque Titus,* 3
qui mecum erat in Jerusalem, *quum esset*
gentilis ex utroque parente, nam Græcus
erat, *compulsus est* a veris Apostolis *cir-*
cumcidi : quamvis aliqui ex Judæis con-
versi, præcipue Pharisæi, niterentur ad
hoc : non enim idonea erant motiva eo-
rum. Cur ergo vos, Galatæ, circumcisio-
nem recipitis? *Sed propter subintroductos* 4
falsos fratres, id est propter quosdam si-
mulatores Judæos, hæreticos, vel omnino
in Judaismo induratos, qui callide inducti
fuerunt ad nostram societatem sub specie
religionis a pseudoapostolis, *qui* falsi fra-
tres *subintroierunt* nostrum conventum,
explorare, id est observare et experiri,
libertatem nostram, id est exonerationem
ab observantiis cærimonialium legis, *quam*
habemus in Christo Jesu, id est virtute et

merito Christi, qui nos ab onere tanto ab-
solvit merito suæ dignissimæ passionis,
in qua figuralia impleta sunt et finem
sumpserunt. Introierunt ergo non recta
intentione, sed *ut nos in servitutem* legis,
id est ad observantias legales, *redigerent:*
Act. xv, 10. quod erat onus adeo grave, quod neque
patres nostri, neque nos ferre potuimus.
Propter hos ergo restitimus : secundum
5 quod subditur : *Quibus neque ad horam,*
id est nullo temporis spatio, *cessimus* hac
vice in Jerusalem *subjectioni,* id est ad
hoc ut nos suæ voluntati aut legalium
observationi subjicerent, *ut veritas Evan-
gelii,* id est doctrina novæ legis, quæ do-
cet cessasse legalia, *permaneat apud vos,*
id est, in cordibus vestris firma et fixa
consistat. Adversariis namque veritatis et
fidei resistendum est rationabiliter, dum
fides seu veritas periclitaretur : et talis
resistentia non pertinet ad impatientiam,
sed justitiam.
6 *Ab his autem,* hoc est præ falsis fra-
tribus istis, *qui videbantur esse aliquid,*
id est majorem sapientiam et auctoritatem
possidere, videlicet veri Apostoli, Petrus,
Jacobus et Joannes, *quales,* id est quam
illitterati, pauperes, abjecti et modici, *ali-
quando fuerint,* antequam a Christo vo-
cati erant, imo usque post ejus resur-
Matth. IV, 18, 21. rectionem. Petrum namque et Joannem
piscatores fuisse certissimum est. Ideo *ni-
hil mea interest,* id est, ad me non per-
tinet de hoc magnam facere mentionem,
ne videar eos contemnere, aut me ipsum
jactare, qui ante conversionem mei, do-
ctus et dives, potens et nobilis eram, ut-
Act. XXII, 27. pote natus civis Romanus. Ideo etiam ad
me non pertinet illud narrare, quia nec
obest nec prodest : nam *Deus personam
hominis non accipit,* id est, propter hæc
naturalia et accidentalia exteriora, non
præfert unum alteri, sed propter dona di-
vina et merita. Unde non obest illis quod
tales fuerunt, nec ideo sunt spernendi.
Hinc etiam in Actibus Apostolorum ad-
Ibid. x, 34. struit Petrus : In veritate, inquiens, com-
peri quod non est personarum acceptor

A Deus. Nullum enim ad se redeuntem con-
temnit vel abjicit. Verumtamen, ideo Pau-
lus recitat ista, ut Galatæ sciant eum non
esse ignarum legalium, sed quantum ad
humanam pertinet instructionem, prædi-
ctis Apostolis fuisse eruditiorem. Unde
constat quod ab eis edoctus non sit.
Denique, demonstrato quod nihil in
sua doctrina correxerunt, nunc manifestat
quod nihil in ea suppleverunt. *Mihi au-
tem qui videbantur esse aliquid,* id est
prædicti magni Apostoli, *nihil contule-*
B *runt* de sapientia. Nam quidquid ab illis
audivi, ante cognovi ex revelatione divi-
na. *Sed econtra,* id est contra opinionem 7
adversariorum meorum, *quum vidissent*
Apostoli isti *quod creditum est mihi evan-
gelium præputii,* id est, quod mihi a Chri-
sto commissa esset prædicatio evangelica
gentibus incircumcisis proponenda, *sicut
et Petro* creditum est evangelium *circum-
cisionis,* id est prædicatio Judæis inferen-
da : non quod evangelia ista sint diversa
aut alia, sed unum evangelium diverse
C nominatur propter diversitatem hominum
quibus impenditur. *Qui enim operatus est* 8
Petro in apostolatum circumcisionis, id
est Christus qui Petro commisit offici-
um apostolatus sui exercere in populum
Judæorum, eos docendo et convertendo,
operatus est et mihi inter gentes, id est,
gentilium apostolum me constituit, et ef-
ficaciam inter eos mihi largitus est. Unde
Dominus : Vas, inquit, electionis est mihi *Act.* IX, 15.
iste, ut portet nomen meum coram gen-
tibus ; et alibi ad Paulum, Vade, quia ad *Ibid.* XXII, 21.
D gentes longe mittam te. Hæc quoque non
sunt intelligenda præcise, sed appropria-
te. Non enim sic dicitur Petrus Judæis
missus, quasi non sit missus ad gentes :
imo per eum primo conversi sunt Cor- *Ibid.* x.
nelius centurio, et qui cum eo erant gen-
tiles. Nec sic Paulus dicitur missus ad
gentes, quasi non sit missus ad Judæos :
sed sicut in Actibus legitur, ipse et Bar-
nabas longo tempore prædicaverunt solis *Ibid.* XIII, 5; XIV, 1.
Judæis. Sed ideo ista dicuntur, quia præ-
cipue erat Petro commissa conversio Syna-

gogæ, Paulo autem gentilitatis conversio.
I Cor. I, 22. Judæi quippe signa, Græci autem sapien-
tiam quærunt. Petrus ergo qui in signis
præfulsit, ad Judæos congrue missus est:
Paulus vero, in sapientia singularis, mis-
sus est Græcis. Non tamen simpliciter
præferenda videtur sapientia Pauli, sapi-
entiæ Archiapostoli.
9 *Et quum cognovissent gratiam*, id est
virtutem miraculorum et sapientiæ afflu-
entiam, prædicationisque præstantiam at-
que aptitudinem, *quæ data est mihi, Ja-*
Joann. I, 42. *cobus* Alphæi, frater Domini, *et Cephas*,
id est Petrus, *et Joannes* evangelista, *qui*
videbantur, id est, certo sciebantur et cer-
nebantur, *columnæ esse*, id est sua perfe-
ctione aliorum imbecillitatem sustentare,
Ecclesiam stabilire, et omnibus præfulge-
re, *dexteras dederunt mihi et Barnabæ*
societatis, id est, ad suam societatem nos
receperunt, atque in signum sodalitatis
et apostolicæ communionis dexteras suas
nostris dexteris inseruerunt, *ut nos in*
gentes prædicaremus, *ipsi autem in cir-*
10 *cumcisionem*, id est inter Judæos. *Tan-*
tum, id est, hoc solum adjecerunt, *ut*
pauperum memores essemus, qui omnia
Act. IV, 34, 35. sua vendentes, pretium posuerunt ante
Apostolos, et postea fame exorta, in magna
penuria fuerunt. Unde Apostoli rogave-
runt Paulum et Barnabam, ut gentes con-
versas hortarentur ad succurrendum istis
pauperibus. *Quod etiam sollicitus fui hoc*
ipsum facere, id est hanc commissionem
effectui commendare, inducendo gentiles
ad mittendum eleemosynas his egenis. Pa-
Rom. XV, 25-27; I Cor. XVI, 1, 2; II Cor. VIII, IX; etc. tet namque in diversis epistolis, quam
sollicitus fuerit Paulus pro collectis.
Sed circa prædicta quæri potest : Quum
Jacobus fuerit primus fidelium Judæorum
episcopus, cur non potius ipse quam Pe-
trus, dicitur ordinatus Judæorum aposto-
lus? Et respondendum, quod licet primi-
tivam Ecclesiam rexit in Jerusalem, non
tamen sic perambulavit Judæam evange-
lizando, ut Petrus.
11 *Quum autem venisset Cephas*, id est Pe-
trus, *Antiochiam*, urbem gentilium; *in*
A *faciem*, id est manifeste, *ei restiti*, quia
in veritatis evangelicæ defensione par ei
fui, *quia reprehensibilis erat*, incaute agen-
do. *Prius enim quam venirent quidam* ex 12
Judæis conversi, missi *a Jacobo* Antiochi-
am, *cum gentibus* conversis *edebat*, non
discernens inter cibos; *quum autem ve-*
nissent prædicti fratres a Jacobo, æmula-
tores legis, qui Christum et legem æquo
jure venerabantur, *subtrahebat et segre-*
gabat se Petrus a cibo et consortio genti-
um, *timens* offendere aut scandalizare *eos*
B *qui ex circumcisione erant*, id est ex po-
pulo Judæorum, nisi se hoc modo subtra-
xisset, et fratribus a Jacobo missis adjun-
xisset, gentibus derelictis. *Et simulationi* 13
ejus, videlicet Petri, qua se simulavit ser-
vare legalia, tanquam necessaria ad sa-
lutem, quum tamen ita non servaret ea
(simulavit enim se idem sentire cum fra-
tribus a Jacobo missis : qui etiam errave-
runt, putantes legalia de necessitate ser-
vanda; sed Petrus conformavit se eis, ut
eos paulatim corrigeret), *consenserunt ce-*
C *teri Judæi* conversi ad Christum, Antio-
chiæ demorantes, vitando cibos et come-
stionem gentilium, *ita ut Barnabas*, qui
mecum erat ordinatus gentium apostolus, Act. XIII, 2, 3.
duceretur ab eis, id est a Petro et Judæis
Antiochenis, *in illam simulationem*, cu-
jus exemplum vidit in Petro. Nam licet
Antiocheni isti et Barnabas, tanquam viri
perfecti, bene sentirent de legalium ces-
satione, eadem tamen intentione se gen-
tibus subtraxerunt et fratribus a Jacobo
venientibus conformaverunt, qua et Pe-
D trus. Hæc autem indiscreta simulatio gen-
tes scandalizavit, judaizareque fecit, quo-
niam gentes his visis, arbitrabantur legalia
necessario servanda. Ideo subditur :
Sed quum vidissem ego Paulus, *quod* 14
non recte ambularent, id est, non ju-
ste nec vere conversarentur, *ad veritatem*
Evangelii, id est secundum evangelicæ
veritatis tenorem : nam propter scanda-
lum evitandum omiserunt veritatem do-
ctrinæ novæ legis, secundum quam legalia
cessarunt post Christi passionem, quan-

tum ad obligationem et meritum ; *dixi* A *Cephæ* tanquam principali, *coram omnibus,* quoniam manifeste fecit id pro quo corripi meruit, ut et ejus correptione ceteri sanarentur, gentes quoque veritatem cognoscerent : *Si,* pro Quia, *tu,* Petre, *quum Judæus sis* natione, *gentiliter et non Judaice,* id est, secundum ritum et usum gentium conversaris, non Judæorum, *vivis,* non discernendo cibos, nec vitando gentiles communiter, quum hac vice aliter agas, *quomodo,* id est qua ratione, *gentes* conversas *cogis judaizare,* B id est legales cærimonias observare? Cogis, inquam, tuæ conversationis exemplo, quamvis non cogas doctrinæ imperio.

Dicit S. Hieronymus : Hunc locum nobis objecit Porphyrius, arguens Petrum de vitioso errore, et Paulum de procaci increpatione, imo nos omnes devicti dogmatis mendacio, dum inter se principes Ecclesiarum discordant. Unde ad satisfaciendum Porphyrio, et ad excusandum Petrum a culpa, Paulum quoque a præsumptione, Hieronymus dixit, quod Petrus non C vere neque ex animo post Christi passionem observavit legalia, sed solum quadam pia simulatione ac dispensatione, ad vitandum scandalum Judæorum. Sicque in prædicta subtractione et judaizatione Petri, erat simulatio in facto et apparentia. Et idem dicit Hieronymus de aliis Apostolis, qui post dominicam passionem legalia observasse leguntur. Asserit namque B. Hieronymus, quod legalia statim post Christi passionem omnibus erant mortifera quibus gratia novi Testamenti fuerat D publicata, si ea veraciter observarent : ad quod multas auctoritates et rationes adducit. Insuper dicit Hieronymus, quod Paulus non vere, sed dispensatoria simulatione reprehendit Petrum, quia nec Petrus vere reprehensibilis fuit, ut dicit : ita quod Paulus et Petrus condixerant sibi, ut Petrus se hoc modo a gentibus subtraheret et Judæis misceret, atque ob id Paulus eum argueret, ut videntes gentes tantum Apostolum reprehendi, cognoscerent non esse observanda legalia, nec ea servarent.

Porro huic positioni Hieronymi Augustinus contradicit, præsertim in tribus. Primo igitur ait, quod Petrus et alii Apostoli post Christi passionem interdum ex certa causa veraciter servaverunt legalia, ut patet in Actibus Apostolorum. Unde simulatio Petri, de qua nunc factus est sermo, non est intelligenda quantum ad opus exterius, seu exteriorem experientiam, sed quantum ad cordis intentionem, quoniam simulavit se consentire Judæis, ut expositum est. — Secundo, dicit Augustinus, quod legalia ante Christi passionem viva atque salubria erant, post promulgationem vero evangelicæ legis fuerunt mortua atque mortifera observantibus ea. Sed tempore intermedio mortua erant, ita quod nullum obligabant, nec aliquid profuerunt ; non autem mortifera Judæis conversis, quia sine peccato poterant observare ad tempus, ex rationabili causa, ita tamen ut spem in eis non figerent, quasi alicujus essent virtutis, vel sine eorum observatione non sufficeret gratia Christi ad veritatem salutis ; sed a gentibus conversis nullo modo erant servanda. Lex quippe, ut ait Augustinus, non erat a Judæis subito abjicienda, sicut a gentibus idololatria, ne videretur non fuisse divina. Eratque mater Synagoga cum honore ad tumulum deducenda, non subito obruenda. — Postremo, perhibet Augustinus Petrum a Paulo veraciter reprehensum, ita quod Petrus venialiter peccavit, indiscrete servando legalia coram gentibus, in scandalum earumdem cogens eas judaizare. Quod probat Augustinus per hoc quod Apostoli non debuerunt omittere veritatem doctrinæ propter vitandum scandalum Judæorum ; item, quoniam non est verisimile quod Paulus in epistola ad Galatas aliquid simulatorie scriberet. Rursus, si Petrus vere reprehensibilis non fuit, Paulus nec vere nec juste scripsit, quod in faciem restitit ei quia reprehensibilis erat, et quod non recte ambulavit

Act. x, 14, 28; xi, 1-3; xvi, 3; xxi, 26.

ad veritatem Evangelii. Si enim in divinis Scripturis inveniatur unum mendacium, tota veritas ejus nutabit. Hinc ergo Ecclesia magis consentit in hac parte dictis Augustini, quam S. Hieronymi.

Ad blasphemias quoque Porphyrii facile est respondere, videlicet quod non derogat evangelicæ legis veritati, quod ejus ministri quandoque venialiter peccaverint, aut in aliquo modico (quod fidem directe non respicit) erraverint : quia in his quæ fidem concernunt, summa concordia est. Increpatio etiam Pauli procax non fuit, sed ex justa libertate processit : quam et Petrus humiliter pertulit, ut discant prælati non indignari dum a subditis seu inferioribus juste corripiuntur.

Verumtamen B. Hieronymus super Isaiam quodam loco positionem suam multum seriose, instanter et fortiter stabilire conatur. — De hac vero materia in Glossa plenius continetur.

Consequenter ostendit Apostolus, quod
post Christi adventum et Evangelii prædi-
cationem, carnales observantiæ legis ces-
saverint, eo quod justificatio sit ex fide,
15 non autem ex lege. *Nos* Apostoli *natura*,
id est naturali origine, *Judæi* sumus ex
semine Patriarcharum prodeuntes, *et non
ex gentibus* sumus, id est de numero et
sorte gentilium, *peccatores* idololatræ ut
illæ, quamvis non simus ab omni pecca-
to immunes. Alibi tamen dicit Apostolus :
I Tim. I, 15. Venit Jesus peccatores salvos facere, quo-
rum primus ego sum. Sed nunc dicit,
Non ex gentibus peccatores, quoniam vi-
16 tia gentilitatis non contraxerunt. *Scientes
autem* ex revelatione divina et Scriptu-
rarum notitia, *quod non justificatur homo*
Judæus aut quicumque alius coram Deo,
ex operibus legis dumtaxat, id est per so-
la opera legis, præsertim cærimonialia,
imo nec per opera legis moralia, sine fi-
de, caritate et gratia Christi. Ideo subdi-
tur : *nisi per fidem Jesu Christi*. Fides
Hebr. XI, 6. enim est prima virtus, sine qua impos-
sibile est Deo placere ; nec sine ea un-
quam aliquis salvatus est. Sicut enim nos

A salvamur per fidem qua credimus Christum venisse, sic veteres salvabantur per fidem Christi venturi : imo illorum et nostrum una est fides, quamvis sit modo magis expressa. Tres quippe virtutes theologicæ ad salutem requiruntur, et in omnibus electis fuerunt, sicut et gratia gratum faciens. Hinc ergo *Et nos* Apostoli omnesque Christiani, *in Christo Jesu credimus*, id est, de Christo fidem ei placentem atque formatam habemus, *ut justificemur ex fide Christi, et non ex operibus legis*,
B fide seclusa. Opera autem legis, proprie appellantur carnales observantiæ, seu facta cærimonialia, quia cum lege constituta terminata sunt. *Propter quod*, id est sequitur quod, *ex operibus legis* secundum se sumptis, *non justificabitur omnis caro*, id est nullus homo. Ponit enim partem pro toto, carnem scilicet pro homine.

Quod si nos ipsi quærentes, id est cu- 17
pientes, *justificari in Christo*, id est in
fide et merito Christi, *inventi sumus et*
C *ipsi peccatores*, id est, eo ipso quod quæ-
rimus in Christo justitiam adipisci, pro-
bati et declarati sumus esse peccatores :
aliter enim non quæreremus in alio justi-
ficari ; *numquid Christus peccati minister
est?* id est, numquid Christus, qui jussit
nos lege relicta ad se confugere, est pec-
cati causa seu ministrator? Quod utique
sequeretur, si lex sine fide et gratia Chri-
sti posset salvare. *Absit*, ut Christus di-
catur peccati minister, hoc jubendo, quia
nec ego peccavi legem deserendo. *Si enim* 18
D *quæ destruxi, iterum hæc reædifico*, id
est, sic opera legis quæ omisi ac repro-
bavi, rursus assumo et approbo, *præva-
ricatorem me constituo*, id est, Deum of-
fendo hoc faciendo. *Ego enim per legem* 19
evangelicam, *legi* Mosaicæ *mortuus sum*,
id est, ab ejus observantia liberatus ac
mortificatus, *ut Deo vivam* vita gratiæ in
præsenti, et vita gloriæ in futuro, custo-
diens legem Christi in omnibus sine que- Philipp. III, 6.
rela. Lex etenim Christi virtute sacra-
mentorum suorum gratiam confert, sicque

justificat, non autem lex Moysis. — Ea A
vero quæ hic dicuntur de insufficientia
legis scriptæ et efficacia legis novæ, in
Rom. III-VIII. epistola ad Romanos plenius subtiliusque
conscripta atque tractata sunt.

Christo confixus sum cruci, id est, clavis amoris et piæ compassionis ac cruciformis imitationis, simul cum Christo confixus sum cruci seu propriæ mortificationis labori, sequendo vestigia ejus,
Luc. IX, 23. prout ipse ait : Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me. Unde et alibi B
Galat. v, 24. Apostolus : Qui enim sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Qui autem Christo crucifixo se ipsum conformat, cruci ejus affigitur, et ardor peccati virtute dominicæ crucis
Ps. CXVIII, 120. in ipso exstinguitur ; habetque carnes divino timore confixas, ne membra sua ad vitia solita extendantur.

20 *Vivo autem jam non ego,* id est, postquam Christo confixus sum cruci, vivo et non vivo. Vivo enim non solum vita naturæ, sed gratiæ; non vita humana, sed di- C
vina; non vita carnali, mundana et consueta, sed spirituali, cœliformi ac nova. Ideo subditur : *vivit vero in me Christus,* id est, non secundum me ipsum vivo seu ago, sed secundum Christi inspirationem, voluntatem atque doctrinam. Christus ergo vivit in me, id est, regnat in anima mea, et possidet me, facitque me in se vivere. Vivere autem, est actum vitalem habere. Amor vero transponit et mutat amantem in amatum. Dum ergo homo in Christi amore succenditur, crescit et per- D
ficitur, moritur in semetipso, quia non agit secundum propriam voluntatem, secundum naturalem inclinationem, secundum privatum amorem, sed secundum divinæ caritatis instinctum, et Christi jussionem atque consilium.

Quod autem nunc vivo, id est, bene et meritorie ago, *in carne* hac fragili, *in fide vivo Filii Dei,* id est, per virtutem fidei Christi ago, non propria potestate, aut legis subsidio. Justus enim ex fide Rom. I, 17.
vivit ; qui vero incredulus est, infideliter Is. XXI, 2.
agit. *Qui dilexit me :* sicuti ipse protestatur, Sicut dilexit me Pater, et ego di- Joann. XV, 9.
lexi vos ; rursusque per Prophetam, In Jer. XXXI, 3.
caritate perpetua dilexi te; *et tradidit semetipsum pro me :* prout dicit, Ego sum Joann. X, 14, 15.
pastor bonus, et animam meam pono pro ovibus meis. Hinc Propheta : Tradidit, Is. LIII, 12.
inquit, in mortem animam suam. Ecce quam affectuosissima prorsusque dulcissima verba. Quod enim generaliter pro omnibus factum est, Apostolus propter ardentissimam ad Christum dilectionem, quasi pro se solo, vel singulariter factum æstimat. Nam ut ait Chrysostomus : Hic est affectus servi fidelis, ut quod pro omnibus communiter fecit et pertulit Christus, quasi pro se tantum putet illum fecisse et pertulisse. Et utique merito hoc æstimare debemus, quoniam tanta est Christi misericordia, bonitas, et dilectio ad unumquemque nostrum, ut mallet pro quolibet sigillatim ac singulariter omnia facere et sustinere, quæ pro omnibus simul fecit et passus est, quam aliquem perire, quantum est ex parte ipsius.

Non abjicio gratiam Dei, id est, caritatem et beneficia divina mihi per Christum collata, non sperno nec desero, legi finaliter inhærendo. 21 *Si enim per legem justitia,* id est, si virtute et actibus legis homo justificatur, remissionem peccati et gratiæ infusionem adipiscendo, ut Judæi confidunt, *ergo Christus gratis,* id est sine causa necessaria, et quasi superflue, *mortuus est,* quum non sit mortuus, secundum Scripturas, nisi propter hominis justificationem, juxta illud propheticum : Spiritus oris nostri, Christus Dominus, ca- Thren. IV, 20.
ptus est in peccatis nostris.

ARTICULUS III

DECLARATIO CAPITULI TERTII : O INSENSATI GALATÆ !

OSTENSA cessatione legalium ex per-
fectione evangelicæ legis, nunc idem
ostenditur ex imperfectione legis Mosai-
1 cæ. *O insensati,* id est stulti insipientes-
que, *Galatæ!* Non incurrit Apostolus sen-
Matth. v, 22. tentiam Salvatoris, dicentis, Qui dixerit
fratri suo, Fatue, reus erit gehennæ ignis :
quia non ex contemptu aut malignitate,
sed zelo æquitatis et animo corrigendi in-
sensatos eos appellat. Sic enim et Chri-
Luc. xxiv, 25. stus dixit discipulis : O stulti et tardi
corde ad credendum ! *Quis vos fascina-
vit,* id est, more magorum ludificavit at-
que decepit, vel more inficientium oculos
falsitatis veneno immutavit et intoxica-
vit, *non obedire veritati,* id est veræ præ-
dicationi et justis præceptis evangelicæ
disciplinæ, per quam legalia excluduntur ?
Ante quorum oculos, id est in quorum
notitia evidenti, *Christus Jesus proscri-
ptus est,* id est, ad mortem damnatus, vel
aperte descriptus. Hoc enim vobis certis-
sime constat, quod Christus propter no-
stram salutem adjudicatus est morti, ip-
seque Christus vobis clare notificatus. *Et
in vobis* est *crucifixus,* id est, crucifixio
ejus cordibus vestris innotuit. Vel, In vo-
bis crucifixus, id est, vestri amore mor-
tem crucis sustinuit. Vel, In vobis cruci-
fixus, id est, vestra infidelitate et culpa
rursus quodammodo crucifixus videtur,
quia sic peccatis in eum uti qui eum cru-
cifixerunt. Unde et alibi de quibusdam
Hebr. vi, 6. asseritur : Rursus crucifigentes sibimet-
ipsis Filium Dei, et ostentui habentes.

Sciendum, quod fascinatio diversis mo-
dis accipitur, videlicet, pro magica ludi-
ficatione, pro invidia, pro immutatione
alterius, quam Avicenna dixit fieri posse
sola imaginatione unius in alium : quod

A Ægidius de Roma in libro contra erro-
res philosophorum, satis redarguit. Fit ta-
men interdum per quamdam materialem
effluxionem humorum nocentium, aerem
inficientium : sicut quorumdam urentes
infectique oculi teneros lædunt pueros, in
tantum ut escam evomant atque fastidiant.
Propter quod pueri tales fascinari dicun-
tur. Pro invidentia quoque sumi videtur,
quum in libro Sapientiæ dicitur: Fascinatio *Sap.* iv, 12.
malignitatis obscurat bona. Invidus nam-
que non solum sibi ipsi, sed etiam his no-
B cet in quibus aliqua bona esse incipiunt.

Hoc solum primo et præcipue *volo a* 2
vobis discere, id est per modum discentis
audire. Loquitur autem Apostolus ironi-
ce, et quærit hoc, non per modum du-
bitantis, sed admirantis, vel potius ex
obliquo apertissimum errorem ostenden-
tis. *Ex operibus legis,* id est virtute et
merito observantiarum legalium, *Spiri-
tum* Sanctum *accepistis* in signo visibili
(sicut frequenter fiebat in primitiva Ec- *Act.* viii,
clesia, quando baptizabantur fideles, et 17; xix, 5,6.
C manus Apostolorum eis imponebantur ;
vel si Galatæ non receperunt Spiritum
Sanctum in signo tali externo, tamen tam
copiosam gratiam perceperunt, ut certis-
sime pateret eos recepisse Spiritum San-
ctum), *an ex auditu fidei,* id est ex fide,
quæ per auditum acquiritur dispositive, *Rom.* x, 17.
a Deo autem efficienter ? Et quoniam cer-
tum est quod non receperunt Spiritum
ex operibus legis, quia gentiles erant, le-
gem non habentes nec observantes, sed
ex fide : nam quum ad Apostoli prædi-
D cationem crederent et baptizarentur, de- *Act.* xv, 8.
scendit in eos Spiritus Sanctus ; idcirco
in observatione legalium non consistit sa-
lus ipsorum, aut aliorum gentilium.

3 *Sic stulti estis,* id est divinorum co- A
gnitione privati, *ut quum Spiritu* Sancto
operante in vobis, *cœperitis* spiritualiter
vivere ; vel, Spiritu, id est a spirituali
fervore et interna devotione ; *nunc carne*
consummemini, id est in carnalibus ob-
servantiis legis et exterioribus exercitiis
perfectionem quæratis, imo carnales et
frigidi efficiamini. Hoc modo multi a spi-
ritu ordiuntur, et carnaliter terminant,
procedentes ordine retrogrado. Conveniens
etenim ordo est, a carnalibus ad spiritu-
alia scandere, non a spiritualibus ad car- B
4 nalia cadere, sicut iis accidit. *Tanta passi*
estis, id est, tam vehementer decepti fa-
scinatique estis a falsis, *sine causa,* id
est irrationabiliter ; *si tamen sine causa,*
quia fortassis propter peccata vestra me-
ruistis sic ludificari ; vel Deus propter
aliquid melius illud permisit. Vel sic :
Tanta passi estis, id est, multa jam ad-
versa passi estis pro Christo, *sine causa,*
id est sine fructu et præmio : nam legalia
observando et fallacibus credendo, pec-
castis mortaliter, et omne meritum perdi- C
distis ; *si tamen sine causa :* id est, non
absolute dico vos illa sine causa perpes-
sos, quoniam pœnitere potestis, sicque
reviviscent opera meritoria, quæ ante viva
fuerunt.
5 *Qui ergo tribuit vobis Spiritum* San-
ctum, videlicet Deus Pater, *et operatur*
virtutes, id est opera virtuosa seu signa,
Is. xxvi, 12. *in vobis :* omnia enim opera nostra ope-
ratus est in nobis ; *ex operibus legis* hoc
facit in vobis, *an ex auditu fidei?* Patet
autem quod non ex operibus legis (quæ D
nunquam perpetrastis) Deus hoc faciat,
sed ex auditu fidei, secundum sensum in-
ductum. Et ad hoc allegat Scripturam et
6 exemplum Abrahæ patriarchæ. *Sicut scri-*
Gen. xv, 6. *ptum est : Abraham credidit Deo,* sicuti
Rom. iv, 3, 18. Geneseos testatur historia : credidit enim
in spem et contra spem; *et reputatum est*
ei, secundum divinæ pietatis acceptatio-
nem, *ad justitiam,* id est, actu fidei suæ
justificatus est.
7 *Cognoscite ergo, quia qui ex fide sunt,*
id est, per fidem agunt, et vere fideles
consistunt, *hi sunt* spirituales *filii Abra-*
hæ, imitando fidem ac devotionem ipsius.
Providens autem, id est prudenter præ- 8
nuntians, *Scriptura,* seu Deus in Scriptu-
ris, *quia ex fide* sine cærimonialibus legis
justificat gentes conversas, *Deus prænun-*
tiavit Abrahæ : Quia benedicentur in te, Gen. xxii, 18.
id est in fidei tuæ imitatione seu Christo
ex te nascituro, *omnes gentes,* id est ali-
qui de omni genere hominum. *Igitur qui* 9
ex fide sunt, id est, qui per fidem in Deo
esse meritorium habent, *benedicentur,* id
est, divinarum gratiarum collationem re-
cipient, *cum fideli Abraham,* id est, sicut
benedictus est Abraham merito fidei suæ :
quamvis et illud meritum fuerit Dei do-
num, cujus est omne bonum. Jacob. i, 17.
Quod autem ex operibus cærimoniali-
bus legis nemo justificetur, ostenditur.
Quicumque enim ex operibus legis sunt, 10
id est, virtute legalium se posse salvari
confidunt, *sub maledicto sunt,* id est, trans-
gressionis periculo subjacent : quam eva-
dere nequeunt, quoniam Christi gratiam
non requirunt. *Scriptum est enim : Ma-* Deut. xxvii, 26.
ledictus omnis, vel simpliciter coram Deo,
vel reprehensione aliqua dignus est, *qui*
non permanserit per obedientiam *in om-*
nibus mandatis *quæ scripta sunt in libro*
legis Moysis, id est in Deuteronomio, ubi
resumuntur sub compendio præcepta di-
vina, in aliis Moysis libris præscripta, *ut*
faciat ea, id est, opere impleat, quoad
præcepta affirmativa. Hoc autem sine fi-
de et gratia Christi non potuit adimple-
ri : ideo lex mortem atque damnationem Rom. iv, 15.
ex occasione operabatur. Jussit enim, et
tamen gratiam obediendi non contulit.
Quoniam autem in lege scripta, id est 11
virtute et cærimoniis legis, seclusa fide
et gratia Christi, videlicet per solam le-
gem et actus ejus exteriores, *nemo justi-*
ficatur apud Deum, qui cordis inspector Prov. xxiv, 12; Sap. i, 6.
est infallibilis, *manifestum est* auctorita-
te Habacuc prophetæ, qui ait : *Quia justus*
ex fide vivit. Sic enim Scriptura dicit :
Ecce qui incredulus est, non erit recta Habac. ii, 4.

anima ejus in semetipso; justus autem A
in sua fide vivet. Christus quoque simi-
Joann. vi, 47. lia his loquitur sæpe, ut est illud : Qui
credit in me, habet vitam æternam; et,
Luc. xvii, 19. Fides tua te salvum fecit, etc. *Lex autem,*
12 quantum ad cærimonialia, de quibus jam
agitur hic, *non est ex fide,* id est, non
principaliter innititur fidei, quum non sit
Hebr. xi, 1. de incomprehensibilibus, quorum est fi-
des; *sed qui fecerit ea,* id est, cærimo-
nialia jussa impleverit, *vivet in illis,* id
est, corporalis mortis pœnas evadet, sed
vitam gratiæ non consequetur, nisi opera B
illa operata, ex interna caritate et fide
ducant originem.

Insuper manifestat Apostolus, quod a
Christo derivetur ad nos justificatio et
13 benedictio. *Christus nos redemit,* id est,
merito suæ dignissimæ passionis absolvit,
de maledicto legis, id est de jugo, dam-
natione et pœna quam lex transgressori-
bus infligebat. Absolvit enim nos, id est
Judæos, ab obligatione seu debito servan-
di legem, et per consequens a maledicto
sequenti. *Factus pro nobis maledictum,* id C
est pro nostra salute maledictionem ho-
minum passus : quia et culpam ei ad-
scripserunt, et pœnam tanquam impio in-
flixerunt. Quod totum ipse propter nos
pati dignatus est, sicut per Psalmistam
Ps. lxviii, 5. testatur : Quæ non rapui, tunc exsolve-
Ibid. 20. bam; et, Tu scis improperium meum et
confusionem meam. Hinc quoque Isaias
Is. liii, 12. dixit : Cum sceleratis reputatus est. *Quia*
Deut. xxi, 23. *scriptum est : Maledictus* maledictione cul-
pæ, et merito reprobatus, *omnis* homo
qui pendet in ligno pro suis sceleribus. D
Sed hoc in Christo locum non habet. Quo-
modo ergo Apostolus applicat auctorita-
tem istam ad Christum, nisi quantum ad
hoc, quod Christus cum ceteris maledi-
ctis et impiis crucifixis reputatus est a
reprobis, imo et assimilatus per pœnas?
Ps. lxxxvii, 5. Propter quod ait per Prophetam : Æsti-
matus sum cum descendentibus in lacum;
Ps. xxi, 7. item, Ego autem sum vermis et non ho-
mo, opprobrium hominum et abjectio
plebis.

Itaque Christus nos Judæos redemit de
maledicto legis, *ut in gentibus,* quæ non 14
erant sub legis maledicto, *benedictio Abra-
hæ fieret,* id est, gratia Abrahæ promissa
diffunderetur, *in Christo Jesu,* id est vir-
tute et merito Christi, seu per Christum,
tanquam per mediatorem; *ut pollicitati-
onem Spiritus,* id est æternam felicitatem
a Spiritu Sancto (qui nobis datus est in II Cor. i, 22;
pignus et arrham futuræ beatitudinis) re- v, 5; Ephes. i, 14.
promissam, *accipiamus* post præsentis pe-
regrinationis exsilium, *per fidem,* non per
opera legis, quibus lex ab Evangelio di-
stinguitur, puta per cærimonialia seu ju-
dicialia : de operibus autem moralibus
non est sermo.

Præterea, probat Apostolus per huma-
næ consuetudinis observantiam, quod ju-
stitia et beatitudo et Spiritus Sanctus de-
betur per fidem, non per opera legis.
Fratres (secundum hominem dico, id est, 15
per humanam consuetudinem probo quod
dixi), *tamen hominis testamentum confir-
matum nemo spernit :* id est, quamvis
in rebus humanis sit magna instabilitas,
tamen hominis cujuscumque testamentum,
id est ordinationem de successione here-
ditatis, confirmatum testibus, signis, seu
morte testatoris (testamentum enim in Hebr. ix, 17.
mortuis confirmatum, imo et immobili-
tatum est), nemo spernit tanquam inva-
lidum; *aut superordinat,* id est, aliquid
ei adjungit, aut de rebus alio modo dis-
ponit, si tamen sit homo rationabiliter
agens, fueritque testamentum rite per-
actum. Multo igitur fortius divinæ dispo-
sitiones seu promissiones firmæ erunt et
invariabiles. De quibus subjungitur :

Abrahæ dictæ, id est divinitus factæ, 16
sunt promissiones diversæ, vel una fre-
quenter, ut patet in diversis capitulis li-
bri Geneseos. Facta est enim ei promissio Gen. xv, 7;
de possessione Terræ sanctæ, per quam xvii, 8.
mystice designatur possessio terræ viven-
tium seu patriæ Beatorum; de innumera- Ibid. xv, 5;
bili quoque multiplicatione seminis sui, xxii, 17.
præsertim spiritualis, id est fidelium qui
per fidem ejus filii sunt; et quod in se-

Gen. XII, 3; XVIII, 18; XXII, 18. mine suo benedicerentur omnes gentes. *Et*
semini ejus, id est Christo filio Abrahæ
secundum naturam assumptam, factæ sunt
promissiones : non quod ad eum fiebant,
sed quoniam pertinebant ad eum, tan-
quam implendæ per ipsum. Per Christum
namque data est benedictio omnibus gen-
tibus, quæ erat principalis promissio Abra-
hæ facta. Ideo subditur : *Non dicit* Scri-
ptura Geneseos, *In seminibus, quasi in*
multis, id est, promissionem factam se-
mini Abrahæ Scriptura non exprimit plu-
raliter, dicendo ad Abraham, In seminibus
tuis benedicentur omnes gentes : quod
faceret, si de pluribus loqueretur ; *sed*
quasi in uno, id est, singulariter nomi-
nat semen istud, dicendo : *Et semini tuo,*
qui est Christus, id est, in Christo ex te
nato benedicentur omnes gentes. Sic enim
Ibidem. ad Abraham dictum est : In semine tuo
benedicentur omnes gentes.

17 *Hoc autem dico* quod subditur, scili-
cet : *Testamentum confirmatum a Deo,* id
est promissionem ad Abraham factam, per
Christum implendam, videlicet de omni-
um gentium benedictione in Christo, *quæ*
post quadringentos et triginta annos fa-
cta est lex, id est lex scripta quæ facta
est, id est Moysi data in monte Sinai, post
quadringentos et triginta annos a tempo-
Ibid. XII, 3. re promissionis quæ primo facta est Abra-
hæ venienti de terra Chaldæorum, *non*
irritum facit, id est, promissionem præ-
dictam divino juramento firmatam non
falsificat, *ad evacuandam promissionem*
hanc suo effectu, videlicet impediendo im-
pletionem ipsius : quod tamen faceret, si
per legem daretur benedictio illa, quæ
est hereditas sempiterna. Hæc enim pro-
missio Abrahæ facta, et per semen ejus
(id est Christum) implenda, diu præces-
sit legislationem. Si ergo bonum per eam
promissum, puta benedictio hæc, daretur
per legem, primo sequeretur quod non
esset ex promissione ; secundo, quod fru-
stra fieret mentio de semine Abrahæ, qui
est Christus ; tertio, quod Abraham, Isaac,
Jacob et ceteri Sancti qui ante legem fu-

A erunt, divina benedictione caruissent, ne-
que æternam hereditatem essent adepti.
Unde certissime liquet quod a principio
mundi, per fidem Christi futuri dabatur
hominibus benedictio gratiæ et salutis.

Sed quæri potest, quomodo ei quod
nunc dicit Apostolus, legem datam post
annos quadringentos et triginta a promis-
sione Abrahæ facta, concordet quod idem
dicit Apostolus in Actibus : Sorte distri- *Act.* XIII, 19, 20.
buit eis terram eorum, quasi post qua-
dringentos et quinquaginta annos. Lex
B enim data est primo anno egressionis ab
Ægypto ; distributio vero terræ facta est
post quadraginta annos ab egressione præ-
dicta : et ita secundum ratiocinationem
hic habitam, distributio terræ facta esset
post annos quadringentos et septuaginta,
vel circiter. Quæritur etiam, quomodo iis
concordet quod legitur in Exodo : Habita- *Exod.* XII, 40, 41.
tio autem filiorum Israel qua manserunt
in Ægypto, fuit quadringentorum trigin-
ta annorum, quibus expletis, eodem die
egressi sunt. Si enim tamdiu in Ægypto
C manserunt, non poterunt anni de quibus
jam tractat Apostolus, computari a pro-
missione Abrahæ facta, sed ab ingressu
Jacob in Ægyptum. — Et respondendum,
quod anni de quibus Moyses in Exodo
loquitur, secundum doctores, computan-
tur a promissione primo facta Abrahæ
usque ad legislationem. Porro ab exitu
Abrahæ de Chaldæis, quum primo facta
est ei divina promissio, usque ad descen-
sum Jacob in terram Ægypti, fluxerunt
anni ducenti et quindecim ; deinde us-
D que ad mortem Joseph anni septuaginta
unus ; inde usque ad egressum de Ægypto,
centum quadraginta quatuor : qui simul
juncti, prædictum numerum constituunt.
Anni vero de quibus in Actibus legitur,
computantur ab alio exordio, scilicet a
nativitate Isaac, secundum Bedam, quando
et dictum est Abrahæ quod semen suum *Gen.* XV, 13.
accola esset in terra aliena annis quadrin-
gentis. Hæc secundum alios dicta sunt.
Non enim apposui cor meum hac vice ad
considerandum tempora ista attentius.

Quod autem promissio evacuaretur, si A
ex lege esset benedictio, pandit Aposto-
18 lus. *Nam si ex lege* daretur *hereditas*, id
est benedictio gratiæ, seu vita felicitasque
æterna, *jam non ex promissione* daretur,
sed ex alia causa, videlicet lege, et ita
Abraham esset frustratus spe sua : quod
dici non potest, sicut subjungitur. *Abra-
hæ autem per repromissionem* de Christo
ei sæpius factam, seu per fidem Christi
promissi, *donavit Deus* hereditariam be-
nedictionem cœlestem : de qua ad eum
Gen. xv, 1. dicebat, Ego protector tuus sum, et mer- B
ces tua magna nimis.

Sed quia ex dictis sequi videtur quod
lex omnino erat inutilis, quærit Aposto-
lus, ut nostræ dubitationi respondeat :
19 *Quid igitur lex?* id est, cur data est, et
quæ ejus utilitas? Et respondet : *Propter
transgressiones*, id est peccata hominum
reprimenda ac punienda, *posita est*, qua-
tenus homines saltem timore pœnarum
quæ determinantur in lege, retraherentur
a vitiis, *donec veniret semen*, id est, Chri-
stus per incarnationem mundum intraret, C
cui repromiserat, id est, de quo Deus pro-
misit quod per ipsum implerentur pro-
missiones divinæ, sicut ad Abraham dixit :
Ibid. xxii, 18. In semine tuo benedicentur omnes gentes.
Lex, inquam, *ordinata*, id est ordinate
collata a Deo, *per angelos* Moysi. Unde
Act. vii, 53. Stephanus dicebat Judæis : Accepistis le-
gem in dispositione angelorum. *In manu
mediatoris*, id est, lex ista posita est in
potestate Christi, ita ut ipse eam posset
mutare, et ei finem imponere, nec esset
necessario ei subjectus. Propter quod aie- D
Matth. xii, 8. bat : Dominus est Filius hominis, etiam
sabbati. Sic communiter exponitur. Sed
videtur hoc loco per mediatorem, Moyses
posse intelligi, per cujus manum, id est
ministerium, data est lex. Moyses enim
inter Deum et populum Israel fuerat me-
Lev xxvi, 45; *Deut.* v, 5. diator, sicut et ipse interdum testatur.
Constat ergo quod lex data sit Moysi, non
solum unius ministerio angeli, sed mul-
torum, quamvis communiter non fiat men-
tio in libris Moysis nisi de angelo sin-
gulariter, qui etiam frequenter Dominus
nominatur, cujus persona apparuit ac lo-
quebatur. *Mediator autem unius non est* 20
dumtaxat, sed duorum extremorum, inter
quæ mediat, et ea connectit; *Deus autem
unus est* in essentia. Tanquam dicat : Li-
cet Christus sit mediator Dei et homi- I *Tim.* ii, 5.
num, est tamen idem Deus cum Patre et
Spiritu Sancto.

Lex ergo adversus promissa Dei? id 21
est, quum lex propter transgressiones po-
sita sit, numquid ex hoc sequitur legem
esse contrariam promissioni divinæ, ita
ut irritam faciat eam, eo quod ex ipsa
lege detur hereditas sempiterna, et non
potius ex promissione divina, sicut pro-
missionis forma continuit? *Absit*. Quod
si ita esset, lex promissionem excluderet;
sed quod non sit ita, subjungitur : *Si
enim data esset* per Moysen *lex quæ pos-
set vivificare*, vitam gratiæ conferendo;
vere ex lege, id est observantia legis, *esset
justitia* infusa et meritoria, quæ efficit
dignum vita æterna, et non ex promis-
sione. *Sed conclusit*, id est, esse osten- 22
dit, convicit, et accidenter fecit, *Scriptura*, *Rom.* iii, 9;
id est lex scripta, *omnia* genera homi- xi, 32.
num, seu omnes Judæos, *sub peccato*, non
solum originali, sed etiam actuali. Per le-
gem enim erat peccati cognitio directe,
et item peccati augmentatio indirecte :
primo, quia in vetitum nitimur; secun-
do, quia post prohibitionem peccare, gra-
vius est quam ante. *Ut promissio*, id est
promissa beatitudo et gratia, *ex fide Je-
su Christi daretur credentibus*. Per fidem
enim Christi salutem consequimur.

Ostenso quod lex retraxit a malo, jam
declarat quod disponebat ad bonum. *Prius* 23
autem quam veniret fides christiana, id
est, antequam catholica fides publicata
fuisset, *sub lege custodiebamur*, id est,
per legis observationem ab adversariis no-
stræ salutis protegebamur, *conclusi*, id est
de necessitate inducti, nos Judæi de qui-
bus ista dicuntur, *in eam fidem quæ re-
velanda erat*, id est in fidem catholicam,
in qua publice credenda proponuntur quæ

in veteri Testamento occultabantur. Non A
enim potuerunt Judæi per legem salvari,
nisi habendo fidem de Christi adventu :
24 ita ut ad fidem confugere cogerentur. *Ita-
que lex pædagogus,* id est manuductor,
noster, scilicet Judæorum, *fuit in Christo
Jesu,* id est secundum Christi voluntatem
ac dispositionem, qui ita instituit, ut Ju-
dæi per legem quasi manuducerentur ac
dirigerentur ad Salvatorem et fidem ex-
plicitam; vel, In Christo Jesu, id est in
observationibus mandatorum a Christo da-
torum, sine quibus lex nullum ad vitam B
Rom. x, 4. perduxit; *ut ex fide justificemur,* creden-
do in Christum. Dicitur autem pædago-
gus proprie ductor puerorum seu pueri,
a παιδός, quod est puer, et ἀγωγή, ductio.
Quemadmodum ergo pædagogus puerum
insolentem et imperfectum ad perfectio-
nem perducit, vitia ejus per pœnas et
minas comprimendo, sic lex populum Is-
rael carnalem ac rudem præparavit ad
Christum.
25 Consequenter tangitur legis cessatio. *At
ubi,* id est quando seu postquam, *venit* C
fides catholica, id est, quum promulgata
est fides evangelica, *jam non sumus sub
pædagogo,* id est, ad legis custodiam non
26 tenemur. *Omnes enim filii Dei estis* ado-
ptivi *per fidem* formatam, *in Christo Je-
su,* id est per fidem Christi, seu exsi-
stentem in Christo sicut in objecto. Unde
Joann. i, 12. Joannes evangelista testatur : Quotquot re-
ceperunt eum, dedit eis potestatem filios
27 Dei fieri. *Quicumque enim in Christo,* id
est in nomine Christi, vel in forma a

Christo præscripta, videlicet, in nomine *Matth.* xxviii, 19.
Patris et Filii et Spiritus Sancti, *baptiza-
ti estis, Christum* spiritualiter *induistis,*
id est, gratia ejus ornati, ejusque passi-
oni ac morti conformati estis, habentes
Christum in cordibus vestris morantem.
De hac materia plenius dictum est supra In Rom. vi, 3 *et seq.*
ad Romanos.
Non est Judæus neque Græcus, non 28
*est servus neque liber, non est masculus
neque femina,* id est, diversitas generis,
conditionis et sexus, nil facit quantum *Act.* x, 34, 35.
ad fidei statum et dignitatem. Non enim
propter ista est alius melior alio, sed
propter dona infusa et supernaturalia.
Omnes enim vos baptizati, cujuscumque
sitis generis, conditionis aut sexus, *unum
estis* per fidem et caritatem, et unum my-
sticum corpus, *in Christo Jesu :* secun-
dum quod ipse orabat : Pater, rogo ut *Joann.* xvii, 21, 23.
omnes sint unum, sicut tu, Pater, in me,
et ego in te, ut sint consummati in unum.
Si autem vos Christi estis, id est, per 29
fidem et gratiam ad Christum pertine-
tis, *ergo semen Abrahæ estis,* id est spiri-
tuales filii ejus, sectando ipsius vestigia;
secundum promissionem Abrahæ factam,
heredes vitæ æternæ, id est, futuræ bea-
titudinis possessores eritis, sicut promis-
sum est Abrahæ. Si enim filii, et here- *Rom.* viii, 17.
des. Eadem quoque ratione fideles vocari
possunt filii Jacob, Isaac, atque similium
Prophetarum et Patriarcharum. De ces-
satione autem legis præfata dicit Salva-
tor : Lex et Prophetæ usque ad Joannem *Luc.* xvi, 16.
Baptistam.

ARTICULUS IV

ELUCIDATIO CAPITULI QUARTI : DICO AUTEM : QUANTO TEMPORE HERES PARVULUS EST.

PROBATA legis cessatione per exempla D
et rationes, nunc idem ostenditur per
1 humanæ consuetudinis similitudinem. *Di-
co autem* quod subditur, scilicet : *Quanto*
tempore, id est quamdiu, *heres parvulus
est,* id est infra annos discretionis, *nihil
differt a servo,* quantum ad liberum usum
hereditatis sibi relictæ, sed cogitur disci-

plinari rigore, nec aliquid facere aut pro-
pria dispensare permittitur, nisi juxta vo-
luntatem eorum quibus a parentibus est
commissus, *quum sit dominus omnium,*
id est, quamvis tota hereditas ad eum per-
2 tineat; *sed sub tutoribus,* id est defen-
soribus, qui eum ab adversariis prote-
gant, *et actoribus,* id est causatoribus seu
curatoribus, qui causas ejus expediant
eumque in moribus instruant, *est usque
ad præfinitum,* id est determinatum, *tem-
pus a patre* ejus, videlicet usque ad an-
nos discretionis, vel amplius, prout patri
placuerit. Solebant enim antiquitus patres
morituri determinare, ut usque ad illud
vel illud tempus, filii sub tutorum et ac-
torum dominio essent.
3 *Ita et nos* Judæi, *quum essemus par-
vuli,* id est virtutibus imperfecti, et in
divinorum notitia modici, *sub elementis
mundi hujus,* id est sub cærimonialibus
legis præceptis, *eramus servientes* Domi-
no Deo, servitute incompleta et super-
ficiali. Dicuntur autem præcepta cærimo-
nialia, elementa, quoniam erant quædam
primordiales institutiones ad fidem atque
justitiam. Appellantur quoque elementa
mundi, quia terrena bona habebant in
præmium, secundum legis promissa. Hæc
autem legalia, sub quibus Domino mi-
nistrabant Judæi, eis erant tutores, id est
contra dæmonum insidias defensores; et
actores, quoniam causam eorum coram
Deo agebant, qui per sacrificia placabatur.
4 *At ubi venit plenitudo temporis,* id est,
statim quum adimpletum est tempus di-
vinitus præordinatum ut in eo Filius Dei
fieret homo, *misit Deus* Pater paterna au-
ctoritate, id est, in mundo visibiliter ap-
parere conversarique voluit, *Filium suum*
unigenitum, sibi consubstantialem, coæter-
num et coæqualem. Non itaque misit Pa-
ter Filium suum, quasi Filius in sui missi-
one locum mutaverit, quum sit immensus
et omnia implens, sicut et Pater; sed id-
eo missus dicitur, quoniam Patre volente
et operante, carnem assumpsit, atque in
mundo novo modo apparuit. *Factum,* id

A est genitum, secundum assumptam natu-
ram, *ex muliere,* inviolata Virgine bene-
dicta, de qua Jeremias vaticinabatur: No- *Jer.* XXXI, 22.
vum creavit Dominus super terram: Mulier
circumdabit virum. Est autem Hebræi idi-
omatis consuetudo, ut quæcumque femi-
nei sexus persona, mulier nuncupetur.
Factum sub lege, id est legis præceptis
sponte subjectum, in circumcisione, obla- *Luc.* II, 21, 22.
tione, et aliis multis. *Ut eos qui sub lege* 5
erant, id est Judæos legalibus mandatis
adstrictos, *redimeret* merito suæ humili-
B tatis ac passionis, non solum a morte pec-
cati et gehennæ, sed etiam a legalium ob-
servatione, *ut adoptionem filiorum,* id est
effectum adoptionis divinæ qua adoptan-
tur homines a Deo, videlicet gratiam gra-
tificantem in præsenti, et gloriam con-
summantem in cœlo, *reciperemus.* Christi
enim descensio, nostri est sublimatio; et
ejus incarnatio, nostri utique deificatio
creditur. Hæc de visibili missione Filii
Dei inducta sunt. Est autem et alia, vide-
licet invisibilis missio Filii Dei, qua ad
C animas sanctas atque fideles increata Dei
Sapientia mittitur, juxta illud Sapientiæ:
Mitte illam de cœlis sanctis tuis, ut me- *Sap.* IX, 10.
cum sit, et mecum laboret.
Porro quid ex divina adoptione sequa-
tur in nobis, pandit Apostolus. *Quoniam* 6
autem estis, o Galatæ ceterique fideles,
filii Dei adoptivi ab æterno electi, ideir-
co in signum filiationis istius, *misit Deus*
Pater *Spiritum Filii sui,* id est Spiritum
Sanctum a Patre Filioque manantem tan-
quam ex uno principio, et eosdem necten-
D tem, *in corda nostra**: id est, dona Spi- * alias *vestra*
ritus Sancti ubique exsistentis, mentibus
nostris infudit. Tunc enim Spiritus San-
ctus dari et mitti asseritur, quum dona
ejus gratifica conferuntur, sicut plenius *Rom.* VIII, 10-15.
dictum est supra. *Clamantem,* id est, nos
fiducialiter clamare facientem ad Deum
omnipotentem et trinum: O *Abba (Pater).*
Duo nomina ista idem significant. Abba
autem est nomen Hebræum, quod nomi-
ne patris exponitur. Itaque Spiritus San-
ctus probat nos esse filios Dei. Nam ut

probaremur adoptati a Deo in filios, Spi- A
ritum suum tribuit nobis in signum et
arrham, ut ostendat affectum Patris in
nos, detque fiduciam appellandi Deum,
Patrem.
7 Ex his infert Apostolus : *Itaque,* id est,
quoniam Spiritus Sanctus facit nos cla-
mare, Abba (Pater), *jam* tempore evange-
licæ legis, *non est* aliquis vere credenti-
um, *servus* subjectus servitio timoris : de
Joann. VIII, 35. quo servo scriptum est, Servus non ma-
Ibid. XV, 15. net in domo in æternum; et alibi, Jam
non dicam vos servos, sed amicos; *sed fi-*
lius est. *Quod si filius* Dei adoptivus est
homo credens, sequitur quod *et heres* vi-
tæ æternæ erit *per Deum,* id est a Deo,
vel per misericordiam Dei. Unde dicitur :
Ibid. VIII, 35. Filius manet in domo in æternum.
Insuper, increpat ingratitudinem Gala-
8 tarum. *Sed tunc quidem,* id est tempore
gentilitatis vestræ, *ignorantes Deum* ve-
rum, *his qui natura non sunt dii,* sed
vana hominum æstimatione, id est, qui
veram deitatem non habent, *serviebatis,*
Rom. I, 25. videlicet idolis, et creaturis potius quam
9 Creatori. *Nunc autem quum* per meam
prædicationem et Spiritus Sancti illustra-
tionem *cognoveritis Deum* fide formata,
quamdiu stetistis in gratia, *imo cogniti*
sitis a Deo per approbationem, ad minus
secundum præsentem justitiam quando in
gratia statis ; *quomodo convertimini ite-*
rum, id est, a fide et cultu novæ legis
reditis, *ad infirma et egena elementa,* id
est præcepta legis cærimonialia ? Quæ di-
cuntur elementa propter rationem prædi-
ctam. Dicuntur quoque infirma, quoniam
non sufficiunt ad salutem; et egena, eo
quod gratiam non continebant, nec justi-
ficabant. Sed quum Galatæ ante sui con-
versionem gentiles fuerint, nec unquam
servaverint legem, quomodo dicit eis Apo-
stolus, Convertimini iterum ad infirma et
egena elementa, *quibus denuo servire vul-*
tis ? Respondet Hieronymus, quia tempo-
re novæ legis, observantia cærimonialium
idem seu par peccatum est cum idolo-
latria.

Dies, videlicet sabbata, dies azymorum 10
et expiationum, *observatis,* id est, colitis
atque attenditis more ac ritu Judæorum,
et menses, id est neomenias, et mensem
primum ac septimum, *et tempora* egres-
sionis ex Ægypto, *et annos,* id est annum
septimum remissionis, et quinquagesimum
jubilæum. Quidam exponunt hæc de re-
ditu ad idololatriam, et de superstitiosa
observatione temporum, elementorum ac
siderum, secundum quam aliqui dicunt :
Tali tempore, die, seu anni initio, nihil
B est inchoandum, agendum, seu patien-
dum. Sed non videtur pertinere ad præ-
sens. Non enim reprehenduntur Galatæ de
reditu ad idololatriam, sed quod pseudo-
apostolis crediderunt : qui utique non
idololatriam, sed legalia docuerunt.
Timeo vos, id est de vobis, ut qui jam 11
a Deo deviatis, *ne forte sine causa,* id est
fructu et utilitate, *laboraverim in vobis,*
prædicando, et alia bona ad vestri conver-
sionem spectantia operando. Timeo nam-
que ne penitus pereatis. *Estote sicut ego,* 12
C legalia dimittendo, sicut ego ea dimisi,
quia et ego sum sine lege, *sicut vos* sine
ea fuistis, et nunc esse debetis.
Præterea sanctus Apostolus, more sapi-
entissimi medici, post asperam correpti-
onem adjungit dulcem et consolatoriam
admonitionem; pristina quoque Galatarum
bona commendat, ne consideratione præ-
teritorum malorum desperent. *Fratres, ob-*
secro vos, id est, per sacra rogo, videlicet
converti ad evangelicam veritatem. Et fi-
ducialiter obsecro : nam *nihil me læsi-*
D *stis,* id est, in nullo me offendistis directe
quoad personam meam, quamvis vehe-
mentissime doleam de hoc quod Deum
offendistis, propriamque salutem negligi-
tis. *Scitis autem quia per infirmitatem* 13
carnis, id est cum magna corporis affli-
ctione et persecutione, quam ab aliis pas-
sus fui antequam vobis prædicare incepi,
evangelizavi vobis fidem Christi *jampri-*
dem, id est, dudum quum apud vos eram.
Et tentationem vestram vobis a dæmone
infusam *in carne mea,* id est de afflictio-

nibus corporis mei (tentavit enim eos dia- A
bolus, ne personæ tam abjectæ, ut vi-
debatur esse Apostolus, tamque afflictæ,
14 fidem adhiberent), *non sprevistis neque*
respuistis, id est, non inadvertenter eam
admisistis, nec parvi pendistis tentatio-
nem hanc dæmonis, sed digne restitistis.
Sed sicut angelum Dei excepistis me, id
est, cum ingenti reverentia personam me-
am tractastis, verba mea audistis, rationi-
bus consensistis, imo *sicut Christum Je-*
sum me suscepistis, id est, tam caritative
ac honorifice velut si Christus in propria B
persona visibiliter venisset ad vos, qui et
Is. IX, 6, juxta LXX. ipse est magni consilii Angelus. *Ubi est*
15 *ergo beatitudo vestra?* id est, quum olim
tam virtuose egeritis, ubi est nunc meri-
tum vestrum? tanquam dicat : Mirum est
quod a tanta perfectione sic subito cadi-
tis. Quod autem tam reverenter me susce-
pistis, jamque in spe beati fuistis, hinc
patet : *Testimonium enim perhibeo vobis,*
quia si fieri potuisset, id est licuisset,
oportuisset, vel mihi expediens fuisset,
oculos vestros, qui sunt membra carissi- C
ma, *eruissetis et dedissetis mihi,* ex nimia
caritate. Est autem consuetudo Scriptu-
ræ, ut dicatur non posse fieri, quod non
16 fit juste. *Ergo,* id est, quum hæc ita se
habeant, sequi videtur quod *inimicus vo-*
bis factus sum, verum dicens vobis, id est
ob hoc quod vos juste atque veraciter in-
crepo et informo : nam aliam causam ini-
micandi mihi non habetis, quia in nullo
offendi vos.
17 *Æmulantur,* id est diligunt, *vos* falsi
non bene, id est non ordinate, sed carna- D
liter et perverse; *sed excludere vos volunt*
a mea dilectione, ab evangelica veritate,
a regno cœlesti, *ut illos æmulemini,* id
18 est, sectemini et ametis præ nobis. *Bo-*
num autem, id est actum virtuosum seu
hominem bonum, *æmulamini,* id est, ama-
te atque sectamini, *in bono,* id est bona
intentione, et propter finem bonum, seu
propter ipsum bonum honestum in se,
non propter utile aut delectabile : quo-
niam hæc est sola vera et sincera dilectio,

quæ fundatur in bono honesto. Hoc autem
facite *semper,* quia qui perseveraverit us- *Matth.* X, 22.
que in finem, salvus erit; *et non tantum*
quum præsens sum corporaliter *apud vos,*
ne videamini bona agere potius mei ti-
more sive intuitu, quam divino amore at-
que respectu. Decet enim subditos in ab-
sentia sui prælati diligentius custodire ea
quæ Dei sunt et honestatem concernunt,
quam in ejus præsentia, propter causam
prædictam, et etiam quia tunc magis ne-
cessarium est, et est signum quod homo
divino stimuletur amore.

Denique, declarata gravi conditione ex-
sistentium sub lege, per humanæ consue-
tudinis exemplum, nunc idem declarat
per legis divinam auctoritatem. *Filioli* 19
mei, qui parvi estis in perfectione virtu-
tum, *quos iterum parturio,* id est, cum
dolore et planctu spiritualiter regenero,
transferendo vos de non esse spirituali ad
esse spirituale, per hujus epistolæ docu-
menta, *donec formetur,* id est recipiatur
ac describatur, *Christus in vobis,* id est
in cordibus vestris per fidem puram, ju-
gem memoriam, et dilectionem firmatam.
Vellem autem apud vos esse modo corpo- 20
rali præsentia, si negotia paterentur, *et*
mutare vocem meam, id est aliter vobis
proprio ore loqui quam scribo, increpando
vos durius quam scribere volo; *quoniam*
confundor, id est, apud alios erubesco,
in vobis, id est de vestri seductione. —
Consequenter ostendit cessationem legali-
um per mysticam expositionem Scripturæ
legalis. *Dicite,* id est respondete, *mihi,* 21
qui sub lege vultis esse, id est cærimoni-
alibus legis jussionibus obedire. *Legem*
non legistis? id est, an libros veteris Te-
stamenti legistis? tanquam dicat : Vel non
legistis, vel male intellexistis. Ideo autem
quæro, an legem legistis, an spiritualiter
intellexistis :

Scriptum est enim in libro Geneseos, 22
quoniam Abraham duos filios principa-
les ac famosiores ceteris, utputa Isaac et *Gen.* XVI, 15; XXI, 2.
Ismaelem, *habuit.* Habuit quoque alios *Ibid.* XXV, 1, 2.
multos post obitum Saræ, de Cetura.

Unum, videlicet Ismaelem, habuit *de an-* A
cilla Ægyptiaca Agar : quæ tamen uxor
erat antequam Abraham eam cognovit,
alias fuisset adulter ; *et unum*, scilicet Isa-
ac, habuit *de libera*, id est de Sara : quæ
nunquam ancilla Abrahæ erat, quamvis
Gen. XVIII, 12. eum ex humilitate dominum appellaverit,
quoniam illa fuit caritatis, non servitutis,
23 subjectio. *Sed qui de ancilla* prodiit, id est
Ismael, *secundum carnem*, id est natura-
lem carnis propagationem, fecunditatem
atque originem, sine miraculo, *natus est*.
Poterat enim Abraham senex de juvencula B
naturaliter generare. *Qui autem de libera*
genitus fuit, videlicet Isaac, *per repromis-*
sionem, id est ex prævia ac repetita Dei
promissione, et miraculosa operatione, na-
Ibid. XI, 30; XVII, 17; XVIII, 11. tus est. Nam Sara sterilis fuit et nonage-
naria, muliebribus carens. Unde divina
virtute data est ei fecunditas; sæpius etiam
Ibid. XV, 4; XVII, 19. promissa fuit nativitas Isaac.
24 *Quæ sunt per allegoriam*, id est mysti-
cam significationem, *dicta*, id est ad hoc
ut ex sensu litterali detur intelligi quid
sit credendum. Allegoria etenim instruit C
quid sit credendum. *Hæc enim* quæ de
Sara et Agar, seu de libera et ancilla ea-
rumque filiis, dicta sunt, *sunt* per alle-
goricam significationem, id est designant,
duo Testamenta. *Unum quidem*, id est
vetus Testamentum, *in monte Sina* da-
Exod. XIX, 1 *et seq.*; XX *et seq.* tum, ut patet in Exodo. Unde in Deute-
Deut. XXXIII, 2. ronomio legitur : Dominus de Sina venit.
Sina autem et Sinai idem significant. *In*
servitutem generans : id est, hoc vetus
Testamentum Judæos servituti legalium
subdidit, eosque timore pœnarum et pro- D
pter temporalia promissa fecit Deo servi-
re ; *quæ* servitus legalis seu timorosa *est*
figurative *Agar*, id est, per Agar ancillam
25 Abrahæ designatur. *Sina enim mons est*
in Arabia minori situatus, qui (ut dici-
tur) sua magnitudine diversas tangit pro-
vincias, et in sua extremitate fertur terræ
promissionis vicinus ; *qui* mons Sinai *con-*
junctus est, non loco, sed allegorico intel-
lectu, *ei quæ nunc est Jerusalem*, id est
terrenæ præsentique Synagogæ : quæ tem-
pore Pauli in Jerusalem fuit. Significat
enim hanc plebem, ejusque servitutem.
Servitus autem legis per montem Sina si-
gnata, tunc viguit in Jerusalem, in qua
legalia et sacrificia servabantur. *Et ser-*
vit cum filiis suis, id est, synagoga Judæ-
orum cum personis sibi subjectis servit
Domino servili timore, ut patuit.
Illa autem quæ sursum est Jerusalem, 26
id est Ecclesia militans, ex gentibus ma-
xime congregata : quæ dicitur sursum,
quia per contemplationem et spem atque
divinum amorem, ad divina erigitur, jam-
que per inchoationem angelicæ conversa-
tionis in cœlestibus demoratur ; *libera est*
a servitute peccati et conditione servili,
seu observantia legis. *Quæ* Ecclesia *est*
mater nostra. In Baptismo enim ex ea
et Spiritu Sancto renascimur. — Denique,
quod sit mater nostra, ostendit auctoritate
prophetica. *Scriptum est enim* in Isaia : 27
Lætare corde in Domino, o *sterilis, quæ* *Is.* LIV, 1.
non paris, id est, collectio gentium, quæ
tempore Testamenti veteris fueras infe-
cunda et idololatriæ dedita ; *erumpe et*
clama *, id est, ex interioris lætitiæ ma- * [*quæ non parturis*]
gnitudine in exteriorem exsultationem,
laudem vocalem et gratiarum actionem
prorumpe. Ex abundantia enim cordis os *Matth.* XII, 34.
loquitur. Propter quod ait Psalmista : Cor *Ps.* LXXXIII, 3.
meum et caro mea exsultaverunt in Deum
vivum. *Quia multi filii desertæ*, id est,
plures sunt filii Ecclesiæ ex gentibus ad-
unatæ, quæ olim erat a Deo relicta, *magis*
quam ejus quæ habet virum, id est Sy-
nagogæ, quæ habuit sponsum cœlestem,
videlicet Deum, cui in legis susceptione
fuerat desponsata. Certum est enim Ec-
clesiam numero et merito excedere Syna-
gogam. *Nos autem* Christifideles, o *fra-* 28
tres, secundum Isaac, id est juxta typum
et similitudinem Isaac, *promissionis*, id
est cœlestis benedictionis et spiritualis ge-
nerationis, *filii sumus*, quia ex aqua et *Joann.* III, 5.
Spiritu Sancto renascimur, gratiamque cœ-
lestis beatitudinis obtinemus. Sic ergo per
Isaac designatur Ecclesia Christi.
Sed quomodo tunc, scilicet tempore 29

Abrahæ, *is qui secundum carnem natus* A
fuerat, id est naturali virtute, videlicet
Ismael, *persequebatur eum qui secundum*
spiritum, id est per repromissionem, fu-
erat natus, utputa ipsum Isaac. Ut in Ge-
Gen. xxi, 9. nesi dicitur, Ismael lusit cum Isaac. Quem
ludum Hebræi intelligunt, quod compu-
lerit Ismael fratrem suum Isaac luteas
adorare imagines. Alii vero exponunt, quod
sub specie ludi interim læserit eum. *Ita*
et nunc, scilicet tempore Pauli apostoli,
carnales Judæi, pseudoapostoli, tyranni at-
que hæretici, secundum carnem ex san-
guinibus nati, persequuntur fideles ex Deo
natos, in quibus permanet semen Dei, id
II Tim. iii, 12. est verbum seu gratia Christi. Omnes enim
qui volunt pie vivere in Christo, persecu-
tionem patiuntur. — Contra vero hanc per-
secutionem justorum ab impiis, ponit Apo-
30 stolus consolationem idoneam. *Sed quid*
dicit Scriptura? Et respondet : *Ejice an-*
cillam et filium ejus : non enim heres erit
Gen. xxi, 10. *filius ancillæ cum filio liberæ.* Hæc Saræ
sunt verba ad Abraham. Quæ quum vidis-
set Ismaelem cum Isaac dolose ludentem,
irata dixit marito : Ejice, id est, de domo
nostra expelle, ancillam hanc Agar, et Is-
maelem filium ejus : non enim heres erit
Ismael cum Isaac. Hoc sic factum est ad
litteram. Per quod spiritualiter figuraba-
tur, quod Synagoga atque legalis obser-
vantia essent tempore evangelicæ legis
a populo christiano separandæ conver-
satione, loco et merito, et postmodum
præmio.
Itaque, fratres, non sumus ancillæ, id 31
est veteris Testamenti, Synagogæ, seu le-
galis observantiæ, *filii, sed liberæ,* id est
militantis Ecclesiæ et libertatis christia-
næ ; *qua libertate,* id est per cujus liber-
tatis communicationem seu infusionem,
Christus nos liberavit formaliter, sicut per
gratiam salvat. Liberavit, inquam, nos ab
onere legis, a jugo peccati, et dæmonis
B dominio. Unde per evangelistam Joannem
Dominus dicit : Si Filius vos liberaverit, Joann. viii, 36.
vere liberi eritis. Hæc ergo libertas, se-
cundum Glossam, est peccatorum remis-
sio, et fidei per dilectionem operantis ju-
stificatio. Vel sic : Sumus filii liberæ, id
est Ecclesiæ, libertate dilectionis, ut spon-
te, hilariter et caritative, non serviliter,
formidolose et coacte obediamus Eccle-
siæ, et Domino ministremus : qua libertate
in anima Christi exsistente, liberavit nos
Christus efficienter propria passione. Chri-
C stus enim mera caritate, atque spontanea
libertate ad caritatem pertinente, pro no-
bis mori dignatus est, juxta illud Isaiæ :
Oblatus est quia ipse voluit. Unde et pas- Is. liii, 7.
sione instante dixit ad Petrum : An putas Matth.
quia non possum rogare Patrem meum, xxvi, 53.
et exhibebit mihi modo plus quam duo-
decim legiones angelorum?

ARTICULUS V

EXPLANATIO CAPITULI QUINTI : STATE, ET NOLITE ITERUM JUGO SERVITUTIS CONTINERI.

DENIQUE, post strenuas increpationes D
annectit Apostolus exhortationem sa-
lubrem, et sanum consilium contra erro-
res propter quos Galatas increpavit. Ait
1 enim : *State,* id est, cor rectum et ad
Deum erectum habete in fidei veritate,
et nolite iterum jugo servitutis, id est
onere legis in servitutem redigentis, seu
legalium jussione, *contineri,* id est con-
cludi seu comprehendi, ita ut tanto vos
jugo subdatis, de quo Petrus testabatur :
Neque nos neque patres nostri illud por- Act. xv, 10.
tare potuimus. *Ecce ego Paulus,* cui tan- 2
quam Christi apostolo ad tertium cœlum II Cor. xii, 2.

rapto, secure et absolute credendum est, A
dico vobis : quoniam si circumcidamini
more Judaico, *Christus vobis nihil prode-*
rit, id est, ex fide, passione et merito Chri-
sti nullum consequemini fructum, propter
vestram perversitatem, quemadmodum me-
dicus optimus nihil prodest rebelli infir-
3 mo. *Testificor autem rursus,* id est, firmi-
ter assero, *omni homini,* sive Judæo, sive
gentili, *circumcidenti se,* quasi circumci-
sio necessaria sit ad salutem, *quoniam*
debitor est universæ legis faciendæ, id
est, circumcisionem accipiendo, obligat se B
ad universa quæ præcipiuntur in lege,
videlicet ad observantiam præceptorum
moralium, cærimonialium ac judicialium.
Quemadmodum enim Baptismum suscipi-
ens, obligat se ad præcepta Evangelii ; sic
circumcisionem accipiens, ad universa le-
gis mandata tenetur, ita ut tantum tene-
atur ad alia, sicut ad circumcisionem :
quamvis absolute nec ad hanc, nec ad
totam legem observandam sit obligatus ;
sed circumcisionem accipiendo, ostendit
ipso facto quod se ad omnia obliget. C
4 *Evacuati estis a Christo,* id est, a
participatione virtutum beneficiorumque
Christi inanes effecti estis, legalia recipi-
endo, *qui in lege justificamini,* id est,
per observationem legis Mosaicæ justifi-
cari optatis aut creditis ; *a gratia,* id est
gratuita justificatione per fidem Christi,
imo ab ipso habitu gratiæ, *excidistis,* pec-
cando tam graviter.
Quod autem hoc ita sit, patet ex contra-
5 rio. *Nos enim* Apostoli primitias Spiritus
Rom. VIII, 23. habentes, et omnes veraciter christiani, D
spiritu, id est Spiritus Sancti instinctu,
seu spirituali intellectu, *ex fide* Christi,
spem justitiæ, id est speratam justitiam,
seu plenum justitiæ præmium, scilicet vi-
tam æternam, *exspectamus,* quia per fidem
et gratiam sine operibus legis salvari spe-
ramus. Sæpe autem in Scripturis sumitur
spes pro re sperata. Merito autem sic ex-
6 spectamus : *Nam in Christo Jesu neque*
circumcisio aliquid valet ad salutem, tem-
pore Evangelii divulgati, *neque præputi-*
um, id est ritus gentilitatis : utrumque
enim æqualiter reputatur inane, tempore
novæ legis ; *sed fides quæ per dilectionem*
operatur implendo divina præcepta, ali-
quid valet, et sufficit ad salutem. Porro
fides sine caritate informis est, et sine *Jacob.* II, 20
operibus mortua est, si tamen opportu-
nitas operandi occurrat. Ad minus tamen
in adultis exigitur actus interior caritatis
et fidei ad salutem, quoniam arbor quæ *Matth.* III,
non facit fructum bonum, excidetur. 10; VII, 19.
Currebatis bene, o Galatæ, id est, fe- 7
stinanter et recto itinere processistis de
via ad patriam, de exsilio isto ad para-
disum cœlestem, de mediis ad ultimum
finem, ita ut dicere potuissetis illud Psal-
mistæ : Viam mandatorum tuorum cucur- *Ps.* CXVIII,
ri. Hic autem cursus est fervens deside- 32.
rium mentis ad Deum, efficax quoque
exsecutio cœlestium præceptorum. *Quis*
vos impedivit ab isto cursu, *veritati non*
obedire, id est, ut nostræ veræ prædicatio-
ni evangelicæque doctrinæ non obediatis.
Nemini vos ab hac obedientia impedienti
consenseritis. Persuasio hæc, id est topi- 8
ca argumentatio illorum qua vos ad le-
galia observanda nituntur inducere, *non*
est, quantum ad suam falsitatem ac de-
formitatem, *ex eo qui vocat vos,* id est ex
Deo, qui vos per inspirationem internam
et nostram prædicationem vocat ad fidei
sinceritatem et vitam æternam. *Modicum* 9
fermentum totam massam corrumpit. Hoc
ad litteram ita est : quod in epistola ad I *Cor.* V, 6.
Corinthios plenius est expositum. Quo si-
gnificatur, quod pauci pestiferi, fallaces
et indurati, totam fidelium congregatio-
nem inficiunt, ideo sunt vitandi. *Ego* au- 10
tem *confido in vobis,* id est de vobis, *in*
Domino, id est, quoniam ante virtutibus
fuistis tam insignes, spero nunc quod re-
sipiscetis a vestro errore, ita *quod nihil*
aliud sapietis, perlecta ista epistola, nisi
quod ego vos docui. *Qui autem conturbat*
vos, id est, pacem et quietem mentis ve-
stræ, quam in evangelica veritate habui-
stis, sollicitat et subvertit, *portabit judi-*
cium reprobationis, id est, debitam pœnam

sustinebit, nisi pœniteat, *quicumque est*
ille, sive sit magnus, sive mediocris. Deus
enim nil mali impunitum relinquit, juxta
Job xxiv,12. illud Job : Deus inultum abire non pa-
titur.
11 *Ego autem, fratres, si circumcisionem*
adhuc prædico observandam, ut mihi a
pseudoapostolis illis imponitur : qui, ut
facilius Galatas ad legalium observationes
inducerent, asseruerunt Paulum apud alios
adhuc circumcisionem prædicare. Si ergo
hoc ago, *quid,* id est qua ratione, *adhuc*
persecutionem patior a Judæis ? Tanquam
dicat, Nulla. Ob hoc quippe præcipue in-
Act. xv,1,2. dignabantur et pœnas intulerunt Judæi
Apostolo, quia cessationem circumcisio-
nis ac sabbati docuit. Unde si circumci-
sionem adhuc prædicasset in gentibus,
cessassent Judæi persequi ipsum. *Ergo,* id
est, si circumcisionem doceo observan-
dam, *evacuatum,* id est ablatum, *est scan-*
dalum crucis, id est offendiculum pas-
sivum, seu scandalizatio Judæorum, quo
irascuntur. Offenduntur seu scandalizantur
de hoc, quod gloriam crucis prædicamus,
asserentes ad salutem sufficere fidem et
gratiam dominicæ passionis, magisque con-
stare salutem in cruce quam in circum-
cisione. Si itaque Paulus circumcisionem
docuisset, ut falsi illi dixerunt, non fuis-
sent Judæi sic concitati adversus eum. Et
quoniam Galatis innotuit Judæos perse-
qui Paulum et scandalizari in prædica-
tione ipsius, idcirco per hæc innuit eis
Apostolus falsum esse quod sibi impone-
12 batur a perversis. *Utinam et abscindan-*
tur, id est, a societate fidelium et vestro
conventu penitus removeantur, imo et de-
sistant, quantum ad culpam, *qui vos con-*
turbant, ingerendo auribus vestris falsam
doctrinam, et inquietantes cor vestrum.
13 *Vos enim in libertatem,* id est exone-
rationem a servitute legalium ; vel, In li-
bertatem, id est evangelicam legem, quæ
Jacob. i,25. a Jacobo vocatur lex perfectæ libertatis,
quoniam a servitute peccati ac dæmonum
salvat ; vel, In libertatem caritatis ; *vocati*
estis [*fratres,*] per gratiam Christi, qui nos
A a jugo legis absolvit, ut non timore, sed
amore moveamur ad cultum divinum. Ve-
rumtamen, quoniam non est libertate hac
abutendum, subjungitur : *Tantum,* id est,
hoc solum vos precor ac moneo, *ne liber-*
tatem vobis collatam *in occasionem car-*
nis detis, id est, ad satisfaciendum carna-
libus concupiscentiis expendatis. Libertas
nempe multis peccandi occasio est, quo-
niam pœnam non metuunt. Nam et hæ-
retici quidam fuerunt, qui sibi per spi-
ritus libertatem omnia licere asseruerunt :
B qui utique omnium vitiorum miserrimæ
servituti subjecti fuerunt. *Sed per cari-*
tatem divinam atque fraternam *servite in-*
vicem, id est, ex dilectione interna ac
pura procedite ad caritativa obsequia, mu-
tuo succurrendo in spiritualibus ac tem-
poralibus prout perfecta caritas (quæ om-
nia facit communia) exigit. *Omnis enim* 14
lex, id est universa legis præcepta, *in*
uno sermone impletur, id est, per obser-
vationem unius præcepti custodiuntur. De
quo sermone præceptivo subjungitur : *Di-*
C *liges proximum tuum sicut te ipsum,* id
est spiritualiter et propter Deum, in Deo,
et in ordine ad vitam æternam. Licet enim
duo sint caritatis præcepta propter mate-
rialem distinctionem objecti, de quibus
ait Salvator, In his duobus mandatis tota *Matth.* xxii,
lex pendet et Prophetæ ; una tamen est 40.
caritas, qua Deus proximusque diligitur.
Ideo hoc loco et alibi sæpe unum man-
datum in alio includitur. Unde quum in
dilectione proximi dicitur lex impleri, in
dilectione proximi comprehenditur dile-
D ctio Dei. Porro verbum hoc, Diliges pro-
ximum tuum sicut te ipsum, in Levitico *Lev.* xix,
habetur. 18.
Quod si invicem mordetis verbis pun- 15
gitivis et pessimis, *et comeditis,* id est,
fraudatis et devoratis, temporalia vel spi-
ritualia bona vestra mutuo corrumpen-
do ; *videte,* id est attendite, *ne ab invicem*
consumamini, id est, penitus pereatis in
anima et corpore. Tanquam dicat : Nisi
a morsu invidiæ et mutua corrosione ac
nocumento abstinueritis, anima vestra et

corpus, omne esse spirituale atque gra-
tificum perdet in sæculo isto, pœnasque
æternas sentiet in inferno.
16 *Dico autem,* id est, admoneo vos, *in*
Christo, id est secundum Christi doctri-
nam : *Spiritu ambulate :* id est, secundum
Spiritus Sancti instinctum agite. Vel, per
spiritum designatur ratio, cujus judicium
in omnibus sequi debemus : quoniam op-
timum hominis est esse secundum ratio-
nem, ut Dionysius protestatur. *Et deside-*
ria carnis non perficietis, id est, carnales
concupiscentias non deducetis ad effe-
ctum, neque præbebitis eis consensum,
qui coram Deo pro opere reputatur.
17 *Caro enim,* id est appetitus sensitivus,
seu anima secundum carnem, vel ipse
homo ex parte sensualitatis, *concupiscit*
adversus spiritum, id est, ea desiderat
quæ directe sunt rationi contraria, vide-
licet delectationes sensibiles, de quibus
Eccli. xviii, 30. scriptum est : Post concupiscentias tuas
non eas, et a voluntate tua avertere. *Spi-*
ritus autem, id est appetitus intellectua-
lis, seu ratio, vel anima secundum partem
sui superiorem, concupiscit *adversus car-*
nem, id est ea quæ carni et sensualitati
laborem et tædium ingerunt, utpote spi-
ritualia bona, continentiam, sobrietatem,
divinorum frequentem ac stabilem vaca-
tionem, quibus caro castigatur, fatigatur
et attenuatur. *Hæc enim,* videlicet caro et
spiritus, *sibi invicem adversantur,* appe-
tendo contraria, ut dictum est. Caro quip-
pe cupit bona delectabilia et utilia, etiam
inordinate seu ultra necessitatem ; spiri-
tus autem vult bona honesta per respe-
ctum ad Deum. *Ut non quæcumque vultis,*
secundum rationis judicium, *illa faciatis,*
propter sensualitatis rebellionem, quem-
Rom. vii, 15, 19. admodum alibi dicit Apostolus : Non quod
volo bonum, hoc facio. Vel sic sibi hæc
adversantur, ut non quæcumque vultis,
id est non omnia ad quæ inclinationem
habetis, faciatis, sed per rationem vitia
carnis refrenetis. Sicque dictio illa, Ut, te-
netur concomitanter : quia ex illa mutua
adversatione sequitur, ut non liceat nobis

A omnia operari quæ volumus. Hinc etiam
testatur Petrus : Carissimi, inquiens, ob- I Petr. ii, 11.
secro vos abstinere a carnalibus deside-
riis, quæ militant adversus animam. *Quod* 18
si spiritu ducimini, id est a Spiritu San-
cto, *non estis sub lege,* id est, legalibus
observantiis non subjicitis vosmetipsos.
Tanquam dicat : In hoc constat vos esse
deceptos, quod legis jugo subditi estis.
Sciendum autem, quod spiritus multis
modis accipitur in Scripturis : Primo, pro
intellectuali et separata substantia : sic-
B que Deus et angeli spiritus appellantur.
Unde est illud : Spiritus est Deus ; et in Joann. iv, 24.
Actibus : Sadducæi dicunt, nec spiritum Act. xxiii, 8.
nec resurrectionem esse : ubi per spiri-
tum angelus designatur. Secundo, pro sub-
stantia animæ, ut dum Stephanus ait :
Domine, accipe spiritum meum. Tertio, Ibid. vii, 58.
pro superiori parte rationis, sicut hoc lo-
co. Quarto, pro virtute imaginativa, ut
ibi : Fui in spiritu in dominica die. Quin- Apoc. i, 10.
to, pro subtili humore per quem anima
operationes vitales exercet in corpore, jux-
C ta illud : Spiritus diffundetur tanquam Sap. ii, 3.
mollis aer. Sexto, pro aere vel vento, de
quo quidam exponunt illud Geneseos :
Spiritus Domini ferebatur super aquas ; Gen. i, 2.
item et illud, Spiritus ubi vult spirat. Joann. iii, 8.
Consequenter de operibus carnis qui-
bus spiritus reluctatur, tractat Apostolus.
Opera enim carnis proprie nominantur, ad
quæ caro inclinat, ut sunt gula et luxu-
ria, germinaque eorum. De quibus mox
subditur : *Manifesta autem sunt,* id est, 19
apertam malitiam habent, et naturali ra-
D tioni opponuntur, *opera carnis, quæ sunt,*
fornicatio, id est coitus soluti cum solu-
ta, *immunditia,* id est vitium contra na-
turam, *impudicitia,* quantum ad gestus
provocantes libidinem, in adspectu, tactu
et osculis, *luxuria,* quæ est nomen com-
mune quo ceteræ species luxuriæ jam
non expressæ designantur, *idolorum ser-* 20
vitus, id est idololatria, quæ interdum ex
luxuria generatur, ut patet in Salomone, III Reg. xi, 1-8.
veneficia, id est sortilegia, *inimicitiæ,* quæ
ex carnali generantur amore, *contentiones*

verborum, *æmulationes,* id est invidentiæ
eorum qui idem appetunt, sed unus per
alium impeditur, sicut dum plures ad præ-
lationem adspirant, *iræ,* id est appetitus
vindictæ, *rixæ,* id est lites verbosæ, *dis-
sensiones* animorum, quantum ad partia-
litates, *sectæ,* id est separationes dissenti-
21 entium jam firmatæ, *invidiæ, homicidia,
ebrietates, comessationes,* id est assiduæ
comestiones, *et his similia, quæ prædico
vobis* vitanda, antequam morte præoccu-
I Cor. VI, 9, 10. pemini, *sicut prædixi : quoniam qui ta-
lia agunt,* scilicet aliquod horum secun-
dum suam perfectam rationem, *regnum
Dei non consequentur.* Ex quo duo se-
quuntur : primum, quod omnia hæc sint
peccata mortalia; alterum, quod damnati
nunquam liberabuntur aut salvabuntur.

Insuper enumerantur opera Spiritus, id
est, quæ a Spiritu Sancto in nobis fiunt,
et spiritui nostro rationali insunt atque
conveniunt. Dicuntur autem hæc opera,
fructus, ad similitudinem fructus mate-
rialis. Sicut enim hujusmodi fructus ex
terra aut arbore oritur, et cum quadam
dulcedine degustatur, sic opera ista a Spi-
ritu Sancto principaliter, atque a nostro
spiritu divinitus confortato nascuntur, ani-
22 mamque delectant. Ait ergo : *Fructus au-
tem Spiritus* Sancti seu nostri, *est cari-
tas,* id est actus dilectionis, per modum
ignis ad cœlestia scandens ac elevans, *gau-
dium,* id est diffusio animi in concepti-
Rom. XIV, 17. one boni honesti : quod alio loco vocatur
gaudium in Spiritu Sancto, nec competit
reprobis. Est tamen et aliud gaudium, sæ-
culare, vanum et falsum, de quo dicitur
Joann. XVI, 20. in Joanne : Mundus gaudebit; et in Job,
Job XX, 5. Gaudium hypocritæ ad instar puncti. *Pax,*
id est tranquillitas mentis seu quietatio
ejus in bono, *patientia* in adversis, id est
æquanimis perpessio contrariorum, *longa-
nimitas* spei in præstolando bona divini-
tus promissa, *bonitas,* id est benevolentia,
benignitas, id est benevolentiæ exsecu-
23 tio, seu largitio facultatum, *mansuetudo,*
id est tractabilitas iram repellens, *fides,* id
est fidei certitudo sive fidelitas, *modestia,*

A id est moderatio in verbis et actibus, *con-
tinentia,* id est refrenatio voluptatis la-
boriosa, *castitas,* id est repressio venereo-
rum et concupiscentiæ sine impugnatione
atque labore. Continentia enim et casti-
tas, quamvis circa idem versentur, nihi-
lo minus tamen distinguuntur : quoniam
continens sustinet concupiscentias fortes,
sed non vincitur; castus vero nec sustinet
eas, unde nec superatur.

Denique horum duodecim fructuum Spi-
ritus, ad quos alii fructus reducuntur, di-
B stinctionem ac sufficientiam S. Thomas
in prima secundæ ponit hoc modo : Fru-
ctus distinguuntur secundum varium pro-
cessum Spiritus Sancti in nobis. Primo
enim mens ordinatur in se ipsa per amo-
rem, qui est radix omnium affectionum.
Ideo primus fructus est caritas, sine qua
nihil rationem fructus sortitur, et in qua
Spiritus Sanctus specialiter datur. Secun-
do ponitur gaudium, quod ex caritate pro-
ducitur : quoniam amans habendo ama-
tum in se, gaudet de ejus præsentia, quam
C efficit caritas, juxta illud Evangelistæ :
Qui manet in caritate, in Deo manet, et I Joann. IV, 16.
Deus in eo. Tertius fructus est pax, quæ
est perfectio gaudii : primo, propter qui-
etem ab exteriori perturbatione : aliter
namque non esset gaudium perfectum;
secundo, propter interioris ac fluctuantis
desiderii sedationem. Unde per hæc tria
bene se habet anima in bonis. In malis
quoque bene se habet dupliciter : primo,
ne ex imminenti malo turbetur, quod fit
per patientiam, quæ est quartus fructus;
D secundo, ne ex dilatione boni sperati fran-
gatur, quod fit per longanimitatem, quæ
est quintus fructus. — Secundo, bene dis-
ponitur homo ad id quod est juxta se,
scilicet ad suum proximum : primo, per
voluntatem benefaciendi, quod pertinet ad
bonitatem, quæ est sextus fructus; secun-
do, per voluntatis istius exsecutionem,
quod fit per benignitatem, quæ est septi-
mus fructus; tertio, æquanimiter tolerando
mala illata, quod fit per mansuetudinem,
quæ est fructus octavus; quarto, ne pro-

ximis fraude aut dolo noceamus, quod fit A per fidem pro fidelitate acceptam; si vero fides sumatur pro certitudine fidei, quæ est virtus theologica, sic per eam bene disponitur homo ad id quod supra se est, hoc est ad Deum, subdendo ei proprium intellectum. — Tertio, insuper recte disponitur ad id quod infra se est : primo, quantum ad verba et actus, quod est per modestiam, quæ ponitur decimus fructus; secundo, quantum ad interiorem passionem seu concupiscentiam : et ita ponuntur alii duo fructus, videlicet continentia B et castitas, quorum differentia posita est.

Quoniam vero juxta præhabita, fructus nominat operationem, caritas, patientia, mansuetudo, etc., prout fructus ponuntur, non accipiuntur pro ipsis habitibus, sed habituum actibus. Sciendum quoque, quod fructus vocantur, non solum actus virtutum delectabiles, sed etiam delectationes actibus virtuosis annexæ. Idcirco prædicta omnia accipi possunt tam pro actibus virtuosis, quam pro delectationibus mundis. Iterum advertendum, quod C virtutes et dona conveniunt in hoc quod sunt habitus; sed virtutes perficiunt potentias animæ, dona vero perficiunt ipsas virtutes. Simili modo beatitudines et fructus conveniunt in hoc quod sunt actus virtutum seu donorum; sed beatitudo superaddit ad rationem fructus excellentiam quamdam. Beatitudines namque sunt actus præcipuarum excellentiumque virtutum : propter quod potius attribuuntur donis quam virtutibus. Omnes ergo beatitudines fructus dici possunt, non autem econtrario.

Adversus hujusmodi fructus Spiritus
non est lex prohibens eos, sed pro eis est
lex. *Qui autem sunt Christi* per fidem et 24
caritatem perfectam, id est imitatores Crucifixi, *carnem suam crucifixerunt,* id est, spiritualiter mortificaverunt, eam macerando, affligendo, domando, *cum vitiis* exterioribus, *et concupiscentiis* interioribus, tam vitia quam concupiscentias persequendo et occidendo.

Consequenter Apostolus exhortationem
convertit ad Galatas. *Si,* pro quia, *spiri-* 25
tu, id est rationis judicio vel Spiritus Sancti operatione, *vivimus* intra nos vita gratiæ, *spiritu et ambulemus,* id est, rationis judicium seu Spiritus Sancti instinctum sequamur in conversatione exteriori et vita aliis exemplari, ut luceat lux nostra *Matth.* v, 16.
coram hominibus, quatenus videntes opera nostra bona, ædificentur, et Deum glorificent. Verumtamen, ne in hoc aliquo modo propriam gloriam intendamus, sub-
jungitur : *Non efficiamur inanis gloriæ* 26
cupidi, id est, non appetamus ab hominibus æstimari aut honorari, *invicem provocantes* verbis vel signis, *invicem invidentes.* Invidia enim quum directe adversetur caritati, quæ est animæ vita, maxime perhibetur mors esse animæ. Hinc est illud Joannis : Qui non diligit, manet in morte; omnis qui odit fratrem suum, homicida est. *I Joann.* III, 14, 15. Propterea dicit Salvator : In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. *Joann.* XIII, 35.

ARTICULUS VI

EXPOSITIO CAPITULI SEXTI : FRATRES, ETSI PRÆOCCUPATUS FUERIT HOMO IN ALIQUO DELICTO.

HORTATUR demum Apostolus in hujus capituli exordio prælatos et perfectiores, ut imperfectis ac subditis pie condescendant atque subveniant. Ait enim: D
Fratres, etsi præoccupatus, id est, quam- 1
vis præventus seu comprehensus, *fuerit homo* ex subito motu passionis, infirmitate, seu ignorantia, *in aliquo delicto* ex

hujusmodi causa exorto; *vos qui spiritu-*
ales estis, id est virtutibus exercitati, *hu-*
jusmodi hominem *instruite,* id est, ad vi-
am veritatis reducite, atque corrigite, *in*
spiritu lenitatis, id est animo mansueto
ac dulci, non impetuoso aut graviter in-
dignanti, *considerans te ipsum,* id est, pro-
priæ conditionis fragilitatem attendens, *ne*
et tu tenteris, id est, simili modo delin-
quas : hoc est, estote aliis misericordes
et compatientes, ut et vos misericordiam
consequamini, si culpam incideritis. Et-
Matth. v, 7. enim beati misericordes, quoniam ipsi mi-
Prov. xi, 17. sericordiam consequentur ; et, Benefacit
animæ suæ homo misericors. Propterea
Eccli. quoque et alibi dicitur : Memento judicii
xxxviii, 23. mei : sic enim erit et tuum. Mihi heri, et
tibi hodie. Mutat autem hoc loco Aposto-
lus numerum, sicut frequenter fit in Scri-
pturis.
2 *Alter alterius onera portate,* id est, de-
fectus vestros et infirmitates atque pec-
cata mutuo patienter sufferte, orando pro
alterutro, mutuo succurrendo verbis ac
Ephes. iv, 2. rebus. Unde et alibi ait : Supportantes in-
vicem in caritate. Hoc verbo redarguun-
tur complures, qui in aliorum defectibus
mox inflammantur, et rigide quasi sub
specie justitiæ afficiuntur ; propria vero
vitia non corrigunt, neque ab aliis dure
increpari dignantur. *Et sic adimplebitis*
legem Christi, id est caritatis præceptum,
Joann. xiii, 34. de quo ait Christus : Mandatum novum
do vobis : ut diligatis invicem, sicut di-
lexi vos.
Hæc itaque agite, et nolite in delicto
præoccupatum dure corripere, quamvis ex
deliberatione seu certa malitia peccans,
3 sit dure corripiendus. *Nam si quis exi-*
stimat se aliquid esse a se ipso, vel spi-
ritualiter, seu comparatione Sanctorum,
quum nihil sit a se ipso, et quantum ad
esse gratificum, spirituale ac meritorium,
seu comparatione Sanctorum. Nam etsi ali-
quid esset per gratiam, tamen reputando
se tumide, perdit quod habuit, juxta quod
dicitur : Sola superbia destruit omnia, si
Ps. xxxviii, 8. comitetur. Hinc ait Psalmista : Substan-

A tia mea tanquam nihilum ante te ; item
Ecclesiasticus, Quid superbit, inquit, terra Eccli. x, 9.
et cinis? *Ipse se seducit,* id est, in falsi-
tatem præcipitat, et damnationem incur-
rit. *Opus autem suum probet unusquisque,* 4
id est, totam vitam suam prudenter exa-
minet, *et sic in semetipso tantum gloriam*
habebit, id est, de propriis bonis seu con-
scientiæ suæ testimonio exsultabit, si fu-
erit virtuosus : non tamen finaliter aut
principaliter in se, sed in Domino, juxta
illud, Qui gloriatur, in Domino glorietur. I Cor. i, 31.
B Unde et dictum est : Gloria nostra hæc II Cor. i, 12.
est, testimonium conscientiæ nostræ. *Et*
non in altero, id est, de factis et meritis
aliorum non præsumet, neque aliorum lau-
de et adulatione lætabitur. Quis enim scit I Cor. ii, 11.
quid agatur in homine, nisi spiritus ho-
minis? *Unusquisque enim onus suum,* id 5
est causam quam cum districto judice ha-
bet expedire, seu conscientiæ suæ grava-
men, vel vitiorum suorum ultionem, vel
actionum suarum manipulum, *portabit.*
Opera enim illorum sequuntur illos. Apoc. xiv, 13.
C Porro prædicta jam verba Apostoli non
secundum superficiem litteralem, sed sa-
pienter intelligenda sunt. Alias enim in-
vicem secum pugnarent. Dixit namque,
Alter alterius onera portate ; nunc vero
adjunxit, Unusquisque onus suum porta-
bit, quasi unus non sit portaturus onus
alterius. Item alibi dicit, Nemo glorietur I Cor. iii, 21.
in hominibus ; et, Qui gloriatur, in Domi- Ibid. i, 31.
no glorietur. Nunc autem testatus est, In
semetipso tantum gloriam habebit. Sed si
sane intelligantur, et modus ac ordo at-
D que intentio quibus introducuntur, pen-
sentur, nulla erit discordia.
Communicet autem, id est, se confor- 6
met, vel subveniat, *is qui catechizatur,* id
est instruitur, *verbo* sapientiæ salutaris,
ei qui se catechizat, id est suo instructo-
ri, *in omnibus bonis* operibus, non autem
in vitiis ; vel, In omnibus bonis, id est
divitiis seu facultatibus, ut ei in tempo-
ralibus administret a quo spiritualia bo- Ibid. ix, 11.
na suscipit. *Nolite errare* a luce veritatis 7
et via justitiæ, excusando vos a prædicta

communicatione, vel aliorum præcepto- A
rum exsecutione. *Deus non irridetur,* id
est, non fallitur : ideo scit an excusatio
sit condigna et verax. Quod autem Deus
8 non irrideatur, hinc constat : *Quæ enim
seminaverit homo,* id est opera quæ in
hac vita effecerit, quæ ad futura præmia
comparantur sicut semen ad fructum ;
hæc et metet, id est, horum fructum seu
Ps. XLVIII, 19. mercedem recipiet, juxta illud : Anima
ejus in vita ipsius benedicetur; item et
Apoc. XXII, 12. illud, Ecce venio cito, et merces mea me-
cum est, dare unicuique juxta opera sua. B
Quoniam qui seminat in carne sua, id est,
carnaliter vivit, impetum passionum se-
quendo, *de carne,* id est pro vitiis car-
nis, *et metet,* id est recipiet, *corruptionem*
peccati ac mortis æternæ. *Qui autem se-
minat in spiritu,* id est, spiritualiter con-
versatur, rationis sententiam et caritatis
instinctum semper sequendo, *de spiritu,*
id est pro operibus spiritualibus, vel de
Spiritu Sancto tanquam a remuneratore,
metet vitam æternam, id est, cœlestem
beatitudinem consequetur in præmium. C
9 *Bonum autem,* id est opus virtutis, *fa-
cientes, non deficiamus,* id est, nequaquam
II Tim. II, 5. cessemus, nec tepescamus. Non enim co-
ronatur, nisi qui legitime certaverit; et,
Matth. X, 22; XXIV, 13. Qui perseveraverit in finem, salvus erit.
Tempore enim suo, id est hora divinæ re-
tributionis, videlicet quum ab omni cul-
pa et pœna fuerimus absoluti, sive in hac
vita, sive in purgatorio, *metemus,* id est,
æternam gloriam recipiemus, *non defici-
entes,* id est, finem non habituri præmii
tanti, nec plus appetituri quam dabitur. D
10 *Ergo dum tempus* promerendi *habemus,*
id est, quamdiu durat vita hæc præsens,
operemur bonum ad omnes, id est, omni-
bus quantum possibile est, benefaciamus,
sicut generalis exigit caritas, corporalia
seu spiritualia bona nostra eis communi-
cando. *Maxime autem* operemur bonum
ad domesticos fidei, id est Ecclesiæ filios,
veros Christianos, quibus alibi dicit Apo-
Ephes. II, 19. stolus : Jam non estis hospites et adve-
næ, sed estis cives Sanctorum et dome-

stici Dei. Qui ergo nobis magis conjuncti
sunt, his magis benefacere obligamur. Ca-
ritas namque est ordinata. Propter quod
rursus alibi ait Apostolus : Si quis, inqui- I Tim. V, 8.
ens, suorum, et maxime domesticorum,
curam non habet, fidem negavit, et est
infideli deterior.
Videte qualibus litteris scripsi vobis 11
mea manu, id est, considerate quali ser-
mone ego præsentem epistolam dictavi,
et manu propria scripsi, ne quis vos de-
cipiat, dicendo epistolam hanc non esse
missam a me, vel simili stilo vobis scri-
bendo. *Quicumque enim volunt placere* si- 12
bi ipsis *in carne* vestra, id est præputii
vestri circumcisione; vel, qui volunt pla-
cere Judæis incredulis in carne, id est in
carnalibus observantiis, *hi cogunt,* id est,
vehementer et importune quærunt et ex-
citant, *vos circumcidi* in corpore, *tantum,*
id est præsertim ad hoc, *ut persecutionem
crucis Christi,* id est persecutionem pro
fide et passione Salvatoris, *non patiantur*
a Judæis : qui eos persequebantur qui
cessationem legalium docuerunt. Pseudo
enim apostoli legalia simul cum Evange- Act. XV, 1, 2.
lio prædicaverunt, ne a Judæis infidelibus
paterentur molestias. *Neque enim qui cir-* 13
cumciduntur carnaliter, *legem custodiunt*
spiritualiter, neque præceptis legis mora-
libus vere obtemperant ; *sed volunt vos
circumcidi, ut in carne vestra,* id est de
vestri circumcisione carnali, *glorientur*
inaniter, quasi voluntatis suæ effectum in
vobis adepti.
Mihi autem absit gloriari, nisi in cru- 14
ce Domini nostri Jesu Christi, id est in
contemplatione Filii Dei crucifixi, et be-
neficiorum ipsius, videlicet in considera-
tione passionis, caritatis, et obedientiæ
Christi. Per hoc tamen non excluditur glo-
riatio in divinitate et excellentia Salvato-
ris, quoniam gloriatio crucis ordinatur ad
illam sicut ad ultimum finem. Unde et
illa datur in ista intelligenda. Absit ita-
que a me gloriari in circumcisione, in
cærimonialibus legis, in rebus caducis et
vanis; sed hæc sit gloriatio mea, in Chri-

sti passione occupari, ejus beneficia me-
ditari, ipsius vestigia sequi. *Per quem*
Christum, id est per cujus gratiam, pas-
sionem et imitationem, *mihi mundus cru-*
cifixus est, id est mortuus, utputa, tam
homines sæculares, quam concupiscentiæ
atque divitiæ sæculi hujus, ita ut talia
mihi non sapiant, non delectent, non vi-
vant, nec me sibi conjungant inordinato
affectu; *et ego mundo* per Christum cru-
cifixus, id est mortuus, sum, ita ut mun-
do non placeam, non vivam, neque com-
Ps. xliii, 22. municem, juxta illud : Quoniam propter
te mortificamur tota die. Denique, ideo
absit mihi gloriari, nisi in cruce Christi :
15 *In Christo enim Jesu neque circumcisio*
aliquid valet ad veram salutem, *neque*
præputium, id est ritus gentilitatis, *sed*
nova creatura, id est spiritualis regene-
Joann. iii, 5. ratio ex aqua et Spiritu, seu vita recens
16 per gratiæ quotidianam innovationem. *Et*
quicumque hanc regulam, id est gloria-
tionis hujus rectitudinem atque mensu-
ram, *secuti fuerint, pax* interna, id est
A tranquillitas cordis, sit *super illos et mi-*
sericordia, id est peccatorum remissio, *et*
super Israel Dei, id est, super electos Ju-
dæos, legalia successive deserentes, et fi-
dem catholicam amplectentes, sit pax ista
et misericordia.

De cetero nemo mihi molestus sit, do- 17
cendo, aut mihi imponendo observationem
legalium, vel ad delectamenta præsentis
vitæ me exhortando. *Ego enim stigmata*
Domini Jesu, id est signa vulnerum et si-
militudinem pœnarum Christi, *in corpore*
B *meo porto,* bajulando crucem meam inde- Luc. ix, 23;
sinenter, et Christum sequendo, ejusque xiv, 27.
passioni me pro viribus conformando.

Gratia Domini nostri Jesu Christi sit 18
cum spiritu vestro, id est in anima vestra,
o *fratres. Amen.* Hæc est gratia gratum
faciens, quæ a tota Trinitate infunditur,
quamvis interim etiam unicuique divinæ
Personæ attribuatur. Tota enim superbea-
tissima Trinitas inseparabiliter operatur
ad extra : quæ est super omnia Deus su-
blimis et benedictus. Amen.

ENARRATIO
IN EPISTOLAM BEATI PAULI
AD EPHESIOS

PROŒMIUM

OMNIS *qui audit verba Dei et facit ea, assimilabitur viro sapienti qui ædificavit domum suam supra petram.* Matth. VII, 24.

Merito divina Scriptura multipliciter eos commendat qui in semitis mandatorum cœlestium stabiliter atque ardenter persistunt, tentationibus efficaciter resistentes, cunctasque persecutiones pro amore justitiæ fortiter sustinentes. Non enim minoris laboris ac laudis est, in bono cœpto perseverare, quam illud inchoare. De horum numero fuerunt Ephesii (ab Asia minori Asiani vocati), quibus Apostolus jam nunc declarandam scribit epistolam. Scribit autem ex Roma in carcere positus, per Tychicum diaconum. Porro Ephesii, non a Paulo conversi ad fidem, sed in bonis ab ipso confirmati fuerunt. Et quia in fide et in sanctis operibus permanserunt stabiliter, falsisque doctoribus spretis, evangelicæ sapientiæ adhæserunt; ideo non increpatoriam, sed commendatoriam ac consolatoriam eis scribit epistolam, provocans eos ad meliora, et ad gratias Domino referendas eos inducens, præcipue docens omnem virtutem perfectionemque nostram divinæ pietati ac gratiæ adscribendam. Et in ipso epistolæ exordio solito more procedit.

ENARRATIO

IN EPISTOLAM BEATI PAULI

AD EPHESIOS

ARTICULUS PRIMUS

EXPOSITIO PRIMI CAPITULI : PAULUS APOSTOLUS JESU CHRISTI PER VOLUNTATEM DEI.

1 PAULUS *apostolus Jesu Christi per vo-*
Rom. i, 1; I Cor. i, 1. *luntatem Dei,* id est a divina volun-
tate ad apostolatum efficienter promotus,
scribit *sanctis omnibus,* id est firmis et
dignis Christi fidelibus, *qui sunt Ephesi,*
id est, in urbe sic dicta commorantur, *et,*
pro id est, *fidelibus* qui sunt *in Christo*
Jesu per fidem et caritatem, sicut mem-
bra in capite. Vel, per sanctos intelligit
prælatos et perfectiores ; per fideles ve-
2 ro, imperfectiores ac subditos. *Gratia vo-*
Galat. i, 3. *bis* detur *et pax a Deo Patre nostro, et*
Domino Jesu Christo.
Salutatione præmissa, a gratiarum ac-
3 tione orditur, et ait : *Benedictus Deus et*
II Cor. i, 3. *Pater Domini nostri Jesu Christi.* Omnia
hæc jam prædicta verba, in præcedenti-
um exordiis epistolarum scripta atque ex-
posita sunt : idcirco pertranseo. *Qui* Deus
et Pater noster, *benedixit nos,* id est, be-
nedictos et gratiosos nos fecit, dando no-
bis munera cœlestium gratiarum, sicut
subjungitur : *in omni benedictione spiri-*
tuali, id est in omni dono gratiæ liberali-
ter dato, nostroque cordi infuso, ita ut be-
nedictio ista sit causa formalis per quam
a Deo effective benedicti sumus. Frequen-

A ter autem accipitur in Scripturis benedi-
ctio pro dono liberali : sicut quum Abi-
gail ait ad David, Accipe benedictionem I Reg. xxv,
quam attulit famula tua. Benedixit itaque 27.
nos omni benedictione, saltem in genere :
et hoc, *in cœlestibus* bonis seu gratiis ;
vel ad hoc, ut ad cœlestia regna perve-
niamus ; vel, Omni benedictione habenda
perfecte in cœlestibus mansionibus ; *in*
Christo Jesu, id est merito Christi, sive
per Christum tanquam per mediatorem.
Sicut elegit nos, id est, præ aliis mul- 4
B tis seu reprobis ad æternam beatitudinem
præordinavit, *in ipso,* id est in Christo,
seu per Christum : ita ut Pater et Chri-
stus seu Filius, imo et cum eis Spiritus
Sanctus, sint unus elector, sicut unus cre-
ator. Unde Christus testatur : Ego scio Joann. xiii,
quos elegerim ; et rursus, Non vos me 18.
elegistis, sed ego elegi vos. Elegit ergo Ibid. xv, 16.
nos in ipso *ante mundi constitutionem,*
id est ab æterno : quæ electio ex dilecti-
one processit. Potest quoque sic accipi,
ut Pater dicatur nos elegisse in Christo
C ante mundi constitutionem, quoniam ab
æterno disposuit per Christi incarnatio-
nem ac passionem impendere nobis suæ

æternæ electionis effectum, id est veram
salutem. *Ut essemus sancti,* id est puri
in anima, *et immaculati* in opere, *in con-
spectu ejus,* id est coram Deo, videlicet
vere, seu divino judicio, non tantum hu-
mano, *in caritate,* quæ est vita decorque
animæ, id est per actum caritatis inte-
I Cor. xiii, 1-3. riorem, sine quo nihil est meritorium.
Unde per caritatem efficimur sancti in
affectu, et immaculati in effectu.
5 *Qui* Pater *prædestinavit,* id est, ad vi-
tam æternam in sua dispositione præmi-
sit seu præordinavit, *nos in adoptionem
filiorum,* id est ad hoc, ut bona gratiæ
quæ filiis adoptivis præstantur, nobis do-
nentur. Quod autem subjungitur, *per Jesum
Christum,* referri potest vel ad verbum,
Prædestinavit, vel ad nomen, Filiorum,
quia per Filium dicimur prædestinati, sic-
ut electi. Per Filium quoque adoptio fi-
Joann. i, 12. lialis nobis confertur : dedit enim nobis
potestatem filios Dei fieri. Sic autem præ-
destinavit nos *in ipsum,* id est ad imita-
tionem filiationis naturalis quæ convenit
Christo, cujus similitudo est filiatio ado-
ptiva; vel, In ipsum, id est, ut veniamus
ad gloriam Christi, et ejus efficiamur co-
heredes. Prædestinavit insuper *secundum
propositum,* id est æternum decretum, *vo-
luntatis suæ,* qua omnia liberrime agit,
id est, secundum voluntatem suam di-
vinam, omnia juste agentem ac propo-
nentem : quæ utique est prima causa
6 prædestinationis ; *in laudem gloriæ gra-
tiæ suæ,* id est, ut laudemus magnifi-
centiam gratiæ suæ gratum facientis, per
quam adoptio filiorum Dei nunc inchoa-
tur, quæ in patria per lumen gloriæ con-
summatur ; *in qua* gratia gratum faciente,
id est per quam, formaliter *gratificavit,*
id est, sibi acceptos ac gratos *nos* fecit, *in*
I Tim. ii, 5. *dilecto Filio suo,* id est per Christum me-
diatorem Dei et hominum, scilicet meri-
to Christi, et per omnia quæ Christus pro
nostra salute assumpsit, fecit ac pertulit.
7 *In quo* Filio Dei dilecto *habemus re-
demptionem* a jure et jugo diaboli, *per
sanguinem ejus,* id est merito effusionis
sui pretiosissimi sanguinis : juxta illud,
Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis Apoc. i, 5.
nostris in sanguine suo. Ideo subditur :
remissionem peccatorum, id est, redem-
ptio ista est vitiorum nostrorum solutio :
quæ facta est *secundum divitias,* id est
plenitudinem, *gratiæ ejus,* videlicet Chri-
sti, qui gratiose et pie nos liberavit. Unde
per evangelistam Joannem dicitur : Gra- Joann. i, 17, 16.
tia et veritas per Jesum Christum facta
est ; et de plenitudine ejus nos omnes
accepimus, et gratiam pro gratia. *Quæ* 8
gratia *superabundavit in nobis* apostolis,
id est, copiosissime nobis infusa est, quip-
pe qui primitias Spiritus Sancti accepi- Rom. viii, 23.
mus, *in omni sapientia,* id est divinorum
notitia omni, quantum ad sacram spectat
Scripturam, quam plene cognoscimus, *et
prudentia,* id est temporalium et huma-
narum rerum agnitione.
Hæc enim nobis per gratiam Spiritus
Sancti collata sunt, *ut notum faceret no-* 9
bis sacramentum, id est secretum, *volun-
tatis suæ,* seu voluntatem suam secretam,
aliis occultatam, vel incarnationis Christi
mysterium, seu divinæ mentis consilium
circa humani generis redemptionem, *se-
cundum beneplacitum ejus,* id est se-
cundum quod sibi pie complacuit, *quod
proposuit in eo,* id est, cujus placiti ex-
secutionem constituit et implevit in Chri-
sto. Quid autem, et quando factum sit
hoc, subditur : *in dispensatione plenitu-* 10
dinis temporum, id est adveniente tem-
pore divinitus præordinato et dispensa-
to, videlicet tempore gratiæ, de quo alibi
dictum est : Ecce jam venit plenitudo Galat. iv, 4.
temporis ; *instaurare omnia in Christo,*
id est per Christi mysteria reformare, *quæ
in cœlis,* id est ordines angelorum, sup-
plendo ruinas eorum, *et quæ in terra
sunt,* id est genus humanum, *in ipso,* id
est eos qui in Christo electi sunt, qui
soli effectum divinæ liberationis finaliter
sortiuntur.
In quo, id est, per quem Christum, *et* 11
nos apostoli, sicut et ceteri electi, *sorte,*
id est divina electione, *vocati sumus* ad

fidem et gratiam salutarem. Dicitur au-
tem sors, divina electio, quia utrumque
est Dei, non hominis; et sicut electio non
accipit personam, ita nec sors. Propter
Prov. xvi, 33. quod ait Scriptura : Sortes mittuntur in
sinum, sed a Domino temperantur. *Præ-
destinati,* id est ad æternam beatitudinem
præordinati, *secundum propositum ejus,*
id est secundum æternam incommutabi-
lis ejus decreti dispositionem, *qui omnia
operatur* per se ipsum vel causas secun-
das, *secundum consilium voluntatis suæ,*
id est secundum certissimam rationem
suæ voluntati consonam atque placentem.
Nil enim operatur ad extra de necessitate
aut casu, sed sapienter ac libere univer-
Ps. ciii, 24. sa producit, juxta illud : Omnia in sapi-
Ps. cxxxiv, 6. entia fecisti; et, Omnia quæcumque voluit
12 Dominus, fecit. *Ut simus in laudem glo-
riæ ejus,* id est, in nobis Deus glorifice-
tur, qui tantam gratiam nobis sine meritis
nostris ineffabili pietate largitus est : ex
cujus beneficii consideratione nos ipsi
aliique fideles in laudem et gloriam Dei
erumpere debemus; *nos qui ante spera-
vimus in Christo,* id est nos apostoli, qui
ante eos qui per nostram prædicationem
conversi sunt, Christo per fidem et spem
inhæsimus.

13 *In quo* Christo, id est cujus ordinatio-
ne et adjutorio, *et vos,* Ephesii, *quum au-
dissetis,* non solum auribus corporis, sed
etiam cordis, *verbum veritatis,* scilicet
Evangelium salutis vestræ, id est doctri-
nam Christi annuntiantem hominum libe-
rationem, in cujus doctrinæ observatione
salus vestra consistit. *In quo et creden-
tes,* id est, cui Evangelio fidem adhiben-
tes, *signati estis,* id est inter electos com-
putati, et a perversis distincti certis divinæ
prædestinationis indiciis : quorum unum
Joann. viii, 47. Luc. xi, 28. est illud, Qui ex Deo est, verba Dei au-
dit; et, Beati qui audiunt verbum Dei,
et custodiunt illud; *Spiritu promissionis
Sancto,* id est virtute et operatione Spiri-
tus Sancti electis promissi : juxta illud in
Ibid. xxiv, 49. Luca, Ego mittam promissum Patris mei
in vos. Vel, Spiritus Sanctus dicitur Spi-
A ritus promissionis, quia promittit vitam
æternam. *Qui* Spiritus Sanctus *est pignus* 14
hereditatis nostræ, id est arrha futuræ fe-
licitatis : quia per ejus inhabitationem, in-
spirationem, consolationem ac cetera dona,
certificamur de beatitudine subsequente.
Ex perceptione quippe præsentium mu-
nerum, certa fit exspectatio futurorum.

Dicitur ergo Spiritus Sanctus pignus he-
reditatis quam habituri sumus in patria,
quia per modum pignoris interim nobis
confertur. Pignus enim est loco rei non
B habitæ, estque ejusdem valoris cum ea.
Deus autem est nostra felicitas atque he-
reditas objectalis, quamvis fruitio Dei sit
hereditas nostra felicitasque formalis. Hanc
autem hereditatem nondum habemus in
re, sed Spiritus Sanctus quem interim
habemus per suam gratiosam inhabitati-
onem, est ejusdem valoris cum ea : imo
ipse realiter idem cum ea est, sed diverso
habetur modo in via et in patria : ideo
modo vocatur pignus, in patria autem vo-
catur hereditas. Verumtamen, ut in glos-
C sa quoque Augustini testantur citata ver-
ba, convenientius dicitur Spiritus Sanctus
arrha quam pignus : quoniam pignus au-
fertur quum promissum vel debitum sol-
vitur; arrha vero, quum sit pars pretii,
non aufertur, sed completur quum solutio
agitur. Quoniam ergo in perceptione fu-
turæ atque cœlestis hereditatis Spiritus
Sanctus non aufertur electis, sed plenius
datur, idcirco aptius nuncupatur arrha
quam pignus. Nihilo minus, quoniam Spi-
ritus Sanctus dicitur nobis dari per dona
D sua, id est propter hoc quod dona sua
nobis præstantur, et aliqua dona sua pro-
pter imperfectionem inclusam non ma-
nent in patria, ut fides et spes; ideo I Cor. xiii, 8-13.
quantum ad hæc dona, Spiritus Sanctus
rationem pignoris habet. Sic enim aufer-
tur quantum ad modum, venientibus doti-
bus quæ fidei et spei succedunt; quantum
vero ad dona quæ manent et perficiun-
tur in patria, qualia sunt, caritas, sapi-
entia, timor filialis, Spiritus Sanctus pro-
prie dictus est arrha.

In redemptionem acquisitionis, id est A
in liberationem salvificam, per quam adi-
piscimur vitam æternam, videlicet ut a
jugo peccati dæmonumque per gratiam
Spiritus Sancti erepti, salutem acquira-
I Petr. II, 9. mus perpetuam : de qua ait Petrus, Vos
genus electum, regale sacerdotium, gens
sancta, populus acquisitionis ; *in laudem*
gloriæ ejus, id est ad præconium divinæ
beatitudinis ac majestatis, puta ad hoc
ut divinæ naturæ beatitudinem ac ma-
Prov. XVI, 4. jestatem grata mente laudemus. Omnia
enim propter se ipsum operatus est Do- B
minus.

Denique littera ista, quantum ad teno-
rem verborum, nonnihil truncata est. Un-
vers. 13. de supplere oportet : ut quum dicitur, In
quo et credentes, fiat puncti distinctio ;
sicque facile elicitur sensus perfectus.

Et quia bonus prælatus, imo et quili-
bet proximus, de salute alterius ex vera
caritate lætari, et Domino gratias agere
15 debet, subjecit Apostolus : *Propterea et*
ego audiens a narrantibus, vel etiam ab
interna locutione Spiritus Sancti, *fidem* C
vestram quæ est in Christo Jesu, id est
puram, sanctam, christianam atque catho-
licam, *et dilectionem* habitualem et ac-
tualem quam ostenditis *in omnes sanctos,*
id est in universos veraciter christianos,
quibus in spiritualibus ac temporalibus
benefacitis, prout casus occurrit facultas-
16 que suppetit ; *non cesso,* congruentibus
horis, *gratias agens* Deo *pro vobis,* id est
propter beneficia vobis impensa, *memo-*
riam vestri faciens, id est vestri recor-
dans, *in orationibus meis,* quibus pro ve- D
stro profectu oro :

17 *Ut Deus Domini nostri Jesu Christi,*
id est verus Deus, qui est Deus Christi
prout homo. Sic enim quælibet divina
Persona, totaque simul superbeatissima
Trinitas, Deus est Christi. Qui Deus est
Pater gloriæ, id est fons et origo omnis
sanctæ lætitiæ ; vel, Pater gloriæ, id est
majestatis altissimæ ; *det vobis spiritum,*
Is. XI, 2. id est donum, *sapientiæ,* quæ est unum
ac summum septem donorum Spiritus
Sancti ; vel, Spiritum sapientiæ, id est
Spiritum Sanctum, datorem sapientiæ ha-
bitualis ; *et revelationis* actualis, id est
illuminationis ex habitu sapientiæ et mo-
tione Spiritus Sancti procedentis. Non
enim sufficit nobis gratia aut sapientia
habitualis ; sed requiritur insuper actua-
lis motio Spiritus Sancti, excitantis ha-
bitum ipsum in actum : cujus motionis
efficitur anima cito capax per habitualia
septem dona Spiritus Sancti, quemadmo-
dum capax est motionis propriæ rationis
per habitus virtutum.

Det itaque vobis spiritum sapientiæ *in*
agnitione ejus, id est ad contemplandum
Deum : quod est, *illuminatos* habere *ocu-* 18
los cordis vestri, id est habere intelle-
ctum speculativum ac practicum divinitus
illustratum, *ut sciatis,* et sciendo juste
vivatis : sciatis, inquam, *quæ sit spes vo-*
*cationis vestræ**, id est bonum speratum, * ejus
sive felicitas ad quam divinitus invita-
mur, *et quæ divitiæ,* id est spirituales
opulentiæ seu plenitudines copiosæ, *glo-*
riæ hereditatis ejus, id est gloriosæ fe-
licitatis Dei, quam exhibet *in Sanctis* in
patria. Beatitudo enim est status omni-
um bonorum aggregatione perfectus, juxta
Boetium. Unde, quamvis beatitudo Dei in
se ipso sit simplicissima, beatitudo quo-
que quam electis infundit, secundum su-
am essentiam simplex sit, scilicet visio
Dei, quæ est tota merces ; dicimus tamen,
secundum nostræ intelligentiæ modum,
quod in Deo sit omnium bonorum copiosis-
sima opulentia atque ditissima plenitudo.
Beatitudini autem creatæ quæ communica-
tur Beatis, multa junguntur perficientia
eam, videlicet dilectio, delectatio, etc., quæ
dicuntur divitiæ gloriosæ hereditatis seu
beatitudinis nobis promissæ. Orat ergo
Apostolus ut beatitudinis hujus divitias
magis perfecte cognoscant.

Sciatis præterea *et quæ sit superemi-* 19
nens magnitudo, id est incomparabilis su-
blimitas, summaque gratia, *virtutis ejus*
in nos, id est divinæ potestatis gratiam
tantam cordibus nostris infundentis, *qui*

Rom. VIII, 23. *credidimus* in Christum, atque primitias A
Spiritus Sancti recepimus, *secundum ope-*
rationem potentiæ virtutis ejus, id est se-
cundum efficaciam ejus divinæ potentiæ :
quæ virtus vocatur, quum sit potestas con-
summata atque perfecta. Realiter tamen
idem sunt, præsertim in Deo, potentia ac-
tiva et virtus, quamvis potentia, secun-
dum quosdam, dicat potentiam absolute,
virtus autem complementum potentiæ.
20 *Quam* virtutem *operatus est,* id est,
operando monstravit, *in Christo* mortuo
ac sepulto, *suscitans illum a mortuis* ter- B
tio die, *et constituens,* id est, firmiter po-
nens eum, *ad dexteram suam,* id est in
potioribus bonis suis, videlicet in sum-
mo honore, dignitate et gloria, *in cœle-*
21 *stibus,* id est in cœlo empyreo : *supra*
omnem Principatum, id est angelos de
summo seu tertio choro infimæ hierar-
chiæ, *et Potestatem,* id est angelos de in-
fimo choro secundæ hierarchiæ, *et Vir-*
tutem, id est angelos de medio choro
ejusdem hierarchiæ, *et Dominationem,* id
est angelos de summo ordine hierarchiæ C
secundæ. In hac auctoritate fundat se be-
atissimus theologorum princeps Dionysius,
ponens Principatus in infima hierarchia.
Constituit quoque eum in die ascensionis,
quoad naturam assumptam, *et* supra *omne*
nomen, id est ultra omne ens nominatum
aut nominabile, *quod nominatur,* id est,
exprimitur, scitur, vel esse perhibetur,
non solum in hoc sæculo variabili, *sed*
etiam in futuro, id est, in patria nomi-
nabitur aut scietur : id est, ultra omnem
creaturam terrestrem et cœlestem, corpo- D
ralem ac spiritualem, sublimavit Christum
quoad humanitatem assumptam; imo sola
humanitas Christi, propter unionem suam
personalem cum Verbo, præstantior est
toto universo simul accepto.
22 *Et omnia subjecit sub pedibus ejus,* id
Ps. VIII, 8. est, universa creata Christi potestati atque
imperio, imo et inferiori ejus naturæ (quæ
nomine pedum intelligi potest), Deus Pa-
ter plenissime subdidit. Unde ipse ait :
Matth. XXVIII, 18. Data est mihi omnis potestas in cœlo et

in terra. *Et ipsum* Christum Deus Pater
dedit, id est constituit, *caput,* id est prin-
cipalem, *supra omnem Ecclesiam* militan-
tem ac triumphantem, *quæ est corpus ip-* 23
sius Christi mysticum, quoniam unitur ei
ut capiti per communionem naturæ par-
ticipationemque gratiæ. Est quoque Eccle-
sia* *plenitudo ejus,* videlicet Christi, vel * [et]
quia ab ipso donis gratiæ adimpletur, vel
quia facit ad hoc, ut Christus omnia mem-
bra sua mystica habere dicatur, *qui* exsi-
stens secundum divinitatis naturam, *omnia*
in omnibus, non essentialiter aut forma-
liter, sed causaliter ac supereminenter, ut
dictum est plenius, *adimpletur,* quantum
ad mysticum corpus suum, quamvis in se
ipso non perficiatur nec crescat.
Advertendum præterea, quod Christus
dicitur caput Ecclesiæ, ad similitudinem
capitis naturalis. Sicut enim in capite na-
turali sunt tria, videlicet : ordo, quoniam
caput est prima atque superior pars ho-
minis; perfectio, quia in capite vigent
omnes sensus; virtus, quoniam motus et
gubernatio omnium membrorum depen-
dent a vi sensitiva ac motiva, quæ domi-
natur in capite : sic Christus prior et
altior est aliis, propter gratiæ suæ emi-
nentiam, et in ipso sunt omnes sensus
spirituales, ipse quoque omnibus influere
potest spiritualem sensum et gratiæ mo-
tum. Est autem Christus secundum utram-
que suam naturam caput totius Ecclesiæ;
sed secundum divinam naturam, influit
auctoritative, estque caput jure creationis
atque excellentissimæ gubernationis. Se-
cundum humanitatem vero, influit instru-
mentaliter : secundum quam etiam, Deus I Cor. XI, 3.
est caput Christi. — Nec hominum tan-
tum, sed et angelorum quoque, Christus
ut homo, caput censetur. Quemadmodum
enim angelorum et hominum unus est ul-
timus finis atque felicitas, scilicet visio
Dei per speciem, sic una est eorum Ec-
clesia. Multitudo namque electorum acti-
bus officiisque distincta, mysticum Christi
corpus vocatur. Quoniam igitur Christus,
etiam ut homo, propter propinquitatem

suam ad Verbum, influentiam habet in A
summos ordines angelorum et ceteros uni-
versos, eos purgando, illuminando et per-
ficiendo, secundum magni Dionysii docu-
menta : constat quod sit eorum caput
Christus. Jam enim inductum est, quod
Deus constituit eum super omnem prin-
cipatum et potestatem, etc. Alibi quoque
ab eodem Apostolo de ipso asseritur, quod
Coloss. II, 10. est caput omnis principatus et potestatis.
Postremo sciendum, quod Christus est
caput omnium, non æqualiter, sed ordi-
ne quodam. Primo enim et principaliter
est caput Beatorum, qui ei uniuntur per
gloriam fruitionis ; secundo, eorum qui ei
uniuntur per caritatem viæ ; tertio autem,
illorum qui sola fide ei junguntur; quar-
to vero, eorum qui uniuntur ei per po-
tentiam ad actum reducendam ; quinto (et
maxime improprie), eorum qui uniuntur
ei per potentiam nunquam ad actum re-
ducendam. Damnatorum vero Christus ca-
put non est ; sed exsistentium in purga-
torio caput veraciter appellatur.

ARTICULUS II

ELUCIDATIO CAPITULI SECUNDI : ET VOS QUUM ESSETIS MORTUI IN DELICTIS ET PECCATIS.

INTENDENS autem Apostolus Ephesios B
ad gratiarum actionem inducere, et gra-
tiam Dei commendare, commemorat qua-
les, id est quam vitiosi ac miseri, ex semet-
ipsis fuerunt, et quales per misericordiam
et gratiam Christi effecti sint.
1 *Et vos,* Ephesii, *quum essetis mortui*
spiritu *in delictis* omissionis, *et peccatis*
commissionis. De sic mortuis ait in Evan-
Matth. VIII, 22. gelio Dominus : Dimitte mortuos sepelire
2 mortuos suos. *In quibus* vitiis *aliquando,*
scilicet, dum nondum credidistis in Chri-
stum, *ambulastis,* injuste vivendo, *secun-*
dum sæculum, id est conversationem seu
I *Joann.* V, 19. vitia, *mundi hujus,* qui totus in maligno
positus est, id est hominum mundano-
rum : nec solum secundum sæculum, sed
et *secundum principem potestatis aeris*
hujus, id est secundum suggestiones dia-
boli, qui potestatem suam exercet et ha-
bitat in aere caliginoso : qui princeps ho-
minum impiorum, est *spiritus* malignus,
qui nunc operatur in filios diffidentiæ, id
est, desperantes, incredulos et induratos
seducit ac possidet. Sequuntur enim pe-
3 ne in omnibus diabolicum instinctum. *In*
quibus delictis atque peccatis, quantum
ad genus eorum, *et nos omnes* Judæi, sicut
et gentes, *aliquando conversati sumus,*
antequam gratiam Christi susciperemus,
in desideriis carnis nostræ, id est carna-
libus concupiscentiis consentiendo, *faci-*
entes, id est actu implentes, *voluntatem*
carnis et cogitationum, id est inclinationes
sensualitatis et cogitationum pravarum,
seu ea in quibus caro delectatur, vel co-
gitatio inaniter occupatur et gloriatur. *Et*
eramus natura, id est naturali propaga-
tione ab Adam traducta, secundum il-
C lud : Ecce enim in iniquitatibus conceptus *Ps.* L, 7.
sum ; *filii iræ,* id est digni vindicta et
pœna, propter originale peccatum, cui
debebatur pœna damni, non pœna sen-
sus, in posteris; *sicut et ceteri* impii sunt.
Deus autem qui dives, id est copiosus, 4
est in misericordia : nam in se ipso im-
mensam habet clementiam ; et effectus
divinæ pietatis ineffabiles sunt, juxta il-
lud, Miserationes ejus super omnia opera *Ps.* CXLIV, 9.
ejus ; *propter nimiam caritatem suam,* id
est vehementem dilectionem, *qua dilexit*
D *nos.* De qua dilectione legitur apud Joan-
nem : Sic Deus dilexit mundum, ut Filium *Joann.* III, 16.
suum unigenitum daret. *Quum essemus* 5

mortui peccato originali ac personali seu
actuali, *convivificavit nos Christo,* id est,
simul cum Christo, imo et per Christi in-
carnationem ac passionem, vivificavit nos,
liberando a morte culpæ, et influendo vi-
tam gratiæ, daturus demum vitam gloriæ;
cujus gratia, id est gratuita pietate, dono
ac merito, *estis salvati,* non propriis me-
6 ritis. *Et conresuscitavit,* id est, cum Chri-
sto et per Christi resuscitationem resusci-
tavit nos a morte, nunc in spe, quod in
die judicii fiet in re. Capitis enim præ-
cessio, spes membrorum est. *Et consedere*
fecit in cœlestibus, in Christo Jesu, id est,
per fidem, gratiam et meritum Christi jam
præparavit nobis locum beatæ quietis in
cœlestibus mansionibus : nunc enim con-
sedere nos fecit in spe. Unde et Christus
Luc. XXII, 29, 30. ait : Ego dispono vobis regnum, ut edatis
et bibatis super mensam meam, et sede-
Apoc. III, 21. atis super thronos. Et rursus alibi : Qui
vicerit, dabo ei sedere mecum in throno
meo.
7 *Ut ostenderet in sæculis supervenienti-*
bus, id est in futuris generationibus, vel
in die judicii, *abundantes divitias gratiæ*
suæ, id est copiosa munera cœlestium gra-
tiarum, seu gratiæ habitualis, ex qua om-
nia alia dona gratifica aliquo modo de-
pendent. Hæ autem divitiæ non sunt nisi
sublimia dona Spiritus Sancti nobis col-
lata. *In bonitate* Dei extenta *super nos,*
id est ex divina pietate nos misericorditer
adspiciente, *in Christo Jesu,* id est per
Christum et ejus sacra mysteria.
8 *Gratia enim,* id est gratuita Dei pie-
I Tim. II, 4. tate, qui omnes homines vult salvos fieri;
vel, Gratia habituali omne meritum ve-
strum præveniente; vel, Gratia, id est
gratioso merito Christi; *estis salvati* a po-
testate diaboli et servitute peccati, cete-
risque animarum periculis, quantum est
ex parte Dei salvantis, *per fidem :* sine
Hebr. XI, 6. qua impossibile est Deo placere, et sine
qua nulla actio meritoria est; per quam
etiam meritum Christi nobis applicatur.
Et hoc, non ex vobis, id est, non propria
virtute estis salvati; *Dei enim donum est*

A salvatio vestri, seu fides : et hoc, *non ex* 9
operibus, id est, non vestris meritis sal-
vationem aut fidem meruistis, sed Deus
misericorditer vos prævenit, *ut ne quis*
glorietur, id est, ne aliquis se propriis vi-
ribus jactet salvatum, sicque in ipso, non
in Domino glorietur. Et merito nemo in *I Cor.* IV, 7.
se gloriari debet. *Ipsius enim* Dei *sumus* 10
factura, id est creati a Deo quantum ad es-
se naturale; *creati,* [seu] recreati ac rege-
nerati quantum ad esse gratiæ, *in Christo*
Jesu, id est in sacramentis et fide Christi.
B Sacramenta enim Christi gratiam confe-
runt, et spiritualiter creant. De qua crea-
tione ait Psalmista : Cor mundum crea in *Ps.* L, 12.
me, Deus. Creati, inquam, *in operibus bo-*
nis, id est, per opera bona, virtuosa ac
meritoria ad perfectam regenerationem et
spiritualem exsistentiam ducti. Quamvis
enim per fidem et gratiam renascamur
et justificemur, oportet tamen ut tempore
opportuno fides per dilectionem operetur, *Galat.* V, 6.
quoniam fides sine operibus mortua est. *Jacob.* II, 20.
Quæ opera bona *præparavit Deus,* id est,
C in sua prædestinatione nobis dare dispo-
suit : omnia enim opera nostra operatur *Is.* XXVI, 12.
in nobis; *ut in illis ambulemus,* id est
conversemur, procedendo de via ad pa-
triam per semitam mandatorum.
Propter quod, id est, quoniam tantam 11
misericordiam consecuti estis, idcirco ut
gratiores sitis Domino Deo, *memores es-*
tote, quod aliquando, antequam conver-
teremini ad Christum, *vos gentes eratis,*
id est gentiliter et infideliter conversan-
tes, *in carne,* id est in peccatis carnalibus.
D Sic etiam accipitur caro in epistola ad
Romanos, ubi dicitur : Vos autem in car- *Rom.* VIII, 9.
ne non estis. *Qui dicebamini præputium,*
id est, immundi et incircumcisi vocaba-
mini, tanquam habentes præputium, *ab*
ea quæ dicitur circumcisio, id est a po-
pulo Judæorum circumciso; vel, distin-
cti a populo isto (circumcisio enim est
signum distinguens Judæos a gentibus);
in carne manu facta, id est, circumcisio
ista in membro corporis, ministerio ma-
nuum fiebat. *Qui eratis in tempore illo* 12

sine Christo, id est sine fide, caritate et
gratia Christi : quamvis sine Christo, pro-
ut Deus est, nihil possit in momento sub-
sistere ; *alienati a conversatione Israel,*
id est a cultu divino, qui tunc in solo
Israelitico populo viguit, *et hospites testa-
mentorum,* id est extranei a veteri Testa-
mento : quod pluraliter testamenta vo-
catur, propter diversitatem promissorum
suorum ; *spem promissionis,* id est æter-
næ felicitatis nobis promissæ, *non haben-
tes, et sine Deo* vero, id est sine gratia
atque notitia Dei, *in hoc mundo.*
13 *Nunc autem,* id est hoc tempore ve-
stræ conversionis, seu evangelicæ legis,
in Christo Jesu, id est per Dominum Sal-
vatorem, *vos qui aliquando eratis longe*
a Deo, non loco, sed dissimilitudine quam
Is. LIX, 2. efficit culpa, juxta illud Prophetæ : Ini-
quitates vestræ diviserunt inter Deum ve-
strum et vos, et peccata vestra abscon-
derunt faciem ejus a vobis ; *facti estis
prope,* id est, Deo per caritatem uniti es-
* Christi tis, *in sanguine ejus*,* id est per pretiosi
sanguinis Christi effusionem.
14 *Ipse enim* Christus *est pax nostra* ef-
fective, non formaliter, id est pacificator
noster. Nam pacem fecit inter Deum et
homines. Homines quoque per diversas
leges divisos pacificavit : imo homines et
angelos optime pacificasse cognoscitur.
Qui fecit utraque, id est duos populos,
scilicet Judæos et gentiles, *unum* in fide
Joann. XVII, 11. ac dilectione. Hinc est quod ait ipse : Pa-
ter sancte, serva eos in nomine tuo, quos
dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos.
vers. 20. Christus quippe est lapis angularis, in
quo duo populi concurrerunt et adunati
sunt, ita ut ex Judæis gentibusque con-
versis constet una Ecclesia. Propter quod
Zach. VI, 13. aiebat Propheta : Consilium pacis erit in-
ter duos illos. *Et medium parietem ma-
ceriæ,* id est obstaculum accedendi ad
Deum, *solvens,* id est, per suam passio-
nem et gratiam auferens. Abstulit enim
a Judæis observantiam legalium, a gen-
tibus autem idololatriam, et pro omnibus
satisfecit. De tali pariete ait Psalmista :
A In Deo meo transgrediar murum. Dicitur Ps. XVII, 30.
autem hic paries maceriæ, propter suam
infirmitatem. Maceria namque est conge-
ries lapidum sine cæmento. Vocaturque
medius, quoniam divisit populos istos ab
invicem et a Deo. Non enim sibi concor-
dabant invicem, neque cum Deo, stante
pariete isto ; sed erant omnes quasi oves Is. LIII, 6.
errantes, unusquisque in viam suam de-
clinavit. Gratia vero Dei parietem istum
destruxit facile, consumendo peccata, et
unitatem caritatis præstando. *Inimicitias*
B Judæorum et gentium in alterutrum, et
in Deum, *in carne sua,* id est per cor-
poris sui mysteria, scilicet passionem et
mortem, solvens. Ipse est enim Agnus qui Joann. I, 29.
abstulit peccata mundi. Quibus ablatis,
amicitia redit, et habitare facit unius moris Ps. LXVII, 7.
in domo.
Insuper Christus est *legem mandato-* 15
rum, id est legem Mosaicam, plenam man-
datis triplicibus, scilicet moralibus, judi-
cialibus et cærimonialibus, *decretis,* id est
evangelicis præceptis, *evacuans,* id est,
C cessare faciens, quantum ad cærimonia-
lia. De quibus decretis legem evacuanti-
bus, dicit Salvator : In his duobus præce- Matth. XXII, 40.
ptis tota lex pendet et Prophetæ. Fertur
autem Rabbi Moyses dicere, tot esse man-
data in lege, quot sunt ossa in humano
corpore, hoc est sexcenta et tredecim. *Ut
duos* populos a se olim fide et cultu di-
visos, puta Judæos et gentes, *condat,* id
est constituat, *in semetipso* tanquam in
salvatore ac capite, jungens eos sibi per
fidem et caritatem, *in uno novo homine,*
D id est in semetipso, Deo humanato, novo
ordine genito, et omnia innovante, *faci-
ens pacem* inter populos istos ad invicem,
et quoad Deum et angelos ; *et reconciliet* 16
ambos Deo in uno corpore, id est in pro-
prii corporis passione ; vel, In uno cor-
pore, id est ad hoc ut sint unum my- Rom. XII, 5.
sticum corpus Ecclesiæ, quod est ipsa
Ecclesia, quæ est mysticum corpus Chri- Ephes. I, 23.
sti ; *per crucem,* id est crucis passionem,
interficiens, id est, penitus tollens seu
auferens, quantum in se est, *inimicitias,*

id est peccata quæ inimicitiam induxe- A
Sap. XIV, 9. runt : odio enim sunt Deo impius et im-
pietas ejus ; *in semetipso,* id est propria
morte ac merito, juxta illud Isaiæ vati-
Is. LIII, 5. cinium : Pro nobis dolens vulneratus est ;
I *Petr.* II, 24. item et illud Petri, Ipse peccata nostra
tulit in corpore suo super lignum.
17 *Et veniens* Christus, id est, in natura
Baruch III, 38. assumpta novus apparens in terris, et cum
hominibus conversans ac ambulans, *evan-
gelizavit,* id est, dandam prædicavit, et
per Apostolos datam annuntiavit, *pacem*
prædictam *vobis* gentilibus, *qui longe fu-
istis,* id est multum a Deo aversi. Unde
Joann. X, 16. in Evangelio : Alias, inquit, oves habeo,
quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet
Matth. VIII, 11. me adducere ; et rursus, Multi ab oriente
et occidente venient, et recumbent cum
Abraham et Isaac et Jacob in regno cœ-
lorum. Evangelizavit *et pacem his qui
prope,* id est Judæis unum verum Deum
Ibid. XV, 24. colentibus, de quibus ipse ait : Non sum
missus nisi ad oves quæ perierunt do-
mus Israel. Hoc verbum Apostoli sum-
ptum videtur ex eo quod per Isaiam Domi-
Is. LVII, 19. nus protestatur : Creavi fructum labiorum
ejus, pacem ei qui longe, et pacem ei
18 qui prope. *Quoniam per ipsum* Christum,
I *Tim.* II, 5. tanquam per optimum mediatorem, re-
I *Joann.* II, 1. conciliatorem et advocatum, *habemus ac-
cessum,* id est causam atque fiduciam ac-
cedendi corde sincero, *ambo,* id est nos
Judæi et gentes, *in uno spiritu,* id est
instinctu et operatione ejusdem Spiritus
Sancti ; vel, In uno spiritu, id est pari
affectu seu anima una per caritatem, sic-
Act. IV, 32. ut multitudinis credentium erat cor unum
et anima una ; *ad Patrem* æternum, eum
laudando, orando et operibus venerando.
Hebr. IV, 16. Unde dicit alibi Apostolus : Adeamus cum
fiducia ad thronum gratiæ ejus, ut mise-
ricordiam consequamur.
19 *Ergo,* id est, quoniam per Christum re-
conciliati et prope facti estis, habentes
per ipsum accessum ad Patrem, sicut et
Joann. XIV, 6. ipse ait : Nemo venit ad Patrem nisi per
me ; *jam* tempore gratiæ et novæ legis,
quum estis ad Christum conversi, *non es-*
tis hospites, id est adventicii, et cito ab-
euntes a Deo et Ecclesia, *et advenæ,* id
est a Deo et electis extranei : per fidem
enim et caritatem et cetera dona Spiritus
Sancti firmiter stabiliti estis in Deo, at-
que in ecclesiastica unitate. Ideo subdi-
tur : *sed estis cives Sanctorum,* id est de
numero electorum, tanquam ejusdem ju-
ris ac dignitatis cum illis in domo mili-
tantis Ecclesiæ, *et domestici Dei,* id est
Deo familiariter copulati, et in domo ejus,
scilicet Ecclesia, recepti, semperque man-
B suri ; *superædificati,* id est mente forti- 20
ter innixi, radicati atque fundati sive in-
structi, *super fundamentum Apostolorum
et Prophetarum,* id est super Christum,
qui est primum ac summum fundamen- I *Cor.* III, 11.
tum, in quo Apostoli et Prophetæ fundati
fuerunt per fidem et gratiam singularem.
Potest quoque per fundamentum intelligi
sacra Scriptura novi ac veteris Testamen-
ti, in qua fidelium corda fideliter consta-
biliuntur. Ædificati itaque estis hoc mo-
do, *ipso summo angulari lapide* exsistente
C *Christo Jesu,* id est, ita ut Christus in
ædificio isto Ecclesiæ spirituali sit lapis
summus et angularis : lapis quidem, quo-
niam firmiter sustinet et conservat cre-
dentes in se ; summus, quoniam perficit
eos ; angularis, quia in ipso sicut in ca-
pite, uniuntur duo populi, Judæi videlicet
et gentiles, ad construendam unam Ec-
clesiam, quemadmodum duo parietes in
lapide materiali in angulo posito concur-
runt atque cohærent. De hoc lapide ait
Psalmista : Lapidem quem reprobaverunt *Ps.* CXVII, 22.
D ædificantes, hic factus est in caput anguli.
Quod Christus de se prædictum testatur,
dicens Judæis : Nunquam legistis, Lapidem *Matth.* XXI, 42.
quem reprobaverunt ædificantes, etc. ?
In quo Christo, id est in cujus doctri- 21
na, fide et gratia, *omnis ædificatio,* id est
domus, videlicet fidelis quilibet, seu mul-
titudo fidelium, *constructa,* id est spiri-
tualiter erecta et confirmata, *crescit,* id
est, proficiendo procedit de bono in me-
lius, *in templum sanctum,* id est ad hoc
ut sit templum purum a vitiis, in quo

Deus per gratiam habitare dignetur, juxta A
I *Cor.* III, 17. illud : Templum Dei sanctum est, quod
estis vos ; *in Domino,* id est adjutorio
22 Dei, vel secundum voluntatem ipsius. *In
quo* Domino, id est cujus subsidio, *et vos
coædificamini,* id est, simul cum aliis fidelibus ædificamini intus in anima, virtutibus, donis atque scientiis, *in habitaculum Dei,* id est, ut sitis templum inhabitationis divinæ, *in Spiritu Sancto,* id est virtute Spiritus Sancti, qui hujus ædificationis artifex est, et sine quo nullum acceptum est opus.

Quæritur circa prædicta, quomodo ei quod dictum est, Jam non estis hospites et advenæ, consonet quod de Sanctis scriptum est alibi, Confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram ; item *Hebr.* XI, 13.
quod ait Petrus, Obsecro vos tanquam advenas et peregrinos ; et illud denique Davidicum, Ne sileas, quoniam advena ego sum apud te et peregrinus, sicut omnes patres mei. *I Petr.* II, 11. *Ps.* XXXVIII, 13. Et respondendum, quod Sancti sunt peregrini et advenæ, quantum ad sæculum istud, in quo peregrinantur a Domino, suspirantes ad patriam supercœlestem. *II Cor.* V, 6. Mundus enim carcer est atque exsilium electorum. Non autem sunt hospites, peregrini aut advenæ, quoad regnum et domum seu civitatem militantis Ecclesiæ : imo et triumphantis Ecclesiæ cives et domestici sunt in spe. B

ARTICULUS III

EXPLICATIO CAPITULI TERTII : HUJUS REI GRATIA, EGO PAULUS VINCTUS, ETC.

ORANS præterea sanctus Apostolus pro C
1 Ephesiis, ait : *Hujus rei gratia,* id
est pro hac causa mihi grata, et vobis gratiosa, videlicet ut ædificemini in habitaculum Dei in Spiritu Sancto (secundum intellectum jam expressum), *ego Pau-
Ephes.* IV, 1. *lus vinctus Jesu Christi,* id est propter Christum Romæ incarceratus et vinculis strictus, *pro vobis gentibus,* id est ob hoc quod vobis gentibus evangelizo. Et hoc
2 vobis constare potest sic esse, *si tamen audistis dispensationem gratiæ Dei quæ data est mihi,* id est gratiam mihi ex di- D
vina dispensatione seu dispositione collatam, videlicet apostolatum et cetera dona gratis data atque gratifica mihi impensa, *in vobis,* id est ad vestram salutem et
3 instructionem. *Quoniam secundum reve-
Galat.* I, 12. *lationem,* id est ex supernaturali et clara illuminatione Christi, *notum mihi factum est sacramentum,* id est humanæ redemptionis mysterium seu occultum Dei consilium de salvatione hominum, *sicut supra* (videlicet in præcedenti capitulo) *scripsi in brevi* sermone, dicendo de Christo : Ipse est pax nostra, qui fecit utraque *Ephes.* II, 14.
unum ; *prout potestis, legentes* verba il- 4
la, *intelligere prudentiam,* id est sapientiam, *meam in mysterio Christi* cognoscendo, id est in descriptione, prædicatione, seu cognitione hujus divini secreti, seu summæ mentis consilii, utpote quod gentes per Christum salvandæ sint.
Quod mysterium *aliis,* id est præteri- 5
tis, *generationibus non est agnitum,* id est revelatum, scilicet *filiis hominum* qui fuerunt, *sicut nunc,* id est tam plene, tam vulgate, et tam perfecte quam modo. *Revelatum autem sanctis Apostolis ejus et Prophetis* novi Testamenti : quorum multi nominantur in Actibus Apostolorum. *Act.* XIII, 1; XXI, 10. Nam et omnes Apostoli fuerunt prophetæ. His ergo revelatum est *in spiritu,* id est per Spiritum Sanctum ; vel, In spiritu, id est spirituali mentis excessu seu elevatione ad percipiendam revelati-

6 onem divinam ; *esse gentes,* id est electos
gentiles, *coheredes* quoad felicitatem fu-
turam, *et concorporales,* id est ad idem
mysticum corpus pertinentes, *et compar-
ticipes promissionis,* id est consortes cœ-
lestium promissionum cum nobis Aposto-
lis ceterisque electis Judæis, ita ut eadem
sit beatitudo omnium nostrum in patria,
et nunc unum corpus simus Christi. Quod
totum factum est *in Christo Jesu,* id est
virtute et gratia, seu per incarnationem,
passionem et merita Christi ; item *per
Evangelium,* id est evangelicæ legis præ-
dicationem, per quam gentes ad fidem
conversæ sunt, et Christi gratiam susce-
7 perunt ; *cujus* Evangelii *factus sum ego
minister,* id est obsequiosus annuntiator,
*secundum donum gratiæ Dei quæ data
est mihi,* id est secundum apostolatum et
sapientiam mihi divinitus distributa, *se-
cundum operationem virtutis ejus,* id est
secundum influxum divinæ potentiæ, ad
tantam me gratiam promoventis.
8 *Mihi enim* Paulo *omnium sanctorum*
I Cor. xv, 9. *minimo,* non simpliciter, sed secundum
aliquam considerationem, videlicet quan-
tum ad id quod sum ex me ipso, et quod
feci adversus Ecclesiam. Etenim secun-
dum diversas considerationes sui ipsius,
potest homo diverso de sese judicare modo
sine mendacio, sicque major ac perfectior
potest se vere humiliare sub inferiori-
bus. Nunquam enim debet aliquis propter
humilitatem a veritate recedere. *Data est
gratia hæc,* id est auctoritas et sapientia :
in gentibus evangelizare, id est gentibus
prædicare, *investigabiles divitias,* id est
imperscrutabilia et copiosissima dona et
beneficia *Christi* hominibus præstita vel
9 promissa ; *et illuminare* instrumentaliter,
id est prædicando docere, *omnes* gentes,
id est quasdam de omni genere gentium,
quæ sit dispensatio, id est exsecutio seu
dispensativa adimpletio, *sacramenti abs-
conditi a sæculis in Deo,* id est humanæ
redemptionis secreto consilio factæ, seu
incarnationis Filii Dei. Quod sacramentum,
absconditum seu celatum fuit in Deo, id

A est in divinæ mentis notitia, a sæculis,
id est ab omnium generationum exordiis,
utpote ab origine mundi, ita ut nulli cre-
aturæ angelicæ vel humanæ fuerit plene
manifestatum. *Qui* Deus *omnia creavit.*
Ut innotescat principibus et potestatibus 10
in cœlestibus per Ecclesiam multiformis
sapientia Dei, secundum præfinitionem 11
sæculorum, quam fecit Deus *in Christo
Jesu Domino nostro.*

In horum expositione verborum maxi-
mam difficultatem habentium, S. Hiero-
B nymus et Augustinus non nihil dissonare
videntur. Secundum Hieronymum enim
exponitur sic : *Mihi data est gratia evan-
gelizare in gentibus investigabiles divi-
tias Christi, ut innotescat,* id est, ita ut
notificetur, *principibus et potestatibus,* id
est angelorum ordinibus qui sunt *in cœ-
lestibus* mansionibus, *per Ecclesiam,* id
est per Apostolorum in Ecclesia prædica-
tionem, seu ex prædicatione Apostolorum
in Ecclesiis facta, *multiformis sapientia
Dei,* id est divinæ mentis sapientialis dis-
C positio de humani generis liberatione. Quæ
utique cognitio vel sapientia Dei, quam-
vis in se una et simplicissima sit, tamen
propter diversa quæ includit, concernit
et efficit, multiformis vocatur. Est enim
de omnibus mysteriis Christi. — Quod au-
tem subjungitur, Secundum præfinitionem
sæculorum, etc., referri potest ad ver-
bum, Innotescat. Eritque sensus : Ut in-
notescat principibus et potestatibus per
Apostolorum prædicationem multiformis
sapientia Dei, *secundum præfinitionem sæ-
D culorum,* id est secundum prædicationem
dominicam ab exordio temporum præcon-
ceptam : *quam* prærordinationem *fecit,* id
est effectui mancipavit, *in Christo Jesu
Domino nostro,* id est per Christi prædi-
cationem inchoative, et per missionem ac
illuminationem qua ipse Apostolos docuit,
et ad prædicationem emisit. — Secundo
refertur ad nomen, Multiformis. Tanquam
dicat : Multiformis sapientia Dei, non in
se multiformis, sed simplex ; multiformis
vero, secundum præfinitionem sæculorum,

id est secundum ordinationem eorum quæ
in sæculo fiunt, vel secundum hæc ipsa
ex divina præordinatione procedentia :
quam præfinitionem fecit, id est imple-
vit, vel implere disposuit, Deus Pater in
Christo Jesu Domino nostro, id est per
Joann. i, 3. unigenitum Filium suum, per quem fa-
Ibid. v, 17. cta sunt omnia; qui testatur : Pater meus
usque modo operatur, et ego operor.

Secundo exponitur, juxta Augustinum,
hoc modo : *Mihi data est gratia illumi-
nare omnes, quæ sit dispensatio sacramen-
ti absconditi a sæculis in Deo, ut inno-
tescat,* id est, sic tamen ut innotuerit,
principibus et potestatibus, id est angelis
universis, *per Ecclesiam,* id est in Eccle-
sia, *multiformis sapientia Dei.*

Ponit ergo Augustinus super Genesim,
quod omnes angeli, a principio sæculi
præcognoverunt mysterium regni cœle-
stis, id est unigeniti Filii Dei incarnatio-
nem. Quod etiam Thomas in prima parte
affirmat, rationem adjiciens : Quoniam in-
carnatio Verbi, est finis ad quem omnia
Hebr. i, 14. angelorum ministeria ordinantur. Omnes
autem sunt aliquo modo administratorii
spiritus. Omnes ergo sacramentum hoc co-
gnoverunt quantum ad substantiam ejus
in generali, non autem quantum ad sin-
gulas circumstantias seu particulares con-
ditiones ipsius. Et quantum ad hoc, profe-
cerunt in cognitione multiformis sapientiæ
Dei mysteriorumque Christi, tempore as-
censionis et prædicationis Apostolorum.
Porro, B. Hieronymus videtur sentire op-
positum hoc loco, et in Isaia, exponens
Is. LXIII, 1. illud, Quis est iste qui venit de Edom ?
Ait itaque, quod angeli mysterium incar-
nationis passionisque Christi ignoraverunt,
donec impleretur, a Christo quoque as-
cendente illud addiscerent, atque ex præ-
dicatione Apostolorum in ejus agnitione
proficerent. Verumtamen si dicta Hiero-
nymi diligenter inspiciantur, non viden-
tur prædictis penitus dissonare. Nam as-
serit, quod angelicæ dignitates non ad
purum intellexerunt præmemoratum my-
sterium, donec completa est passio Chri-

A sti, et Apostolorum prædicatio in gentes
promulgata. Certum est autem dici non
posse, quod angeli absolute nescierunt my-
steria Christi, donec rebus essent expleta.
Propheticæ autem revelationes, secundum
Dionysium, angelorum ministerio fiunt.
Quod ergo de Christo præcognoverunt Pro-
phetæ, angeli prius certiusque noverunt.
— De hac vero materia plenius dixi in
Isaia, exponendo capitulum illud, cujus
exordium est : Quis est iste qui venit de *Is.* LXIII, 1.
Edom ? Videtur quoque expositio gloriosi
B Hieronymi hoc loco magis concordare lit-
teræ, quam expositio Augustini, ut constat
inspicienti.

In quo Christo, id est cujus gratia et 12
merito, *habemus fiduciam* futuræ felicita-
tis, *et accessum* ad Deum *in confidentia,*
id est confidendo de bonitate Dei, meritis
Christi et actibus propriis, *per fidem ejus,*
quia in fide Christi omnia bona nostra
fundantur. Unde et confidentia ista ex fide
procedit.

Consequenter admonet Ephesios ad pa-
C tientiam atque constantiam. *Propter quod* 13
obsecro, id est, per sacra vos rogo, *ne de-
ficiatis,* id est, ne frangamini per im-
patientiam, pusillanimitatem, aut tædium
animi, nec a fide bonoque opere desista-
tis, *in tribulationibus meis,* id est ex consi-
deratione persecutionum et adversitatum
quas patior *pro vobis,* hoc est ad vestri
ædificationem ac probationem; *quæ* con-
stantia, scilicet non deficere, *est gloria
vestra,* id est gloriosum meritum vestrum.
Solent autem pusilli scandalizari, frangi,
D deficere, dum conspiciunt justos ab im-
piis opprimi aut occidi. In quorum per-
sona scriptum est ab Habacuc : Quare, Do- *Cf. Habac.*
mine, non respicis contemptores, et taces I, 13, 3.
conculcante impio justiorem se ? Propter
hoc lacerata est lex. Exercitati autem in
via et lege divina, qui sciunt quod per
multas tribulationes oportet nos intrare *Act.* XIV, 21.
in regnum cœleste, et quod pœnæ justo-
rum in hac vita non sunt nisi medicinæ
atque remedia, non moventur ex hoc ;
quin potius dicunt illud Salvatoris : Beati *Matth.* V, 10.

qui persecutionem patiuntur propter ju-
stitiam, quoniam ipsorum est regnum cœ-
lorum.
14 *Hujus rei gratia,* puta, ne deficiatis a
bono propter adversa, *flecto genua mea,*
corpus in oratione humiliando, ad insi-
nuandam vel excitandam cordis mei hu-
miliationem, *ad Patrem Domini nostri*
15 *Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in*
cœlis et in terra nominatur, id est, de
cujus verissima paternitate derivatur et
nomen paternitatis sortitur omnis pater-
nitas angelorum et hominum : ita quod
paternitas primo et proprie convenit Deo
Patri, qui genuit Filium, non solum in
natura similem, sed etiam sibi consub-
stantialem; ceteris vero convenit paterni-
tas per quamdam imitationem paternitatis
16 divinæ. *Ut det vobis secundum divitias*
gloriæ suæ, id est secundum plenitudi-
nem suæ perfectionis increatæ et opulen-
tissimæ, *virtutem,* id est cordis constan-
tiam, *corroborari,* id est, ut confirmemini,
per Spiritum ejus, id est per inspirationem
et opem Spiritus Sancti, *in interiori ho-*
17 *mine,* id est in anima : quod est *habitare*
Christum per fidem formatam *in cordibus*
vestris, id est mansionem quietam ac ju-
gem præsidentiam habere in interioribus
vestris. Sitis quoque *in caritate* Dei ac
proximi *radicati,* id est radicitus fixi, seu
firmiter inhærentes, quemadmodum radix
terræ fortiter inest, *et fundati,* id est per
firmas rationes divini amoris stabiliti, vi-
delicet ex consideratione divinæ bonitatis
in se, et caritatis ejus super nos, ex con-
sideratione etiam beneficiorum promissio-
numque Christi :
18 *Ut possitis comprehendere,* id est sin-
cere cognoscere, *cum omnibus sanctis,* id
est, sicut sancti in via Deo revelante co-
gnoscunt, *quæ sit latitudo* spiritualis cari-
tatis, *et longitudo, et sublimitas, et profun-*
dum ejus. Hæ dimensiones attribuuntur
caritati, per similitudinem corporalium di-
mensionum. Unde latitudo caritatis est,
quod ad omnes extenditur, etiam inimi-
cos. Longitudo ejus est, quod tendit in

A longum atque futurum, videlicet usque
in ultimum finem, seu vitam æternam,
nec frangitur propter dilationem. Unde se-
cundum Augustinum, longitudo est per-
severandi longanimitas. Sublimitas vero
caritatis est, quod immediate unit nos
Deo, imo in Deum transformat, eique in-
separabiliter colligat : quod maxime in
patria adimpletur. Profundum autem ca-
ritatis est, condescensus ad proximum, vel
humiliationis declivitas ex consideratio-
ne terribilium judiciorum Dei. — Possunt
B quoque hæc quatuor metaphorice ad di-
vinam referri naturam : ut latitudo per-
tineat ad divinæ naturæ communicabili-
tatem, qua Deus dat omnibus affluenter, *Jacob.* I, 5.
nec aliquid expers est a divinæ bonitatis
participatione ; longitudo vero pertineat
ad æternitatem, qua attingit a fine usque *Sap.* VIII, 1.
ad finem, imo universa præcedit et om-
nia sequitur, vel ad longanimem exspecta-
tionem qua impiorum præstolatur emen-
dationem; sublimitas autem ad majestatis
divinæ incircumscriptibilem excellentiam,
C vel ad promissorum supernaturalem di-
gnitatem; profundum quoque ad incom-
prehensibilia divinæ naturæ, ejusque judi-
ciorum, de quibus dicit Scriptura : Judicia *Ps.* XXXV, 7.
tua abyssus multa; item alibi : Excelsior *Job* XI, 8, 9.
cœlo est, et quid facies? profundior in-
ferno, et unde cognosces? Longior terra
mensura ejus, et latior mari.
Possitis *scire etiam* scientia practica, 19
id est sciendo imitari et juste agere, *su-*
pereminentem scientiæ caritatem Christi,
id est dilectionem illam præcipuam qua
D Christus secundum suam scientiam nos
dilexit. Dilectio enim ex cognitione pro-
cedit. Vel sic : Possitis scire caritatem
Christi supereminentem scientiæ, id est
nostram notitiam sua magnitudine exce-
dentem. *Ut impleamini,* id est, divinarum
gratiarum recipiendo influxum, tendatis
ac perducamini, *in omnem plenitudinem*
Dei, id est ad omnia dona perfecta quæ
conferuntur a Deo, quatenus nunc obtine-
atis plenitudinem meritorum, postmodum
vero plenitudinem præmiorum.

20 *Ei autem,* scilicet Deo omnipotenti, *qui* A
potens est omnia sibi placentia et nobis
salubria *facere,* id est implere, *superabun-
danter quam petimus aut intelligimus,* id
est copiosius quam orare aut nosse vale-
amus, qui tamen plus intelligimus quam
orare præsumamus, *secundum virtutem,*
id est omnipotentiam suam, *quæ operatur
in nobis* ut causa prima ac principalis,
nobisque virtutem et gratiam operandi
21 largitur; *ipsi* sit *gloria,* id est clara cum
laude notitia, *in Ecclesia,* id est in cor-
dibus fidelium qui Deum glorificant, *et* B
in Christo Jesu, id est propter ea quæ
nobis per Christum donavit : gloria, in-
quam, duratura *in omnes generationes,* id
est per universa generationum intervalla
seu tempora, *sæculi,* id est præsentis vi-
tæ contentivæ *sæculorum,* id est includen-
tis in se sæcula universa, id est singulas
mundi ætates. Porro, secundum Damasce-
num, sæculum multa significat : primo,
uniuscujusque rei vitam; secundo, tem-
pus mille annorum; tertio, totam vitam,
seu durationem (ut ita loquar) præsen-
tem; quarto, vitam futuram in patria post
resurrectionem novissimam; quinto, men-
suram æternorum; sexto, mensuram per-
petuorum; septimo, singulas septem mun-
di ætates. *Amen.*

ARTICULUS IV

DECLARATIO CAPITULI QUARTI : OBSECRO ITAQUE VOS EGO VINCTUS IN DOMINO.

DOCUIT sanctus Apostolus omnia bo- C
na nostra divinæ pietati ac gratiæ es-
se adscribenda; induxit quoque Ephesios
ad gratiarum actionem, et fudit pro eis
precem devotam. Jam in moralibus in-
1 struit eos, dicendo : *Obsecro itaque vos
ego vinctus,* id est Romæ incarceratus at-
que ligatus, *in Domino,* id est propter
Deum et fidei prædicationem, *ut digne
ambuletis,* quotidie in virtutibus profici-
endo : digne, inquam, *vocatione qua vo-
cati estis* ad christianam religionem atque
evangelicam legem, me foris per prædi- D
cationem meam vocante, Deo autem in-
terius operante et per inspirationem in-
ternam vocante : hoc est, sic vivite ut
convenit Christianis, et sicut lex jubet
quam assumpsistis :
2 *Cum omni humilitate* interiori et ex-
teriori in verbis et factis, ita ut latentem
superbiam et manifestam præsumptionem
ac pompam abjiciatis, *et mansuetudine,*
id est mititate iram refrenante. Hoc et
Matth. XI, 29. Christus admonet : Discite (inquiens) a
me, quia mitis sum et humilis corde. Un-
de et Tobias præcepit filio suo : Super- *Tob.* IV, 14.
biam nunquam in tuo sensu aut in verbo
tuo dominari permittas; in ipsa enim sum-
psit initium omnis perditio. Et in Eccle-
siastico scriptum est : Odibilis coram Deo *Eccli.* X, 7.
et hominibus est superbia. De commen-
datione vero mansuetudinis scriptum est :
Fili, in mansuetudine opera tua perfice, *Ibid.* III, 19.
et super hominum gloriam diligeris. *Cum
patientia,* quæ passionem tristitiæ aufert,
id est cum æquanimi tolerantia adverso-
rum. *Supportantes invicem* mutuos defe-
ctus atque labores, compatiendo peccan-
tibus et laborantibus succurrendo, sicut
alibi dictum est : Alter alterius onera por- *Galat.* VI, 2.
tate; *in caritate,* id est sincero affectu,
non simulatione aut pro commodo tem-
porali ; *solliciti servare,* id est studiosi 3
ac diligentes ad conservandum, *unitatem
spiritus,* id est spiritualem unionem et
conformitatem animorum, ut sit vobis ani- *Joann.* XVII,
ma una per caritatis affectum; vel, Uni- 21-23; *Act.* IV, 32.
tatem spiritus, id est unitatem Ecclesiæ

quam facit Spiritus Sanctus ; *in vinculo* A
pacis, id est in pace seu tranquillitate
animi, quæ est spirituale vinculum uni-
tatis præfatæ, quoniam nutrit eam atque
conservat.
4 *Unum corpus* Christi mysticum estis,
Rom. xii, 5. I *Cor.* vi, 17. *et unus spiritus* cum Deo, ei fideliter ad-
hærendo ; vel, Unus spiritus cum spiritu
Christi per caritatem, eadem volendo ac
nolendo cum eo, quemadmodum per Je-
Jer. xxxii, 39. remiam Dominus loquitur : Dabo eis cor
unum et animam unam ; *sicut vocati es-*
tis in unam spem, id est ad eamdem be- B
atitudinem sperandam, *vocationis vestræ,*
id est ad quam vestra vocatio ordinatur.
Merito insuper observanda est unitas
5 ista interna ac spiritualis : nam, *Unus Do-*
minus, scilicet Deus Trinitas. De quo in
Esther xiii, 9. libro Esther legitur : Domine, rex omni-
potens, in ditione tua cuncta sunt posita.
Una fides in specie ex parte objecti, quod
est veritas prima ; sed ex parte subje-
ctorum fides numeraliter diversificatur.
Quamvis enim multa sint credenda et mul-
ti articuli fidei, una tamen est formalis C
et propria ratio objectalis, propter quam
omnibus creditur, et cui fides innititur,
scilicet veritas increata. *Unum Baptisma*
in specie, quia materia una est, utpote
aqua, et forma Baptismi eadem est. Vel
dicitur Baptisma unum, ex parte interio-
ris baptistæ, videlicet Christi, qui solus
lavat et mundat interius. Vel ideo unum
vocatur, quia iterari non potest, estque
ejusdem valoris a quocumque ministretur,
quoniam non consistit in merito dantis,
6 sed in virtute dominicæ passionis. *Unus* D
Deus et Pater omnium, id est Deus Trini-
tas : qui Deus dicitur propter creationem ;
Pater, propter benignam gubernationem ;
qui est super omnes, id est incomparabili
dignitate cunctis præstantior, *et per om-*
nia spiritualiter extentus sive diffusus,
cunctaque penetrans et includens : pro-
Jer. xxiii, 24. pter quod per Jeremiam contestatur, Num-
quid non cœlum et terram ego impleo? *et*
in omnibus nobis credentibus atque ele-
ctis est per fidem, caritatem et gratiam.

Sed ne ex hoc quod dixit nos esse unum
corpus unumque spiritum, æstimetur in
omnibus esse par gratia, subditur : *Uni-* 7
cuique autem nostrum data est gratia
gratum faciens, vel gratis data, seu utra-
que simul, *secundum mensuram donatio-*
nis Christi, id est juxta quantitatem men-
suratam a Christo, vel secundum quod
Christus dator mensurat, qui dat singulis
secundum propriam capacitatem sive vir-
tutem.
Propter quod dicit Psalmista : *Ascen-* 8
dens Christus *in altum,* id est in cœlum
empyreum in die ascensionis, *captivam*
duxit captivitatem, id est, a diabolo ca-
ptos eripuit, cepit, et secum deduxit, vi-
delicet Sanctos de limbo, omnesque om-
nino purgatos ; *dedit dona hominibus,*
maxime in die sancto Pentecostes, quando *Act.* ii, 1-4.
discipulis mittens Spiritum Sanctum, im-
plevit corda eorum diversis charismatibus
Spiritus Sancti, ut patet in Actibus. Alle-
gat autem Apostolus potius sensum quam
verba Psalmistæ. Sic enim continet nostra
translatio : Ascendisti in altum, cepisti *Ps.* lxvii, 19.
captivitatem, accepisti dona in hominibus.
Quod autem Christus *ascendit, quid est,* 9
id est, quomodo verum est, *nisi quia et*
descendit primum, id est ante, videlicet
in die resurrectionis seu mortis suæ, *in*
inferiores partes terræ, id est ad limbum
patrum, qui est secus infernum situm in
medio terræ? Inde enim captivam duxit
captivitatem. Porro Christus in puncto
mortis suæ descendit in limbum, quan-
tum ad animam ; in die vero resurrecti-
onis rediit illuc cum corpore et anima,
secundum quosdam. Vel sic : Descendit
primum in inferiores partes terræ, id est
ad hunc mundum inferiorem, humanam
naturam assumendo, atque in mundo vi-
sibiliter operando. Unde ipse ait : Nemo *Joann.* iii, 13.
ascendit in cœlum, nisi qui descendit de
cœlo. *Qui descendit* modis præfatis, *ipse* 10
est et qui ascendit in die ascensionis, se- *Marc.* xvi, 19.
cundum corpus et animam, *super omnes*
cœlos materiales et habitationes eorum.
Ascendit autem loco et dignitate, vel po-

tius dignitatis suæ manifestatione, super omnes creaturas corporales ac spirituales.

Sunt autem septem cœli planetarum. Octavum cœlum, est firmamentum quod appellatur sidereum ; estque partim diaphanum, et partim lucidum. Nonum, est cœlum crystallinum seu aqueum, omnino diaphanum, quod philosophi nominant nonam sphæram. Ultra quam aliqui ponunt decimam sphæram seu decimum cœlum, quod nominant primum mobile. Ultra hos cœlos est cœlum empyreum maxime uniforme ac simplex atque immobile, quod est mansio Beatorum. Denique, præter hos cœlos superiores, et secundum substantiam prorsus incorruptibiles, sunt cœli elementares, videlicet cœlum aerium, æthereum, olympium, et igneum.

Sic ergo ascendit, *ut impleret omnia* quæ in lege, Prophetis ac Psalmis de ipso prænuntiata fuerunt. *Luc.* XXIV, 44. Unde in cruce dicebat : Consummatum est. *Joann.* XIX, 30. Vel, Impleret omnia genera hominum, id est quosdam de universis generibus hominum, donis et gratiis Spiritus Sancti : de quibus omnibus dixit apud Joannem, Omnia traham ad me ipsum. *Ibid.* XII, 32. Quomodo autem et quibus gradibus hoc fecerit, subditur :

11 *Et ipse* Christus *dedit,* id est, gratis constituit, *quosdam quidem Apostolos.* De quibus in Luca habetur : Hos duodecim elegit, quos et Apostolos nominavit. *Luc.* VI, 13. *Quosdam autem Prophetas,* id est futurorum prænuntiatores : ut erant Agabus, et Dionysius, qui Joanni evangelistæ prophetavit de sua reductione a Patmos. *Act.* XI, 28; XXI, 10, 11. Secundum Ambrosium, per prophetas potius intelliguntur Scripturarum expositores, quoniam in novo Testamento Scripturarum explanatores appellantur prophetæ. *Alios vero Evangelistas :* vel quia Evangelium conscripserunt, ut Lucas et Marcus, vel quia Evangelium prædicaverunt, ut septem diaconi et successores eorum. *Ibid.* VI, 5. Evangelistæ namque vocantur, qui quamvis sacerdotes non sint, tamen evangelizare ex officio possunt. *Alios autem* dedit *pastores et doctores,* puta episcopos, qui verbo et opere gregem suum pascere habent. De qualibus Dominus loquitur per Jeremiam : Dabo vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina. *Jer.* III, 15. Loquitur autem Apostolus de distinctione istorum formaliter. Materialiter namque frequenter coincidunt, eo quod eidem personæ diversæ gratiæ conferantur : nam ipsi Apostoli, utique et prophetæ et evangelistæ et pastores atque doctores fuerunt.

Hos itaque dedit Deus *ad consummationem sanctorum,* id est, ut feliciter finiantur seu consummentur qui nunc sancti et perfecti consistunt, qui et a prædictis diriguntur *in opus ministerii,* id est operosum obsequium, puta ad hoc ut singuli sua officia ordinate et expedite valeant exsequi, *in ædificationem corporis Christi,* id est propter ædificationem spiritualem Ecclesiæ, et ut infideles ei per fidem incorporentur, quæ est mysticum corpus Christi. 12

Porro prælatio ordinationis prædictæ du-
rabit, *donec occurramus omnes,* id est, in 13
die judicii nobis invicem et Christo obviemus : juxta illud in Evangelio, Ecce sponsus venit, surgite obviam ei ; *Matth.* XXV, 6. et alibi, Simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo ; *I Thess.* IV, 16. *in unitatem fidei,* id est, idem credentes, quantum ad electos fideles, qui nondum Deum per speciem videre meruerunt ; *et agnitionis,* id est contemplationis, *Filii Dei.* Hoc refertur ad Beatos, qui ante futurum judicium Deo perfruuntur. Vel sic : Occurramus omnes, qui jam sumus et vivimus in unitate fidei, id est in una fide catholica, et agnitione fideli Christi Filii Dei. *In virum perfectum,* id est in statu perfecto, habentes videlicet perfectionem virtutum et fortitudinem animorum, sicque appareat nos esse viros, non ratione sexus, sed perfectionis. Non ergo ideo ait, In virum perfectum, quasi post resurrectionem defecturus sit sexus muliebris, sed quia electi feliciter immutabuntur. *In mensuram ætatis plenitudinis Christi,* id est, in ea ætate occurremus et resurgemus, qua Christus *I Cor.* XV, 51, 52.

consummatus atque occisus est, scilicet in
anno tricesimo tertio. Non ait, In mensu-
ram corporis vel staturæ, quoniam unus-
quisque proprii corporis mensuram reci-
piet, quam vel in juventute habuit, licet
senuerit, vel fuerat habiturus, nisi prius
obiisset. Non autem satis est dicere, se-
cundum Augustinum, quod in resurrecti-
one detur corpori magnitudo quam non
habuit, nec naturaliter habuisset, vel quod
corpora majora ad dominici corporis quan-
titatem redigantur : sic enim multum pe-
Luc. XXI, 18. riret de illis, quum tamen ne unus qui-
dem periturus sit capillus eorum.
Hæc vero tam præclara largitus sive
14 daturus est Deus beneficia nobis, *ut jam*
post receptionem Baptismi et conversio-
nem nostram, *non simus parvuli*, id est
discretione ac sensibus minorati seu mo-
dici, *fluctuantes*, id est instabiles, *et cir-
cumferamur*, id est, undique a Deo et
rectitudine sanctæ conversationis abstra-
hamur ac evagemur, *omni vento doctri-
næ*, id est inani, verbosa et turbulenta
instructione hominum perversorum, ne
deputemur cum illis, de quibus dicit Psal-
Ps. XI, 9. mista : In circuitu impii ambulant; et :
Ps. LXXXII, 14. Deus meus, pone illos ut rotam, et sicut
stipulam ante faciem venti. Quæ circum-
ferentia seu vana instructio fit *in nequitia
hominum*, id est a nequam hominibus, *in
astutia*, id est cum fraude et simulatione,
ad circumventionem erroris, id est ad
hoc ut alios fallant, mittendo eos in di-
versos errores sub prætextu justitiæ et
specie veritatis.
15 *Veritatem autem* justitiæ, id est opera
justa, *facientes*, vel, Veritatem doctrinæ
facientes, id est actibus virtuosis exse-
quentes, *in caritate*, id est ex caritatis
impulsu atque imperio, non ficte, coacte
aut formidolose ; *crescamus* in gratia gra-
tificante *in illo per omnia* virtutum exer-
citia, *qui est caput* nostrum, videlicet *Chri-
stus*, id est auxilio Christi secundum ejus
16 consilia ad gloriam ejus ; *ex quo*, id est
cujus virtute et operatione, *totum corpus*
mysticum, quod est universa Ecclesia,

A *compactum*, id est per fidem et opera
fortiter junctum, *et connexum* coagulo ca-
ritatis, *per omnem juncturam submini-
strationis*, id est per singula membra sive
supposita, mysticum corpus integrantia,
et sibi invicem caritative ministrantia, *se-
cundum operationem*, id est realem et ac-
tualem subventionem seu servitutem, *in
mensuram uniuscujusque membri*, id est
juxta facultatem, proportionem, seu mo-
dum cuilibet personæ ecclesiasticæ con-
venientem, videlicet secundum quod gra-
B tia Dei in ea major aut minor est. Hoc
itaque corpus ita compactum, *augmentum
corporis facit*, id est, se ipsum auget ac
perficit numero et merito per Christi vir-
tutem, *in ædificationem sui*, id est ad
hoc ut plures convertantur ad fidem, cor-
rigantur in moribus, vel perficiantur vir-
tutibus, *in caritate*, in qua tota spiritua-
lis fundatur et consummatur constructio.
Sic ergo corpus Ecclesiæ junctum est, ut Rom. XII, 5; I Cor. XII, 12, 25, 27.
singula membra ejus sibi invicem per di-
lectionem cohæreant atque ministrent.
C Consequenter instruuntur Ephesii in
moribus, primoque admonentur declinare
a malo. *Hoc igitur*, id est, quoniam tanta 17
vobis collata est gratia, *dico et testificor
in Domino*, id est Deo testante, vel, sub
testimonio Domini jubeo, Deum testem
adhibendo, *ut jam* tempore gratiæ, *non
ambuletis sicut et gentes ambulant*, id est,
non vivatis sicut gentiles, *in vanitate sen-
sus sui*, id est diversis erroribus humana
vanitate conceptis ; *tenebris*, id est perfi- 18
dia variisque falsitatibus, *obscuratum ha-
D bentes intellectum, alienati a via Dei*, id
est a fide et lege divina, *per ignorantiam
quæ est in illis* (quæ est privatio verita-
tis, idcirco alienat et separat intellectum
a via Dei, quæ pulchra est atque paci- Prov. III, 17.
fica), *propter cæcitatem*, id est hebetudi-
nem et duritiam, *cordis ipsorum*, per quam
prædicationi veritatis claudunt oculos men-
tis. In malevolam enim animam non in- Sap. I, 4.
troibit sapientia. *Qui desperantes*, id est, 19
futuræ vitæ ac divinæ remunerationis
fiduciam non habentes, *semetipsos tradi-*

derunt impudicitiæ, id est turpitudini lu-
xuriæ, procedentes ex concupiscentia *in*
operationem immunditiæ omnis, id est in
opera totius fœditatis, nullum genus car-
nalium voluptatum omittentes, *in avari-*
tiam, id est ex peccato luxuriæ etiam in
avaritiam lapsi, desiderantes temporalia,
sine quorum usu libidini vacare non pos-
sunt. De talibus scriptum est per Sapi-
Sap. II, 1, 2, 6, 8. entem : Dixerunt impii apud se : Non est
qui agnitus sit reversus ab inferis. Quia
ex nihilo nati sumus, et post hæc erimus
tanquam non fuerimus. Venite ergo, et
fruamur bonis quæ sunt, et utamur cre-
atura tanquam in juventute celeriter; nul-
lum pratum sit quod non pertranseat lu-
xuria nostra.
20 *Vos autem non ita,* scilicet ut impudice
vivatis, et vitiis gentilitatis vacetis, *di-*
dicistis Christum, id est Christi doctri-
21 nam, quæ docet oppositum ; *si tamen il-*
lum, id est Christi documenta, *audistis*
auribus mentis, id est intellexistis, *et in*
ipso, id est secundum ejus vitam, mores
et theoriam, *edocti estis* a Spiritu San-
cto per Christi ministros, *sicut est veritas*
in Jesu : id est, si sic informati estis ut
dici possitis edocti in Christo, id est, si
vere sapientes estis, vitam et mores con-
Act. I, 1. formando scientiæ exemplo Christi, qui
cœpit facere et docere. Unde subjungit,
22 quid sit in Christo edoctum esse. *Depo-*
nere vos secundum pristinam conversati-
onem, id est per abnegationem præceden-
tium vitiorum, *veterem hominem,* id est
vos ipsos relinquere, quantum ad id quo
primo parenti prævaricatori similes estis
per inobedientiæ ejus imitationem. Hinc
Luc. IX, 23. enim dicit Salvator : Qui vult venire post
me, abneget semetipsum. Et Salomon lo-
Prov. XII, 7. quitur : Verte impios, et non erunt. *Qui*
vetus homo *corrumpitur,* id est, spiritu-
aliter annihilatur, omne esse gratiæ gra-
tificantis perdendo, *secundum desideria*
erroris, id est consentiendo desideriis pra-
vis, vel ea mancipando effectui. Quæ di-
cuntur desideria erroris, quia ex errore
seu defectu cognitionis aliquo modo pro-
cedunt (omnis enim peccans, est ignorans,
secundum Philosophum), et ad errorem
peccati actualis deducunt. Per veterem
autem hominem designatur quilibet no-
strum, per comparationem ad pristina vi-
tia, quibus anima vetusta efficitur.

Deinde Apostolus exhortatur Ephesios
ad operationem boni. *Renovamini autem* 23
spiritu, id est affectu, *mentis,* id est ani-
mæ, *vestræ ;* vel, Spiritu mentis vestræ,
id est spiritu qui est mens vestra. Quid
autem sit taliter renovari, additur : *et in-* 24
duite novum hominem, id est, similitu-
dinem Christi, vel cujuscumque hominis
spiritualis in Christo renati ac renovati,
assumite, ejus sequendo vestigia (sicut su-
perius dictum est : Induimini Dominum Rom. XIII, 14.
Jesum) : hoc est, esse virtutum et gratiæ
adipisci curate, ut quotidie in caritate et
gratia proficientes, indesinenter recentes
et vigorosi, imo in dies magis recentiores
fiatis. *Qui* novus homo *secundum Deum,*
id est a Deo seu operatione divina, vel
secundum beneplacitum Dei, *creatus,* id
est formatus vel reformatus, *est in justi-*
tia et sanctitate veritatis, id est purita-
te vera, non simulata. Has enim virtutes
Christus, secundum quod homo, accepit
quando in utero Virginis creata est anima
ejus, et corpori suo unita. Alii vero in
Baptismo et Pœnitentia eas recipiunt.

Propter quod deponentes mendacium, 25
quod veritati et per consequens Deo, qui
veritas est, adversatur : deponentes, in-
quam, omne mendacium, scilicet officio-
sum, jocosum, et maxime perniciosum,
de quo in libro Sapientiæ habetur : Os Sap. I, 11.
quod mentitur, occidit animam ; et in
Psalmo, Perdes omnes qui loquuntur men- Ps. V, 7.
dacium ; *loquimini veritatem,* id est ve-
rum sermonem, *unusquisque cum pro-*
ximo suo, id est quolibet homine, qui
secundum naturam tibi frater et proximus
est : nam et Pater unus omnium nostrum, Malach. II, 10.
et Deus unus creavit nos ; *quoniam su-*
mus invicem membra, id est per modum
membrorum uniti, ad idem corpus Ec- Rom. XII, 5; I Cor. XII, 12.
clesiæ pertinentes, atque ad mutuam sub-

ventionem obligati. Hinc per Prophetam
Zach. viii, 19. dicitur : Veritatem tantum et pacem di-
ligite.
26 *Irascimini, et nolite peccare.* Hoc ex
Ps. iv, 5. Psalmo acceptum est. Potestque satis mul-
tipliciter explanari, prout ira diversis mo-
dis accipitur. Si enim sumatur pro motu
primum primo, id est pure naturali, sic
non est peccatum, et ita permissive di-
citur, Irascimini : additur tamen, Et no-
lite peccare, quoniam ira talis facillime
redditur vitiosa. Secundo accipitur ira pro
motu subito, ex humana infirmitate et
pœna peccati prodeunte, qui est veniale
peccatum. Procedit enim ex aliqua appre-
hensione, nec rationis judicium præsto-
latur. Et ita quod dicitur, Irascimini, non
est exhortatio irascendi, sed consilium at-
que remedium iram vincendi : nam se-
quitur, Et nolite peccare. Tanquam dicat :
Si motio talis orta in vobis fuerit, non
ei consentiat ratio, sed reprimat eam. Ter-
tio, sumitur ira pro motu quodam rati-
onem sequente, quo contra propria vel
aliena peccata movemur, appetendo vin-
dictam secundum rationis dictamen. Et
hæc est ira per zelum, quæ est laudabi-
lis, faciens actum rationis efficacius fieri,
quam virtuosi frequenter sponte assu-
munt. De qua dicit Gregorius : Tunc ro-
bustius ratio contra peccata erigitur, dum
* subdita ira subita* rationi famulatur. De hac ita-
que ira admonendo jam dicitur : Irasci-
mini, scilicet contra vestra et aliorum
peccata. Verumtamen, quoniam ira hæc
magno moderamine eget, ne excessive ac-
cendatur, vel majorem expetat ultionem
quam culpa meretur, ideo subditur : Et
nolite peccare, id est, ne permittatis iræ
commotionem sic crescere ut ratio con-
turbetur, vel justitia omittatur. Propter
quod ait Gregorius : Cavendum summo-
pere est ne ira, quæ ut instrumentum
virtutis assumitur, rationi dominetur ; ne
ut domina præeat, sed velut ancilla ad ob-
sequium parata, a rationis tergo nunquam
recedat. Si ergo vindicta quæratur pro-
pter correctionem culpæ et observationem
A justitiæ, erit ira per zelum, alias esset
ira per vitium. Denique ira dupliciter me-
tas rationis excedit : Primo nimium fer-
vescendo, quando videlicet ipsa commotio
in se excessiva consistit, rationis actum
impediendo. Secundo, majorem vindictam
quam oportet expetendo : quod est gra-
vius primo : est enim contra caritatem
atque justitiam. Unde ex suo genere est
mortale.

Sol iste visibilis *non occidat,* ad occa-
sum tendendo, *super iracundiam vestram,*
B id est ira vestra durante. Tanquam dicat :
Si motus iræ exsurgat, non maneat. Vel,
Sol justitiæ, id est Christus, aut certe sol
intelligentiæ, id est judicium rationis, non
occidat super iracundiam vestram, id est,
a vobis non elongetur, nec separetur pro-
pter iracundiæ vestræ excessum. — *Nolite* 27
locum, id est ingressum ad possidendum
animam vestram, *dare diabolo,* admitten-
do suggestiones ejus nefarias, vel rede-
undo ad pristinas iniquitates. Unde scri-
ptum est : Resistite diabolo, et fugiet a Jacob. iv, 7.
C vobis. Aliter vobis continget quod Chri-
stus in Evangelio loquitur : Quum im- Luc. xi, 24-26.
mundus spiritus exierit de homine, peram-
bulat loca inaquosa, quærens requiem ; et
non inveniens, dicit : Revertar in do-
mum meam unde exivi. Et quum vene-
rit, invenit eam scopis mundatam et or-
natam. Tunc vadit, et assumit septem alios
spiritus secum, nequiores se ; et ingres-
si, habitant ibi ; et fiunt novissima ho-
minis illius pejora prioribus.

Qui furabatur ante conversionem seu 28
D pœnitentiam, *jam non furetur,* aliena tol-
lendo : quod ex suo genere est mortale,
quoniam contrarium est justitiæ. Inter-
dum tamen est veniale, propter parvita-
tem nocumenti, vel actus imperfectionem.
*Magis autem laboret operando manibus
suis quod bonum est,* id est, licita opera
exteriora atque mechanica pro pretio fa-
ciat, *ut habeat* aliquod temporale bonum
unde tribuat necessitatem patienti, id est,
egenis eleemosynam conferat de labore
manuum suarum. Hinc in Actibus idem

Act. xx, 35. iste ait Apostolus : Omnia ostendi vobis,
quia sic laborantes oportet suscipere infirmos,
et meminisse verbi Domini Jesu :
Quia beatius est magis dare quam acci-
29 pere. — *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat,* quamvis animo fuerit
præconceptus, sed reprimatur, præsertim
Matth. xii, 36. quum de omni verbo otioso reddenda sit
I Cor. xv, 33. ratio in die judicii. Corrumpunt namque
mores bonos colloquia prava. Propter quod
Eccli. xiv, 1. in Ecclesiastico scribitur : Beatus vir qui
non est lapsus in verbo ex ore suo. *Sed qui bonus est ad ædificationem fidei,* id
est, sermo utilis ad ædificandum fidem in
alio proferatur a vobis, non qualitercumque,
sed cum debitis circumstantiis, scilicet
ut det gratiam audientibus, id est,
proficiat eorum saluti, sicque per occasionem
præstet seu augeat gratiam Dei in eis.
30 *Et nolite contristare Spiritum Sanctum Dei,* id est, non ita per inobedientiam
vestram offendatis Spiritum Sanctum, ut
per modum contristati se habeat, vel alios
bonos propter vestram perversitatem ad
contristandum seu condolendum inducat.
Quamvis enim Spiritus Sanctus sit verus
et incommutabilis Deus, ei tamen adscribitur
quod ipse in hominibus operatur.
Rom. viii, 26. Juxta quem sensum fertur pro nobis orare
gemitibus inenarrabilibus. Per modum
quoque contristati se habet, dum a nostris
cordibus per peccata fugatur, juxta illud
Sap. i, 5. Sapientiæ : Spiritus sanctus disciplinæ effugiet
fictum, et auferet se a cogitationibus
quæ sunt sine intellectu. Penes hunc
Is. lxiii, 10. sensum et in Isaia scribitur : Afflixerunt
spiritum Sancti ejus. Translatio Septuaginta
interpretum habet : Afflixerunt spiritum
sanctum ejus. *In quo signati,* id
est cujus virtute et gratia a reprobis separati
distinctique, *estis in die redemptionis,* id est conversionis, vel baptismatis
vestri ; vel, In die redemptionis, id est
dominicæ passionis, quia tunc facta est
signatio ista quantum ad meritum ejus,
ex parte Christi, qui tunc omnibus suf-

A ficienter, electis vero efficienter promeruit
gratiam veræ salutis.
Omnis amaritudo cordis, sermonis et 31
operis, *et ira* per vitium, *et indignatio*
procedens ex ira atque superbia, *et clamor,* id est sermo impetuosus, vel irrationabilis
elevatio vocis, *et blasphemia* contra
Deum et Sanctos, *tollatur a vobis,* vel
per anticipationem, vel per correctionem,
gratia Dei vestris studiis ac precibus auxiliante
: non est enim volentis neque Rom. ix, 16.
currentis, sed Dei miserentis; *cum omni*
B *malitia,* id est cum ceteris vitiis, ut habeatis
cor mundum. Nam si quis totam Jacob. ii, 10.
legem impleverit, offendat autem in uno,
factus est omnium reus. Nempe, ut ait
Ambrosius, in servo Dei omnia debent bona
videri, ne puritas ejus ex aliqua parte
maculetur. Hæc ergo vitanda sunt vitia.
Unde de amaritudinis evitatione scriptum
est : Non sit inter vos radix germinans Deut. xxix, 18.
fel et amaritudinem ; et alibi iterum, Non Eccli. xxi,
est sensus ubi abundat amaritudo. De ira 15.
vero scriptum est apud Ecclesiasten : Ne Eccle. vii, 10.
C sis velox ad irascendum, quoniam ira in
sinu stulti requiescit. Cui consonat illud
Job : Virum stultum interficit iracundia. Job v, 2.
Et alibi legitur : Ira non habet misericor- Prov. xxvii,
diam, nec erumpens furor. Spiritum au- 4; xviii, 14.
tem ad irascendum facilem quis poterit
sustinere ? De indignatione quoque Salomon
ait : Qui ad indignationem facilis est, Ibid. xxix, 22.
erit ad peccata proclivior.
Estote autem invicem benigni, mutuo 32
subveniendo, *misericordes,* cordialiter compatiendo.
Beati enim misericordes, quo- Matth. v, 7.
D niam ipsi misericordiam consequentur. Et
in Proverbiis scribitur : Per misericordi- Prov. xv, 27.
am et fidem purgantur peccata. *Donantes invicem,* id est, mutuas offensas penitus
remittentes, *sicut et Deus* Pater vel Trinitas,
in Christo, id est merito Christi, *donavit nobis,* id est, pie indulsit. Propterea
ipse ait Salvator : Si non dimiseritis, nec Matth. vi, 15.
Pater vester qui in cœlis est, dimittet vobis
peccata vestra.

ARTICULUS V

EXPLICATIO CAPITULI QUINTI : ESTOTE ERGO IMITATORES DEI.

PROSEQUITUR demum Apostolus in A
præcedenti capitulo cœptam instructi-
1 onem moralem, et ait : *Estote ergo,* id
est, quoniam Deus in Christo nobis dona-
vit, idcirco estote *imitatores Dei,* id est,
divinæ pietati conformate vos ipsos, of-
fensoribus vestris parcendo, benefacien-
do, omnesque diligendo, *sicut filii* mei
spirituales, vel filii Dei adoptivi, *carissi-
mi,* id est valde dilecti, pro quibus Pater
unigenitum suum misit et dedit, Filius
mortem sustinuit, Spiritus Sanctus se ip-
sum copiosissime infudit. Hoc est quod B
in Evangelio docet præcipitque Salvator :
Matth. v, Diligite inimicos vestros, benefacite his
44, 45. qui oderunt vos, ut sitis filii Patris vestri
qui in cœlis est, qui solem suum oriri
facit super bonos et malos. Assimilari au-
tem Creatori, est summa perfectio creatu-
ræ, si tamen assimilatio fuerit ordinata,
2 non usurpata. *Et ambulate in dilectione*
Dei ac proximi, caritative vivendo, juxta
Joann. xv, illud : Hoc est præceptum meum, ut dili-
12. gatis invicem sicut dilexi vos. Unde jam
subditur : *sicut et Christus dilexit nos,* id C
est taliter, utputa pure ac spiritualiter,
quamvis non æqualiter, *et tradidit semet-
ipsum pro nobis oblationem* pacificam *et
hostiam* pro peccato in ara crucis, *Deo*
Patri vel Trinitati, id est ad gloriam ejus,
et ut ei pro nobis satisfaceret, *in odorem
suavitatis,* id est in suavem odorem, vi-
delicet in holocaustum acceptissimum at-
que gratissimum Deo. Maxime enim pla-
cuit Deo oblatio Christi ex parte patientis,
non ex parte inferentis. Nam ex parte
patientis, mors illa erat piissima, et ex D
summa caritate assumpta ; sed ex parte
inferentis, crudelissima erat, sacrilega et
displicentissima Deo.

Fornicatio autem simplex, *et omnis im-* 3
munditia, id est alia quælibet luxuriæ
species, *aut avaritia,* id est inordinatus
temporalium appetitus, *nec nominetur,* id
est, non solum non sit, sed nec exprima-
tur, *in vobis,* id est a vobis seu inter vos,
sicut decet sanctos esse sine talium nomi-
natione ; *aut turpitudo,* id est indecentia 4
in osculis et amplexibus, *aut stultiloqui-
um,* sicut est adulatio, *aut scurrilitas,* id
est jocularitas risum concitans, *quæ ad
rem non pertinet,* id est, saluti non pro-
ficit. Horum nullum nominetur aut sit in
vobis, *sed magis gratiarum actio* a vobis
Domino persolvatur. Per hoc docet Apo-
stolus, quam longe debeant esse magna
peccata ab his qui student perfectioni.
Hoc enim scitote intelligentes, id est sa- 5
cram Scripturam sapienter pensantes, *quod
omnis fornicator,* id est cum soluta con-
cumbens, *aut immundus,* id est aliud ali-
quod luxuriæ genus exercens, ut est stu-
prum, incestus, adulterium, *aut avarus,
quod est idolorum servitus,* id est, cujus
iniquitas idololatriæ comparatur : eo quod
sicut idololatra idola colit magis quam
Deum verum, ita avarus potius adhæret
argento et auro quam Deo, magisque con-
fidit in eis quam in Domino. Propter quod
in Ecclesiastico legitur : Avaro nihil est *Eccli.* x, 9,
scelestius ; et nihil est iniquius quam ama- 10.
re pecuniam. *Non habet hereditatem,* id
est beatam possessionem seu paratam fe-
licitatem, *in regno Christi et Dei,* quod
est unum regnum : quia nec modo perti-
net ad filios Ecclesiæ militantis per gra-
tiam gratificantem, nec postmodum per-
tinebit ad cives Ecclesiæ triumphantis per
gloriam. Non enim intrabit in illam ali- *Apoc.* xxi,
quid coinquinatum, nisi qui scripti fue- 27.

Is. xxvi, 10, rint in libro vitæ Agni. Et Isaias ait : Tol- A
juxta LXX. latur impius, ne videat gloriam Dei.
6 *Nemo vos seducat inanibus verbis,* id
est coloratis sermonibus, apparentibus ar-
gumentis, frivolis promissionibus, provi-
dentiam Dei negando, vel impunitatem ex
divina misericordia promittendo, seu lon-
gam vitam spondendo. *Propter hæc enim,*
id est propter horum inanium verborum
prolationem, seductionem seu credulita-
tem, *venit ira,* id est ultio, *Dei in filios*
diffidentiæ, id est in homines desperantes
de vita futura seu præmiatione divina. B
7 *Nolite ergo effici participes eorum* sic dif-
fidentium, id est, nec affectu, nec ope-
Rom. i, 32. re, neque auxilio conformemini eis. Digni
quippe sunt morte, non solum qui faci-
Eccli. xiii, unt, sed etiam qui consentiunt. Nam et
1. qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.
8 *Eratis enim aliquando,* dum mundo et
concupiscentiis inhæsistis, *tenebræ,* id est,
tanta vitiorum caligine, cordis cæcitate, et
ignorantiæ tenebris involuti, ut non so-
lum tenebrosi, sed etiam tenebræ fuisse
dicamini ; *nunc autem,* quando ad Deum C
conversi estis, facti estis *lux,* id est spi-
ritualiter illuminati, *in Domino,* id est in
veritate et gratia Dei. Idcirco, *Ut filii lu-*
cis ambulate, id est, pure, honeste ac re-
ligiose conversemini, sicut ad filios lucis
pertinet, id est ad filios Dei, qui est lux
æterna et increata, juxta illud Joannis :
Joann. i, 9. Erat lux vera. Vel per lucem, intelligitur
splendor seu claritas gratiæ, cujus filii
sunt omnes qui gratiam habent. Unde ait
Ibid. xii, 36. Salvator : Dum lucem habetis, credite in
lucem, ut filii lucis sitis. Merito autem sic D
9 debetis ambulare : *Fructus enim lucis,* id
est operatio gratiæ, vel opus placitum lu-
ci æternæ, *est* vivere *in omni bonitate,* id
est interna virtute ac pietate, quoad se ip-
sum, *et justitia,* id est in justa actione,
quantum ad proximum, *et veritate,* quan-
tum ad Deum, ei veraciter ministrando ;
10 *probantes,* id est prudenter investigantes,
vel rationabiliter discernentes, *quid sit*
beneplacitum Deo, ut illud semper agatis,
et quæ displicent Deo vitetis. Unde apud

Jeremiam ait Dominus : Si separaveris pre- *Jer.* xv, 19.
tiosum a vili, quasi os meum eris.
Et nolite communicare, consentiendo 11
vel cooperando, *operibus infructuosis,* id
est vacuis a fructu spirituali, *tenebrarum,*
id est malorum habituum seu hominum
mentibus obscuratorum ; *magis autem re-*
darguite, id est, iterum atque iterum cor-
ripite, si sit spes de emendatione, et ma-
xime, si ad vestram pertineant curam qui
peccant. Omnes tamen ad correctionem
fraternam jure caritatis aliquo modo te-
nentur. His ergo duobus modis, secundum
Augustinum, non te maculat malus : si
non consentis, et si redarguis. Quoniam
enim parum est non consentire, jungit
Apostolus quod majus est, Magis autem
redarguite. Propter quod ait Salvator : Si *Matth.*
peccaverit in te frater tuus, id est te scien- xviii, 15.
te, vade et corripe eum inter te et ipsum
solum, etc.
Consequenter ostendit, quare non debe-
amus communicare operibus impiorum.
Quæ enim in occulto, id est in locis abs- 12
conditis, *fiunt ab ipsis* prædictis excæcatis
hominibus, humanum potius quam divi-
num conspectum timentibus, *turpe est et*
dicere : quanto magis facere? *Omnia au-* 13
tem quæ arguuntur, id est opera quæ
reprehenduntur, *a lumine manifestantur,*
id est, per veram locutionem, splendidam-
que doctrinam increpantis, innotescunt es-
se digna reprobatione, nec ultra valent
latere, quemadmodum ad Timotheum ip-
se ait : Insipientia illorum omnibus mani- II *Tim.* iii,
festa erit. *Omne enim quod manifestatur* 9.
hoc modo, per increpationem vel humi-
lem peccantis confessionem, *lumen est,* id
est clarum, certum ac notum ; vel, Lumen
est, id est, spirituali luce perfunditur,
dum in publicum ducitur. His consonat
verbum Christi : Omnis qui male agit, *Joann.* iii,
odit lucem, et non venit ad lucem, ut non 20, 21.
arguantur opera ejus ; qui autem facit ve-
ritatem, venit ad lucem, ut manifestentur
opera ejus, quia in Deo sunt facta. *Pro-* 14
pter quod, videlicet quoniam lumen est
quod manifestatur, *dicit* Spiritus Sanctus

per me : *Surge* a vitiis per pœnitentiam,
qui dormis, id est, in ignavia tua quiescis,
et exsurge per opera pœnitentialia *a mor-
tuis*, id est de societate impœnitentium
spiritualiter mortuorum, *et illuminabit te*,
id est, radium sapientiæ et lumen discre-
tionis tribuet tibi, *Christus* : juxta illud
Is. LVIII, 11, 13. Isaiæ : Requiem dabit tibi Dominus sem-
per, et implebit splendoribus animam tu-
am, si glorificaveris Dominum, dum non
Mich. VIII, 8, 9. facis vias tuas. Unde Michæas ait : Quum
sedero in tenebris, Dominus lux mea est ;
et deducet me Dominus in lucem, et vi-
debo justitiam ejus.
15 *Videte itaque, fratres*, id est, oculo in-
tellectuali pensate, *quomodo caute ambu-
letis*, id est, vigilanter et custodite vivatis,
Matth. VII, 14. occasiones peccati vitando, atque in arcta
via quæ ducit ad vitam, cum omni cir-
cumspectione progrediendo, ut impleatis
Prov. IV, 23. quod a Sapiente dicitur : Omni custodia
custodi cor tuum ; et quod rursus idem
Ibid. XXIII, 17, 18. ait, In timore Domini esto tota die, et ha-
bebis spem in novissimo ; *non quasi in-
sipientes*, id est sola temporalia atque præ-
16 sentia bona seu mala considerantes, *sed
ut sapientes* in cognitione divinorum, id
est discreti ac providi, cœlestibus bonis
semper intenti ; *redimentes*, id est ab in-
fructuosis occupationibus expedientes, *tem-
pus* vitæ præsentis, id est certas horas ad
vacandum Deo aptantes. Vel, Redimentes
tempus, id est tempora quæ infructuose
expendistis, reparantes per fructuosissi-
mam occupationem temporis præsentis at-
que restantis : quatenus priores negli-
gentias et impietates recompensetis per
ardentissimam conversationem temporis
nondum elapsi quo estis victuri, ne in-
ter impios numeremini, de quibus canit
Ps. LIV, 24. Psalmographus : Viri sanguinum et dolo-
si non dimidiabunt dies suos. *Quoniam
dies mali sunt*, id est adversitatibus, pe-
riculis atque malitiis pleni. Non quod dies
in se mali sint, sed quia hæc mala insunt
hominibus in diebus sæculi hujus viven-
tibus. Scriptura enim tempori ea adscri-
bit quæ fiunt in tempore, quemadmodum

A primo Machabæorum inducitur : Videns *I Mach.* XII, 1.
Jonathas quia tempus eum juvat. Hinc
enim Salvator : Sufficit, inquit, diei ma- *Matth.* VI, 34.
litia sua. Et in Genesi Jacob asseruit :
Dies peregrinationis meæ parvi et mali. *Gen.* XLVII, 9.
Propterea nolite fieri imprudentes, sola 17
sensibilia et temporalia ponderando ; *sed
intelligentes quæ sit voluntas Dei*, id est,
hoc diligentissime inquiratis, quid placeat
Deo, ut illud semper agatis.
Et nolite inebriari vino, in quo est lu- 18
xuria causaliter, quia calorem auget at-
B que libidinem concitat. Venter enim vino
æstuans, cito spumat in libidinem, juxta
Hieronymum. Unde Sapiens dicit : Luxu- *Prov.* XX, 1.
riosa res vinum, et tumultuosa ebrietas ;
qui his delectatur, non erit sapiens. Rur-
susque Scriptura : Quam sufficiens est *Eccli.* XXXI, 22.
homini erudito vinum exiguum ! *Sed im-
plemini Spiritu Sancto*, id est, ita viva-
tis, et corda vestra sic occupetis, ut in
gratia Spiritus Sancti proficiatis quotidie :
Deus enim unicuique influit, secundum
quod se disponit aut capax efficitur. *Lo-* 19
C *quentes vobismetipsis*, id est mutuo exhor-
tantes vos ipsos, *in psalmis* ad bene ope-
randum hortantibus, *et hymnis* ad Dei
laudem spectantibus, *et canticis spiritua-
libus* quæ de gaudiis futuris commemo-
rant, *cantantes et psallentes in cordibus
vestris*, id est silenter in anima ; vel, In
cordibus vestris, id est cum cordiali in-
tentione et ex mentali affectu ; *Domino*
Deo altissimo, quem decet hymnus, laus, *Ps.* LXIV, 2.
honor et gloria. *Gratias agentes semper*, 20
id est qualibet hora convenienti ac debi-
D ta, *pro omnibus* beneficiis Dei, vel pro
omnibus hominibus beneficia divina sor-
titis, omnium saluti congratulando, *in no-
mine* nominato *Domini nostri Jesu Chri-
sti*, id est in ipso Christo, videlicet ad
laudem et gloriam ejus, vel certe per eum,
Deo et Patri, id est Patri æterno, qui est
Deus ratione creationis, paterque Christi
naturalis, et pater noster adoptivus.
Subjecti invicem ex debito obedientiæ, 21
vel ex condecentia humilitatis et carita-
tis, *in timore Dei** casto ac filiali. Præ-

* *Christi*

lati enim per humilitatem et caritatem A
subdunt se inferioribus ; subditi vero ex
debito obedientiæ subjiciuntur prælatis.
Ceteri omnes communiter se invicem ho-
norare præferreque habent, juxta illud
Rom. xii, 10. quod alibi dictum est : Honore invicem
prævenientes. Propter quod Christus te-
Matth. xx, 26; xxiii, 11. statur : Qui major est vestrum, sit vester
Eccli. iii, 20. minister ; et iterum legitur, Quanto ma-
jor es, humilia te in omnibus.
Præterea generalibus exhortationibus po-
sitis, descendit Apostolus ad particulares
22 personas, dicendo : *Mulieres viris suis* B
Coloss. iii, 18. *subditæ sint* in licitis et honestis, *sicut*
domino, id est, sicut domino subditur ser-
23 vus ; *quoniam vir caput,* id est superior,
I *Cor.* xi, 3. *est mulieris,* id est perfectior atque di-
scretior ea communiter. Et Dominus præ-
Gen. iii, 16. tulit virum feminæ, dicens ad eam : Sub
viri potestate eris, et ipse dominabitur
tui. *Sicut et Christus caput,* id est rector
ac princeps, *est Ecclesiæ : ipse* Christus
exsistens *salvator corporis ejus,* id est Ec-
clesiæ, quæ est mysticum corpus Christi.
24 *Sed sicut Ecclesia,* id est fidelium sancta C
collectio, *subjecta est Christo* fide et ope-
re, *ita et mulieres viris suis in omnibus*
bonis sint subditæ. Sciendum tamen, quod
subjectio mulieris sub viro, non est in
omnibus similis subjectioni ancillæ aut
Matth. xix, 5. servi, quum ipsa sit socia viri, et una
caro cum eo, facta non de capite aut pe-
Gen. ii, 21. dibus, sed de latere viri, quasi similis ei,
et juxta latus ejus ponenda.
25 *Viri, diligite uxores vestras,* non car-
Coloss. iii, 19. nali et fœdo, sed ordinato ac spirituali
amore, *sicut et Christus dilexit Ecclesi-* D
am, et se ipsum tradidit in mortem *pro*
26 *ea,* id est pro ejus salute, *ut illam sancti-*
ficaret, id est, virtutibus adornaret, *mun-*
dans eam primo, id est a vitiis purgans,
lavacro aquæ, id est intinctione seu lotio-
ne in aqua Baptismatis : lavacro, inquam,
facto *in verbo vitæ,* id est sub debita
forma verborum quibus hoc sacramen-
tum ex Christi institutione perficitur. Ac-
cedit quippe verbum ad elementum, et
fit sacramentum : in quo verbum est for-
male ac principale, elementum vero est
materiale. *Ut exhiberet,* id est, repræsen- 27
taret vel faceret, *ipse* Christus sponsus
cœlestis, *sibi,* id est ad suum honorem,
secundum quod Deus est, in præsenti sæ-
culo inchoative, in futuro autem comple-
tive, *gloriosam Ecclesiam,* id est claritate
scientiæ atque virtutum splendoribus re-
fulgentem, *non habentem maculam,* id est
peccatum mortale apertum, *aut rugam,*
id est peccatum mortale occultum, sed
mundam ac simplicem, *aut aliquid hu-*
jusmodi criminale habentem ; *sed ut sit*
sancta in interioribus, *et immaculata* in
exterioribus. *Ita et viri debent diligere* 28
uxores suas ut corpora sua, quia sunt una *Gen.* ii, 24.
caro. Si autem sumatur corpus pro parte
hominis materiali, sic viri magis tenen-
tur diligere uxores suas quam corpora
propria ; si vero sumatur corpus pro toto
composito, minus diligendæ sunt uxores.
Ideo similitudo est quantum ad aliquid,
non absolute in omnibus.
Porro de hac Christi gloriosa et illibata
Ecclesia scriptum est in Apocalypsi : Vi- *Apoc.* xxi, 2.
di sanctam civitatem Jerusalem novam,
descendentem de cœlo, a Deo paratam
quasi sponsam ornatam viro suo ; et rur-
sus : Quia venerunt nuptiæ Agni, et uxor *Ibid.* xix, 7.
ejus præparavit se. Itemque : Signum ma- *Ibid.* xii, 1.
gnum apparuit in cœlo : Mulier amicta
sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite
ejus corona stellarum duodecim. De qua
etiam intelligendum est illud Isaiæ : Surge, *Is.* lx, 1.
illuminare, Jerusalem, quia venit lumen
tuum, et gloria Domini super te orta est.
Qui suam uxorem diligit, se ipsum di-
ligit : tanta est unitas utriusque. Sunt
namque duo in carne una. Merito itaque *Gen.* ii, 24.
debet homo uxorem suam diligere : *Ne-* 29
mo enim, id est nullus rationabiliter et
humane se habens, *unquam carnem su-*
am odio habuit. Vel simpliciter : Nemo
unquam carnem suam odio habuit, quia
vel dilectione naturali, vel amore carna-
li, vel caritate infusa ad eam afficitur.
Nam et qui se ipsos occidunt, carnem
suam amasse probantur : quam ideo pe-

rimunt, ut brevi tormento longa evadant A
præsentis vitæ supplicia. *Sed nutrit* vi-
ctu, *et fovet eam* vestitu, *sicut et Christus*
Ecclesiam nutrit Sacramento altaris, et
30 fovet eam vestimento salutis ; *quia mem-*
bra sumus nos Christiani, *corporis ejus*,
Coloss. I, 24. id est Ecclesiæ, quæ est mysticum corpus
Christi. Sumus itaque membra *de carne*
ejus et de ossibus ejus, id est ejusdem
naturæ exsistentes cum Christo homine.
Vel hoc ideo dicitur, quia fidelium qui
a Christo instituti sunt, quidam, puta in-
firmi, dicuntur de carne Christi, quæ ante B
passionem erat infirma, quoniam indi-
gent a fortibus sustentari, quemadmodum
caro sustentatur ab ossibus. Alii, scilicet
fortes atque perfecti, dicuntur de ossibus
Christi, propter constantiam et domini-
cæ passionis ac patientiæ imitationem.
31 *Propter hoc*, id est ad designandum di-
lectionem ac unitatem Christi atque Ec-
Gen. II, 24; clesiæ, scriptum est in Genesi, *relinquet*
Matth. XIX, 5. *homo*, id est maritus, *patrem suum et ma-*
trem suam, id est carnales parentes, quan-
tum ad cohabitationem localem, *et adhæ-* C
rebit uxori suæ, habitando, convescendo
et dormiendo cum ea ; *et erunt duo* sup-
posita, scilicet maritus et conjux, *in car-*
ne una, id est in uno carnali commercio
per seminis propagationem. Vel dicuntur
duo in carne una, quoniam nullus eorum
I Cor. VII, 4. propriæ carnis habet potestatem, et pro-
pter communionem præcipuam una caro
Matth. XIX, 6. reputantur. Unde dicit Salvator : Itaque
jam non sunt duo, sed una caro.
Deinde ponit Apostolus mysticum sen-
sum Scripturæ de matrimonio allegatæ.
Sacramentum hoc, id est sacrum signum 32
istud in conjugio pronuntiatum, *magnum*
est, id est magnæ rei significativum. *Ego*
autem dico, id est, signum istud expono,
impletumque assero, *in Christo et in Eccle-*
sia, id est in spirituali desponsatione inter
Christum et Ecclesiam facta, quando vide-
licet Verbum caro factum est, et nostram Joann. I, 14.
naturam assumens, ostendit quantum dile-
xerit nos, cum quibus idem fieri voluit.
Matrimonium ergo seu conjugium, ma-
gnum est sacramentum, propter significan-
tiam conjunctionis Christi et Ecclesiæ : in
qua etiam Christus quodammodo Patrem
reliquisse videtur, non simpliciter, quum
æternaliter sit in sinu, imo in corde Patris,
sed secundum apparentiam quamdam ra-
tione incarnationis. Sic enim de novo ap-
paruit mundo, ad conjungendum sibi Ec-
clesiam tanquam sponsam. Propter quod
ait : Exivi a Patre, et veni in mundum. Et Ibid. XVI, 28.
Psalmista : Ipse, inquit, tanquam sponsus Ps. XVIII, 6, 7.
procedens de thalamo suo ; a summo cœ-
lo egressio ejus. Matrem quoque suam, id
est Synagogam, Christus reliquit, et adhæ-
sit uxori suæ, id est gentilitati conversæ,
quam ipse spiritualiter visitat et fecundat.
Verumtamen, id est, quamvis prædicta 33
de conjugio mystice intelligantur de Chri-
sto, nihilo minus *et vos singuli*, id est
unusquisque vestrum conjugem habens,
suam uxorem sicut se ipsum diligat. Uxor
autem timeat virum suum, id est, in re-
verentia habeat eum, et casto timore for-
midet, ne eum offendat.

ARTICULUS VI

ELUCIDATIO CAPITULI SEXTI : FILII, OBEDITE PARENTIBUS VESTRIS.

POST informationem conversationis ha- D
bendæ inter virum et conjugem, poni-
1 Coloss. III, 20. tur informatio conversationis debitæ inter
parentes et filios. *Filii, obedite parenti-*
bus vestris carnalibus *in Domino*, id est
secundum voluntatem divinam, videlicet
in licitis et honestis, atque ex animo, sci-
licet prompte, reverenter et amorose. *Hoc*

enim justum est, jure naturali, divino et A
humano : imo magistris, diis et paren-
tibus non potest reddi æquivalens, jux-
2 ta Philosophum. *Honora patrem tuum et*
matrem tuam. Unde apud Malachiam ha-
Malach. I, 6. betur : Filius honorat patrem suum, et
servus timet dominum suum. Honorare
ergo debemus parentes, reverentiam im-
pendendo, et necessaria, si indigeant, mi-
nistrando. Sunt enim principium nostrum.
Propter quod in Ecclesiastico legitur :
Eccli. III, 18. Quam malæ famæ est, qui derelinquit pa-
trem! et est maledictus a Deo qui exasperat B
matrem. *Quod est mandatum* divinum, in
Exod. XX, 12. Exodo scriptum, *primum in promissio-*
ne, id est primum cui mercedis additur
promissio. Decalogus autem præceptorum,
ad duo præcepta pertinet caritatis. Tria
enim in prima tabula scripta, respiciunt
præceptum caritatis Dei ; alia septem in
secunda tabula scripta, concernunt præce-
ptum caritatis proximi : inter quæ præce-
ptum de honoratione parentum præcedit.
3 Cui annectitur merces quæ subditur : *ut*
bene sit tibi in spiritualibus ac tempo- C
ralibus, *et sis longævus super terram,* id
est, æternaliter habites in terra viventi-
um. Ad litteram tamen hoc dictum vide-
tur de prolongatione vitæ præsentis in
terra peregrinationis istius, seu in terra
promissionis, quantum ad populum Israel
pro tempore illo. Hoc enim meretur præ-
ter præmium spirituale observatio hujus
mandati, secundum communem justitiæ
legem, quamvis interdum ex divinæ dis-
pensationis moderamine aliter accidat.
4 *Et vos patres* carnales, *nolite ad ira-* D
Coloss. III, 21. *cundiam provocare filios vestros* aut fi-
lias, nimis rigorose et aspere procedendo
cum illis ; *sed educate illos,* id est, fovete
et necessaria providete, non solum car-
naliter, sed *in disciplina* morali, *et cor-*
reptione Domini, id est justa correctione,
Prov. XIII, 24. quemadmodum scriptum est : Qui parcit
virgæ, odit filium suum ; qui autem di-
ligit illum, instanter erudit. Rursusque
Ibid. XXII, 15. Salomon : Stultitia, inquit, colligata est
in corde pueri, et virga disciplinæ fuga-

bit eam. Hinc etiam in Ecclesiastico le-
gitur : Qui diligit filium suum, assiduat *Eccli.* XXX, 1.
illi flagella. Certum est autem, hæc quo-
que ad spirituales patres ac filios perti-
nere. Patet vero ex his, quod parentes
tenentur filiis in tribus, quæ sunt : ne-
cessariorum provisio, instructio et cor-
rectio.

Consequenter introducitur exhortatio
conversationis inter servum et dominum.
Servi, obedite dominis carnalibus, id est 5
temporalibus et sensualitatem sectanti- *Coloss.* III, 22 ; I *Petr.* II, 18.
bus : et per consequens, multo plus obe-
diendum est dominis spiritualibus et ho-
nestis ; *cum timore* animæ, *et tremore*
corporis, *in simplicitate cordis vestri,* id
est sine simulatione, *sicut Christo* servi-
endum est, juxta illud in Psalmo : Servi- *Ps.* II, 11.
te Domino in timore, et exsultate ei cum
tremore. Servitus enim hæc, propter pec-
catum ex divina ordinatione inflicta est
in pœnam peccati : idcirco patienter fe-
renda est, tanquam purgatorium vitiorum
exercitiumque virtutum. *Non ad oculum* 6
servientes, id est solum in præsentia ho-
minum, *quasi hominibus placentes,* id est
humanum favorem dumtaxat optantes ;
sed ut servi Christi, facientes voluntatem
Dei, id est in divinis mandatis obtempe-
rantes, *ex animo,* id est prompto affectu.
Sic sitis, *cum bona voluntate,* videlicet 7
conformando vestrum affectum dispositi-
oni divinæ, *servientes* dominis carnalibus
sicut Domino Deo altissimo, *et non* sicut
hominibus tantum, id est cum reveren-
tia et tremore ac cordis simplicitate; *sci-* 8
entes quoniam unusquisque quodcumque
fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, id *Galat.* VI, 8.
est, pro illo præmium justum habebit a
Deo, qui nullum bonum deserit irremu-
neratum, *sive* sit *servus, sive liber.* Ser-
vitutis enim conditio seu libertas, non
tollunt præmiationem divinæ justitiæ.

Et vos, domini, eadem facite illis, id 9
est, tam benigni estote servis vestris, quam
fideles fuerint vobis : juxta illud Eccle-
siastici, Servus fidelis sit tibi quasi anima *Eccli.*
tua, et quasi fratrem tracta illum ; *re-* XXXIII, 31.

mittentes minas, id est pœnas commina-
tas non inferentes, si tamen servi pœni-
teant, vel raro seu parum offenderint. Unde
Eccli. VII, 22. iterum in Ecclesiastico scribitur : Ne læ-
das servum in veritate operantem. Porro
si servi rebelles aut duri consistant, agen-
dum est quod rursus in Ecclesiastico fer-
Ibid. XXXIII, 25. tur : Cibaria et virga et onus asino, panis
Ibid. 27. et disciplina et opus servo ; itemque, Ser-
vum inclinent operationes assiduæ. *Sci-
entes* vos, domini, *quia et illorum* ser-
vorum *et vester Dominus est in cœlis; et
personarum acceptio non est apud Deum.*
Matth. VII, 2. Idcirco timete, quoniam eadem mensura
qua mensi fueritis, remetietur vobis. Qua-
lem ergo vultis vobis esse cœlestem Domi-
num, judicemque æternum, tales exhibete
vos ipsos servis ac subditis vestris.

Post specialia jussa et certarum exhor-
tationem personarum, redit Apostolus ad
instructionem communem cunctorum fi-
10 delium. *De cetero*, id est insuper et tem-
pore adhuc restante, *fratres, confortamini
in Domino*, id est, spirituale robur a Deo
adipisci studete, et contra impugnationes
mundi, carnis atque diaboli, roboretur cor
vestrum in Domino, id est gratia ejus, et
in certa fiducia divini auxilii, *et in po-
tentia virtutis ejus*, id est in potenti pote-
state Dei, innitendo semper divinæ poten-
tiæ, non propriis viribus ; vel, In potentia
virtutis ejus, id est in efficaci fortitudine
a Deo infusa, quæ animum roborat in
adversis. Ad hanc confortationem monet
Dominus unumquemque nostrum in libro
Josue I, 7, 9. Josue : Confortare, et esto robustus valde ;
noli metuere, quoniam tecum est Domi-
nus Deus tuus. Sic autem confortantur,
qui toto corde sperant in Domino, juxta
Prov. XVIII, 10. illud Sapientis : Turris fortissima nomen
Domini ; ad ipsum currit justus, et exal-
11 tabitur. *Induite vos armaturam Dei*, id
est, virtutibus interiora vestra vestite, vi-
delicet intellectum prudentia, voluntatem
justitia, sensitivum appetitum ceteris vir-
tutibus moralibus. Hæc enim sunt arma
spiritualia a Deo fabricata ac data, quibus
anima contra omnia nocumenta munitur.
Ut possitis stare, id est fortiter dimicare
ac prævalere, *adversus insidias*, id est
occultas machinationes, *diaboli*, qui se
frequenter transfigurat in angelum lucis, II Cor. XI, 14.
sub specie boni multa mala proponens.
Denique, ut Leo papa testatur, omnium
discutit mores, ventilat curas, scrutatur
affectus; et ibi quærit causas nocendi, ubi
quemquam viderit studiosius occupari.
Quoniam non est nobis colluctatio prin- 12
cipalis aut sola *adversus carnem et san-
guinem*, id est homines carnales et fra-
giles, seu vitia carnis. Unde Dominus in
Genesi ait : Non permanebit spiritus me- Gen. VI, 3.
us in homine in æternum, quia caro est;
et in Evangelio, Caro et sanguis non re- Matth. XVI, 17.
velavit tibi. Verumtamen grave bellum
habemus contra carnem et sanguinem, id
est mundum et concupiscentias carnis.
Bellum vero quod contra hostes invisibi-
les habemus, periculosissimum est atque
gravissimum. De quibus subjungitur : *sed
adversus principes et potestates*, id est an-
gelos apostatas seu dæmones, qui erant
ante lapsum suum de ordinibus Principa-
tuum et Potestatum. De omnibus enim an-
gelorum ordinibus quidam cecidisse cre-
duntur, qui omnes jam per principatus
et potestates designantur : ita quod no-
mine principatuum designantur dæmones
inferiores ; nomine autem potestatum, su-
periores, quibus inferiores obediunt, ho-
mines impugnando. Est enim in dæmo-
nibus prælatio quædam, eo quod omnes
concordes sint in desiderio nocendi ho-
minibus. *Adversus mundi rectores*, id est
contra prædictos invisibiles hostes, homi-
num sæcularium directores ac principes.
Homines enim iniqui dæmonum voluntati
obediunt, et ab ipsis captivi tenentur, ac II Tim. II, 26.
undique circumferuntur sicut servi a do-
minis. Et ne quis per mundum putaret
significari machinam mundialem, quasi
diabolus creator et rector esset mundi sen-
sibilis, sicut Manichæi dixerunt, ob id se
ipsum exponens Apostolus, subdidit : *te-
nebrarum harum*, id est hominum obte-
nebratorum. Unde paulo ante inductum

Ephes. v, 8. est : Fuistis aliquando tenebræ. Hoc modo A
mundus frequenter accipitur in Scriptu-
Joann. I, 10. ris : sicut quum dicitur, Mundus eum non
I *Joann.* v, 19. cognovit ; et, Mundus in maligno positus
Joann. xv, 19. est ; et, Non estis de mundo. *Contra spi-
ritualia nequitiæ,* id est agmina dæmo-
num nequitiis plena, habitantia *in cœle-
stibus,* id est in aere caliginoso, in quo
dæmones complures usque ad diem judi-
cii volitant. Aer autem sæpius cœlum vo-
catur. Hinc namque dicuntur volucres cœ-
li, qui asseruntur volare in cœlo, id est
in aere. Unde et dæmones significantur B
Luc. VIII, 5. per volucres cœli, ubi ait Salvator : Se-
men cecidit secus viam, et volucres cœli
comederunt illud.

13 *Propterea,* id est, quia tam arduum
prælium imminet vobis, *accipite armatu-
ram Dei,* id est virtutes et opera virtuosa,
quibus dæmones repelluntur : de quibus
Job XXIX, 14. armis Job ait, Justitia indutus sum, et ve-
stivi me ea sicut vestimento, et diadema-
te judicio meo ; *ut possitis resistere* dia-
I *Petr.* v, 8. bolo, qui tanquam leo rugiens circuit,
quærens quem devoret, *in die malo,* id C
est tempore tentationis et adversitatis, *et
in omnibus* prosperis et adversis *perfe-
cti stare,* ruinam vitando peccati, ita ut
nec prospera vos extollant, neque adver-
sa dejiciant, sed regia semper via ince-
Judic. III, 15. datis, utentes utraque manu pro dexte-
Rom. VIII, 28. ra, quatenus omnia cooperentur vobis in
bonum.

14 *State ergo* in virtutibus fixi, *succincti*
cingulo castitatis *lumbos vestros,* in quibus
viget luxuria, id est, carnis concupiscen-
tias refrenate, continenter vivendo, prout D
Luc. XII, 35. monet Salvator : Sint lumbi vestri præ-
Job XXXI, 1. cincti. Hos lumbos præcinxit Job : Pepigi,
inquiens, fœdus cum oculis meis, ut ne
cogitarem quidem de virgine. Sic autem
accingite lumbos *in veritate,* id est vera-
citer coram Deo, non simulatorie coram
hominibus, sicut hypocritæ. *Et induti lo-
ricam justitiæ,* id est, virtute justitiæ in-
teriora vestra munite, sicut lorica corpus
tegitur ac munitur. Unde apud Isaiam di-
Is. LXI, 10. citur : Indumento justitiæ circumdedit me
Dominus. *Et calceati pedes,* id est, pedes 15
corporales, et etiam spirituales, id est
animi vestri affectiones, habete munitos
et expeditos, *in præparatione Evangelii
pacis,* id est ad hoc ut sitis parati an-
nuntiare vel adimplere evangelicam do-
ctrinam, in qua pacificatio nostra cum
Deo describitur, et per cujus observan-
tiam veram pacem sortimur, juxta illud
in Psalmo : Pax multa diligentibus legem *Ps.* CXVIII, 165.
tuam.

In omnibus spiritualibus pugnis seu 16
tentamentis *sumentes scutum fidei,* id est,
ipsam fidem pro scuto arripite, virtutem
et actum fidei opponentes suggestionibus
dæmonis, puta futura tormenta inferni,
sempiterna gaudia cœli, metuendum ju-
dicium Dei, quæ omnia cadunt sub fide :
per quorum utique considerationem om-
nia tentamenta vincuntur. Ideo subditur :
in quo scuto *possitis omnia tela nequissi-
mi ignea,* id est impugnationes acres ac
fervidas pessimi tentatoris, *exstinguere,*
id est reprimere. Propter quod Petrus ait :
Adversarius vester diabolus circuit, quæ- I *Petr.* v, 8, 9.
rens quem devoret ; cui resistite fortes
in fide. *Et galeam salutis assumite,* id 17
est, spem futuræ felicitatis seu caritatem
menti vestræ superponite, ut contra præ-
sentium bonorum blandimenta, spe futu-
rorum atque divino amore armemini, *et
gladium spiritus,* id est a Spiritu Sancto
datum spiritui vestro, *quod est verbum
Dei,* id est sermo sacræ Scripturæ, qui *Hebr.* IV, 12.
penetrat intima animæ, et vitia resecat,
atque a mundo animam dividit, sicut ma-
terialis gladius penetrat corpus. De hoc
gladio spirituali dicit Salvator : Non veni *Matth.* x, 34.
pacem mittere, sed gladium ; et Psalmista,
Accingere gladio tuo super femur tuum, *Ps.* XLIV, 4.
potentissime.

Sed quia hæc omnia ex divino auxilio
manant, atque per gratiam conferuntur
devote orantibus, ideo subditur : *Per om-* 18
nem orationem, id est, prædicta implete,
Deum invocando per omnem, id est per-
fectam, orationem. Est autem oratio sim-
plex petitio ; obsecratio vero, est petitio

cum adjuratione seu commemoratione rei A
sacræ, sicut quum dicimus : Per incar-
nationem tuam libera nos, Domine. De
qua nunc sequitur : *et obsecrationem,* quæ
etiam proprie est respectu difficilium,
orantes omni tempore, id est singulis ho-
ris deputatis et debitis vel congruis ad
orandum, quemadmodum in Ecclesiastico
Eccli. xviii, 22. habetur : Non impediaris orare semper.
Luc. xviii, 1. Unde et Salvator : Oportet, inquit, sem-
per orare et non deficere. *In spiritu,* id
est cum devotionis affectu, seu attentione
Joann. iv, 24. mentali. Spiritus enim est Deus, et eos B
qui adorant eum, in spiritu et veritate
oportet adorare. *Et in ipso vigilantes,* id
est solliciti atque ferventes, *in omni in-
stantia,* id est conamine quo actibus vir-
tuosis insistitur, *et obsecratione* fusa *pro
omnibus sanctis* viatoribus, ut perseve-
19 rent proficiantque in bonis ; *et pro me,
ut detur mihi sermo in apertione oris
mei,* id est, quatenus Spiritus Sanctus
mentem illuminet, ita ut mox dum os
meum ad loquendum aperio, infundatur
mihi a Deo quid loqui expediat : sicut et C
Ps. lxxx, 11. Deus promisit in Psalmo, Dilata os tuum,
et implebo illud ; et item in Evangelio,
Luc. xxi, 15. Ego dabo vobis os et sapientiam ; *cum
fiducia,* id est secure et libere, *notum fa-
cere mysterium Evangelii,* id est sacrum
secretum evangelicæ legis, videlicet Chri-
sti incarnationem et cetera ejus mysteria.
20 Ponitur enim singulare pro plurali. *Pro
quo* Evangelio prædicando *legatione fun-
gor,* id est, a Christo destinatus sum, nunc
Act. xxviii, 20. Romæ exsistens *in catena,* id est in vin-
culis ; *ita* legatione fungor et vinculis D
stringor, *ut* nihilo minus *in ipso,* id est
per gratiam Christi, *audeam* fiducialiter,
prout oportet me, id est, sicut commissum

est mihi, *loqui,* evangelica mysteria præ-
dicando.

Consequenter ostendit Apostolus dile-
ctionem suam ad Ephesios, insinuando eis
statum suum, quemadmodum pertinet ad
familiares amicos. *Ut autem et vos sciatis* 21
quæ circa me sunt, id est quæ mihi con-
tingunt, *quid agam* in tot persecutioni-
bus ; *omnia* hæc *nota vobis faciet,* id est,
ore tenus reserabit, *Tychicus* diaconus,
lator præsentis epistolæ, *carissimus frater*
noster spiritualis, *et fidelis minister in
Domino,* id est secundum voluntatem et
gratiam Dei; vel, In Domino, id est in his
quæ Dei sunt ; *quem misi ad vos in hoc* 22
ipsum, id est propter hanc causam, *ut
cognoscatis* ex ejus veridica relatione, *quæ
circa nos sunt,* id est prospera et adversa
quæ accidunt nobis, *et consoletur corda
vestra* de mei captione et catenatione do-
lentia.

Porro ut finis epistolæ concordet prin-
cipio, addit : *Pax* sit *fratribus,* id est 23
fidelibus : quo nomine sorores quoque
intelliguntur ; *et caritas cum fide,* id est
caritas et fides, detur vobis *a Deo Patre
nostro,* id est a Patre æterno, *et Domino
Jesu Christo* Filio Patris : quibus expres-
sis, intelligitur Spiritus Sanctus. *Gratia* 24
Dei gratificans et finalis, sit *cum omnibus
qui diligunt Dominum nostrum Jesum
Christum.* Quod vero subjungitur, *in in-
corruptione,* referri potest ad nomen, Gra-
tia, eritque sensus, Gratia sit cum eis in
incorruptione, id est in vita æterna ; vel
ad verbum, Diligunt, ut sit sensus, Qui
diligunt Christum in incorruptione, id est
in cordis ac fidei integritate, seu incon-
cussa mentis constantia. Sic enim amandus
est Deus sublimis et benedictus. *Amen.*

ENARRATIO
IN EPISTOLAM BEATI PAULI
AD PHILIPPENSES

PROŒMIUM

QUASI *tempestas transiens, non erit impius; justus autem quasi fundamentum sempiternum.* Prov. x, 25.

In hoc ab impio justus distinguitur, quoniam justus stabili fundamento innititur, utpote rectæ rationi atque divinæ veritati, ideo non commovetur neque turbatur, juxta illud Job : Si iniquitatem quæ est in manu tua abstuleris, eris stabilis. *Job* XI, 14, 15.
Impius autem in nullo stabili radicatur. Sequitur enim rationem errantem, voluntatem perversam, sensualitatem corruptam. Porro evangelica doctrina tendit ad hoc, ut homo stabiliatur directe ac immediate in Deo : quod primo et maxime fit per actus virtutum theologicarum, deinde per septem dona Spiritus Sancti. Quoniam ergo non minoris præconii est in assumpta perfectione fortiter perdurare, nec tentationibus cedere, quam viam virtutum assumere, intrare, sive incipere ; ideo viri sancti et justi prælati eos præsertim commendant ac diligunt, qui animo inconcusso persistunt in semitis mandatorum cœlestium, neque tepescunt in actibus consiliorum : inter quos Philippenses, quibus nunc exponenda epistola scribitur, exstiterunt.

Denique Philippenses sunt Macedones, qui verbum veritatis ab Apostolo audierunt et acceperunt, et in eo stabiles permanserunt, non recipientes falsos apostolos. Hos laudat Apostolus, scribens eis a Roma de carcere per Epaphroditum, cum quo Philippenses aliquid suæ substantiæ transmiserunt Apostolo. Armat itaque et præmunit Philippenses Apostolus, in præsenti epistola, contra duplex bellum, videlicet persecutorum et fallacium prædicatorum. Procedit autem Apostolus more consueto, salutationem præmittendo, deinde gratias agendo, postea pro eis orando, eosque ad perfectionem hortando, sicut patebit.

ENARRATIO

IN EPISTOLAM BEATI PAULI

AD PHILIPPENSES

ARTICULUS PRIMUS

ELUCIDATIO CAPITULI PRIMI : PAULUS ET TIMOTHEUS SERVI JESU CHRISTI.

PERSONAS salutantes tangit Apostolus A
in exordio hujus epistolæ, dicens :
1 *Paulus et Timotheus servi Jesu Christi,*
non servitute timorosa et pure servili, sed
amorosa ac libera. Non addit Paulus hoc
loco nomen gloriæ suæ ac summæ digni-
tatis, dicendo : Paulus apostolus, etc., quo-
niam Philippenses nihil indignum de ip-
so senserunt. Conjungit quoque Apostolus
sibi Timotheum, quamvis ipse solus epi-
stolam dictaverit, quia missurus erat eum
ad Philippenses. Unde ut reverentius eum
susciperent, diligentiusque audirent, ex- B
primit eum in forma salutationis. Hi ergo
mandant *omnibus sanctis,* id est vere fide-
libus, *in Christo Jesu,* id est per fidem,
caritatem et gratiam Christi, *qui sunt,* id
est commorantur, *Philippis,* id est in urbe
Macedoniæ, quæ est pars Græciæ : quam
urbem construxit Philippus pater Alexan-
dri Magni putativus, vocans eam ex no-
mine suo Philippos ; *cum episcopis et di-
aconibus,* id est, etiam episcopis atque
diaconis mandant. Hi enim tanquam prin-
cipales, post generalem omnium designati- C
onem exprimuntur. Porro, ut Haymo asse-
rit, per episcopos intelliguntur presbyteri.
Non enim in una urbe plures episcopi
præsidebant ; nec ab episcopis ad dia-
conos descenderet, prætermissis presby-
teris, nisi per episcopos intelligeret sacer-
dotes. Unde dici solet, quod in primitiva
Ecclesia episcopi non distinguebantur a
sacerdotibus. Episcopus namque dicitur,
quasi supra intentus, ab ἐπί, quod est su-
pra, et σκοπός, intentio : sed hoc episcopis
convenit atque presbyteris. Unde hoc lo-
co per episcopos presbyteri, et summus
eorum, videlicet pontifex Philippensium,
intelliguntur.

Gratia gratificans detur et insit *vobis* 2
et pax interior, quæ est tranquillitas men-
tis, atque exterior, quæ est quies ab ex-
trinseco impugnante, *a Deo Patre nostro,*
id est persona Patris æterni, *et Domino
Jesu Christo :* quibus expressis, intelligi-
tur Spiritus Sanctus, amor et nexus am-
borum : qui omnes sunt una fontalis et
effectiva origo totius bonitatis creatæ.

Gratias ago Deo meo, id est superbea- 3
tissimæ Trinitati, simplicissimo Deo, qui
est omnium Deus generaliter, et Deus me-
us specialiter, propter specialem pietatem,
gratiam et providentiam ejus in me, et

item propter singularem dilectionem et
cultum quibus ei soli principaliter fina-
literque inhæreo. Hoc dicere non competit
nisi perfectis. Propter quod divinus et
magnus Dionysius, hoc dicere vix præsu-
mens, interdum sic ait : Deus, et si fas
est dicere, meus. *In omni memoria vestri*
4 *semper,* id est toties quoties vestri memor
sum, *in cunctis orationibus meis* fusis *pro*
omnibus vobis. Dum enim memor sum
vestri, occurrit mihi consideratio gratiæ
exsistentis in vobis : de qua grates refe-
ro; et oro ut gratia ampliori mereamini
adimpleri. *Cum gaudio* spirituali *depre-*
cationem faciens, id est, Deum pro vobis
exorans : gaudio, inquam, concepto seu
5 habito *super communicatione vestra,* id
est de beneficio vobis concesso, videlicet
quod mihi communicastis seu conformati
estis fide, caritate et opere, *in Evangelio*
Christi, id est in prædicatione, exhorta-
tione, seu observatione evangelicæ legis,
a prima die conversionis vestræ *usque*
6 *nunc; confidens hoc ipsum,* id est, ex con-
sideratione gratiæ vobis hucusque conces-
sæ, confido de gratia pleniori, videlicet
quia, id est quod, *qui cœpit in vobis opus*
bonum, id est Deus qui per gratiam gra-
tum facientem, et Spiritus Sancti motio-
nem actualem, inchoavit in vobis opus
meritorium, *perficiet* illud in vobis *usque*
in diem Jesu Christi inclusive, id est us-
que in diem mortis vestræ, qua a Christo
visitabimini, et particulare judicium sus-
tinebitis. A Deo enim est inchoatio, con-
tinuatio et consummatio operis boni.
7 *Sicut est mihi justum hoc sentire pro*
omnibus vobis, id est, tam ex parte di-
vinæ bonitatis, quam ex parte vestræ sta-
bilitatis, justum est ut ita confidam de
et pro vobis, videlicet quod Deus perficiet
in vobis opus bonum a se inchoatum; *eo*
quod habeam vos in corde, id est, cordiali
affectu hoc optem et sperem quod sub-
ditur : *et in vinculis meis, et in defen-*
sione et confirmatione Evangelii, socios
gaudii mei omnes vos esse, id est, ut tam
in præsenti quam in futuro, sitis partici-
pes consolationis meæ internæ : quam ha-
beo in vinculis meis, quibus propter Evan-
gelii prædicationem ligatus sum; et in
defensione Evangelii, qua evangelicam ve-
ritatem defendo contra adversarios ejus;
et confirmatione Evangelii, qua illud con-
firmo, instanter et imperterrite prædi-
cando, miracula faciendo, Scripturarum
testimonia allegando, irreprehensibiliter
conversando. Quam etiam consolationem
multo copiosius habebo in patria pro vin-
culis atque laboribus istis. Vel, ideo hæc
dicit Apostolus, quoniam Philippenses so-
cii fuerunt gaudii ejus in vinculis, etc.,
ita quod ipsi quoque pro Christo vincula
pertulerunt, et Evangelium defenderunt
atque constanter prædicaverunt sive pro-
fessi sunt. *Testis enim mihi est Deus, quo-* 8
modo, id est quam affectuose, spiritualiter
et sincere, *cupiam omnes vos,* id est, om-
nium vestrum salutem et communionem
cum gaudio meo desiderem : et hoc, *in*
visceribus Jesu Christi, id est Christi amo-
re, non humano affectu. Vel, Quomodo
cupiam vos esse in visceribus Jesu Chri-
sti, id est Christo intime uniri, atque ab
eo cordialiter diligi.

Et hoc oro Deum, *ut caritas vestra* vo- 9
bis a Deo infusa, qua Deum proximumque
meritorie diligitis, *magis ac magis abun-*
det, id est, incessanter proficiat, *in scien-*
tia, id est discretione, ut omnia discrete
agatis, sitque rationabile obsequium ve- *Rom.* XII, 1.
strum; vel, In scientia, id est, quatenus
diligendo mereamini illuminari a Deo in
cognitione divinorum ac aliorum; vel, In
scientia illa quæ est unum de septem *Is.* XI, 2.
donis Spiritus Sancti, de qua ait Scriptu-
ra, Dedit illi scientiam Sanctorum : per *Sap.* X, 10.
quam habet homo rectum judicium de re-
bus creatis, videlicet quod eis non sit fi-
naliter inhærendum, eo quod ex se vanæ
sint atque caducæ. *Et in omni sensu,* id
est intellectuali notitia, vel potius expe-
rimentali gustu, eorum quæ ad salutem
exiguntur. *Ut probetis,* id est, approban- 10
do sequamini, *potiora,* id est opera per-
fectiora, in dies magis proficiendo, *ut sitis*

Matth. v, 8. *sinceri,* id est mundi corde. Beati etenim A
mundo corde, quoniam ipsi Deum vide-
Prov. xxii, 11. bunt. Unde in Proverbiis habetur : Qui
diligit cordis munditiam, habebit amicum
regem. *Et sine offensa,* id est sine opere
malo, præsertim mortali, et ne persevere-
tis in aliquo vitio, quatenus nec Deum nec
proximum offendatis, quantum fieri po-
test, *in diem Christi,* id est perseveranter
11 usque ad mortem. *Repleti fructu,* id est
actu et delectatione, *justitiæ :* quæ est
præclarissima virtus; et nec Lucifer, nec
Hesperus est ita admirabilis, teste Philo- B
sopho. Repleti, inquam, non propriis viri-
bus, sed *per Jesum Christum,* id est virtu-
te et merito Christi, *in gloriam et laudem
Dei,* id est propter hoc ut Deus glorifice-
tur atque laudetur a vobis, aliisque electis
in præsenti et in futuro.

Consequenter Apostolus efficit Philip-
penses benevolos, statum suum eis insinu-
ans tanquam familiaribus et amicis præ-
12 cipuis. *Scire autem volo vos, fratres, quia
quæ circa me sunt,* id est tribulationes,
incarcerationes et vincula quæ mihi accide- C
runt, *magis ad profectum,* id est publica-
tionem, confirmationem ac venerationem,
Evangelii venerunt, quam ad detrimen-
tum ipsius : et hoc, contra intentionem
persecutorum meorum, qui ideo me vin-
13 xerunt, ut Evangelium offuscaretur; *ita
ut vincula mea manifesta fierent,* id est,
captivitas mea et fructus vinculorum meo-
rum divulgaretur, *in Christo,* id est secun-
dum voluntatem ac dispositionem Chri-
sti, vel, ad gloriam ejus, *in omni prætorio*
judicum, quo majores conveniunt, non D
solum Romæ, sed in prætoriis quoque ur-
bium aliarum, *et in ceteris omnibus* locis
judicialibus quo minores concurrunt. Ut
enim Haymo dicit, quum Apostolus re-
trusus esset in carcerem in domo impe-
ratoris, multa fecit prodigia, et in carcere
vinctis et aliis adventantibus constantissi-
me prædicavit, sicque convertit quamplu-
rimos, ita ut et de palatio imperatoris
faceret ecclesiam Redemptoris. Quum vero
in prætorium duceretur, efficacissime et
cum summa securitate respondit. Quoni-
am ergo Roma caput exstitit mundi, fi-
deles qui Romam confluxerunt et exie-
runt, ubique retulerunt signa, fructum
atque constantiam Pauli. Quo audito, com-
plures animati fuerunt ad evangelizan-
dum, sicut adjungitur.

Ut plures e fratribus in Domino con- 14
fidentes, non in se ipsis, *vinculis meis,* id
est occasione seu intuitu vinculorum me-
orum, hoc est exemplo meo, *abundantius*
quam ante *auderent sine timore* eorum
qui corpus occidunt, *verbum Dei loqui,* *Matth.* x, 28.
id est Christi Evangelium prædicare, di-
centes : Si magister noster in vinculis, in
carcere, in prætorio prædicat sine pavo-
re, cur nos libere euntes, a prædicatione
cessamus ?

Quidam quidem, id est nonnulli a præ- 15
dictis virtuosis diversi, *et propter invi-
diam et contentionem,* id est ex invidia
qua invident gloriæ apostolatus mei, eum-
que habere contendunt, *quidam autem, et
propter bonam voluntatem,* id est recta
intentione et ex dilectione Dei ac proxi-
mi, *Christum prædicant* ut proximi con-
sequantur salutem, et Christi honor au-
geatur. *Quidam* autem boni, *ex caritate* 16
speciali ad me hoc faciunt, vicem meam
supplentes, *scientes* hoc, scilicet, *quoni-
am,* id est quod, *in defensione Evangelii,*
id est ad defendendum evangelicæ veri-
tatis prædicationem, *positus sum* in gradu
et gratia apostolatus a Deo; vel, In (id est
pro) defensione Evangelii positus sum in
carcere. *Quidam autem ex contentione* 17
Christum annuntiant, id est, qui mecum
contenderunt, atque a me confutati, et
prædicationis officio indigni judicati sunt,
non sincere, id est, non pura hoc agunt
intentione, *existimantes pressuram se sus-
citare,* id est tribulationis augmentum pro-
curare, *vinculis meis,* id est mihi vincto,
concitando alios contra me, quasi contra
principalem doctorem hujus legis : vide-
licet, ut si quis velit eos affligere pro-
pter prædicationem Evangelii, concitent
eum adversum me, velut contra præci-

puam causam prædicationis hujusmodi. A
Vel, Existimantes pressuram se suscitare
vinculis meis, id est me vinctum contri-
stare ac tribulare, eo quod prædicent non
obstante quod ego reprobaverim eos.
18 *Quid enim?* id est, quid interest, vel
quid mihi curandum est de tanta diver-
sitate prædicantium? *Dum omnimodo,* id
est omnibus modis, *sive per occasionem,*
id est incidentaliter, scilicet ex invidia seu
contentione, *sive per veritatem,* id est ex
vera et recta intentione, *Christus annun-
tietur : et in hoc gaudeo* quod sic est, *sed* B
et gaudebo inde de cetero ; vel, Gaudeo
in via, et gaudebo in patria.
19 *Scio enim quia hoc,* videlicet quod Chri-
stus omnimodo annuntiatur occasione mei,
mihi proveniet ad salutem æternam, id
est, causa majoris gloriæ erit mihi in pa-
tria, non dumtaxat meritis meis, sed et
per vestram orationem fusam pro me, *et
subministrationem,* id est sustentationem
et opem, *Spiritus Jesu Christi,* id est Spi-
Rom. VIII, 26. ritus Sancti a Christo procedentis : qui Spi-
ritus adjuvat nostram infirmitatem, nos- C
que in bono, ne ruamus, sustentat, sicut
columna fulcit structuram. Si autem sub-
ministratio videatur non competere San-
cto Spiritui, poterit per spiritum Christi
intelligi spiritus angelicus missus a Chri-
sto : qui utique nostræ cooperatur saluti,
quum simus ejus custodiæ deputati. Sic
20 autem proveniet mihi *secundum exspecta-
tionem* actualem *et spem meam* habitua-
lem, id est, quemadmodum spero, vel tam
copiose sicut confido, *quia in nullo* loco,
tempore, seu eventu, *confundar* ita spe- D
Ibid. V, 5. rando. Spes enim non confundit, juxta
Ps. XXIV, 3. illud in Psalmo : Universi qui sustinent te,
non confundentur ; in Ecclesiastico quo-
Eccli. II, 11. que, Scitote quia nullus speravit in Do-
mino, et confusus est. *Sed in omni fidu-
cia,* id est cum ingenti confidentia cordis
mei in Deo, *sicut semper* ab exordio con-
versionis meæ magnificatus est ; ita *et
nunc* ultra, quamdiu subsisto in carne,
magnificabitur, id est honorabitur, *Chri-
stus in corpore meo,* id est in actionibus

et passionibus corporis mei, *sive per vi-
tam, sive per mortem,* id est in vita ac
morte : quia si vixero, honorabo Christum
prædicando; si occidor aut morior, exem-
plum deferendo. *Mihi enim vivere* in cor- 21
pore isto, *Christus est* finaliter et meri-
torie, id est, ad Christum ordino vitam
meam, eique uniri vivendo promereor. Ip-
se quoque est vita vivificans me effecti-
ve, conservando et dando vitam naturæ
ac gratiæ. Unde in Evangelio : Ego, in- *Joann.* XIV, 6.
quit, sum via, veritas et vita. Et in Deu-
teronomio aiebat Moyses : Ipse est vita tua *Deut.* XXX, 20.
et longitudo dierum tuorum. *Et mori* est
mihi *lucrum,* id est æternæ vitæ merito-
rium seu beatitudinis ostium.
Quod si vivere in carne, id est in cor- 22
pore isto manere ac prædicare, *hic mihi
fructus operis est,* id est, tam pretiosus
et utilis fructus est conversationis in car-
ne, ut dixi, videlicet quod semper ma-
gnificabitur Christus in corpore meo, et
mihi vivere Christus sit : si, inquam, hoc
sic est, imo quia sic est, *et quid eligam*
tanquam utilius, scilicet, vivere an mori,
ignoro. Alias tamen indubitanter eligerem
mori, ut possem esse præsens cum Chri-
sto. *Coarctor autem e duobus,* id est, duo 23
coarctant me, scilicet desiderium dissol-
vendi, et necessitas in carne manendi. In-
ter hæc duo angustor, et ex consideratione
ipsorum quasi in arcto constituor, utrum-
que desiderans, quum tamen simul ha-
beri non queant, et quid electurus sim,
nesciens. Consequenter tangit hæc duo :
desiderium habens dissolvi a corpore *et
esse cum Christo* principaliter per glori-
am fruitionis; *multo enim magis melius*
est hoc, quam detineri in hac carne mor-
tali. *Permanere autem in carne,* id est 24
me diutius vivere in sæculo isto, *neces-
sarium,* id est multum expediens est, *pro-
pter vos,* id est ad vestram pleniorem
instructionem, confirmationem atque sa-
lutem.
Et hoc confidens, scilicet quod neces- 25
sarium est me in carne manere propter
vos, confidens sic esse, *scio* ex revelatio-

ne divina seu magna fiducia, *quia manebo* A
et permanebo in vita præsenti *omnibus*
vobis, ad profectum vestrum spiritualem,
et gaudium fidei, id est propter conso-
lationem vestram procedentem ex fide ;
26 *ut gratulatio vestra,* id est interna ex-
sultatio, *abundet in Christo Jesu* tanquam
in objecto et causa, vel in consideratione
beneficiorum ipsius, *in me,* id est per me,
videlicet per liberationem mei de carcere,
et prolongationem vitæ meæ ad vestrum
profectum, *per meum adventum iterum*
ad vos, quia tunc coram referam ipse vo- B
bis plenius, quæ jam breviter scribo.
27 *Tantum digne Evangelio Christi con-*
versamini, id est, hoc solum admoneo, ut
tam sancte ac religiose vivatis ut exigit
evangelica doctrina cui credidistis, qua-
Ephes. IV, 1. tenus (sicut alibi dictum est) digne am-
buletis vocatione qua vocati estis; *ut sive*
quum venero et videro vos, sive absens
exsistens a vobis, *audiam de vobis* a ve-
ridicis quod sequitur : *quia statis,* corde
erecto per fidem et caritatem, *in uno spi-*
ritu unanimes, id est in Spiritu Sancto C
concordes ; vel, In uno spiritu creato, ha-
Act. IV, 32. bentes cor unum et animam unam per
caritatem ; *collaborantes fidei Evangelii,*
id est, simul conantes implere fidei do-
28 cumenta. *Et in nullo* eventu *terreamini*
ab adversariis, id est invisibilibus seu vi-
sibilibus hostibus, *quæ* perterritio seu mo-
lestia hostium, *est illis causa perditionis,*
id est meritum condemnationis, quum sit
mortale peccatum, *vobis autem* est causa
salutis, quoniam eam patienter ferendo,

meremini vitam æternam. Hinc quoque
Salvator ait : Nolite timere eos qui cor- *Matth.* X, 28.
pus occidunt, animam autem non possunt
occidere ; et rursus alibi, Nolite timere, *Luc.* XII, 32.
pusillus grex, quia complacuit Patri ve-
stro dare vobis regnum. Hoc est quod per
Isaiam inducitur : Nolite timere oppro- *Is.* LI, 7, 12.
bria hominum et blasphemias eorum. Quis
tu ut timeas ab homine mortali, et a fi-
lio hominis, qui quasi fœnum arescit ? *Et*
hoc a Deo, id est, non terreri et æquani-
miter pati, Dei donum est, per gratiam
ejus vobis collatum. *Quia vobis* gratiose 29
donatum est a Deo trino ac uno *pro Chri-*
sto, id est propter meritum Christi, *non*
solum ut in eum credatis, id est non sola
fides ejusque actus interior, *sed ut etiam*
pro illo patiamini, id est, virtus patien-
tiæ, et ipsa sustinentia seu perpessio ad-
versitatum, vobis a Deo concessa sunt, ita
ut hæc inter munera Dei sint computan-
da : vobis, inquam, data sunt hæc, qui
estis *idem certamen,* id est similem pu- 30
gnam, *habentes* contra adversarios fidei,
quale et vidistis in me, quando in Phi-
lippis cæsus sum, nudus atque incar-
ceratus, eo quod spiritum malignum de
muliere pythonissa excluserim (ut in Ac- *Act.* XVI, 12-24.
tibus legitur), *et nunc* quum Romæ liga-
tus sum, *audistis de me.*
Porro de prædicto desiderio dissolutionis
a corpore, quod non solum Apostolo, sed
viris perfectis inest et convenit, dicta sunt
multa ad Romanos, super illud : Infelix *Rom.* VII, 24.
ego homo ! quis me liberabit de corpore
mortis hujus ? Quæ illic requirantur.

ARTICULUS II

EXPLANATIO CAPITULI SECUNDI : SI QUA ERGO CONSOLATIO IN CHRISTO.

DENIQUE in moralibus instruens Apo- D
1 stolus Philippenses, adjecit : *Si qua*
ergo, id est, quum ita sit sicut jam dixi
(in fine præcedentis capituli) : si igitur
qua, id est aliqua, *consolatio* est mihi a
vobis *in Christo,* id est secundum volun-
tatem et gratiam Christi ; vel, In Christo,
id est in cultu ipsius ; *si quod,* id est ali-

quod, *solatium caritatis* ex vera dilecti-
one procedens, est inter me et vos, *si qua*
societas spiritus, id est, aliqua unio men-
tis inter nos est, *si qua viscera misera-*
tionis vobis insunt, id est, si internæ pi-
2 etatis affectibus movemini; *implete,* id est
perficite, *gaudium meum* quod de ve-
stri conversione et profectu concepi, festi-
nantes ad veram perfectionem, *ut idem*
sapiatis in omnibus quæ ad salutem re-
quiruntur, id est, eadem intellectualiter
sentiatis in his quæ idem concernunt,
eamdem, id est parem, *caritatem haben-*
tes, id est caritatem infusam spiritualem
ac generalem, *unanimes* in affectu ac mo-
ribus, *id ipsum sentientes,* id est intel-
lectualiter concordantes, seu mala vestra
mutuo supportantes.
3 *Nihil* in vobis fiat *per contentionem :*
Jacob. III, 16. ubi enim zelus et contentio, ibi incon-
stantia et omne opus pravum, juxta B. Ja-
cobi sententiam ; *neque per inanem glo-*
riam, id est ex gloria vana, seu propter
famam, honorem, aut gloriam sæcularem :
Galat. V, 26. sicut alibi dictum est, Non efficiamur ina-
nis gloriæ cupidi. Hæc vitia in ambitiosis
regnare, et ex superbia nasci solent. Por-
ro, quam grave peccatum sit gloria vana,
Joann. V, 44. patet per id quod ait Salvator : Quomodo
vos potestis credere, qui gloriam ab in-
vicem accipitis, et gloriam quæ a solo
Deo est, non quæritis? *Sed in humilitate*
superiores sibi invicem arbitrantes, id est,
ex humilitate unusquisque putet se alio
viliorem, propria potius quam aliena pec-
cata pensando, vel se secundum quod in
se et ex se est, considerando. Quamvis
enim unus sit alio, absolute loquendo,
melior atque superior, unusquisque ta-
men veraciter potest se sub alio humili-
are, atque indigniorem judicare, secundum
aliquam considerationem sui atque alte-
rius. Ideo subditur :
4 *Non quæ sua sunt singuli consideran-*
tes, sed quæ aliorum : id est, unusquisque
vestrum, si contentionem vanamque glo-
riam vitare desiderat, et alios arbitrari
meliores se ipso, non proprias virtutes et

A excellentias solum penset, nec propria
commoda tantum requirat, sed bona con-
sideret commodaque requirat aliorum. Ca- *I Cor.* XIII, 5.
ritas enim non quærit quæ sua sunt. Potest
tamen et debet homo interim pensare dona
sibi divinitus præstita, ut gratus sit Deo,
juxta illud Apostoli : Nos non spiritum *Ibid.* II, 12.
hujus mundi accepimus, sed spiritum qui
ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata
sunt nobis. Unde et Virgo Deifera profite-
tur : Quia fecit mihi magna qui potens est. *Luc.* I, 49.
Insuper, hortatur Apostolus ad harum
B imitationem virtutum, exemplo Christi.
Hoc enim sentite in vobis, id est, illud 5
in cordibus vestris versetur, hocque sen-
tiat anima vestra in se, *quod et in Christo*
Jesu fuit, id est, quod Christus ut homo
intra se sensit : quatenus, sicut Christus
quæsivit, non quæ sua erant, sed quæ
aliorum ; et sicut intra se humillimus ac
patientissimus fuit, secundum quod ipse
ait discipulis, Ego in medio vestrum sum *Ibid.* XXII, 27.
sicut qui ministrat : ita et vos aliorum
commoda requiratis, atque in cordibus
C vestris vere patientes et humiles sitis, non
simulatorie sicut hypocritæ. Est enim qui *Eccli.* XIX, 23.
nequiter se humiliat, et interiora ejus
plena sunt dolo. *Qui* Christus *quum in* 6
forma Dei esset, id est veram deitatem
haberet, seu unius cum Patre essentiæ es-
set, secundum quod ait, Ego et Pater *Joann.* X, 30.
unum sumus, *non rapinam arbitratus est*
esse se æqualem Deo, id est, sentiendo ac
asserendo se esse æqualem Deo, non usur-
pavit neque adscripsit sibi ipsi quod su-
um non erat, quia vere sic fuit sicut
D arbitratus est. Ideo non commisit rapi-
nam, vocando se verum Deum, quia nil
a se alienum sibi ipsi adscripsit : quem-
admodum Lucifer, dicens, Similis ero Al- *Is.* XIV, 14.
tissimo, conatus est facere rapinam. Chri-
sto igitur, non rapina, sed natura est
esse Deo æqualem, coæternum et consub-
stantialem. Propter quod ipse ait : Omnia *Joann.* XVI, 15.
quæcumque habet Pater, mea sunt ; et
alibi, Pater quod dedit mihi, majus om- *Ibid.* X, 29.
nibus est, hoc est divina essentia, quam
totam Pater transfudit in Filium.

7 *Sed semetipsum exinanivit,* id est, vehementer se humiliavit, *formam servi accipiens,* id est, naturam humanam atque servilem in unitate personali assumens, ita quod natura assumpta, unita est Verbo immediate, atque in ipso suppositata seu esse personali Verbi immediate conjuncta, sicut caro conjungitur animæ; *in similitudinem hominum factus,* id est ceteris hominibus assimilatus seu similis factus, assumendo indetrahibiles defectus, videlicet pœnalitates, non vitia. Fuit enim mortalis atque passibilis. Unde ad Hebræos dicit Apostolus : Debuit per omnia fratribus assimilari. (*Hebr.* II, 17.) *Et habitu,* id est conversationis suæ habitudine, *inventus* est, id est vere innotuit, *ut homo.* Bibit enim, comedit, sedit, dormivit ut ceteri : per quæ patuit, quod vere fuerit homo. Propterea scriptum est per prophetam Baruch : Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est (*Baruch* III, 38.); et per Isaiam, Butyrum et mel comedet. (*Is.* VII, 15.) Vel sic : Habitu, id est in natura humana per modum habitus seu vestimenti assumpta, inventus est ut homo, non apparenter, sed realiter, sicut Joannes testatur : Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre. (*Joann.* I, 14.) Denique natura humana se habet ad Verbum, sicut vestis ad hominem. Nam sicut vestis induitur atque exuitur sine mutatione substantialis esse hominis vestiti, ita quod homo est homo et subsistit, sive induatur, seu non : sic Verbum humanam naturam assumpsit sine omni mutatione sui esse divini ; possetque esse sine humana natura, sine qua nos esse non possumus.

8 *Humiliavit semetipsum,* non solum in incarnatione, sed in tota conversatione sua in sæculo isto a principio usque ad finem, prout Leo papa testatur : Tota christianæ sapientiæ disciplina, non in abundantia verbi, non in astutia disputandi, neque in appetitu laudis et gloriæ, sed in vera et voluntaria humilitate consistit, quam Dominus Jesus ab utero matris usque ad supplicium crucis pro omni for-

A titudine et elegit, et docuit. Rursusque : Tota, inquit, victoria Salvatoris, quæ et diabolum superavit et mundum, humilitate est concepta, humilitate confecta. *Factus obediens* Patri *usque ad mortem,* non qualemcumque, sed turpissimam, horribilissimam ac amarissimam, sicut subjungitur : *mortem autem crucis.* Mors enim crucifixorum gravissima est, quia in locis nervosis transfiguntur. Christus autem inter latrones suspensus est, et toto corpore violentissima expansione distentus in

B tantum, ut dicat : Dinumeraverunt omnia ossa mea. (*Ps.* XXI, 18.) De obedientia hac ait Salvator : Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. (*Joann.* XIV, 31.) Obedivit autem Patri usque ad mortem inclusive, non quod Pater exegit ab eo mortem tanquam aliquod debitum (secundum Anselmum), quum mors sit pœna culpæ, quæ in Christo non fuit ; sed quia Patre jubente justitiam observavit, verbo et opere increpando Judæos, ex quo orta est Judæorum invidia contra Christum, ex qua insuper invidia secuta est

C Christi occisio. Item, per hoc Patri usque ad mortem crucis obedivit, quoniam sicut Pater decrevit mundum per Christi passionem redimere, sic Christus promptissime exsecutus est. Propter quod ait ipse : Opus consummavi quod dedisti mihi ut facerem (*Ibid.* XVII, 4.) ; et alibi, Pater, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua. (*Matth.* XXVI, 42.)

9 *Propter quod,* id est merito passionis et obedientiæ hujus, *et Deus* Pater seu Trinitas, *exaltavit illum,* id est, Christum

D sublimavit variis multisque modis, videlicet : in resurrectione, dando ei corpus glorificatum, quale ante passionem non habuit ; in ascensione, constituendo eum ad dexteram suam, ubi ante secundum humanam naturam non sedit ; in prædicatione quoque Evangelii per totum mundum, per quam Christus in cordibus hominum fidem recipientium exaltatus est. Sic quoque secundum divinam naturam exaltatus est, quantum ad manifestationem hominibus factam. Per miracula etiam

Deus exaltavit Christum, prout in Acti- A
Act. III, 13. bus Petrus dixit nato claudo sanato : Deus
patrum nostrorum glorificavit Filium su-
um Jesum. Pro hac exaltatione Christus
Joann. XVII, 1. oravit, passione instante : Pater, inquiens,
venit hora, clarifica Filium tuum. Omnia
autem quæ ad glorificationem corporis
Christi et accidentale præmium ejus per-
tinent, ipse sua humilitate, obedientia et
passione promeruit, quamvis etiam ex aliis
causis hæc sibi deberentur, videlicet : quia
a primo instanti incarnationis, gloriosus
et felix fuit in anima, quæ beatitudo re- B
dundasset in corpus, nisi divina dispen-
satione dilatum fuisset ; et item, quia
secundum corpus et animam unitus erat
Verbo hypostatica unione, ratione cujus
debebatur ei exaltatio ultra omnem crea-
turam.

Itaque Deus exaltavit Christum propter
passionem et obedientiam, *et donavit illi
nomen quod est super omne nomen,* id est,
nomen Dei Christo imposuit. Per gratiam
quippe unionis, datum est Christo homi-
ni esse et dici verum Deum : quod uti- C
que est nomen superexaltatum et infinitæ
dignitatis vocabulum. Hoc autem nomen
datum est Christo a principio suæ incar-
nationis ; sed post resurrectionem dicitur
datum, quia tunc manifestabatur datum
fuisse. Juxta quem sensum ait Salvator
Matth. XXVIII, 18. post resurrectionem, Data est mihi omnis
potestas in cœlo et in terra : quæ utique
potestas data fuerat ei ab incarnationis
10 exordio. *Ut in nomine Jesu,* id est ad re-
verentiam Christi tanto nomine sublimati,
Is. XLV, 24. *omne genu flectatur,* id est, omnis pote- D
stas inclinetur ac subjiciatur, *cœlestium,*
id est angelorum, *terrestrium,* id est ho-
minum, *et infernorum,* id est dæmonum.
Christus enim cœlum implevit, mundum
11 redemit, infernum spoliavit. *Et omnis lin-
gua* corporalis et spiritualis hominum,
spiritualis quoque lingua angelorum ac
dæmonum, *confiteatur* sponte, vel coacte :
Jacob. II, 19. nam et dæmones credunt et contremi-
scunt ; *quia Dominus Jesus Christus in
gloria est,* id est in beatitudine, *Dei Pa-*
tris. Secundum deitatem enim Christi, una
est gloria Patris et Filii, quæ est divi-
na essentia. Secundum humanitatem vero
Christus dicitur in gloria Patris, id est in
potioribus bonis ejus, juxta illud : Domi- Marc. XVI, 19.
nus quidem Jesus assumptus est in cœ-
lum, et sedet a dextris Dei.

Itaque, carissimi mei, sicut semper, a 12
vestræ conversionis exordio aptis tempo-
ribus, *obedistis* Deo et mihi, sic hortor
vos nunc obedire ; *non ut in præsentia
mei tantum,* id est, quatenus non solum
me præsente et inspiciente bona agatis,
*sed multo magis nunc in absentia mea,
cum metu* filiali, quantum ad perfectos,
et timore initiali, quantum ad proficien-
tes, *et tremore* corporis, ex interiori timore
progenito, *vestram salutem,* id est opus
virtuosum, *operamini ;* vel, Vestram sa-
lutem operamini, id est, æternam beati-
tudinem bonis operibus procurate. Cum
ingenti ergo timore serviendum est Deo
sublimi et benedicto, prout ait Psalmista :
Servite Domino in timore, et exsultate ei Ps. II, 11.
cum tremore. Unde alibi scriptum est :
Dominum exercituum glorificate ; ipse pa- Is. VIII, 13.
vor vester, et ipse terror vester. Et Jere-
mias ait : Magnus es tu, et magnum no- Jer. X, 6, 7.
men tuum in fortitudine. Quis non timebit
te, o Rex gentium ?

Ideo denique tam timorate operari de-
betis vestram salutem : *Deus est enim qui* 13
operatur in vobis per gratiam et internum
instinctum, *et velle* bonum meritorium,
et perficere, id est exsequi et implere opus
bonum quod vultis, *pro bona voluntate,*
id est ex sua voluntate benigna, non pro-
pter merita vestra. Non enim sumus suf- II Cor. III, 5.
ficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi
ex nobis. De hoc in epistola ad Romanos Rom. IX, 16 et seq.
inducta sunt multa.

Omnia autem opera vestra *facite sine* 14
murmurationibus contra Deum et proxi-
mum, *et hæsitationibus,* id est dubitatio-
nibus de divina exauditione ac ope, prout
ait Scriptura : Postulet in fide nihil hæ- Jacob. I, 6, 7.
sitans : qui enim hæsitat, similis est flu-
ctui maris. Non ergo existimet homo ille,

quod aliquid accipiat a Domino. Certum A
est enim quod ex parte pietatis divinæ
non erit exauditionis defectus : et quan-
tum ad hoc, certi esse debemus de ex-
auditione et ope Dei, dum ei placuerit.
Sed ex parte nostræ indignitatis et culpæ,
15 potest esse defectus. *Ut sitis sine querela,*
ita ut nec vos de aliis conqueramini, nec
ipsi justam querelam contra vos habeant,
et simplices, id est sinceri et recti, non
dolosi, bilingues, ac duplices animo, *filii*
Dei per gratiam adoptionis et opera imita-
Prov. III, 32. tionis. Cum talibus enim simplicibus ser-
Jacob. I, 8. mocinatur Deus. Porro, vir duplex animo,
inconstans est in omnibus viis suis. *Sine*
reprehensione, id est sine vitio reprehensi-
onem promerente conversantes, *in medio*
nationis pravæ et perversæ, id est homi-
num impiorum, quorum interiora perver-
sa sunt, et exteriora opera prava, *inter*
quos lucetis scientia, virtutibus et exem-
plis, *sicut luminaria in mundo,* id est
tanquam aliorum in mundo conversanti-
um illuminatores ; vel, Sicut luminaria
cœli, videlicet planetæ ac sidera, fulgent
in mundo isto sensibili.
16 *Verbum vitæ,* id est sacram Scriptu-
ram evangelicamque doctrinam, *continen-*
tes memoriter ac efficienter : juxta illud,
Ps. CXVIII, 11. In corde meo abscondi eloquia tua, ut non
peccem tibi ; *ad gloriam meam,* id est
ad beatitudinis meæ augmentum, quod
habebo *in die Christi,* id est, quum Chri-
stus justam mercedem mihi tribuerit, sci-
licet in die particularis ac universalis ju-
dicii. Opera enim meritoria subditorum
ac discipulorum, cedunt ad gloriam præ-
latorum et magistrorum bonorum. *Quia*
non in vacuum cucurri, id est, non in-
fructuose inter vos vixi, docendo et bene
agendo, *neque in vanum laboravi,* orando
pro vobis continue, et indesinenter insi-
stendo vestræ conversioni. Multos enim ex
vobis converti, et copiosam mercedem re-
positam habeo. Ad hanc exemplarem et
irreprehensibilem conversationem horta-
I Petr. II, 12. tur nos Archiapostolus : Conversationem
(inquiens) vestram inter gentes habentes

bonam, ut in eo quod detrectant de vo-
bis tanquam de malefactoribus, ex bo-
nis operibus vos considerantes, glorificent
Deum in die visitationis.
Sed et si immolor, id est, pro fide ac 17
justitia graviter punior vel occidor (quod
est Deo offerri), *supra sacrificium et ob-*
sequium fidei vestræ, id est ultra oblatio-
nem vestram et opera fidei vestræ, quæ
jam oblata sunt Deo a vobis et a me ;
gaudeo in me, *et gratulor in omnibus*
vobis, id est, de vestri conversione nihilo
B minus glorior, quamvis propter eam mar-
tyrium paterer. *Id ipsum,* id est propter 18
eamdem causam, videlicet si pro fide pa-
timini, *et vos gaudete,* certi de vestra
mercede, *et congratulamini mihi,* de ve-
stri conversione et passione gaudenti, qui
in fide vos docui : id est, propter per-
secutionem nolite dolere neque tristari
adversus me, quasi qui ad tantam cala-
mitatem vos induxi, convertendo vos ad
eam fidem pro qua tanta patimini.
Spero autem in Domino Jesu, sine cu- 19
C jus dispositione et causalitate nil agere
volo aut valeo, *Timotheum me cito mit-*
tere ad vos : ut et ego bono animo sim,
cognitis quæ circa vos sunt, id est, quum
statum vestrum percepero a Timotheo a
vobis ad me redeunte. De vestro autem
statu multum sollicitor : ideo cupio scire
quæ circa vos sunt, id est cuncta quæ
vobis contingunt. Ideo quoque mittam ad
vos Timotheum : *Neminem enim habeo* 20
tam unanimem, id est desiderio mentis
meæ ita conformem in his quæ vestram
D concernunt salutem. Unde subjungitur :
qui sincera affectione, id est pura ac spi-
rituali dilectione, *pro vobis sollicitus sit.*
Omnes enim mecum exsistentes hac vice, 21
id est tam multi eorum, ut alii compara-
tione eorum pene nulli videantur. Tales
autem locutiones, hyperbolicæ sunt, in
quibus dicitur aliquid per excessum. Om-
nes ergo *quæ sua sunt,* id est propria
lucra, *quærunt* potius quam proximorum
salutem, *non quæ Jesu Christi,* id est, Dei
honorem et gloriam non requirunt prin-

cipaliter atque finaliter. Multi enim mer- A
22 cenarii erant cum Paulo hoc tempore. *Ex-*
perimentum autem ejus cognoscite, id est,
per experientiam vitæ et prædicationis
probate verum esse quod de laudibus Ti-
mothei disserui : quod veraciter dixi, vos-
que experiri poteritis; *quoniam sicut pa-*
tri filius servit, sic *mecum servivit* Deo
in Evangelio, id est in prædicatione, de-
fensione et confirmatione, ceterisque ac-
tibus evangelicæ legis.
23 *Hunc igitur* tam idoneum nuntium,
spero me mittere ad vos, mox quum vi- B
dero quæ circa me sunt, id est, quum
expertus fuerim, seu alio modo cognove-
rim, quem exitum sortientur ea quæ mihi
jam acciderunt. Interim nempe carere non
24 possum præsentia Timothei. *Confido au-*
tem in Domino quoniam et ipse veniam
ad vos cito, quia de carcere isto liberari,
in Græciamque reverti confido.
25 *Necessarium autem,* id est vestræ sa-
luti multum expediens, *existimavi Epa-*
Philipp. IV, 18. *phroditum* diaconum, præsentis epistolæ
portitorem, *fratrem* religione, *et coopera-* C
torem in Evangelii prædicatione ac obser-
vatione, *et commilitonem meum* in per-
secutione et luctatione pro fide, *vestrum*
autem apostolum, id est instructorem præ-
cipuum, *et ministrum necessitatis meæ,*
id est servitorem meum, præbentem mihi
necessaria in hac mei incarceratione, quo-
niam munera vestra detulit mihi, quibus
eo ministrante sustentatus sum, *mittere*
ad vos cum hac epistola, ante missionem
26 Timothei. Et merito, *quoniam quidem om-*
nes vos desiderabat videre et consolari ; D
et mœstus erat propterea, id est de hoc,
quod audieratis illum infirmatum, sicut
et fuit. Doluit autem quod ipsi hoc per-
ceperunt, sciens eos sibi compati, et de
ejus morte angustiari. Unde eorum com-

passioni et curæ condoluit. *Nam et in-* 27
firmatus est usque ad mortem exclusive;
sed Deus misertus est ejus, ipsum clemen-
ter sanando. Unde patet, vitam animæ in
corpore non penitus esse innaturalem, et
velut in carcere, ut quidam dixerunt. *Non*
solum autem ejus misertus est Deus, *ve-*
rum etiam et mei misertus est, liberando
me ab interiori dolore, *ne tristitiam* de
morte Epaphroditi *super tristitiam* de ve-
stri desolatione *haberem.* Quamvis enim
tristitia hæc in se bona fuisset, eo quod
inordinata tristitia in Apostolo locum non
habuit, juxta illud Sapientis, Non contri- Prov. XII, 21.
stabit justum quidquid ei acciderit; Deus
tamen convertit eam in melius, sicut Sal-
vator promisit, Tristitia vestra vertetur in Joann. XVI, 20.
gaudium.
Festinantius ergo, id est multum festi- 28
nanter, *misi illum* ad vos, *ut viso eo* sano
ac læto, *iterum gaudeatis,* gratias Domi-
no referentes de sanatione ac reditu tam
dilecti doctoris, et patris atque apostoli
vestri, *et ego sine tristitia sim,* quum
sciero vos consolatos, quorum desolationi
condolui. *Excipite itaque illum cum omni* 29
gaudio spirituali, *in Domino,* id est Deum
laudando ; *et ejusmodi,* id est virum ta-
lem ac tantum, *cum honore habetote,* id
est, reverenter tractate. Qui enim bene I Tim. V, 17.
præsunt, duplici honore digni sunt. *Quo-* 30
niam propter opus Christi, id est ad fa-
ciendum ea quæ Dei sunt, *usque ad mor-*
tem accessit, id est, mortis periculo se
exposuit, *tradens animam suam,* id est
vitam suam morti exponens propter ju-
stitiam, *ut impleret id quod ex vobis de-*
erat, id est, actualem administrationem
substantiæ mihi a vobis transmissæ, quam
nullus vestrum coram mihi distribuit, ip-
se impenderet, *erga meum obsequium,*
mihi personaliter ministrando.

ARTICULUS III

EXPOSITIO CAPITULI TERTII : DE CETERO, FRATRES MEI, GAUDETE IN DOMINO.

PRÆTEREA monet ac munit Apostolus A
Philippenses contra pseudoapostolo-
rum fallacias, qui eos ad legalium obser-
1 vantiam nitebantur inducere. *De cetero,* id
est, post exhortationes præhabitas, hortor
reliquo tempore, o *fratres mei, gaudete*
in Domino, non in cærimonialibus legis.
Eadem vobis scribere in præsenti episto-
la, quæ præsens dixeram vobis, videlicet
non esse gaudendum nisi in fide et gratia
Dei, atque legalia omitti debere, *mihi qui-*
dem vos amanti *non* est *pigrum,* id est
molestum aut tardum. Fervido enim ama- B
tori delectabile est operari quidquid di-
lecto salubre est. *Vobis autem necessari-*
um est hæc scribi, propter imminentia
mala fallacium.
2 *Videte canes,* id est pseudo, hæreticos,
more canum rabido ore contra veritatem
latrantes, *videte malos operarios,* id est
pestiferos aliorum corruptores, *videte con-*
cisionem, id est illos a Christo excisos,
qui alios quoque a Christo dividere sat-
3 agunt. Hos ergo attendite et cavete. *Nos*
enim Christifideles, *sumus circumcisio,* id C
est vere ac spiritualiter circumcisi a vi-
tiis, *qui spiritu* Dei, id est Spiritu Sancto
movente, *Deo* Trinitati *servimus* servitute
latriæ, quæ soli Deo debetur, *et gloriamur*
in Christo Jesu, id est in virtute et gra-
tia ac merito Christi, *et non in carne fi-*
duciam habentes, id est, non in carnalibus
observantiis legis spem salutis constituen-
4 tes; *quanquam et ego habeam confiden-*
tiam in carne, id est, confidentiam talem
haberem, si esset habenda. Vel, habeo eam,
non ita ut in carnalibus sistam, sed ea ad D
Christi honorem omittam, sicque præmium
consequar de hoc quod aliquando legalia
observavi, quando meritorie servabantur.
Si quis alius deceptor *videtur confide-*
re in carne, id est carnali custodia legis
et Israeliticæ stirpis dignitate, *ego magis*
confidere possum (secundum sensum præ-
tactum), videlicet quum sim *circumcisus* 5
octavo die, ut lex Moysis jubet, natus *ex* *Lev.* XII, 3.
genere Israel, id est genere Jacob, *de tri-*
bu Benjamin filii Jacob, *Hebræus* natione
ex Hebræis parentibus ortus, non prose-
lytus; *secundum legem,* id est religiosam
legis observantiam, *Pharisæus,* id est unus
de præcipuis inter Judæos. Pharisæi enim
dicebantur quasi contemptibili plebi non
admixti, sed a communibus separati : sic-
ut egregii, quasi a grege divisi dicun-
tur. Eratque secta Pharisæorum confor-
mior legi, quam Sadducæorum, qui nec *Act.* XXIII, 8.
spiritum nec resurrectionem ponebant; et
Essæorum, qui austerissimæ vitæ fuerunt,
sed idiotæ. *Secundum æmulationem,* id 6
est inordinatum affectum, videlicet se-
cundum zelum non adjunctum scientiæ, *Rom.* X, 2.
persequens Ecclesiam Dei primitivam, ut
patet in Actibus Apostolorum. *Secundum* *Act.* VIII, 3; IX, 1, 2; XXII, 3-5.
justitiam quæ in lege est, conversatus sine
querela, id est sine reprehensione custo-
diendo mandata legalia.
Sed quæ mihi fuerunt lucra, id est, 7
quæ commoda mihi erant tempore Judai-
smi, videlicet cærimonialia legis, *hæc* post
conversionem meam *arbitratus sum pro-*
pter Christum, id est propter Christi amo-
rem, doctrinam ac jussionem, *detrimen-*
ta, id est nociva. Non enim servanda
sunt cærimonialia legis post divulgatio-
nem evangelicæ veritatis, præsertim ut sa-
lus aliqua in illis esse credatur. Erant
enim figurativa Christi : unde veritate im-
pleta, cessare debuerant. *Verumtamen exi-* 8
stimo omnia temporalia et caduca *detri-*

mentum esse, id est deserenda, *propter* A
eminentem, id est supernaturalem et præ-
cellentem, *scientiam Domini nostri Jesu
Christi,* id est, quam Christus nobis in-
fundit per Spiritus Sancti illustrationem.
Quod intelligi potest de scientia illa quæ
Is. XI, 2. est unum septem donorum Spiritus San-
cti, vel de cognitione Christi beatifica quæ
datur electis in patria, vel de quotidiana
Sap. VII, 27. illustratione æternæ sapientiæ quæ in ani-
mas sanctas se transfert, rivos ac radios
veræ sapientiæ studiosis ac piis cordibus
liberaliter influens. Ob hanc scientiam adi- B
piscendam, sobrie vivere, cunctaque sen-
sibilia aspernari debemus. *Propter quem*
Christum, id est ob cujus amorem ac glori-
am obtinendam, *omnia* jam præfata *detri-
mentum feci,* id est, contemnenda monstra-
vi, contempsi ac despici feci, *et arbitror*
ea *ut stercora,* id est, pro nihilo reputa-
vi, *ut Christum lucrifaciam,* id est, eum
pro præmio adipiscar. Simile est quod in
Ibid. 8. Sapientia dicitur : Divitias nihil esse dixi
in comparatione illius.
9 *Et inveniar in illo,* id est, Christo in- C
corporer, ejusque membrum sim, *non ha-
bens meam justitiam quæ ex lege est,* id
est justitiam quæ consistit in litterali ob-
servatione cærimonialium legis, quæ tem-
Rom. III, 20. pore novæ legis non est vera justitia, *sed
illam* justitiam *quæ ex fide est Jesu Chri-
sti,* id est, quantum ad actum suum ex
fide procedit, et in ea fundatur, non in
operibus legis ; *quæ* justitia *ex Deo est*
per creationem. Hæc enim est justitia in-
fusa, quantum ad habitum, simulque cum
fide infunditur, quamvis secundum ordi- D
nem naturæ eam præsupponat, quoniam
fides basis seu fundamentum est univer-
sarum virtutum. Ideo subditur : *justitia
in fide,* id est, justitia ista in fide consi-
10 stit : quæ fides utilis est *ad cognoscendum
illum,* videlicet Christum in præsenti per
donum sapientiæ, in patria autem per
speciem ; ad cognoscendum etiam *et vir-
tutem resurrectionis ejus,* id est potesta-
tem resurrectionis Christi : cujus resur-
rectionis tanta est virtus, ut sit causa

exemplaris resurrectionis omnium electo-
rum. Valet etiam fides ad cognoscendum
et societatem passionum illius, id est, ut
sciamus quomodo crucem nostram post *Luc.* IX, 23.
Christum portemus, ejusque passionibus
communicemus ac sociemur. Inveniar er-
go in Christo *configuratus morti ejus,* id
est Christo compassus, vel propter illum
occisus, aut propter justitiam tribulatus,
vel per opera pœnitentiæ quotidie mor-
tificatus, *si quo modo,* id est ad hoc ut 11
aliquo modo, licet difficili, *occurram* in
die judicii Christo et Sanctis, pertingendo
ad resurrectionem quæ est ex mortuis, id
est ad resurrectionem beatam, qua electi
feliciter immutabuntur. Omnes namque I *Cor.* XV, 51.
resurgemus, sed non omnes immutabi-
mur. Per resurrectionem ergo ex mortuis,
hoc loco intelligitur resurrectio gloriosa,
qua electi a reprobis discernentur, et ex
eorum loco, qui terra est, in aera erigen-
tur. Rapientur namque in nubibus obvi- I *Thess* IV, 16.
am Christo in aera, sicut alibi dixit Apo-
stolus.
Non quod jam acceperim, id est, non 12
ideo dixi tanta de mea perfectione, qua
omnia propter Christum ut stercora repu-
to, quasi jam plenam perfectionem ade-
ptus sim, vel futuram felicitatem nunc
actualiter habeam : ideo subditur, *aut jam
perfectus sim* in tantum ut ultra profice-
re nequeam. Aliquo tamen modo perfe-
ctus fuit Apostolus, quia post pauca ad-
jecit : Quicumque ergo perfecti sumus. *vers.* 15.
Sequor autem, id est, ad perfectionem
tendo affectibus cordis et bonis operibus
potius quam gressibus corporis, *si quo
modo,* id est ut tandem aliquando, *com-
prehendam* Christum comprehensione be-
atificæ visionis, de qua ipse ait : Manife- *Joann.* XIV, 21.
stabo ei me ipsum, videlicet secundum
divinam naturam ; *in quo,* id est eo mo-
do cognitionis seu tali claritate notitiæ, *et
comprehensus sum,* id est perfecte cogni-
tus, *a Christo Jesu.* Unde alibi dicit Apo-
stolus : Videmus nunc per speculum in I *Cor.* XIII, 12.
ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Et
nunc, inquit, cognosco ex parte, tunc au-

tem cognoscam sicut et cognitus sum.
Nulla tamen creatura pura potest Deum
comprehendere plene et absolute ; sed
comprehensio sumitur tunc pro clara no-
titia alicujus secundum suam essentiam :
sicque Beati in patria comprehensores vo-
I Joann. III, 2. cantur. Propter quod ait Joannes : Similes
ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.
13 *Fratres, ego me non arbitror compre-
hendisse* arcem virtutum perfectionisque
apicem, præsertim quum dicat Salvator :
Luc. XVII, 10. Quum feceritis omnia quæ præcepta sunt
vobis, dicite : Servi inutiles sumus ; quod
debuimus facere, fecimus. Et iterum ali-
Joann. XV, 2. bi : Omnem qui fert fructum purgabit
Pater, ut fructum plus afferat. Nondum
igitur comprehendit, sed proficit. Hæc dicit
de se ipso Apostolus, ne aliquis nostrum
quantumcumque laudetur, vana elatione
infletur, sed conetur proficere exemplo
tanti Apostoli ; nec unquam dicere audeat,
Sufficit mihi, quum non proficere, sit
deficere. Nemo etiam erubescat imperfe-
ctum suum fateri, quum audiat Aposto-
lum ista dicentem.
Et quasi sciscitaremur : Quid ergo fa-
cis, o Paule, et quid nobis agendum tuo
exemplo demonstras? subjecit : *Unum au-
tem* dico agendum, illudque facio, puta :
quæ quidem retro sunt obliviscens, id est
præcedentia merita mea parvi pendens
nec pensans, sed memoriæ Dei commen-
dans ; *ad ea vero quæ sunt priora,* id est
ad opera perfectiora atque futura quæ
nondum attigi, sed oculis meis proposui,
extendens me ipsum, id est vires meas
applicans per incessantem profectum. Vel
sic : Quæ retro sunt, id est terrena, sen-
sibilia, præsertim carnalia, obliviscens ac
Ps. XLIV, 11. deserens, juxta illud, Obliviscere popu-
lum tuum et domum patris tui ; ad ea ve-
ro quæ sunt priora, id est ad obtinenda,
amanda et contemplanda bona cœlestia ac
divina, extendens me ipsum ardenti af-
14 fectu et digno effectu. *Ad destinatum,* id
est finale bonum a me intentum, atque
a Deo mihi paratum, *persequor,* id est,
perfecte sequor, ut ipsum acquiram : sic-
A ut et scriptum est, Inquire pacem, et per- Ps. XXXIII, 15.
sequere eam. De quo destinato adjicitur :
ad bravium supernæ vocationis Dei, id
est præmium vitæ cœlestis a Deo propo-
situm ac promissum, *in Christo Jesu,* in
quo et per quem vocati sumus ad bravi-
um istud, per cujus etiam gratiam illud
acquirimus. Bravium autem est quoddam
præmium victoribus datum. Debemus au-
tem semper ad hoc bravium tendere, ita ut I Cor. IX, 24.
omne quod agimus vel patimur, ad æter-
næ adeptionem beatitudinis ordinemus.
B *Quicumque ergo perfecti sumus,* id est, 15
secundum exigentiam et possibilitatem hu-
jus fragilis vitæ ad caritatis atque virtu-
tum sinceritatem venerimus, passionibus
reformatis et inimicis vere dilectis, prout
Salvator hortatur : Estote perfecti sicut et Matth. V, 48.
Pater vester cœlestis perfectus est ; *hoc
sentiamus* quod ego jam dixi, videlicet
quod nondum apprehendimus perfectio-
nem completam, eamque adipisci cone-
mur. *Et si quid aliter sapitis,* id est, si
sic sapiendum seu sentiendum esse non
C æstimatis ut dixi, nolentes vos penitus
humiliare, *et hoc vobis Deus revelabit* esse
erroneum, vel nunc per divinæ illustra-
tionis gratiam, vel in futuro per pœnarum
experientiam. Vel sic : Si quid aliter sa-
pitis, id est, si alios modos proficiendi
noveritis, et hoc vobis Deus revelabit, id
est, hanc notitiam Deus dabit, eamque
perficiet. *Verumtamen ad quod perveni-* 16
mus, id est in gradu perfectionis quem
bene vivendo attigimus, stemus et profi-
ciamus, *ut idem sapiamus* in his quæ ad
D salutem exiguntur, et fidem concernunt,
et in eadem permaneamus regula, id est
in pari rectitudine vitæ, seu in eadem le-
ge et gratia nos regulante.
Imitatores mei estote. In superioribus 17
Apostolus proposuit se in exemplum ;
nunc admonet ad se imitandum, dicen-
do : Imitatores mei estote, o *fratres,* id
est, conformate vos mihi in præinductis
virtutibus, atque in omni opere virtuoso,
et observate, id est, solerter attendite et
sequi curate, *eos qui ita ambulant sicut*

habetis formam nostram, id est virtuosos A
qui taliter conversantur sicut ego vobis
verbo et opere manifestavi esse viven-
Matth. VII, 16. dum. Alios autem cavete. A fructibus enim
eorum cognoscetis, an juxta formam vi-
tæ nostræ conversentur, et imitatione sint
condigni.
18 *Multi enim ambulant* per vitiorum
abrupta, et vias perversas de quibus Sa-
Prov. IV, 19. lomon : Via, inquit, impiorum tenebrosa,
nesciunt ubi corruunt. Qui et in die ju-
Sap. V, 7. dicii dicent illud Sapientiæ : Lassati su-
mus in via iniquitatis et perditionis, et B
ambulavimus vias difficiles. De quibus ait
Matth. VII, 13. Christus : Lata et spatiosa est via quæ du-
cit ad mortem, et multi vadunt per eam.
Quos sæpe dicebam vobis, dum eram vo-
biscum (*nunc autem et flens* ex compas-
sione eorum et dolore, quia tot fallunt,
dico, id est, nomino eos), *inimicos crucis*
Christi, id est Christi crucifixi, quoniam
contra ejus doctrinam et jussa, legalia
19 prædicant et vitiis subjacent. *Quorum fi-*
nis, id est mors, erit *interitus,* id est in-
gressus seu via æternæ damnationis, quam C
statim quum moriuntur, incurrunt. *Quo-*
rum deus venter est, id est, delectationi-
bus gulæ ita insistunt quasi in repletione
ventris salus consisteret. Unde ventrem
suum plus colunt quam Deum. Quod au-
tem quis maxime colit, hoc deus ejus as-
seritur. De quibus Judas in sua testatur
Judæ 12, 13. Canonica : Hi sunt in epulis convivantes
sine timore, semetipsos pascentes, quibus
procella tenebrarum conservata est usque
in æternum. *Et gloria* horum vana, qua
in vitiis istis, vel in cærimonialibus legis D
exsultant, erit *in confusione ipsorum,* id
est, confusibilis erit eis et inhonesta co-
ram divino judicio : unde per Prophetam
Osee IV, 7. Dominus protestatur, Gloriam eorum in
ignominiam commutabo ; *qui terrena sa-*
piunt, id est, in carnalibus potius quam
in spiritualibus delectantur.
Nostra autem conversatio in cœlis est, 20
per contemplationem et desiderium bono-
rum cœlestium. Nunc enim nostra conver-
satio in cœlis est per spem, jugem in-
tentionem, et ratione objecti seu termini
motus, quod est in cœlo, videlicet Deus
et æterna felicitas. Anima namque, se-
cundum Augustinum, verius est ubi amat,
quam ubi animat. Denique, Ubi thesaurus *Matth.* VI, 21.
tuus, ibi et cor tuum. Eorum itaque con-
versatio est in cœlis; qui omnia tempo-
ralia atque carnalia transcendentes, cœli-
formem et angelicam vitam ducunt in
terra, illi uni quod solum necessarium est, *Luc.* X, 42.
tota mente intenti. *Unde etiam Salvato-*
rem exspectamus cum magna securitate,
videlicet *Dominum nostrum Jesum Chri-*
stum venturum ad universale judicium.
Qui enim in cœlis conversationem jam
habent, quamvis adhuc viatores sint, se-
cure præstolantur Christi adventum. *Qui* 21
reformabit, id est, ad pristinam formam
reducet ac suscitabit in die judicii, *cor-*
pus humilitatis nostræ, id est corpus is-
tud passibile, in quo dejectionem tribu-
lationemque patimur : quod etiam nobis
occasio est ad humiliandum nos ipsos,
pensantes quod pulvis sumus. Sic autem *Gen.* III, 19.
reformabit illud, quod erit *configuratum*
corpori claritatis suæ, id est, simile erit
corpori Christi glorificato. In tali etenim
corpore Sancti resurgent. Sic igitur faciet
Christus *secundum operationem,* id est
virtutem operativam, *qua possit etiam sub-*
jicere sibi omnia, id est de singulis ordi-
nare et facere quod sibi placuerit, hoc est
secundum divinam potentiam, per quam
reformatio ista complebitur. Subest enim *Sap.* XII, 18.
Deo, quum voluerit, posse, ut dicit Sa-
piens.

ARTICULUS IV

EXPOSITIO CAPITULI QUARTI : ITAQUE, FRATRES MEI CARISSIMI, ETC.

CONSEQUENTER, post exhortationes
præhabitas consolatur Apostolus Phi-
1 lippenses. *Itaque,* id est, quoniam tantam
beatitudinem exspectamus et sortituri su-
mus, o *fratres mei carissimi,* secundum
appetitum superiorem seu intellectualem,
id est valde dilecti, quoad futuram feli-
citatem in patria, *et desideratissimi,* se-
cundum appetitum inferiorem ac sensiti-
vum, ordinatum et rationi subjectum, id
est valde a me desiderati, quoad mutuum
conspectum in hac vita : propono enim
venire ad vos ; *gaudium meum* materia-
liter, id est, de quorum profectu et gratia
gaudeo, *et corona mea,* id est augmentum
gloriæ meæ in patria, quoniam omnium
meritorum vestrorum sum particeps tan-
quam institutor vester ac doctor ; *sic sta-
te in Domino, carissimi,* id est, constantes
atque immobiles estote in Deo, adhæren-
do justitiæ sicut et ego, ut dicere valeatis
Job xxvii, 6. illud Job : Justificationem quam cœpi te-
2 nere, non deseram. *Evodiam rogo et Syn-
tychen deprecor id ipsum sapere,* id est
idem sentire cum aliis sanctis, *in Domi-
no.* Has duas devotas matronas exprimit
nominatim, quia spectabilis erant vitæ, et
fidelibus necessaria ministraverunt.
3 *Etiam rogo et te, Germane compar,* id
est, adjutor et socius meus. Est autem
Germanus nomen proprium viri, qui in-
ter Philippenses egregius fuit. *Adjuva il-
las,* id est, præfatas feminas conforta in
bono, *quæ mecum laboraverunt in Evan-
gelio,* id est in prædicatione evangelicæ
veritatis : non utique prædicando, quo-
I *Tim.* ii, 12. niam mulierem docere non permitto, sed
mihi evangelizanti necessaria ministran-
do ; *cum Clemente,* id est etiam Clemen-
ti, *et ceteris adjutoribus meis* collabora-
verunt, ministrando necessaria eis, sicut
et mihi ; *quorum nomina* scripta *sunt in
libro vitæ,* id est, qui ad æternam beati-
tudinem præordinati sunt, ut confido, vel,
ut ex divina revelatione certo scio. Por-
ro, secundum Thomam in prima parte,
liber vitæ in Deo metaphorice dicitur.
Quemadmodum enim homo eos conscribit
qui ad se specialiter pertinent, sic dici-
tur Deus scripsisse electos qui ad eum
finaliter spectant. Unde ipsa electorum
conscriptio in mente divina, seu firma
eorum notitia in intellectu divino, liber
vitæ vocatur, qui aliud prorsus non est
nisi prædestinatio Dei. Quum autem dici-
tur liber vitæ, intelligendum est de vita
gloriæ. De hoc libro ait Salvator : Gaudete Cf. *Luc.* x, 20.
quod nomina vestra scripta sunt in libro
vitæ. Quod vero prædicti scripti fuerint
in libro vitæ, Paulus certo scire non po-
tuit nisi per revelationem divinam.

Præterea admonet Apostolus Philippen-
ses ad spiritualem ac jugem lætitiam. *Gau-* 4
dete in Domino semper, id est, in Deo
tanquam in objecto, videlicet in contem-
platione et dilectione Dei beneficiorumque
ejus, imo in omni eo quod Domino pla-
cet, spiritualiter exsultate, divinæ perfe-
ctioni, majestati ac beatitudini cordialiter
congaudendo, de beneficiis quoque ejus
nobis collatis sive promissis lætando, et
in omni actu virtuoso quo Deus honoratur
et colitur, delectando. Signum namque
virtutis, est delectatio operis, secundum
Philosophum. Semper autem gaudendum
est hoc modo, actu vel habitu, seu debi-
tis horis, vel in prosperis et adversis, sic-
ut alibi dicit Apostolus : Quasi tristes, II *Cor.* vi, 10.
semper autem gaudentes. Sed gaudium
istud, durante præsentis peregrinationis

exsilio, non excludit admixtionem omnis A
tristitiæ. Hoc gaudium fuit in Virgine glo-
Luc. I, 47. riosa, quæ cecinit : Exsultavit spiritus
meus in Deo salutari meo. Non ergo in
creaturis gaudendum est, nisi per relati-
onem ad Deum, in quantum earum usus,
amor, possessio, vel notitia manuducit ad
Deum. *Iterum dico,* ad excitandum ve-
stræ devotionis affectum, et meæ exhor-
tationis veritatem confirmandum, *gaude-
te* in Domino, modo præfato, servientes
ei hilariter, imo cum jubilo cordis.

5 *Modestia vestra* in verbis et factis, id est B
conversationis vestræ moderatio, discre-
tio, ordinatusque modus, *nota sit omnibus
hominibus,* id est, talis ac tanta sit, ut
omnibus innotescat per visum vel famam,
ad gloriam Creatoris, et proximorum ædi-
ficationem, sicut in Evangelio Dominus
Matth. V, 16. loquitur : Sic luceat lux vestra coram ho-
minibus, etc. *Dominus prope est,* id est
paratus ad succurrendum : imo per pie-
tatem et gratiam suam in vobis habitat.
Prov. VIII, 31. Unde et ipse testatur : Deliciæ meæ esse
Apoc. III, 20. cum filiis hominum. Et rursus : Ego sto C
ad ostium et pulso ; si quis aperuerit mi-
hi januam, intrabo ad illum et cœna-
bo cum eo. In omnibus quoque est Deus
per essentiam, præsentiam atque poten-
Act. XVII, 28. tiam. In ipso etiam vivimus, movemur et
sumus. Denique, prope est Deus orantibus
Ps. CXLIV, 18. et afflictis, juxta illud : Prope est Domi-
Ps. XC, 15. nus omnibus invocantibus eum ; et, Cum
ipso sum in tribulatione. Intus est dili-
I Joann. IV, 16. gentibus, sicut ait Joannes : Qui manet
in caritate, in Deo manet, et Deus in eo.
Prov. XV, 29. Longe est ab impiis, prout in Proverbiis D
legitur. Propter quod per Jeremiam di-
Jer. XV, 1. cit : Non est anima mea ad populum
istum.

6 *Nihil solliciti sitis :* id est, quum Do-
minus prope sit, de nulla re angustiari,
seu inordinatam curam habere debetis ;
Matth. VI, 33. sed primo quærite regnum Dei, et omnia
necessaria adjicientur vobis. Unde et Pe-
I Petr. V, 7. trus : Omnem, inquit, sollicitudinem ve-
stram projicientes in Deum, quoniam ip-
Matth. VI, 34. si cura est de vobis ; et Christus, Nolite
solliciti esse in crastinum. Omnia hæc
de inordinata atque superflua cura, quæ
ad diffidentiam quodammodo pertinet, as-
seruntur : de qua Salomon dicit, Spes Prov. XI, 7.
sollicitorum peribit. Verumtamen, sicut
frequenter præhabitum est, est quædam
sollicitudo spiritualis ac ordinata, quæ est
diligens animi vigilantia circa bona ho-
nesta aut necessaria : quam sæpe com-
mendat præcipitque Scriptura, ut est is-
tud, Custodi temetipsum et animam tuam Deut. IV, 9.
sollicite ; item, Solliciti servare unitatem Ephes. IV, 3.
spiritus in vinculo pacis.

*Sed in omni oratione et obsecratione
cum gratiarum actione, petitiones vestræ
innotescant apud Deum.* Hic ponuntur qua-
tuor partes orationis vel species, quarum
distinctio est. Oratio enim est simplex
precatio, quæ est de facilioribus impe-
trandis. Obsecratio est invocatio Dei cum
commemoratione sacrorum seu divinorum,
quorum virtute aut merito aliquid impe-
trare optamus : sicut quum dicimus, Per
passionem tuam, vel, Propter bonitatem
tuam, exaudi nos. Estque obsecratio pro
difficilioribus obtinendis, ut est justifica-
tio impii. Petitio vero est invocatio Dei
pro bonis gratiæ, quæ ordinantur ad bona
gloriæ. Alibi quoque ponit Apostolus aliud
genus orationis, quod dicitur postulatio, I Tim. II, 1.
quæ est pro bonis patriæ. Sæpius tamen
unum istorum pro alio sumitur. Hortatur
ergo Apostolus, ut petitiones nostræ fa-
ctæ in omni, id est quacumque, oratione
et obsecratione et gratiarum actione, ex
tanta puritate, attentione et fervore men-
tis procedant, quatenus apud Deum in-
notescant, id est a Deo attendantur, et per
acceptationem noscantur, atque ab ange-
lis sanctis ei præsententur, quemadmo-
dum in Actibus angelus ait Cornelio : Ora- Act. X, 4.
tiones tuæ et eleemosynæ ascenderunt in
memoriam in conspectu Dei. Et in Para-
lipomenon libro scriptum est, quod Isaias II Par.
et Ezechias vociferati sunt usque in cœ- XXXII, 20 ; XXX, 27.
lum contra Sennacherib, pervenitque ora-
tio eorum ad habitaculum sanctum Dei.

Et pax Dei increata, immensa, æterna, 7

id est Deus pacificus, *quæ* pax *exsuperat*
omnem sensum, id est, omnem intellectum
creatum, angelicum et humanum, omnem-
que gustum et experientiam ejus in in-
finitum excedit, *custodiat* effective *corda*
vestra, id est voluntates ab omni pra-
va affectione, *et intelligentias vestras,* id
est intellectum speculativum et practicum
omnium vestrum, ab omni errore, *in Chri-*
sto Jesu, id est per gratiam et meritum
Christi ; vel, In Christo Jesu, id est, ut
jugiter maneatis in ipso. Vel sic : Pax
Dei creata, videlicet tranquillitas mentis
a Deo infusa, quæ exsuperat omnem sen-
sum, quoad suam fontalem plenitudinem
seu plenam perfectionem ; vel, Exsuperat
omnem sensum viatorum, secundum quod
in patria habetur ac degustatur ; custodi-
at formaliter corda vestra et intelligentias
a perturbatione et inquietudine, quatenus
pax ista in vobis permaneat, et vitia sibi
opposita ab interioribus vestris excludat.
8 *De cetero, fratres, quæcumque sunt ve-*
ra veritate doctrinæ, vitæ aut justitiæ, *quæ-*
cumque pudica, id est verba et facta ca-
sta, lasciviam excludentia, *quæcumque* sunt
justa quoad proximum, *quæcumque san-*
cta quantum ad cultum divinum, *quæ-*
cumque amabilia, id est, quæ inducunt
ad mutuam amicitiam, *quæcumque bonæ*
famæ, id est, quæ bonam famam pariunt
et conservant, *si qua virtus,* id est, quia
est aliqua virtus moralis, intellectualis et
theologicalis vobis necessaria, *si qua laus*
disciplinæ, id est, quia est aliqua disci-
plina morum, laudabilis scilicet compo-
sitio motuum ac sensuum exteriorum ;
hæc cogitate assidue, non solum ut sciatis,
sed ut ea agendo seu obtinendo, virtuosi
9 salvique sitis, *quæ et didicistis* ex mea
prædicatione, *et accepistis* per cognitio-
nem intellectivam, *et audistis,* id est, ab
aliis percepistis ea esse *in me, et vidistis*
per experientiam hoc verum esse. *Hæc*
opera virtuosa *agite, et Deus* dator, ama-
tor et conservator *pacis* internæ, *erit vo-*
biscum quotidie per gratiam ampliorem.
Insuper congratulatur Apostolus libera-

A litati Philippensium, non principaliter ob
proprium emolumentum, sed propter il-
lorum caritatem ac meritum. *Gavisus sum* 10
autem in Domino vehementer, quoniam
tandem aliquando, id est post tempora
longa, *refloruistis,* id est, more arboris
iterum floruistis, seu fructuose viguistis
et convaluistis, *pro me sentire,* et meæ
inopiæ compati atque succurrere, *sicut et*
ante *sentiebatis* pro me. *Occupati autem*
eratis negotiis aliis : idcirco excusabiles
estis de tanta dilatione refloritionis istius.
B *Non quasi propter penuriam dico,* id est, 11
non ex necessitudine paupertatis meæ hæc
assero, ut sustentetur a vobis. *Ego enim*
didici, per gratiam Dei et consuetudinem
exercitii mei, *in quibus sum, sufficiens*
esse, id est, quid mihi sufficiat. Natura
quippe paucis minimisque contenta est.
Scio et humiliari, id est actum humili- 12
tatis, tribulationis seu paupertatis prom-
pte et discrete exsequi, *scio et abundare,*
id est in abundantia temporalium non ex-
cedere *(ubique et in omnibus* exercitiis
C virtutum *institutus,* id est bene instru-
ctus, *sum) :* sciens videlicet *et satiari* sine
immoderantia, *et esurire* sine impatien-
tia, *et abundare,* non tamen cor rebus
caducis apponere, *et penuriam pati* in vi-
ctu ac vestibus sine tristitia. *Omnia* hæc 13
possum, non propriis viribus, sed *in eo*
qui me confortat, id est per adjutorium
Christi. *Verumtamen bene fecistis :* id est, 14
quamvis donis vestris possem carere, ta-
men bene et caritative egistis, *communi-*
cantes, id est eleemosynam vestram im-
D pertientes, *tribulationi meæ,* id est mihi
incarcerato atque afflicto.
Præterea præfert Apostolus Philippen-
ses aliis, quantum ad aliquid, quatenus
laudibus suis auditis, provocentur ad me-
liora. Virtus enim laudata, augetur in bo-
nis. *Scitis autem et vos, Philippenses, quod* 15
in principio Evangelii, id est illo tempo-
re prædicationis meæ evangelicæ, *quando*
profectus sum, id est recessi, *a Macedo-*
nia, verbo prædicationis illic dissemina-
to, *nulla mihi Ecclesia communicavit,* id

est, temporalia dedit, *in ratione dati et* A
accepti, id est in rationabili recompen-
satione temporalium, pro exhibitione spi-
ritualium quæ vobis communicavi : ratio-
I *Cor.* IX, 11-13; *Rom.* XV, 27. nis enim censura hoc dictat, ut spiritualia
bona præstanti seu dispensanti, tempora-
lia ministrentur ; *nisi vos soli :* in quo
declaratur gratitudo ac liberalitas vestra ;
16 *quia et Thessalonicam,* id est ad urbem
sic dictam, *semel et bis,* id est tribus vi-
cibus, vel semel et iterum, *in usum,* id
est ad utendum, *mihi misistis* temporalia
vestra, ut necessaria vitæ ex eis accipe-
17 rem. *Non quia quæro datum,* id est, non
ideo vos commendo quia munera vestra
requiro, *sed requiro fructum abundan-
tem,* id est meritum copiosum, *in ratione
vestra* jam dicta, videlicet in rationabili
recompensatione qua mihi temporalia pro
18 spiritualibus communicatis. *Habeo autem
omnia* quæ misistis, *et abundo* in eis, ita
ut aliis indigentibus ea communicem. *Re-
pletus sum* gaudio mentis et copia rerum,
acceptis ab Epaphrodito his *quæ misistis*
mihi, *odorem suavitatis,* id est, quæ sic
placent Deo ut odor suavissimus. Elee-
mosyna namque est hostia Deo gratissi-
ma. Ideo sequitur : *hostiam acceptam, Deo*
Hebr. XIII, 16. *placentem.* Unde ad Hebræos ait : Bene-
ficentiæ et communionis nolite oblivisci :
talibus enim hostiis placatur Deus.

Deus autem meus impleat, id est, exau- 19
diat et operi mancipet, *omne desiderium
vestrum* rationabile et sincerum, *secun-
dum divitias suas in gloria,* id est pie,
gratiose et copiose, secundum quod ipse
in se dives est in gloria, id est in beati-
tudine sua. Vel, Impleat desiderium ve-
strum in gloria, dando videlicet vobis glo-
riam sempiternam ; *in Christo Jesu,* id est
per Dominum Salvatorem, et per grati-
am seu meritum ejus. *Deo autem* per cre- 20
ationem, *et Patri nostro* per gubernatio-
B nem, videlicet summæ et incommutabili
Trinitati, sit *gloria in sæcula sæculorum.
Amen.*

Salutate, id est, salutem optate ac di- 21
cite, *omnes sanctos* ad vestram societatem
spectantes, *in Christo Jesu,* id est secun-
dum Christi doctrinam, vel ut in Christo
permaneant. *Salutant vos qui mecum sunt* 22
fratres, id est cooperatores ac socii mei.
Salutant vos omnes sancti in Urbe mo-
rantes, *maxime autem qui de domo Cæ-
saris sunt,* id est ministri Neronis quos
C converti, qui et specialem dilectionem ad
vos gerunt.

Gratia Domini nostri Jesu Christi sit 23
cum spiritu vestro, id est, in anima ve-
stra, perficiendo ejus essentiam. *Amen,*
id est, sic fiat atque præstetur vobis a
Deo sublimi et benedicto.

ENARRATIO
IN EPISTOLAM BEATI PAULI
AD COLOSSENSES

PROŒMIUM

QUI *corripit hominem, gratiam postea inveniet apud eum, magis quam ille qui per blandimenta decipit.* Prov. XXVIII, 23.

Quemadmodum invidus correctionem ejus non optat quem odit, sed naturæ ejus cupit malum simpliciter; sic verus dilector, ejus quem diligit, vitia dissimulare non valet, sed corripit, si tamen habeatur correctionis fiducia. Hinc itaque sanctus Apostolus, divini amoris calore atque fraternæ salutis zelo repletus, filios suos et filiorum suorum filios, ad veritatis lineam revocare nititur incessanter. Unde in præsenti epistola Colossensibus destinata, vacillantes confirmat. Denique Colossenses, ab urbe Colossis nomine sic vocati, sunt Asiani, quos ipse Paulus non accessit, neque instruxit, sed ejus discipuli Archippus Colossensium episcopus, et Epaphras ex Colossis oriundus. Prædicante ergo Archippo, et Epaphra (quem Paulus edocuit) superveniente, atque Archippi prædicationem confirmante, advenerunt pseudoapostoli, *Act.* XV, 1. asserentes legalia simul cum Evangelio observanda. Dubitantibus ergo Colossensibus utri partium potius esset credendum, Apostolus tanquam mediator idoneus, scribit quid oporteat fieri. Scribit autem ab Epheso per Tychicum diaconum, Onesimum acolythum. Modus procedendi hujus epistolæ, similis est aliarum epistolarum processui. Nam salutationem præmittit, de profectu et gratia Colossensium grates Domino refert, ad perfectiora hortatur, atque pro eis suppliciter deprecatur.

ENARRATIO

IN EPISTOLAM BEATI PAULI

AD COLOSSENSES

ARTICULUS PRIMUS

EXPOSITIO CAPITULI PRIMI : PAULUS APOSTOLUS JESU CHRISTI, ETC.

1 P*AULUS apostolus Jesu Christi per* A
voluntatem Dei, id est divina volun-
tate constitutus apostolus. *et Timotheus*
frater : quem propter suam auctoritatem
connectit sibi Apostolus : erat enim Ephe-
2 siorum episcopus. Hi itaque scribunt *his*
qui sunt Colossis, id est in civitate sic
dicta, *sanctis et fidelibus fratribus,* id est
veraciter christianis, qui implere conan-
Matth. v, 48. tur illud Salvatoris : Estote perfecti sicut
et Pater vester cœlestis perfectus est; *in*
Christo Jesu, id est in doctrina et fide
Christi. Illas enim servando et operando, B
3 sancti et fideles fuerunt. *Gratia* gratum
faciens *vobis et pax,* id est tranquillitas
mentis, præstetur et conservetur *a Deo*
Patre nostro, id est in cœlis Patre æter-
no, *et* a *Domino Jesu Christo :* qui se-
cundum divinam naturam, est causa gra-
Joann. v, 19. tiæ effectiva ac principalis. Quæcumque
enim facit Pater, hæc et Filius similiter
facit. Secundum humanam vero naturam,
est causa gratiæ meritoria, instrumentalis
ac mediata.

Gratias agimus Deo et Patri Domini C
nostri Jesu Christi, id est Patri æterno :
qui est Deus Christi, ut homo est; pater
vero, secundum divinam naturam quam
habet a Patre ; *semper,* id est congruis
horis, *pro vobis orantes ; audientes fidem* 4
vestram fundatam ac fixam *in Christo*
Jesu, et dilectionem, id est habitum, ac-
tum interiorem, et opera caritativa, *quam*
habetis extentam *in omnes sanctos,* id est
universos veraciter christianos, quibus
pro loco et tempore, secundum vestram
possibilitatem, benefacitis, spiritualia vel
corporalia beneficia impendendo, *propter* 5
spem, id est beatitudinem speratam, *quæ*
reposita, id est parata, *est vobis in cœlis,*
quam audistis, id est, quæ vobis prædi-
cata est, *in verbo veritatis,* id est in vero
sermone, *Evangelii, quod pervenit ad vos,* 6
id est, vobis annuntiatum est, *sicut et in*
universo mundo est, id est, cunctis gen-
tibus evangelizatum est sicut et vobis :
sic tamen, ut sit distributio, non pro sin-
gulis generum, sed pro generibus singu-
lorum. Unde et Apostolis aiebat Salvator :
Euntes in mundum universum, prædicate *Marc.* xvi, 15.
Evangelium omni creaturæ; et Psalmista,
In omnem (inquit) terram exivit sonus *Ps.* xviii, 5.
eorum. *Et fructificat, et crescit :* id est,
evangelica doctrina in credentibus est cau-

sa fructificationis et spiritualis incremen-
ti, videlicet bonorum operum, et quoti-
diani profectus in gratia. Crescit quoque
per hoc, quod pluribus annuntiatur, a qui-
bus et devote recipitur. *Sicut in vobis*
fructificavit et crevit, *ex ea die qua au-*
distis et cognovistis gratiam Dei, id est
beneficia gratiæ vobis a Christo exhibita,
in veritate, id est veraciter, vel in veri-
7 tate evangelicæ legis; *sicut didicistis ab*
Epaphra confirmante prædicationem Ar-
chippi, *carissimo conservo nostro, qui est*
fidelis pro vobis, id est pro vestra salute
procuranda, *minister Jesu Christi,* ejus
doctrinam vobis annuntiando, ipsumque
8 pro vobis jugiter exorando; *qui etiam*
manifestavit, id est, clare retulit, *nobis*
dilectionem vestram exsistentem *in spi-*
ritu, quia a Spiritu Sancto infunditur,
conservatur, et secundum eum operatur;
est quoque in spiritu vestro, id est in
superiori parte animæ vestræ, ut in sub-
jecto.
9 *Ideo et nos ex qua die audivimus* tanta
bona de vobis, *non cessamus* opportuno
tempore, *pro vobis orantes* cordiali affectu,
et postulantes prece vocali, *ut impleamini*
agnitione voluntatis ejus, id est, divini-
tus copiose illustremini ad cognoscendum
quid velit Deus, ut sciatis et attendatis
ejus mandata atque consilia. Quid vero sit
ita impleri, et quomodo fiat, subjungitur:
in omni sapientia sacræ Scripturæ, id est,
quam Scriptura divinitus inspirata pro-
ponit ac docet, *et intellectu spirituali,* id
est interna, vera seu mystica intelligen-
II Cor. III, 6. tia Scripturarum, quatenus litteram occi-
dentem spiritualiter intelligatis: spiritus
10 quippe vivificat; *ut ambuletis* in semitis
præceptorum *digne Deo,* id est tam re-
verenter, sancte et perfecte, quam decet
tanto principi deservire, atque ut eum
Jer. XLVIII, 10. pro præmio mereamini possidere. Maledi-
ctus enim qui facit opus Dei negligenter.
Per omnia, id est in interioribus et exte-
Jacob. II, 10. rioribus, *placentes* Domino Deo. Nam si
quis totam legem impleverit, offendat au-
tem in uno, factus est omnium reus. Cui

A et illud quoque Sapientis consonat: Qui *Eccle.* IX, 18.
in uno peccaverit, multa bona perdet. *In*
omni opere bono fructificantes, proficien-
do in meritis; *et crescentes in scientia*
Dei, id est in notitia divinorum: de qua
ait per Prophetam, Scientiam Dei volui *Osee* VI, 6.
magis quam holocausta; itidem et Sapi-
ens, Vani sunt, inquit, omnes homines *Sap.* XIII, 1.
quibus non subest scientia Dei. Denique
hæc est vita æterna, ut cognoscamus Deum *Joann.* XVII, 3.
verum.
Possunt quoque per prædictam sapien-
B tiam, intellectum, atque scientiam, intel-
ligi tria dona Spiritus Sancti, de quibus
apud Isaiam legitur: Requiescet super *Is.* XI, 2.
eum spiritus sapientiæ et intellectus, etc.
Sicque sapientia appellatur habitualis no-
titia supernaturalis, a Spiritu Sancto in-
fusa ac saporosa, per quam anima sorti-
tur rectum judicium de divinis, habendo
connaturalitatem quamdam cum eis per
gustum ac dilectionem. Intellectus vero
est donum Spiritus Sancti per quod ani-
ma ea quæ fidei sunt penetrat, clare co-
C gnoscit, et firmiter eis inhæret, cernendo
aliquam rationem propter quam assenti-
endum est articulis seu testimoniis fidei.
Porro scientia est donum quo anima re-
cte judicat de rebus creatis. Hæc autem
prout dona sunt, non inveniuntur nisi in *Sap.* I, 4.
habentibus caritatem et gratiam, sicut nec
cetera dona Spiritus Sancti. Et juxta hunc
modum littera sic exponetur: In omni,
id est perfecta, sapientia quæ est præstan-
tissimum donum Spiritus Sancti, et intel-
lectu spirituali, id est dono intellectus
D a Spiritu Sancto infuso.
In omni virtute theologica, intellectu- 11
ali ac morali, *confortati:* optimum enim *Hebr.* XIII, 9.
est gratia stabiliri cor; *secundum poten-*
tiam claritatis ejus, id est secundum quod
Deus idoneus est ad confortandum vos
per claritatem gratiæ suæ; *in omni pa-*
tientia in adversis servata, *et longani-*
mitate, æquanimiter præstolando divina
promissa, *cum gaudio* mentis, ex actu
virtuoso manante.
Gratias agentes Deo Patri, qui dignos 12

nos fecit per merita Christi, gratiam Baptismi et cetera opera meritoria, quæ ipse in nobis producit, *in partem,* id est ad habendam participationem, *sortis Sanctorum,* id est hereditatis electorum, videlicet vitæ æternæ, quæ habetur *in lumine,* id est per lumen gloriæ, vel in claritate visionis divinæ. De qua sorte ait Psalmista : Dominus pars hereditatis meæ. (*Ps.* xv, 5.) Qui etiam de lumine isto testatur : In lumine tuo, inquiens, videbimus lumen. (*Ps.* xxxv, 10.) Hæc autem hereditas dicta est sors, quia divinæ voluntatis electione, non humana provisione distribuitur, quemadmodum sortes dicuntur temperari atque disponi a Deo. (*Prov.* xvi, 33.)

13 *Qui eruit* * *nos* per incarnationem, conversationem ac passionem unigeniti Filii sui, *de potestate tenebrarum,* id est a dominio dæmonum, a jugo peccati et tenebris ignorantiæ, *et transtulit in regnum,* id est in societatem Ecclesiæ militantis, seu numerum electorum. Quæ Ecclesia dicitur regnum Christi, qui in corde fidelium regnat per fidem et gratiam. De quo regno aiebat angelus : Regnabit in domo Jacob in æternum (*Luc.* i, 32.); et Isaias, Super solium David, et super regnum ejus sedebit. (*Is.* ix, 7.) Nunc quoque translati sumus in regnum cœlorum in spe, transferendi illuc tandem in re. Transtulit itaque nos Deus Pater in regnum *Filii dilectionis suæ,* id est Filii sui dilecti, de quo ait : Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite. (*Matth.* xvii, 5.) Ex hoc elucescit, quod dilectio in divinis, non solum notionaliter seu relative, sed etiam absolute dicatur. Alias Filius Dei a Spiritu Sancto diceretur procedere. De prædicta autem ereptione et translatione generis humani, Pater ait per Prophetam ad Filium : Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris. (*Is.* xlii, 6, 7.)

* eripuit

14 *In quo* Christo, id est per cujus sanguinis pretium, mortisque meritum, *habemus redemptionem* a jure et dominatione diaboli, *et remissionem peccatorum :* prout testatur S. Joannes in Apocalypsi : Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. (*Apoc.* i, 5.)

15 *Qui est imago Dei* Patris *invisibilis* visione corporali ac intellectuali, id est omnino incomprehensibilis comprehensione perfecta, sicut et Pater. Nemo enim novit Filium nisi Pater, nec Patrem quis novit nisi Filius. (*Matth.* xi, 27.) In patria tamen videtur per speciem, sed non perfecte ac plene comprehenditur. Dicitur autem Christus imago Patris perfecta, non imitativa ; naturalis, non artificialis ; plena, non participata, id est per omnia similis Patri. Propter quod ipse ait : Qui videt me, videt et Patrem. (*Joann.* xiv, 9.) Ad rationem autem imaginis duo requiruntur, videlicet similitudo in specie, vel saltem in signo speciei (quod maxime est figura in rebus corporeis), et processio. Oportet enim ut imago alicujus, sit ab eo cujus est imago. Filius autem in divinis generatur a Patre, in nullo distans ab eo. Dupliciter quoque dicitur esse imago alicujus in alio. Primo, sicut in re ejusdem naturæ, saltem secundum speciem, sicut imago regis est in filio ejus. Et ita Filius Dei vocatur imago Patris. Secundo, tanquam in re alterius generis, sicut imago Herculis est in lapide, et imago imperatoris in nummo. Sicque vocatur homo imago Dei, qui potius dicendus est factus ad imaginem Dei, quam ejus imago. *Primogenitus omnis creaturæ,* id est ante omnia creata æternaliter genitus, quemadmodum per Sapientem testatur : Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam. (*Eccli.* xxiv, 5.)

16 *Quia in ipso,* id est per ipsum, *condita sunt universa :* omnia enim per ipsum facta sunt, ait Evangelista. (*Joann.* i, 3.) Vel, In ipso, tanquam in exemplari principio, condita, id est creari disposita, sunt universa. Filius quippe est ars rationibus plena, omnisque creaturæ exemplar. Propter quod omnia in ipso exemplariter præexsistunt, æternaliterque a Patre præordinata atque prævisa sunt. Comparantur namque creaturæ ad ipsum, sicut artificiata ad artificem, juxta illud Sapientiæ : Omnium est (*Sap.* vii, 21.)

enim artifex, omnem habens scientiam. A
Omnia ergo in ipso sunt condita, *in cœlis*
et in terra, videlicet *visibilia,* ut corpora
cœlestia, elementa passiva et mixta, *et in-*
visibilia, de quibus adjectum est : *sive*
Throni, id est angeli de infimo choro pri-
mæ et summæ hierarchiæ angelicæ. Qui
Throni, id est sedes, vocantur, quoniam
propter magnam suam propinquitatem ad
Deum, ipse in eis sedere, quiescere, præ-
sidere, et per eos sua judicia exercere as-
seritur. *Sive Dominationes, sive Princi-*
patus, sive Potestates. Hos tres ordines
Ephes. I, 21. angelorum nominavit Apostolus ad Ephe-
sios : de quibus ibi satis dictum vide-
tur. Et quia hoc loco præponit Apostolus
Principatus Potestatibus, Gregorius et Ber-
nardus opinati sunt, Principatus ad secun-
dam, Potestates vero ad infimam perti-
nere hierarchiam. *Omnia per ipsum* sicut
per causam efficientem, *et in ipso* tan-
quam in exemplari principio, *creata sunt,*
juxta intellectum jam dictum.

17 *Et ipse* Unigenitus Dei, *est ante om-*
nes, persistente æternitatis ævo atque in-
comparabili dignitate. Propter quod in
Apoc. XXII, 13. Apocalypsi testatur : Ego sum Alpha et
Omega, primus et novissimus, principium
et finis. *Et omnia in ipso constant,* id est,
idealiter et causaliter in eo exsistunt, jux-
Joann. I, 3, 4. ta illud : Quod factum est, in ipso vita
erat. Vel, In ipso constant, id est, ipsius
divina potestate subsistunt, sustentantur,
fulciuntur, junctaque permanent, prout
Hebr. I, 3. Hebræis loquitur Apostolus : Portans om-
nia verbo virtutis suæ.

18 *Et ipse* Christus *est caput corporis Ec-*
clesiæ, id est corporis mystici quod est
Ecclesia. Quomodo autem intelligendum
In Ephes. I, 22, 23. sit hoc, diffuse tractatum atque exposi-
tum est. *Qui est principium* omnium re-
rum, id est creator universorum. Unde
Joann. VIII, 25. quum ei dixissent Judæi, Tu quis es? re-
spondit, Principium, qui et loquor vo-
bis. *Primogenitus ex mortuis,* id est in-
ter mortuos primus ad immortalem vitam
resurgens. Nam qui ante eum suscitati
fuerunt, rursus defuncti sunt. Ideo enim
ait Scriptura : Qui est testis fidelis, pri- Apoc. I, 5.
mogenitus mortuorum. Vel, Primogenitus
ex mortuis, id est inter mortuos suscitatos
primus dignitate. *Ut sit in omnibus* an-
gelis et hominibus; vel, In omnibus, id
est præteritis, præsentibus ac futuris ge-
nerationibus; *ipse primatum tenens,* id est
universorum princeps et caput exsistens,
sicut per Ecclesiasticum asserit : In omni Eccli. XXIV, 9, 10.
gente et in omni populo primatum tenui.
Habet enim in vestimento et in femore Apoc. XIX, 16.
suo scriptum : Rex regum et Dominus
B dominantium. Et hoc, merito :

Quia in ipso Christo prout est homo, 19
complacuit Deo Trinitati *omnem plenitu-*
dinem, id est plenam perfectionem scien-
tiæ ac virtutum, *inhabitare,* id est stabi-
liter permanere. Non enim ad mensuram Joann. III, 34.
dat Deus Spiritum homini Christo. Et vi- Ibid. I, 14.
dimus gloriam ejus, gloriam quasi Unige-
niti a Patre, plenum gratiæ et veritatis.
Vel, Omnem plenitudinem divinitatis, id
est veram atque perfectam divinitatem,
quemadmodum alio loco affirmat Aposto-
C lus : In ipso, inquiens, inhabitat omnis Coloss. II, 9.
plenitudo divinitatis corporaliter. Placuit
quoque Deo, *et per eum,* id est per Chri- 20
sti veneranda mysteria, *reconciliare* sibi
ipsi *omnia* genera hominum *in ipsum,* id
est ad hoc ut finaliter ad Deum conver-
tantur, sicut ad beatitudinis fontem ac
ultimum finem. Unde alibi dictum est :
Deus erat in Christo, mundum reconci- II Cor. V, 19.
lians sibi ; et in Isaia, Disciplina pacis Is. LIII, 5.
nostræ super eum, et livore ejus sanati
sumus. *Pacificans* Christus vel Trinitas
D per Christum, videlicet *per sanguinem*
crucis ejus, id est pretiosissimo sanguine
Christi in cruce effuso, *sive quæ in cœlis*
sunt, sive quæ in terris, id est cœlestia
et terrestria, utputa viatores et compre-
hensores de terra salvatos. Vel hoc ideo
dicitur, quoniam angelos concordavit ho-
minibus. Ipse siquidem est pax nostra, qui Ephes. II, 14.
fecit utraque unum. Propter quod a Pro-
pheta vocatur Pater futuri sæculi, et prin- Is. IX, 6.
ceps pacis. Et rursus per alium de Christo
prædictum est : Loquetur pacem gentibus. Zach. IX, 10.

21 *Et vos,* o Colossenses, *quum essetis ali-*
quando, scilicet tempore gentilitatis ve-
stræ, *alienati* a Deo per idololatriam, *et*
inimici sensu, id est intellectu, videlicet
male sentiendo de Deo, per varios errores
falsitatum fluctuando; vel, Sensu, id est
sensualiter (id est juxta sensuum ductum)
conversando; *in operibus malis,* id est vi-
22 tiis carnis : *nunc autem,* tempore gratiæ,
Christus *reconciliavit* vos Deo *in corpore*
carnis ejus, id est per ea quæ pertulit in
corpore suo, quod erat caro mortalis : id-
eo subditur, *per mortem,* id est per ejus
beatissimam passionem, qua vivificatus est
mundus; *exhibere,* id est ad hoc ut ipse
exhibeat, quantum in se est, vel certe ut
ipsi exhibeatis, *vos sanctos* in anima, *et*
immaculatos a vitiis cunctis, *et irrepre-*
hensibiles coram ipso, id est pure et re-
verenter vivendo in conspectu divino :
Ps. cxviii, 168. quemadmodum ait Psalmista, Servavi man-
data tua et testimonia tua, quia omnes viæ
meæ in conspectu tuo. Tales autem eri-
tis coram Deo, Christo vos præsentante
Patri æterno, vel per propriorum ope-
rum ac meritorum vestrorum exhibitio-
nem, quæ requiruntur ad obtinendam sa-
lutem. Qui enim creavit te sine te, id est
sine tua cooperatione, non justificabit te
sine te.
23 *Si tamen permanetis in fide fundati,*
firmiter integreque credendo, *et stabiles*
in ea per opera bona, *et immobiles a spe*
Evangelii quod audistis, id est ab ex-
spectatione futuræ beatitudinis promissæ
in Evangelio, *quod prædicatum est* in au-
ribus vestris per nos Apostolos aliosque
discipulos, *in universa creatura quæ sub*
cælo est, id est cunctis hominibus in ter-
ra degentibus, de quibus [Christus] aie-
Marc. xvi, 15. bat : Prædicate Evangelium omni creatu-
ræ; *cujus factus sum* Deo auctore *ego*
Paulus minister, id est prædicator.
24 *Qui nunc* in Epheso incarceratus, *gau-*
deo in passionibus, id est in tribulationi-
bus quas patior, *pro vobis,* id est pro ve-
stri confirmatione, *et adimpleo ea quæ*
desunt passionum Christi in carne mea.

A Non est per hoc intelligendum, quod pœnæ
quas Christus pro nobis sustinuit, incom-
pletæ vel insufficientes fuerint ad mundi
salvationem, ita ut Paulus, aut quisquam
Sanctorum eas compleverit. Est igitur sen-
sus : *Et adimpleo,* id est, longas et duras
persecutiones ferendo, perficio *ea quæ de-*
sunt, id est merita imperfecta, *passionum*
Christi, id est propriarum afflictionum,
quas *in carne mea* sustineo. Quæ propter
unitatem Christi et membrorum ejus, di-
cuntur passiones Christi, juxta quod ipse
B dicebat : Saule, Saule, quid me perseque- Act. ix, 4.
ris? Juxta quem modum ait rursus per
Prophetam Deus : Qui tetigerit vos, tanget Zach. ii, 8.
pupillam oculi mei. Vel sic, quod redit
tamen in idem : Adimpleo ea quæ desunt
passionum Christi, id est passionum quas
Christi amore, exemplo, jussione seu or-
dinatione sustineo. De quibus in Actibus
dicebat Salvator : Ego ostendam illi quan- Act. ix, 16.
ta oporteat eum pro nomine meo pati.
— Hæc ergo sustineo sive adimpleo *pro*
corpore ejus, id est pro mystico corpore
C Christi, *quod est Ecclesia,* videlicet ut fi-
deles erudiam atque ædificem, eosque me-
rito et numero augeam. Considerandum
est enim, quod meritum passionis domi-
nicæ et aliorum Sanctorum, imo et cetera
opera supererogationis ipsorum, sunt vel-
ut res publica, ac thesaurus Ecclesiæ, de
quo tam largæ indulgentiæ fiunt his qui
per caritatem conjuncti et incorporati sunt
Christo ac Sanctis. Hic autem thesaurus
usque in finem mundi perficitur, ponen-
tibus singulis quibusque Sanctorum par-
D tes suas in eo. Sicque Apostolus adimple-
vit ea quæ deerant passionum suarum,
quoniam addidit quotidie aliquid huic
thesauro.
Cujus Christi vel Ecclesiæ *factus sum* 25
ego minister, prædicando et sacramenta Ephes. iii, 7.
erogando, *secundum dispensationem Dei,*
id est divinam ordinationem seu aposto-
latum mihi divinitus dispensatum; *quæ*
dispensatio *data est mihi in vobis,* id est
ad hoc ut vobis evangelicam veritatem
annuntiem, *ut impleam,* id est, prædican-

do ad effectum perducam, *verbum Dei*, id
est divinam promissionem qua Deus Pa-
triarchis Vatibusque promisit Evangelium
Dei esse gentibus annuntiandum, et eas
fore salvandas per fidem et gratiam Dei,
Is. LXVI, 19. quemadmodum per Isaiam loquitur : Mit-
tam ex eis qui salvati fuerint, ad gentes
in mare, in Africam et Lydiam, tenentes
sagittam, in Italiam et Græciam, ad insu-
las longe; et annuntiabunt gloriam meam
gentibus. Et quia dispositio, promissio,
seu verbum illud, multum mirabile fuit
atque occultum, ideo subditur :
26 *Mysterium*, id est sacrum secretum, vi-
delicet verbum præfatum, *quod abscondi-
tum fuit*, id est hominibus ignotum, *a
sæculis*, id est a principio sæculorum, *et* a
generationibus præcedentibus : non enim
nisi paucis innotuit, et hoc, incomplete.
De pleniori autem intellectu hujus scri-
pturæ multa sunt ad Ephesios dicta, ubi
Ephes. III, 4, 5. quoque legitur : Mysterium Christi, quod
aliis generationibus non est agnitum filiis
hominum, sicut nunc revelatum est san-
ctis Apostolis, etc. Unde jam subditur :
nunc autem, videlicet tempore gratiæ, *ma-
nifestatum est* mysterium istud per Christi
prædicationem et Spiritus Sancti illustra-
tionem, *sanctis ejus*, id est Apostolis et
ceteris et primitivæ Ecclesiæ filiis, per
quorum prædicationem manifestatum est
27 ceteris populis, *quibus voluit Deus notas
facere divitias gloriæ*, id est abundantem
gloriam, *sacramenti hujus*, id est prædi-
cti mysterii prædicati, *in gentibus*, id est
inter gentes. In quo mysterio plurima spi-
ritualia contenta sunt dona, quæ appel-
lantur divitiæ gloriæ, utputa fides, indul-
gentia, reconciliatio, justitia, dona Spiritus
Sancti, beatitudo futura.

A *Quod* sacramentum *est Christus* mate-
rialiter, id est, Christus materia seu ob-
jectum est sacramenti istius, quia de ipso
tractat et loquitur, qui est *in vobis spes
gloriæ*, id est causa et ratio sperandi glo-
rificationem beatam; *quem nos annunti-* 28
amus, id est, gentibus prædicamus, *cor-
ripientes omnem hominem* præsentem et
futurum, ad quem scripta nostra perve-
nerint, id est quosdam de omni genere
hominum; vel, Omnem hominem, veritati
fidei repugnantem; *et docentes omnem ho-
*B *minem*, id est quosdam de omnibus, *in
omni sapientia* Scripturarum sanctarum
ad salutem necessaria, *ut exhibeamus om-
nem hominem perfectum in Christo Jesu*,
id est in fide, caritate et obsequio Christi,
secundum exigentiam status præsentis :
in quo nullus est perfectus simpliciter, vel
ita ut ultra proficere aut perfici nequeat;
sed sic, ut sine mortali vivat peccato, et
passiones habeat reformatas, atque in vir-
tutibus stabiliatur.
In quo Christo, id est cujus amore; vel, 29
C in quo negotio consummando, videlicet
ut exhibeam omnem hominem in Christo
perfectum; *et laboro* die ac nocte, *certan-
do* contra invisibiles ac visibiles hostes,
secundum operationem, id est confortati-
onem et influentiam, *ejus*, videlicet Chri-
sti, *quam operatur in me*, dando mihi
auxilium gratiæ suæ ad efficaciter ope-
randum; vel, Secundum operationem ejus
in me, id est secundum operationem a me
procedentem, quæ potius adscribenda est
Christo quam mihi, juxta illud propheti-
D cum, Omnia opera nostra operatus es in *Is.* XXVI, 12.
nobis : quam operatur Christus in me *in
virtute*, id est potenter seu propria sua
divinaque potestate.

ARTICULUS II

ELUCIDATIO CAPITULI SECUNDI : VOLO ENIM VOS SCIRE QUALEM SOLLICITUDINEM HABEAM PRO VOBIS.

COEPTAM in præcedenti capitulo exhortationem de vitandis cærimonialibus
legis, prosequitur Apostolus in isto capitulo, admonens Colossenses ut falsos ac
simulatos vitent doctores. Et ut sibi acquiescant facilius, manifestat quantum de
1 eorum salute sollicitetur. *Volo enim vos*
scire, ut amanti credatis, *qualem sollicitudinem habeam pro vobis, et pro his qui*
sunt Laodiciæ (quæ est civitas Asiæ), id est pro vestra Laodicensiumque salute, ne
ab impostoribus fallamini, a quibus præventi jam estis, *et quicumque non viderunt faciem meam in carne,* id est pro
ceteris universis fidelibus quibus ipse in propria persona non prædicavi neque ap-
2 parui. *Ut consolentur corda ipsorum,* id
est, ob hoc sollicitus sum, quatenus corda ipsorum consolationem recipiant ex allocutione mea per epistolas, quæ consolata
non sunt ex præsentia et immediata prædicatione mea ; et sitis *instructi,* id est
prudenter exercitati, *in caritate,* id est in actibus dilectionis Dei et proximi ; vel,
Instructi in caritate, id est de caritate Christi ad nos, ut sciatis et consideretis
quantum Christus dilexerit nos, qui ait :
Joann. xv, 13. Majorem hac dilectionem nemo habet,
quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Sitis quoque instructi, seu
per caritatis instructionem tendentes, *et in omnes divitias plenitudinis intellectus,*
id est perfectissimos habitus intellectua-
Is. xi, 2. les, ut impleamini donis sapientiæ et intellectus, consilii atque scientiæ, *in agnitionem mysterii,* id est ad hoc ut actualiter
consideretis mysterium, id est sacrum secretum, *Dei Patris et Domini nostri Jesu Christi :* per quod intelligi potest unitas Patris et Filii in essentia, et distinctio
in persona; vel ipsa incarnatio, quæ est mysterium Patris tanquam auctoris, et
Christi tanquam assumptoris vel exsecutoris.

In quo Christo *sunt omnes thesauri,* id 3
est copiosissima plenitudo, *sapientiæ* divinorum *et scientiæ* creaturarum *absconditi,* id est incomprehensibiliter exsistentes.
Christus namque secundum divinitatem,
est ipsa æterna atque immensa sapientia, Ps. cxlvi, 5.
cujus non est numerus, estque increata
scientia : cui convenit illud, O altitudo Rom. xi, 33.
divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ! Secundum humanitatem quoque assumptam,
repletus est sapientia in contemplatione divinorum, et scientia in speculatione creaturarum, præsertim quum anima Christi
præ universis Beatis, Divinitatem ac Trinitatem ab exordio suæ creationis clarius
vidit, et omnia illa cognoscit quæ cognoscit et Verbum, scientia visionis, id
est cuncta quæ unquam fuerunt, sunt aut erunt.

Hoc autem dico, ut nemo vos decipiat, 4
id est, fidei vestræ simplicitatem inficiat, *in sublimitate sermonis,* id est per verba
profunda secundum apparentiam, et fucata seu subtilia argumenta. Denique ista
admoneo : *Nam etsi corpore absens sum,* 5
id est a vobis distans loco ac corporali separatione, *sed spiritu,* id est mentis consideratione, *vobiscum sum,* tum quia de
vobis sæpius cogito, tum quia in spiritu prophetico quasi præsens inspicio quid
agatis : quemadmodum Eliseus præsens IV Reg. v, 26.
fuit quando Giezi accepit munera Naaman; *gaudens* in Domino de vestro profectu, *et videns,* id est cognoscens, *ordinem*

vestrum, id est vitæ vestræ ordinationem, I Cor. xiv, 40. quomodo omnia honeste et secundum ordinem fiunt in vobis, *et firmamentum ejus quæ in Christo est fidei vestræ,* id est stabilitatem seu robur fidei vestræ quam in Christo habetis.

Consequenter hortatur eos ad perseve-
6 rantiam ac profectum in bonis. *Sicut ergo accepistis Christum Jesum Dominum nostrum,* id est, sicut credendo cœpistis conversari in Christo, *in ipso ambulate,* id est, sic exinde in eo procedite, proficiendo semper in melius, per imitationem Matth. x, 22. vestigiorum Salvatoris. Sola namque per-
7 severantia coronatur. *Radicati,* id est firmiter fixi, per modum radicis terræ inhærentis, *et superædificati in ipso,* id est in doctrina et gratia Christi, ita ut sitis domus seu habitaculum Dei, cujus fundamentum sit Christus seu doctrina et gratia ejus. Unde Ephesiis dictum est : Ephes. ii, 20. Superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum. *Et confirmati in fide,* ut nec philosophicis rationibus, nec sensuum apparentiis, nec persecutionibus, recedatis a fidei sinceritate, *sicut et didicistis* ab Archippo ambulandum esse et standum in fide, qua nutante, tota virtutum structura vacillat, *abundantes in illo in gratiarum actione,* id est Deo copiose grates referendo.

Advertendum autem, quod triplici via conabantur perversi hos Colossenses subvertere, scilicet, per philosophiam, per legis allegationem, per simulatam sanctitatem. Hos processus Apostolus reprobat.
8 *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam,* id est scientiam naturalem, studio philosophorum inventam, *et inanem fallaciam,* id est per argumenta sophistica, quæ videntur aliquid probare, sed non probant veraciter : philosophiam, inquam, procedentem ac judicantem *secundum traditionem hominum,* id est humanæ rationis discursum, *secundum elementa hujus mundi,* id est juxta ea quæ naturaliter apparent in rebus, videlicet secundum causas naturales et elementares, et solitum cursum rerum, *et non secundum Christum :* id est, deceptores isti atque philosophi, non secundum Christi doctrinam procedunt, considerando divinæ virtutis illimitatam potentiam, non determinatam ad naturalem ac solitum cursum seu ordinem rerum, sed supernaturalia et nobis incomprehensibilia operari valentem. In quo declaratur philosophorum fatuitas, asserentium Deum non posse aliquid agere præter naturalem ordinem rerum, et ultra humanæ rationis capacitatem. Propter quod negabant quidquid rationem excedit, videlicet Deum incarnatum, virginem peperisse, etc. — Cur autem his qui non procedunt secundum Christum, debeat contradici, subjungitur :
quia in ipso, id est in Christi humana 9
natura quasi in templo, *habitat omnis plenitudo divinitatis,* id est perfecta veraque divinitas cum omni sua perfectione. Personaliter enim in Christo unitæ sunt natura divina et humana. Habitat autem in ea *corporaliter,* id est, corpori ejus vere ac immediate conjuncta est, sicut et animæ ejus, non quod ipsa sit corpus. Porro divinitas dicitur sic unita, quoniam persona Verbi, quæ est divinitas, humanitati conjuncta est.

Deinceps ostendit Apostolus vanam esse rationem eorum qui per legis allegationem nitebantur Colossenses subvertere, in-
ducendo eos ad cærimonialia legis. *Et es-* 10
tis in illo, id est a Christo prout Deus est, et per ipsum prout est homo, Dei ac hominum mediator, *repleti* gratia et I Tim. ii, 5. donis Spiritus Sancti, ita ut nequaquam indigeatis legalium observantia. Propterea scriptum est : De plenitudine ejus nos Joann. i, 16. accepimus omnes gratiam pro gratia. Ipse quoque propter nos egenus factus est, ut II Cor. viii, 9. ejus inopia divites essemus. *Qui* Christus, etiam secundum naturam assumptam, *est caput,* id est capitalis influxor, *omnis principatus et potestatis,* id est angelorum sanctorum : qui omnes a Christo homine purgantur, illuminantur ac per-
ficiuntur, secundum Theologum. *In quo,* 11

id est cujus virtute, operatione et gratia,
circumcisi estis circumcisione non manu-
facta, id est non carnali, legali ac litte-
rali, *in exspoliatione corporis carnis,* id
est amittendo particulam corporis quod
est caro, videlicet pellem præputii quæ in
illa circumcisione aufertur, *sed in circum-*
cisione Jesu Christi, id est, spirituali atque
a Christo facta circumcisione circumcisi
estis per expurgationem superfluitatis vi-
tiorum ac passionum vestrarum. De qua
Jer. iv, 4. circumcisione scriptum est : Circumcidi-
mini Domino, et auferte præputia cordium
Deut. x, 16. vestrorum ; et iterum alibi, Circumcidite
præputium cordis vestri, et cervicem ve-
12 stram ne induretis amplius. *Consepulti*
ei, videlicet Christo, *in Baptismo,* id est
in susceptione Baptismatis omnino vitiis
mortificati, sicut et Christi corpus in se-
pulcro mortuum erat naturali vitæ. Vel
hoc ideo dicitur, quoniam baptizati ter
tinguntur in aqua, quemadmodum Chri-
stus triduo erat in monumento ; et sicut
Christus de sepulcro ad immortalem vi-
tam surrexit, sic baptizati de sepulcro a
vitiorum corruptione ac vetustate liberati
ascendunt. Ideo subditur : *in quo* Christo
et resurrexistis a ruina peccati, *per fidem*
operationis Dei, id est per fidem quam
Deus operatur seu creat in vobis : sine
fide enim nemo spiritualiter surgit ; *qui*
Deus Pater vel Trinitas *suscitavit illum*
a mortuis tertia die.
13 *Et vos quum mortui essetis* spirituali-
ter, carentes vita gratiæ, *in delictis,* id
est propter peccata vestra quibus natu-
ralem legem reliquistis, *et præputio car-*
nis vestræ, id est propter carnalia vitia,
vel propter originale peccatum quod per
præputium traducitur, *convivificavit cum*
illo, id est, ad vitam gratiæ suscitavit,
quemadmodum Christum ad vitam natu-
ralem humanam reduxit, suscitando eum
a mortuis ; vel, Convivificavit cum illo,
id est, immortalitatem vobis jam dedit in
spe, quam Christo dedit in re. Capitis
namque præcessio, spes est membrorum.
Donans, id est, gratis et sine merito ve-
stro dimittens, *vobis omnia delicta* vestra
merito Christi, dummodo tamen meritum
illud vobis applicetur per fidem vel sa-
cramenta Ecclesiæ.
Delens ipse Christus, merito passionis 14
suæ, *quod adversum nos erat chirogra-*
phum decreti, id est memoriale seu lit-
teram humanæ transgressionis, qua homo
protoplastus prævaricatus est in paradiso *Gen.* iii, 6.
decretum, id est Dei præceptum. Hujus
enim transgressionis memor fuit Deus ad
puniendum, dæmon ad accusandum. Ha-
buitque diabolus quasi litteram testimo-
nialem reatus quem homo incurrit trans-
grediendo divinum præceptum, imo et tota
posteritas primi parentis. Christus vero
satisfaciendo pro peccatis nostris actuali-
bus ac originalibus, eripuit totum genus
humanum ab isto reatu, seu debito pœ-
næ pro peccato infligendæ. Et ita dele-
vit prædictum chirographum, quod contra
nos erat, quoniam erat testimonium fa-
ciens nos damnationi obnoxios. Quum ve-
ro peccatum dimittitur, dicimus Deum
oblivisci illius. Dæmon quoque non potest
de illo peccato accusationem efficacem
obtendere. *Quod* chirographum *erat con-*
trarium nobis : sicut jam dictum est. *Et*
ipsum tulit de medio, id est, ab universis
hominibus abstulit illud chirographum,
affigens illud cruci, id est, in sua pas-
sione illud occidens seu destruens, quan-
tum in se erat. Eripuit enim nos de pœna
pro peccato originali post hanc vitam in-
fligenda, dummodo ei ut capiti uniamur
per fidem et caritatem, quatenus virtus
suæ passionis redundet in nos tanquam
in membra ipsius.
Et exspolians principatus et potestates, 15
id est, dæmones superiores ac inferiores
privans præda quam ceperant, puta ani-
mabus seu hominibus quos suo dominio
subdiderant inducendo eos ad culpam.
De hac exspoliatione ait ipse Salvator :
Nunc princeps hujus mundi ejicietur fo- *Joann.* xii, 31.
ras ; et item, Ego, inquit, si exaltatus fu- *Ibid.* 32.
ero a terra, omnia traham ad me ip-
sum. Christus namque est qui domum

Matth. xii, 29. adversarii nostri ingressus est, fortemque A
armatum alligavit, ac vasa ejus diripu-
it. Propter quod jubetur per Prophetam
Is. viii, 3. Christus vocari, Accelera, spolia detrahe,
festina prædari. *Traduxit confidenter,* id
est, prædam hanc dæmoni ablatam Chri-
stus securissime transtulit in regnum su-
um, præsidens eis quibus præsidebat dia-
bolus. Nunc enim ponit eos in regno
Ecclesiæ militantis, postea autem ponet
eos (sicut jam plurimos posuit) in regno
Ecclesiæ triumphantis. *Palam triumphans,*
id est evidenter vincens, *illos,* id est dia- B
bolos, *in semetipso,* id est in proprii cor-
poris crucifixione ; vel, In semetipso, id
est in propria persona ad inferos descen-
dendo, et sanctos educendo, implens il-
Osee xiii, 14. lud propheticum : De manu mortis libe-
rabo eos, de morte redimam eos ; ero
mors tua, o mors, morsus tuus ero, in-
ferne.

Ex his concludit Apostolus principale
intentum, videlicet, quod non teneantur
fideles ad observationem legalium post
16 Christi passionem. *Nemo ergo,* id est, quum C
prædicta se ita habeant, nemo *vos judi-
cet,* id est, damnabiles asserat, *in cibo aut
in potu,* id est in usu victus, scilicet ob
id quod non discernatis inter cibos more
Judaico, *aut in parte diei festi,* id est ex
parte omissionis Judaicarum celebritatum,
videlicet *aut neomeniæ,* id est festi oc-
currentis in novilunio, *aut sabbatorum,* id
17 est ultimorum dierum hebdomadæ ; *quæ*
omnia *sunt umbra futurorum,* id est ob-
scura signa eorum quæ in novo Testa-
mento geruntur : prout alibi dicit Apo- D
Hebr. x, 1. stolus, Umbram habens lex futurorum
bonorum, non ipsam imaginem rerum ;
corpus autem Christi, id est, veritas per
illa significata, per Christum impletur, ad
eumque pertinet. Ideo Christi mysteriis
consummatis, quando in cruce dicebat,
Joann. xix, 30. Consummatum est, quando et velum tem-
Matth. xxvii, 51. pli scissum est, legalia cessaverunt, sicut
figura cessat adveniente re figurata.

Præterea agit Apostolus contra eos qui
per simulatam sanctitatem nitebantur sub-
vertere Colossenses. *Nemo vos seducat,* 18
volens, id est suadere contendens, *in hu-
militate et religione angelorum,* id est per
fictam humilitatem et apparentem religi-
onem, quibus angelis similis videtur, tan-
quam verus nuntius Dei, sicut et ange-
lus, *quæ non vidit,* id est observationes
legalium quæ non intellexit secundum
spiritualem et mysticam rationem, vide-
licet prout sunt signa futuri : hoc est,
cupiens probare hac circumventione le-
galia esse servanda : qui est *ambulans
frustra,* id est infructuose laborans, *in-
flatus sensu carnis suæ,* id est tumidus
et superbus intellectu carnali, carnaliter
intelligente legalia, et sensualitatem ac
imaginationem potius quam spiritualem
rationem sequente, sapiens in oculis pro- Is. v, 21.
priis ; *et non tenens caput,* id est Christo 19
non inhærens, *ex quo totum corpus,* id
est universa Ecclesia, *per nexus* fidei *et
conjunctiones* sanctæ dilectionis *submini-
stratum,* id est exhibitum, vel sibi invi-
cem subserviens, *et constructum,* id est
in unum redactum, hoc est spiritualiter
copulatum per fidem, spem, caritatem, et
opera atque obsequia pia, quibus uniun-
tur et unum mysticum corpus efficiuntur Rom. xii, 5.
fideles : quod corpus hoc modo compa-
ctum, *crescit in augmentum Dei,* id est
in magnitudinem spiritualem, videlicet in
incrementum virtutum per gratiam et ef-
ficientiam Dei.

Si ergo mortui estis cum Christo, id 20
est a vitiis mortificati ac purificati, sicut
et Christus semper a vitiis immunissimus
fuit : mortui, inquam, *ab elementis hu-
jus mundi,* id est ab inordinato affectu
et cultu sensibilium ac sæcularium re-
rum ; vel, Mortui cum Christo, id est, si
Christo adhærentes, separati estis ab ele-
mentis hujus mundi, id est a lege, ejus-
que cærimonialibus præceptis, in quibus
est institutio puerorum, mundana quæ-
rentium. In lege namque quasi in ele-
mentis alphabeti, est litteralis ac puerilis
institutio. *Quid adhuc,* id est usque in
præsens, videlicet evangelica veritate jam

patefacta, *tanquam viventes in mundo,*
id est quasi sæcularem vitam ducentes,
non Deo viventes, *decernitis,* id est, de-
terminatis legalia esse servanda? dicentes
21 ad invicem : *Ne tetigeritis, neque gusta-
veritis, neque contrectaveritis* ea quæ lex
prohibet tangi, gustari aut contrectari.
22 *Quæ sunt omnia in interitum,* id est, ista
decernere, seu legalia observare, mortem
spiritualem inducunt, *ipso usu,* id est per
hoc quod Judaico ritu servantur, *secun-
dum præcepta et doctrinas hominum,* id
est, prout a Pharisæis et Scribis jubentur
et persuadentur servari post Christi pas-
sionem. Quamvis enim præcepta cærimo-
nialia fuerint divinitus data, et suo tem-
pore observanda, tamen ut observentur
tempore novæ legis non est secundum
præceptum doctrinamque Dei, sed homi-
num Judæorum.
23 *Quæ* præcepta, tempore gratiæ, *sunt
rationem quidem habentia sapientiæ,* id
A est, speciem sapientiæ habent, non es-
sentiam : habentque apparentiam seu spe-
ciem hanc *in superstitione,* quia videntur
ad superexcedentem religionem pertine-
re, *et humilitate* simulata, quoniam ob-
servatores eorum humilitatem confingunt,
et Deo obedire se simulant ; *et* quia sunt
non ad parcendum corpori, quoniam ob-
servatio legalium laboriosissima est, sic-
que videtur pertinere ad rigorem justitiæ,
non ad carnalitatem ; ideo etiam, quia
sunt *non in honore aliquo,* id est, huma-
B num honorem non quærunt observatores
eorum, permittentes carnem præputii sui
circumcidi ; et quia non sunt *ad saturi-
tatem carnis,* id est, etiam ideo speciem
sapientiæ habent legalia hæc, quoniam
multa delectabilia subtrahunt corpori, ut
carnes porcinas : unde videntur ad so-
brietatem et abstinentiam pertinere : pro-
pter quod observatores eorum, judicant
non observantes esse gulosos.

ARTICULUS III

DECLARATIO CAPITULI TERTII : IGITUR SI CONSURREXISTIS, ETC.

Expleta informatione Apostoli de vi-
tandis legalibus et naturalibus versu-
1 tiis, jam inducitur moralis instructio. *Igi-
tur,* id est, quia legalia cessaverunt, et
vos cum Christo mortui estis, *si consur-
rexistis* a lapsu peccati, *cum Christo,* id
est, sicut Christus surrexit a tumulo. Pec-
cator enim jacet prostratus in vitiis, ju-
stus vero stat in virtutibus erectus. Quum
autem peccator pœnitentiam agit et con-
fitetur, resurgit per gratiam a propriis
malis. *Quæ sursum sunt quærite,* id est,
cœlestia præmia desiderate, et summum
bonum semper intendite, illa utique quæ
Is. LXIV, 4; *I Cor.* II, 9. oculus non vidit, nec auris audivit, nec
in cor hominis ascenderunt, *ubi,* id est
in quo loco superiori, *Christus est in*
C *dextera Dei,* id est ad dexteram Patris,
sedens tanquam omnium judex ac Domi-
nus, juxta illud : Dominus Jesus assum- *Marc.* XVI, 19.
ptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei.
Denique Christus secundum suam divini-
tatem, sedet, id est consistit, ad dexteram
Patris, id est in æqualitate majestatis pa-
ternæ ; secundum humanitatem vero as-
sumptam, sedet, id est, corporaliter ma-
net, ad dexteram Dei, id est in bonis
potioribus Patris. Omnia enim creata Chri- *Hebr.* II, 8.
sto homini sunt subjecta. *Quæ sursum* 2
D *sunt sapite,* id est, spiritualia mentis af-
fectu gustate et corde sincero perpendi-
te, *non quæ super terram,* id est non
carnalia et terrena, ut dicere valeatis cum
Isaia : Nomen tuum et memoriale tuum, *Is.* XXVI, 8, 9.

Domine, in desiderio animæ meæ ; ani- A
ma mea desideravit te in nocte, sed et
spiritus meus in præcordiis meis. Et cum
Ps. xxx, 20. Psalmista : Quam magna multitudo dul-
cedinis tuæ, Domine! Itemque cum Spon-
Cant. I, 6. sa : Indica mihi, quem diligit anima mea,
ubi pascas, ubi cubes in meridie.
3 *Mortui enim estis* rebus mundanis ac
vanis, id est, in talibus occupari non de-
betis ; vel, Mortui estis, id est in Bapti-
Philipp. III, 10. smo configurati morti Christi ; *et vita*
vestra quam habituri estis in patria, *abs-*
condita est, id est reposita et latenter B
consistens, *cum Christo in Deo,* id est in
Deo Patre, in cujus corde et sinu Christus
incomprehensibiliter conquiescit : quoni-
Matth. XI, 27. am nemo novit Filium, nisi Pater. Hæc
autem vita æterna, est nostra felicitas, in
Deo objectaliter sita, de qua dicit Salva-
Joann. XVII, 3. tor ad Patrem : Hæc est vita æterna : ut
cognoscant te solum Deum verum, etc.
Vel sic : Vita vestra, id est vita gratiæ
et gloriæ, abscondita, id est ignota, est
omnibus viatoribus in Deo, qui eam co-
Eccle. IX, 1. gnoscit atque causaliter continet. Nemo C
enim novit utrum dignus sit amore an
4 odio. *Quum autem Christus apparuerit,*
id est, evidenter innotuerit esse, *vita ve-*
stra objective, id est vivificator et beati-
ficator vester : quod maxime erit in die
extremi judicii, quando in conspectu uni-
versorum, Christus electorum suorum vi-
ta monstrabitur ; *tunc et vos apparebitis*
cum ipso in gloria, id est, anima et cor-
pore gloriosi eritis, atque cum Christo
alta cœlorum penetrabitis, ibi cum eo in
cœlesti gloria sine fine mansuri. D

Præterea, docet Apostolus quomodo ad
hanc beatitudinem valeamus pertingere.
5 *Mortificate,* id est destruite, *ergo,* vide-
licet ut vitam hanc sempiternam merea-
mini adipisci, *membra vestra quæ sunt*
super terram, id est vitia corporis quæ
per membra explentur. Unde quasi expo-
Ephes. V, 3. nens quid dixerit membra, adjecit : *for-*
nicationem, id est concubitum soluti cum
soluta, *immunditiam,* id est peccata con-
tra naturam, *libidinem,* id est ardorem
quemlibet in his quæ ad turpitudinem
pertinent, *concupiscentiam malam,* id est
interiorum inclinationem ad vitia carnis,
et avaritiam, quæ est idolorum servitus,
id est, idololatriæ comparatur : nam sicut
idololatra potius servit idolo quam vero
Deo, ita avarus magis colit, curat et co-
gitat suam pecuniam, quam Creatorem.
Propter quæ vitia *venit ira Dei,* id est 6
divinæ justitiæ ultio, *super filios incre-*
dulitatis, id est in homines infideles ac
reprobos ; *in quibus* peccatis *et vos,* Co- 7
lossenses, *ambulastis,* id est conversati
estis, *aliquando,* eundo de malo in pejus,
quum viveretis in illis, quando videlicet
nondum conversi fuistis ad Christum.

Nunc autem deponite et vos omnia quæ 8
sequuntur, videlicet : *iram,* quæ inordi-
natus appetitus est vindictæ propter par-
vipensionem, *indignationem,* quæ ex su-
perbia et ira procedit, *malitiam,* id est
machinationem mali in alium corde con-
ceptam, *blasphemiam* contra Deum et San-
ctos, *turpem,* id est impudicum, *sermonem,*
deponite *de ore vestro. Nolite mentiri in-* 9
vicem. Os enim quod mentitur, occidit Sap. I, 11.
animam, ut dicitur in libro Sapientiæ.

Exspoliantes vos, id est exuentes, *vete-*
rem hominem, id est pristinum statum,
vel vosmetipsos quoad id quod fuistis per
culpam, *cum actibus suis* vitiosis ; *et in-* 10
duentes novum, id est, per opera bona ac
sacramenta et gratiam, induite hominem
spiritualiter reformatum, id est, vos ipsos
innovate interius, *qui* novus homo *reno-*
vatur et crescit quotidie *in agnitionem*
Dei, id est contemplando divina. Reno-
vatur autem hoc modo : *secundum ima-*
ginem ejus, id est quantum ad partem
intellectivam, in qua est imago ejus *qui*
fecit eum, id est summi Creatoris, cujus
imago resplendet in superiori parte ani-
mæ rationalis : quæ pars potestativa re-
novatur quotidie recipiendo a Deo gratiæ
incrementa, ornamenta virtutum et sapi-
entiæ claritatem ; *ubi,* id est in quo ho- 11
mine interiori ac novo, videlicet in parte
animæ intellectiva, *non est masculus ne-*

que femina, id est discretio sexus, quæ A
attenditur secundum corpus, non animam;
nec est ibi *gentilis et Judæus,* id est di-
scretio generis, quoniam omnes quantum
ad animam, immediate a Deo creantur,
circumcisio et præputium, id est diffe-
rentia observationis seu ritus, *Barbarus
et Scytha,* id est differentia linguarum,
servus et liber, id est distinctio conditio-
nis. Est itaque sensus, quod propter ista
non est unus dignior vel indignior coram
Deo. Nam quantum ad hominem interio-
rem, nulla diversitas exterior sexuum, B
nationum, observationum, linguarum aut
conditionum, præjudicat alteri. *Sed om-
nia et in omnibus Christus,* id est, Chri-
stus est omnia causaliter, omnibus ge-
neribus atque operibus hominum dans
exsistentiam ac permanentiam. Ipse quo-
que in omnibus est per gratiam vel pro-
videntiam.
12 *Induite ergo vos sicut electi Dei,* id est
a Deo prædestinati, ut speramus vel Deo
revelante cognoscimus, *sancti,* id est a vi-
tiis emundati per sacramenta Ecclesiæ, *et* C
dilecti a Deo, recipiendo beneficia ejus,
viscera misericordiæ, id est internos pie-
tatis affectus, *benignitatem,* id est animi
præparationem ad benefaciendum proxi-
mis vel ipsum misericordiæ opus, *humi-
litatem, modestiam,* id est moderamen in
13 verbis ac factis, *patientiam ; supportantes*
Galat. VI, 2. *invicem :* sicut Galatis dictum est, Alter
alterius onera portate ; et item Romanis,
Rom. XV, 1. Debemus nos firmiores, imbecillitates in-
firmorum sustinere ; *et donantes vobis-
metipsis,* id est mutuo ignoscentes, *si quis* D
adversus aliquem habet querelam, id est,
si unus vestrum ab alio est offensus, seu
injuriam passus. *Sicut et Dominus* Chri-
stus seu Trinitas *donavit,* id est, indulsit
pure, gratis et festinanter, *vobis, ita et
vos* vestris debitoribus indulgete. Unde
Joann. XIII, 15. dicit Salvator : Exemplum dedi vobis, ut
quemadmodum ego feci vobis, ita et vos
Matth. VI, 15. faciatis ; alibi quoque, Si non dimiseritis
de cordibus vestris, nec Pater vester di-
mittet vobis peccata vestra. Denique quam

enorme sit ita non agere, constat per ea
quæ in Ecclesiastico scribuntur : Homo Eccli. XXVIII, 3-5.
homini servat iram, et a Deo quærit me-
delam? In hominem sibi similem non ha-
bet misericordiam, et de peccatis suis de-
precatur Altissimum ? Quis exorabit pro
peccatis illius ?
Super omnia autem hæc, caritatem ha- 14
bete, id est, hoc præ ceteris omnibus hor-
tor, et summe necessarium utilissimumque
est, ut caritatem Dei et proximi habeatis.
Propter quod ait Salvator : Mandatum no- Joann. XIII, 34.
vum do vobis, ut diligatis invicem. *Quod,*
id est quam caritatem habere, *est vin-
culum perfectionis,* id est aliarum virtu-
tum conservatio, consummatio, nexus ac
ligamentum. Caritas enim est præstantis- I Cor. XIII, 1-8, 13.
sima virtus, omnes virtutes movens, per-
ficiens et meritorias reddens : qua sub-
tracta, nulla virtus meritoria permanet.
Propterea beatissimus Archiapostolus in
prima sua Canonica : Ante omnia, inquit, I Petr. IV, 8.
mutuam in vobis caritatem continuam ha-
bentes, quoniam caritas operit multitu-
dinem peccatorum. *Et pax Christi,* id est 15
interna et vera pax, scilicet tranquillitas
cordis, seu quies mentis in Deo, *exsultet,*
id est, redundantem lætitiam pariat, *in
cordibus vestris.* Pace enim quid dulcius,
quidve jucundius esse potest ? *In qua* pa-
ce *et vocati estis in uno corpore* mystico :
id est, per pacem positi estis inter mem-
bra Christi ; imo ad hoc vocati estis in
unam Ecclesiam, ut sempiternam sortia-
mini pacem. Unde dictum est alibi : In I Cor. VII, 15.
pace vocavit nos Dominus. *Et grati es-
tote* Deo pro universis beneficiis ejus.
Qui enim gratias agit, donis potioribus
meretur impleri, juxta illud in Evange-
lio : Omni habenti dabitur, id est grato. Matth. XXV, 29.
Verbum Christi, id est evangelica do- 16
ctrina ex ore Christi prolata, *habitet,* id
est stabiliter maneat, *in vobis,* id est in
mentibus vestris per jugem memoriam et
veram obedientiam : juxta illud in Psal-
mo, In corde meo abscondi eloquia tua, Ps. CXVIII, 11.
ut non peccem tibi ; *in omni sapientia,* id
est intellectu sapientiali totius Scripturæ

sacræ, quatenus verba Christi sapienter
intelligatis, *docentes et commonentes,* id
est exhortantes, *vosmetipsos* ad opera per-
fectiora, *in psalmis,* qui ad bonam ope-
rationem hortantur, *et hymnis,* in quibus
divina laus continetur, *et canticis spiri-
tualibus,* quæ de cœlestibus bonis futu-
risque gaudiis agunt; *in gratia* gratifican-
te, sine qua nihil est meritorium; vel, In
gratia, id est cum gratiarum actione; vel,
In gratia, id est consideratione gratuito-
rum beneficiorum Dei; *cantantes,* id est
laudem dicentes, *in cordibus vestris,* id
est cordiali affectu et cum mentali atten-
tione, *Deo :* quemadmodum scriptum est,
Eccli. LI, 8. Laudabit usque ad mortem anima mea
Ps. CIII, 33. Dominum; et in Psalmo, Cantabo Domino
in vita mea, psallam Deo meo quamdiu
sum. Hoc dicitur contra eos qui non cor-
de, sed labiis Deum glorificant : de qui-
Is. XXIX, 13. bus per Isaiam Dominus contestatur, Ap-
propinquat populus iste ore suo, et labiis
glorificat me, cor autem ejus longe est a
17 me. *Omne quodcumque facitis in verbo,* id
est prædicando, docendo, hortando, oran-
do, cantando, *aut in opere* exteriori, *om-
nia in nomine Domini nostri Jesu Chri-
sti,* id est ad gloriam Christi, et cum
invocatione nominis ejus, *facite, gratias
agentes Deo et Patri,* id est sanctæ Tri-
Matth. VI, 9. nitati, cui quotidie dicimus : Pater noster,
qui es in cœlis; *per ipsum,* id est ex con-
sideratione beneficiorum quæ Trinitas no-
I *Tim.* II, 5. bis largita est per mediatorem nostrum
hominem Christum.

Præterea descendit Apostolus ad mora-
lem particularium personarum instructi-
18 onem. *Mulieres, subditæ estote viris,* id
est maritis vestris, *sicut oportet in Domi-
no,* id est, sicut Deus instituit, dicens mu-
Gen. III, 16. lieri : Sub viri potestate eris, et ipse domi-
nabitur tui. Vel, Sicut oportet in Domino,
id est in licitis et honestis quæ complacent
19 Deo. *Viri, diligite uxores vestras,* non so-
lum maritali et naturali affectu, sed spi-
rituali dilectione, *et nolite amari esse ad*
I *Petr.* III, 7. *illas,* sed secundum scientiam cohabitate
illis, tanquam infirmioribus vasculis im-
pertientes honorem. Unde in Ecclesiastico
habetur : Noli esse sicut leo in domo tua, *Eccli.* IV, 35.
evertens domesticos tuos, et opprimens
tibi subjectos. *Filii, obedite parentibus per* 20
omnia quæ sunt apta materia obedientiæ,
id est in cunctis bonis ac licitis, et majus
bonum non impedientibus. *Hoc enim pla-
citum est in Domino.* Nam Deus hoc jus- *Exod.* XX, 12.
sit. *Patres, nolite ad indignationem pro-* 21
vocare filios vestros, habendo vos indiscre-
te et non paterne ad eos, *ut non pusillo
animo fiant,* id est, ne per pusillanimita-
tem frangantur, et obedire desistant, non
valentes ferre duritiam vestram. Omnia
hæc ad spirituales patres eorumque filios
maxime pertinent.

Servi, obedite per omnia, id est in om- 22
nibus bonis, *dominis carnalibus,* id est
temporalibus, in corporalibus dominatio-
nem exercentibus; *non ad oculum servi-
entes,* id est non solo servili timore et in
dominorum vestrorum præsentia, *quasi
hominibus placentes,* id est tanquam hoc
solum optantes et intendentes, ut homi-
nibus placeatis, et non potius Deo, *sed in
simplicitate cordis,* id est, sincera intenti-
one servite dominis illis carnalibus, etiam I *Petr.* II, 18.
dyscolis, *timentes Deum* casto ac filiali
timore, cujus præsentiam seu conspectum
non potestis effugere. *Quodcumque faci-* 23
tis in obsequio dominorum vestrorum, *ex
animo,* id est cum promptitudine volun-
tatis, *operamini,* utpote amore justitiæ at-
que intuitu mercedis divinæ, non timo-
re pœnæ et solo intuitu remunerationis
humanæ : talem enim animam approbat
Deus; *sicut Domino* Deo principaliter ser-
vientes, *et non hominibus* tantum : quia
etsi hominibus deservitis, hoc tamen pro-
pter Deum libenter facere debetis, quasi
sustinentes hanc servitutem ex ordinatio- *Rom.* XIII, 1.
ne divina, pro pœna peccati cui obnoxii
estis. Servitus nempe ob culpam inducta
est. *Scientes* fide certissima, *quod a Do-* 24
mino accipietis retributionem hereditatis,
id est præmium vitæ æternæ, quæ est he-
reditas electorum. Retributio autem he-
reditatis aliud non est nisi ipsa hereditas

quæ donatur. Hanc hereditatem habebitis, A
si præfato modo servientes fueritis. *Domino* Jesu *Christo servite* summe atque finaliter, imo et latriæ servitute, quæ soli Deo debetur.

25 *Qui enim injuriam facit* alteri, infideliter serviendo, aut alio modo, *recipiet id quod inique gessit,* id est, pro sua injustitia debitam pœnam exsolvet, juxta il-
Ps. CXLV, 7. lud Psalmistæ : Qui custodit veritatem in sæculum, facit judicium injuriam patien-
Deut. XXXII, 43; Rom. XII, 19. tibus; et alibi, Mihi vindictam, et ego retribuam, dicit Dominus. *Et non est per-* B
Rom. II, 11. *sonarum acceptio apud Deum.* Hoc jam ubertim dictum atque expositum est. Deus enim neminem ad se venientem, vel quod in se est facientem, repellit; nullius etiam
Job XXIV, 12. peccata inulta dimittit. Unde ipse Domi-
Joann. VI, 37. nus in Joanne testatur : Eum qui venit ad me, non ejiciam foras. Et alibi ait Scriptura : Deus opus hominis reddet ei, et Job XXXIV, 11.
juxta vias singulorum restituet; itemque, Si direxerit homo ad Deum cor suum, spi- Ibid. 14.
ritum illius et flatum ad se trahet. Ex his tamen non sequitur, quin Deus justus ac sapiens ab æterno elegerit unum præ alio, etiam absque omni merito hominum.

Domini, quod justum est ratione obse- 1 (cap. IV.)
quii vobis exhibiti, *et æquum* propter conformitatem naturæ in vobis ac servis, *servis* vestris *præstate,* videlicet dignam mercedem et piam subventionem ac miserationem; *scientes quoniam et vos Dominum* justum ac infallibilem judicem *habetis in cœlo,* qui eadem mensura qua Luc. VI, 38.
mensi fueritis, remetietur vobis. Sic enim facit homini, quemadmodum homo proximo suo.

ARTICULUS IV

EXPLANATIO CAPITULI QUARTI : ORATIONI INSTATE, VIGILANTES IN EA.

REDIT Apostolus ad generalem exhortationem, seque discipulorum suorum
2 precibus commendat. *Orationi* pro vobis ac aliis fusæ *instate,* id est, instanter seu diligenter ac perseveranter intendite, *vigilantes,* id est vigili mente durantes, imo et pernoctantes *in ea,* exemplo Christi, de
Luc. VI, 12. quo scriptum est in Evangelio : Erat Jesus pernoctans in oratione Dei. Indesinenter ergo, vigilanter et affectuose orandum
Ibid. XVIII, 1. est. Propter quod ait Salvator : Oportet semper orare, et non deficere. In Eccle-
Eccli. XVIII, 22. siastico quoque scriptum legitur : Non im- D
Ibid. 23. pediaris orare semper; et, Ante orationem præpara animam tuam. Denique libenter vacare nos convenit orationi, pensantes illud Chrysostomi : Considera quanta tibi concessa est felicitas, quanta gloria attributa, orationibus fabulari cum Deo, cum C Christo miscere colloquia, optare quod velis, quod desideras postulare. Dicit quoque Chrysostomus, quod orans in conventu vel in publico, nil novi facere debet quod adspiciant alii, vel clamando, vel pectus percutiendo, vel manus extendendo. Sic ergo orationi instate, vigilantes in ea *in gratiarum actione,* id est, orationi gratiarum actionem de præteritis bonis miscete, quia hoc plurimum confert ad obtinendum quod petitur. Nam et dilectionem accendit, benevolentiam captat, et ad potiora disponit.

3 *Orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis,* id est, os meum seu labia unde verba egrediuntur velut ex janua, ipse aperiat (sicut ait Psal-
mista : Domine, labia mea aperies), hoc Ps. L, 17.
est, ut Deus gratiam menti meæ infundat,

per quam ad loquendum divinitus mo-
vear, et non tam ego loquar, quam Spi-
ritus Sanctus per me : prout in libro Re-
II *Reg.* XXIII, 2. gum David aiebat, Spiritus Domini locutus
est per me, et sermo ejus per linguam
meam; *ad loquendum mysterium Christi,*
id est ad prædicandum divina secreta de
Christo, videlicet incarnationem, passio-
nem, ascensionem, etc. Ex iis constat,
quod nemo nostrum adeo perfectus seu
virtuosus esse debet in oculis suis, ut non
curet orationis suffragium etiam ab infe-
rioribus flagitare, quum videat sacratis-
simum istum divinissimumque Apostolum
tam frequenter atque humiliter pro se
orari efflagitare. *Propter quod* prædicati-
onis officium *etiam vinctus sum* jam apud
Ephesum. Unde patet Apostolum hanc scri-
psisse epistolam de carcere Ephesi. —
Aperiat, inquam, mihi Dominus ostium
4 sermonis, *ut manifestem illud,* id est, præ-
dictum Christi mysterium clare enuntiem
et exponam, ut consequar præmium sem-
piternum, quemadmodum Sapientia ipsa
Eccli. XXIV, 31. loquitur : Qui elucidant me, vitam æter-
nam habebunt; *ita,* id est tam efficaciter
et constanter, *ut oportet me loqui,* id est
aliis intimare mysteria Christi propter gra-
tiam apostolatus mihi concessam.

Consequenter admonet eos ad conversa-
5 tionem exemplarem. *In sapientia ambula-
te ad eos,* id est, prudenter et exemplariter
vivite coram illis, *qui foris sunt,* qui ad
Christi gregem et Ecclesiæ unitatem non
pertinent, vel coram quibuscumque ex-
traneis et ignotis, ne scandalizentur. Unde
I *Thess.* IV, 11. alio loco docet Apostolus : Honeste am-
buletis ad eos qui foris sunt; et Christus
Matth. V, 16. in Evangelio, Luceat lux vestra coram ho-
minibus. Patet ergo quod secundum Apo-
stolum, curandum est nobis de fama ho-
nesta, non ob propriam laudem, sed ad
Dei honorem et proximorum salutem. Pro-
Eccle. VII, 2. pter quod apud Ecclesiasten legitur : Me-
lius est nomen bonum quam unguenta
Eccli. XLI, 15. pretiosa; et alibi : Curam habe de bono
nomine ; hoc enim magis proderit tibi
quam mille thesauri. Hinc etiam invere-

A cundo et de inhonesto nomine non curan-
ti, dictum est per Jeremiam : Frons mu- *Jer.* III, 3.
lieris meretricis facta est tibi, noluisti
erubescere. *Tempus redimentes,* id est fru-
ctuose expendentes.

Sermo vester semper in gratia, id est 6
per gratiam Dei, *sale sit conditus,* id est
sapientiali discretione temperatus. Ser- *Prov.* XV, 23.
mo enim opportunus optimus est, teste
Scriptura. Porro per sal, sapientia seu di-
scretio designatur. Nam sicut sal est con-
dimentum ciborum, ita discretio est condi-
B mentum verborum operumque bonorum.
Propter quod in Levitico jubetur : In *Lev.* II, 13.
omni sacrificio offeres sal. Apostolis quo-
que dicitur : Vos estis sal terræ. Et ite- *Matth.* V, 13.
rum præcepit Christus : Habete in vobis *Marc.* IX, 49.
sal. *Ut sciatis quomodo,* id est quam di-
versimode, quando, quo fine, ubi, quan-
tum et qualiter, *oporteat vos unicuique,*
id est omnibus interrogantibus, *respon-
dere,* aliter scilicet docto, aliter indocto,
aliter fideli, aliter infideli. In Proverbiis
enim scriptum est : Responsio mollis fran- *Prov.* XV, 1.
C git iram, sermo durus suscitat furorem.
Hinc Petrus in prima sua Canonica ait :
Parati semper ad satisfactionem omni po- I *Petr.* III, 15.
scenti vos rationem de ea quæ in vobis
est fide et spe.

Quæ circa me sunt, id est statum meum 7
et adversa quæ patior, *omnia vobis* pro-
prio ore *nota faciet Tychicus* lator hujus
epistolæ, *carissimus frater* noster, *et fide-
lis minister* Christi in prædicando, *et con-
servus* noster *in Domino. Quem misi ad* 8
vos in hoc ipsum, id est propter hanc cau-
D sam ; et etiam *ut cognoscat quæ circa vos
sunt,* id est statum vestrum, *et consoletur
corda vestra,* verbis benignis inducendo
vos ad patientiam, commemorando quo-
que æterna futuraque gaudia vobis para-
ta, instruendo etiam non esse servanda
cærimonialia legis Mosaicæ. Misi, inquam,
cum Onesimo carissimo, et fideli fratre 9
nostro spirituali, *qui est ex vobis* oriun-
dus. Erat autem servus Philemonis civis
Colossensis, sicut patebit plenius in epi-
stola ad Philemonem. *Qui* Tychicus atque *Philem.* 10, 11.

Onesimus *omnia quæ hic* in Epheso *agun-* A
tur, nota facient vobis. Cum his duobus
misit Apostolus præsentem epistolam, pro-
pter majorem Colossensium certificatio-
nem, ut scirent epistolam vere ab Apostolo
missam.
10 *Salutat vos Aristarchus concaptivus me-*
us, id est mecum captus, *et Marcus,* qui
Act. xii, 12, 25. alio nomine dicebatur Joannes, *consobri-*
nus Barnabæ apostoli : erant enim filii
sororum. *De quo* Marco *accepistis* mate-
rialiter *mandata* a me, vel alio quodam
magno efficienter, ita quod mandavimus B
vobis non recipiendum esse a vobis hunc
Ibid. xiii, 13; xv, 38, 39. Marcum, eo quod orta tribulatione dis-
cessisset a me, rediens Jerusalem : ut in
Actibus legitur. *Si venerit* jam vel postea
Marcus iste *ad vos, excipite illum.* Rediit
enim ad me, et reconciliatus est mihi. Sa-
11 lutat præterea vos *et Jesus, qui dicitur*
justus. Qui sunt ex circumcisione, id est
natione Judæi, qui sua salutatione attestan-
tur veritati hujus epistolæ. Ideo certi sitis
legalia non esse servanda. *Hi soli,* quo-
ad Judæos conversos, *sunt adjutores mei,* C
evangelizando *in regno Dei,* id est in Ec-
clesia militanti seu cœtu fidelium. De quo
Matth. xiii, 47. regno ait Dominus in Evangelio : Simile
est regnum cœlorum sagenæ missæ in ma-
re, et ex omni genere piscium congregan-
Ibid. 41. ti; itemque, Mittet Filius hominis angelos
suos, et colligent de regno ejus omnia
scandala. *Qui mihi fuerunt solatio,* fide-
liter adsistendo, et fortiter laborando.
12 *Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est,*
id est natione Colossensis, *servus Christi*
Jesu, semper sollicitus pro vobis in orati- D
onibus quas facit pro vestra salute, *ut*
stetis perfecti et pleni in omni volunta-
te Dei, id est, perfecti ac integri sitis in
exsecutione omnium præceptorum aut con-
13 siliorum Dei. *Testimonium enim illi* Epa-
phræ *perhibeo, quod habet multum labo-*
rem pro vobis, orando, et me sollicitando
ad scribendum. Hic enim est Epaphras
Coloss. i, 7. de quo in exordio hujus epistolæ dictum
est, quod prædicationem Archippi confir-
maverat. *Et pro his qui sunt Laodiciæ et*

qui Hierapoli, id est, etiam pro Laodicen-
sibus ac Hierapolitanis plurimum sollicita-
tur, timens ne a pseudoapostolis fallantur.
Salutat vos Lucas medicus carissimus, id 14
est Lucas evangelista : qui artis medicæ
erat; animarum tamen magis quam cor-
porum medicus fuit; *et Demas.*
Salutate ex parte nostra *fratres qui sunt* 15
Laodiciæ, id est in urbe illa vestræ civi-
tati vicina, *et Nympham,* mulierem de-
votam, prædicantium hospitatricem atque
altricem, *et quæ in domo ejus est eccle-*
siam, id est fidelem ejus familiam. *Et*
quum lecta fuerit apud vos, id est in ve-
stro conventu, *epistola hæc, facite ut et*
in Laodicensium Ecclesia legatur : eis-
dem enim informationibus indigent qui-
bus et vos, quum sint a pseudoapostolis
præventi; et quoniam vobis vicini fami-
liaresque sunt. *Et eam quæ Laodicensium* 16
est, id est epistolam illis a me missam,
vos legatis, ut mutuo proficiatis. Hæc au-
tem epistola Laodicensium non est re-
servata in canone Scripturarum, neque
in numero epistolarum Pauli : sicut nec
prima trium epistolarum missarum Co-
rinthiis, quemadmodum dictum est alio In I Cor. v, 9.
loco.
Insuper monet Apostolus Colossenses,
ut pastorem suum hortentur ad diligen-
tem officii sui exsecutionem. *Et dicite* 17
Archippo episcopo vestro : *Vide mini-*
sterium tuum, id est, officium curæ pa-
storalis perpende intentius, *quod accepi-*
sti in Domino, id est, quod tibi a Deo
commissum est, *ut illud impleas,* gregem I Petr. v, 2.
tibi commissum verbo et exemplis pa-
scendo, atque in omnibus te habendo ut
decet pastorem, Christi vicarium. Ex quo
elucescit, quod subditi licite possint præ-
latos suos excitare, hortari et animare,
humiliter tamen et modeste.
Salutatio mea quæ subditur, scripta est 18
manu Pauli, id est, propria manu verba
salutationis meæ hæc scripsi, ut sciatis
epistolam missam a me, non a falsis : qui
interdum sub nomine verorum Aposto-
lorum fallaces miserunt epistolas, ut ma-

gis deciperent. Quidam dicunt totam epistolam hanc manu Apostoli scriptam, propter certificationem prædictam. *Memores estote vinculorum meorum,* id est, attendite cur ista sustineo, ut et vos similia pati sitis parati, et pro me oretis, vel necessaria ministrare curetis. Deinde salutatio ponitur. *Gratia Domini nostri Jesu Christi* sit *vobiscum,* id est in cordibus vestris. Ipse est enim creator vester atque salvator, Unigenitus Patris, super omnia Deus sublimis et benedictus. *Amen.*

ENARRATIO
IN EPISTOLAM I BEATI PAULI
AD THESSALONICENSES

PROŒMIUM

Da sapienti occasionem, et addetur ei sapientia; doce justum, et festinabit accipere. Prov. ix, 9.

Quemadmodum vani ac simulatores ex laudibus sibi impensis deteriores fiunt, sic virtuosi dum laudantur, multipliciter meliores. Nam et se ipsos laude indignos opinantur, quod pertinet ad humilitatem; Deo grates referunt de eo quod habent, quod pertinet ad justitiam; ad meliora provocantur, quod ad prudentiam spectat. Hinc ergo Apostolus frequenter suos commendat discipulos. Unde et in præsenti nunc elucidanda epistola, quæ Thessalonicensibus missa et scripta est, Ecclesiam Thessalonicensium vehementer commendat, quia in fide firmissime perstiterunt, pseudoapostolos abjecerunt, persecutiones æquanimiter pertulerunt. Quosdam tamen eorum de otiositate, curiositate et fornicatione redarguit. Porro Thessalonica, a qua Thessalonicenses nomen sortiti sunt, est metropolis Macedoniæ, quæ est pars Græciæ. Thessalonicenses ergo sunt Macedones, qui ad prædicationem Apostoli cito ac facile crediderunt. Quorum præconium Lucas testatur in Actibus Apostolorum, quod verbum *Act.* xvii, 11.
Dei cum omni aviditate receperunt, quotidie scrutando Scripturas. Scripsit autem eis Apostolus ab Athenis, mittens epistolam per Tychicum diaconum et Onesimum acolythum. Proceditque in hac epistola more solito, salutationem præmittendo, de profectu et perfectione discipulorum gratias agendo, deinde peccatores a vitiis revocando: quæ omnia in processu clarius innotescent.

ENARRATIO

IN EPISTOLAM I BEATI PAULI

AD THESSALONICENSES

ARTICULUS PRIMUS

ELUCIDATIO CAPITULI PRIMI : PAULUS ET SILVANUS ET TIMOTHEUS.

1 P*AULUS et Silvanus et Timotheus* A
mandant *Ecclesiæ Thessalonicensium,*
id est fidelibus in Thessalonica congre-
gatis, et per fidem atque dilectionem uni-
tis, *in Deo Patre nostro et Domino* nostro
Jesu Christo, id est ad gloriam Patris et
Christi Filii ejus, vel secundum volunta-
tem Dei Patris et Christi. Non apponit
nomen gloriæ suæ, dicendo, Paulus apo-
stolus, quoniam Thessalonicenses nihil
indignum de ipso senserunt. Unde non
eguerunt de excellentia ejus amplius in-
formari. Silvanus autem iste, quem sibi B
adjungit Apostolus, secundum Haymonem
et alios quosdam, est Silas, de quo in
Act.xv-xvii. Actibus multa magnifica recitantur. Nam
tantæ perfectionis exstiterat, ut unus de
primis seu summis fratribus primitivæ Ec-
clesiæ in Jerusalem congregatæ, et prophe-
Ibid.xv,32. ta fuisse scribatur a Luca. Sed et apostolus
appellatur. Et quoniam Silvanus ac Timo-
theus cooperati fuerunt Apostolo in Thes-
salonicensium conversione, idcirco eos sibi
in salutatione annectit. Solus tamen Pau-
lus dictavit epistolam, imo Spiritus San- C
2 ctus per eum. *Gratia vobis et pax* divini-
tus infundatur, conservetur et perficiatur.

Narrationem insuper orditur Apostolus
a gratiarum actione. *Gratias agimus Deo,*
ex caritate divina atque fraterna, qua Dei
honorem optamus, et vestro profectui con-
gaudemus, *semper,* id est omni hora con-
venienti, *pro omnibus vobis,* id est vice
vestri, vel de vobis, videlicet pro bene-
ficiis Dei vobis collatis ; *memoriam vestri*
facientes in orationibus nostris, quas Deo
sine intermissione offerimus, id est omni
tempore opportuno ; *memores operis fidei* 3
vestræ, id est laudabilis conversationis ex
fide nascentis (vel, opus fidei vocatur oris
confessio), *et laboris,* quem in cultu di-
vino habuistis, *et caritatis,* id est actua-
lis dilectionis vestræ in Deum et proxi-
mum, *et sustinentiæ spei,* id est tolerantiæ
adversitatum, quæ procedit ex spe *Do-*
mini nostri Jesu Christi, id est ex spe
futuræ beatitudinis : quam spem Christus
ut Deus, creando imprimit nobis. Consi-
deratio enim præmii minuit vim flagelli.
Sic ergo memoriam vestri facimus *ante*
Deum et Patrem nostrum, id est in con-
spectu sanctæ Trinitatis, quam et pro ve-
stro profectu jugiter imploramus.
Scientes, id est, nos qui vobis hæc scri- 4

bimus, agnoscentes, o *fratres dilecti a* A
Deo : conjective, inquam, vel certo sci-
entes ex revelatione, *electionem vestram,*
id est prædestinationem, videlicet quod
præordinati estis ad vitam æternam ; vel,
vos, o fratres dilecti, eam scientes per
quædam signa prædestinationis : de qui-
5 bus subjungitur : *quia evangelium no-*
strum, id est evangelica prædicatio, *non*
fuit ad vos in sermone tantum, id est, non
nudis verbis firmata est, *sed et in virtu-*
te miraculorum, id est per miracula ro-
borabatur, *et Spiritu Sancto,* id est, per B
manifesta dona Spiritus Sancti prædicatio
nostra fulta est, *et in plenitudine multa,*
id est, in magna abundantia divinorum
charismatum prædicavimus vobis. Per im-
positionem namque manuum mearum da-
tus est vobis Spiritus Sanctus in Bapti-
smo, etiam in signo visibili. Simile huic
est quod ad Hebræos dicit Apostolus :
Hebr. II, 3, 4. Quomodo effugiemus, si tantam neglexe-
rimus salutem, quæ in nos confirmata
est, contestante Deo signis et portentis et
variis virtutibus, et Spiritus Sancti distri- C
butionibus? Unde apud Marcum legimus :
Marc. XVI, 20. Illi profecti prædicaverunt ubique, Domi-
no cooperante et sermonem confirmante
sequentibus signis. Unde per hæc magna
miracula Thessalonicenses facile credide-
runt. *Sicut scitis* per experientiam, quæ
est magistra veritatis, *quales fuerimus* ver-
bo et opere, *in vobis,* id est inter vos, et
hoc, *propter vos,* id est propter vestram
conversionem atque salutem.

6 *Et vos,* o fratres, *imitatores nostri facti*
estis, id est, nostra vestigia estis secuti, D
multa adversa propter justitiam patiendo,
et Domini, id est, etiam Christum imi-
tati estis, conformando vos passionibus
ejus : quia ut ille a populo suo dura per-
pessus est, ita et vos a civibus vestris ;
excipientes verbum, id est prædicationi
nostræ consentientes, *in tribulatione mul-*
ta, id est cum magna persecutione vobis
a perversis illata propter fidei receptio-
nem. Excipientes, inquam, *cum gaudio*
Spiritus Sancti, id est cum interna con-
solatione a Spiritu Sancto infusa, ita quod
licet exterius tribularemini, intus tamen
a Spiritu Sancto lætificabamini : prout
Apostolus idem alibi ait, Sicut abundant II *Cor.* I, 5.
passiones Christi in nobis, ita et per Chri-
stum abundat consolatio nostra. *Ita ut* 7
facti sitis forma, id est perfectionis fi-
deique exemplar imitatione dignissimum,
omnibus credentibus in Macedonia et in
Achaia, quæ sunt provinciæ Græciæ.

A vobis enim diffamatus, id est divul- 8
gatus, *est* materialiter *sermo Domini :* id
est, a vobis propter perfectionem vestram,
sumpserunt alii occasionem loquendi, lau-
dandi ac prædicandi verbum Dei, tan-
quam accensi vestro exemplo. Et *non so-*
lum in Macedonia et in Achaia, sed et in
omni loco Christianorum ad quos fama
vestra pervenit, *fides vestra quæ est ad*
Deum, id est, qua ipsi in Deum tenditis,
perfecta est, id est, plena et inclyta re-
putatur, *ita ut non sit nobis necesse quid-*
quam loqui de ampliori præconio vestri,
vel pro informatione vestri, vel de vobis
ad alios incitandos.

Ipsi enim quibus nota est fides et con- 9
versatio vestra, *de vobis annuntiant,* id
est, ad laudem vestri testantur, *qualem*
introitum habuerimus ad vos, id est, quam
fructuosus, felix et expeditus fuit ingres-
sus noster ad vos, quorum tantam multi-
tudinem tam perfecte convertimus, *et quo-*
modo, id est quam perfecte, *conversi estis*
ad Deum a simulacris, id est idololatri-
am deserendo, *servire,* id est ad servien-
dum, *Deo vivo et vero :* per quem hoc
loco intelligitur persona Patris, nam sub-
ditur : *et exspectare* quotidie, ut sitis sem- 10
per parati ad mortem, *Filium ejus* ven-
turum *de cœlis* manifeste in die judicii :
qui quotidie exspectandus est, ut simus
jugiter præparati visitari ab eo per mor-
tem, prout ipse apud Lucam loquitur : Et *Luc.* XII, 36.
vos similes hominibus exspectantibus do-
minum suum quando revertatur a nuptiis;
et denuo alibi, Estote parati, quia qua *Ibid.* 40.
hora non putatis, Filius hominis veniet.
Quem Pater *suscitavit ex mortuis* tertia

die, videlicet *Jesum, qui* sua passione *eripuit nos ab ira ventura,* id est a pœna æterna seu damnationis sententia, quæ in die judicii contra impios proferetur. Nunc enim eripuit nos, quantum in ipso est, a peccatis propter quæ ira illa infligitur. A Effectum vero redemptionis istius per sacramenta consequimur; et tandem ab omni pœnalitate et imperfectione carnis ac animæ, merito dominicæ passionis eripi-
emur, quando mortale hoc induet immor- I Cor. xv, 54.
talitatem.

ARTICULUS II

EXPOSITIO CAPITULI SECUNDI : NAM ET IPSI SCITIS, FRATRES, ETC.

In superiori capitulo gratias egit Apostolus Deo pro beneficiis Thessalonicensibus impertitis, bona quoque Thessalonicensium commendavit ; nunc suæ prædicationis veritatem ostendit ex sinceritate conversationis quam habuit inter Thessalonicenses.

Quemadmodum enim, secundum philosophos, operatio arguit formam, sic conversatio monstrat legis ac fidei qualitatem. Nam et unumquodque judicandum est secundum maximum in quod potest, juxta Philosophum. Lex igitur christiana judicanda est secundum suum principale, finale ac summum, ad quod suum observatorem perducit. Hoc autem est privati amoris plena exstinctio, atque divini amoris pura ardensque affectio. Ad quam perfectionem perducit lex Christi per ordinatissima atque honestissima media : quæ sunt evangelica consilia ac præcepta, quibus humilitas, patientia, paupertas, castitas, mansuetudo, obedientia, similesque virtutes jubentur aut consuluntur. Omnis vero carnalitas, falsitas, simulatio, dæmonum pactio, prohibitarum artium usus, penitus condemnatur et exstirpatur ab ea. Quæ omnia tanto certius innotescent hominibus, quanto evangelicam legem custodierint plenius. Unde internis ac devotissimis famulis Christi, ipsa fides christianæque legis munditia, quasi experientia constat quia vere a Deo fluxerunt. Pro-
B pter quod ait Salvator : Si quis voluerit Joann. vii, 17.
voluntatem Dei facere, cognoscet de doctrina utrum ex Deo sit, an ego a me ipso loquar. Nec ignoramus quanta faciat Deus pro his qui evangelicam legem perfecte custodiunt, quanta pro eis agat miracula, quomodo eos in vita, in morte, et post mortem mirificet, quam ineffabiliter eos vicissim consoletur, accendat, deificet, rapiat atque absorbeat. Quod qui experitur, de nullo adeo certus est sicut de fidei veritate christianæque legis san-
C ctitate.

Ait ergo beatus Apostolus : *Nam et ipsi* 1
scitis, fratres, id est, ideo dixi prædicta, videlicet quod alii annuntiant qualem introitum habuerimus ad vos, nam et vos ipsi, o fratres, scitis *introitum nostrum,* id est qualitatem adventus nostri, *ad vos* convertendos, *quia non inanis fuit,* id est non infructuosus, non levis, non sine de-
bito fine; *sed ante* accessum istum ad vos, 2
passi diversa tormenta, *et contumeliis affecti, sicut scitis* aliorum relatu vel pro-
D prio visu, *in Philippis,* urbe Macedoniæ vobis propinqua atque subjecta. Ibi enim
Paulus et Silas virgis cæsi et incarcerati, Act. xvi, 12 et seq.
imo durissime vincti fuerunt, occasione puellæ quam Paulus a spiritu pythonico liberavit. *Fiduciam habuimus in Deo nostro,* innitendo ejus auxilio, non propriis viribus, *loqui,* id est ad non inaniter loquendum, *ad vos Evangelium Dei in mul-*

ta sollicitudine, id est cum ingenti cura
ac diligentia.
3 *Exhortatio enim nostra,* id est prædi-
catio qua admonuimus vos, processit *non
de errore,* id est ex interiori falsitate aut
infidelitate, sicut exhortatio hæreticorum,
neque de immunditia, id est ex lascivo
affectu aut prava intentione ; *neque in
dolo* vobis proposita est : quia ut beatus
Job XIII, 7. Job loquitur, non indiget Deus nostro men-
4 dacio, ut pro illo dolos loquamur. *Sed
sicut probati,* id est approbati vel electi,
*sumus a Deo, ut crederetur nobis Evan-
gelium,* id est, prædicatio evangelicæ le-
gis nobis committeretur, *ita loquimur,*
sicut divinitus instituti sumus, *non quasi
hominibus placentes,* id est finaliter pla-
Ps. LII, 6. cere quærentes, quoniam Deus dissipavit
ossa eorum qui hominibus placent, *sed
Deo qui probat,* id est, per prospera et
adversa examinat, tentat et approbat, *cor-
da nostra,* aliisque probata ostendit : jux-
Sap. III, 6. ta illud Sapientiæ, Tanquam aurum in
fornace probavit electos Dominus, et qua-
si holocausti hostiam accepit illos.
5 *Neque enim aliquando fuimus in ser-
mone adulationis,* id est, nunquam vobis
adulanter locuti sumus, *sicut scitis.* Unde
Prov. XXIV, 28. in Proverbiis Salomon docet : Non lactes
quemquam labiis tuis ; et Psalmographus,
Ps. CXL, 5. Oleum peccatoris non impinguet caput
meum. *Neque in occasione avaritiæ,* id
est, temporale commodum nec directe nec
indirecte quæsivimus. *Deus testis est,* qui
Jer. XXIX, 23. apud Jeremiam dicit : Ego sum judex et
6 testis. *Nec quærentes ab hominibus glo-
riam,* id est laudem, famæ clarificatio-
nem, aut venerationem, videlicet *neque a*
7 *vobis, neque ab aliis : quum,* id est licet,
possemus vobis oneri esse, id est debitam,
imo et magnam venerationem a vobis exi-
gere, *ut Christi apostoli,* id est in quan-
tum summi Sacerdotis vicarii : non tamen
referendo honorem ad nos, sed ad Chri-
stum finaliter. Vel sic : Quum possemus
vobis oneri esse, id est gravamen quod-

A dam vobis inducere, requirendo a vobis
stipendia vitæ, ut Christi apostoli, qui spi- I *Cor.* IX, 11.
ritualia seminando, merentur vestra tem-
poralia metere, id est de vestris tempora-
libus sustentari ac vivere. *Sed facti sumus
parvuli,* id est humiles, *in medio vestrum,*
exemplo Christi dicentis : Ego in medio *Luc.* XXII, 27.
vestrum sum sicut qui ministrat ; *tan-
quam si nutrix foveat filios suos* proprio
lacte in gremio suo. *Ita,* id est tam affe- 8
ctuose, pie atque sollicite, *desiderantes vos
cupide,* id est, non bona vestra exteriora,
B aut temporalia emolimenta[1] optantes fer-
venter, sed vestram salutem, *volebamus
tradere vobis non solum Evangelium Dei,
sed etiam animas nostras,* id est nos ipsos
vel vitam nostram, quasi parati mori, pro
vestro profectu et vestro obsequio nos ex-
ponentes, *quoniam carissimi nobis facti
estis,* fidem recipiendo, tenendo, et opti-
me conservando. Ex iis liquet, bonum ac
licitum esse, interdum aliis demonstrare
dilectionis affectum qui ad ipsos habetur.
Hoc tamen interdum per accidens malum
C est, videlicet quoniam habet speciem adu-
lationis, vel quoniam generat alteri glo-
riam vanam.
Denique veritatem horum probat Apo-
stolus, per agnitionem eorum quibus hæc
mandat. *Memores enim estis, fratres, la-* 9
boris nostri et fatigationis, non solum in
prædicando, et cetera divini cultus officia
prosequendo, sed etiam manualiter labo-
rando. *Nocte ac die laborantes** manibus *operantes
nostris pro necessariis vitæ, *ne quem,* id
est aliquem, *vestrum gravaremus,* viven-
D do de sumptibus vestris, *prædicavimus in
vobis,* id est inter vos, *Evangelium Dei.*
Vos enim *testes estis, et Deus :* de quo in 10
Job dicitur, Ecce in cœlo est testis meus, *Job* XVI, 20.
et conscius meus in excelsis ; *quam san-
cte, et juste, et sine querela,* id est sine
offensa ac reprehensione, *vobis qui cre-
didistis, fuimus,* conversando inter vos
multum juste, sancte atque perfecte; *sic-* 11
ut scitis, qualiter unumquemque vestrum

1 Emolimenta *pro* Emolumenta. Cf. Cangii *Glossar.* V° Emolimentum.

sigillatim, vel omnes cum particulari de-
12 scensione, *(tanquam pater filios suos) de-*
precantes vos et consolantes, id est, tam
caritative ac diligenter deprecantes vos ad
faciendum quæ bona sunt, et consolantes
vos contra adversa, sicut pater proprios
filios consolatur et instruit, *testificati su-*
mus, id est, cum allegatione testimonio-
rum sacræ Scripturæ admonuimus, vel
sub testimonio Sanctorum adjuravimus, *ut*
ambularetis, id est, de virtute in virtutem
procederetis, *digne Deo,* id est tam reve-
renter ut decet summo Deo servire, et
ut digni sitis beatificari ab eo, *qui voca-*
vit vos, per suam inspirationem internam
et nostram prædicationem, *in suum re-*
gnum, id est ad militantis Ecclesiæ (quam
Deus nunc regit) societatem, vel, in re-
gnum suum cœleste, ad quod jam vocati
estis, *et gloriam,* id est ad beatitudinem
sempiternam.

13 *Ideo et nos gratias agimus Deo,* propter
beneficia vobis collata, *sine intermissione,*
id est omni tempore apto; *quoniam quum*
accepissetis a nobis verbum auditus Dei,
id est evangelicam prædicationem, quam
nos a Deo audivimus atque didicimus : de
Is. LIII, 1. quo verbo scriptum est in Isaia : Domi-
ne, quis credidit auditui nostro, id est ver-
bis quæ a te audivimus? *accepistis illud,*
non ut verbum hominum, id est non cum
mediocri attentione, vel consueta homi-
nibus reverentia, *sed sicut est vere, ver-*
bum Dei, id est cum summa devotione et
pleno affectu. Si enim Christus de sua
Joann. VII, 16. prædicatione testatur, Mea doctrina non
est mea, sed ejus qui misit me : multo
magis Apostoli dicere potuerunt, Nostrum
verbum non est nostrum aut humanum,
sed Dei atque divinum. *Qui* Deus *operatur*
in vobis qui credidistis, id est in vobis
credentibus. Operatur autem, non solum
præstando habitum gratiæ et virtutum,
sed etiam intus movendo et excitando ad
bonum.

Insuper laudat patientiam atque constan-
14 tiam Thessalonicensium. *Vos enim imita-*
tores facti estis, fratres, Ecclesiarum Dei

A *quæ sunt in Judæa,* id est Christifidelium
Judæorum, qui *in Christo Jesu* fundati
sunt. Primitiva enim Ecclesia in Judæa
collecta, perfectissimæ conversationis fuit :
ideo aliarum Ecclesiarum erat exemplar
seu forma vivendi. In quo autem illas imi-
tati sunt, adjecit : *quia eadem* in specie,
id est similia mala, *passi estis et vos a*
contribulibus, id est concivibus *vestris,*
sicut et ipsi a Judæis infidelibus, id est
qualia fideles Judæi a Judæis infidelibus.
Quemadmodum enim legitur in Actibus, *Act.* VIII, 1.
B Stephano occiso, facta est persecutio ma-
gna in Ecclesia Jerosolymitana, et infide-
les Judæi rapuerunt bona fidelium. De
qua persecutione ad Hebræos scribitur :
Rememoramini autem pristinos dies, in *Hebr.* X, 32, 34.
quibus magnum sustinuistis certamen pas-
sionum : nam et vinctis compassi estis, et
rapinam bonorum vestrorum cum gaudio
suscepistis. His ergo similia Thessaloni-
censes perpessi sunt a civibus suis.
Qui infideles Judæi *et Dominum occide-* 15
runt Jesum, quoniam mortem ejus procu- *Matth.* XXVII, 1, 2, 26.
C raverunt a præside, *et Prophetas* quosdam
novi Testamenti, multos quoque veteris
Testamenti Prophetas occiderunt. Non ta-
men iidem numero occiderunt Christum
et illos Prophetas. Sed loquitur de Judæis
communiter, prout omnes perversi, sunt
una generatio. Juxta quem modum ait Sal-
vator in Evangelio ad Judæos : Veniet su- *Ibid.* XXIII, 35.
per vos omnis sanguis justus, etc.; et se-
quitur : Zachariæ, quem occidistis inter
templum et altare. Hinc etiam in Actibus
Apostolorum, Stephanus loquens Judæis :
D Patres, inquit, vestri occiderunt eos qui *Act.* VII, 52.
annuntiaverunt de adventu Justi, cujus
vos nunc proditores et homicidæ fuistis.
Et nos apostolos ac primitivam Ecclesiam
persecuti sunt : ut patet in Actibus. Unde
dixit Christus Apostolis : Si me persecu- *Joann.* XV, 20.
ti sunt, et vos persequentur. *Et Deo non*
placent. Impossibile quippe est sine fide *Hebr.* XI, 6.
placere Deo. Unde apud Jeremiam Chri-
stus testatur : Facta est mihi hereditas *Jer.* XII, 8.
mea quasi leo in silva; dedit contra me
vocem suam, ideo odivi eam. Et in Osee :

Osee IX, 15. Exosos habui eos propter malitiam adin-
ventionum ipsorum; non addam ut dili-
gam eos. *Et omnibus hominibus adver-*
santur, id est, omnium salutem impedire
16 conantur. *Prohibentes nos gentibus loqui*
verbum Christi, *ut salvæ fiant* credendo
in Filium Dei, *ut impleant* prædicti Judæi
peccata sua semper, id est, incessanter
peccatis peccata adjiciant, donec in illis
miserabiliter consumantur. *Pervenit enim*
ira Dei, id est ultio divinæ justitiæ, sci-
licet excæcatio et obstinatio cordis eorum,
captivitas quoque per Romanos inflicta,
super eos, usque in finem sæculi duratu-
Dan. IX, 26, 27. ra, juxta illud Danielis : Civitatem et san-
ctuarium dissipabit populus cum duce
venturo, et finis ejus vastitas, et usque
in finem perseverabit desolatio. Hæc quo-
que regius Psaltes apertissime cecinit :
Ps. LXVIII, 24, 25. Obscurentur, inquiens, oculi eorum ne vi-
deant, et dorsum eorum semper incur-
va; effunde super eos iram tuam, et furor
iræ tuæ comprehendat eos. Unde in Isaia
Is. LXIII, 3. ait Salvator : Calcavi eos in furore meo,
et conculcavi eos in ira mea.
17 *Nos autem, o fratres, desolati a vobis,*
id est vestræ præsentiæ consolatione pri-
vati, *ad tempus :* privati, inquam, vestra
præsentia, *ore, adspectu,* id est quantum
ad vocalem collocutionem et corporalem
adspectum, *non corde,* id est non quan-
tum ad copulam caritatis : nam et spiritu
præsens sum vobis, et dilectione intimus;
abundantius solito *festinavimus faciem*
vestram videre, id est vobis corporaliter
præsentes adesse, *cum multo desiderio :*
18 *quoniam voluimus venire ad vos,* quia au-
divimus vos in tot persecutionibus con-
stitutos, propter quod optavimus vos ro-

A borare in Domino, *ego quidem Paulus et*
semel et iterum, id est, bis, ex quo recessi
a vobis, tentavi reverti ad vos; *sed im-*
pedivit nos Satanas Deo permittente, id
est, aliquam nobis occupationem procu-
ravit, per quam impediti sumus venire
ad vos.

Nec mirum quod voluimus venire ad
vos : *Quæ est enim spes nostra,* id est ma- 19
teria nostræ fiduciæ, qua confidimus fru-
ctuosam esse nostram prædicationem in
merito ac præmio, *aut gaudium,* id est
B materia nostræ consolationis in præsenti,
aut corona gloriæ, id est ornamentum fe-
licitatis nostræ futuræ? *Nonne vos,* disci-
puli nostri præclari, ex quorum sancta
conversatione speramus fructuosum esse
nostrum laborem, de quorum profectu
gaudemus, de quorum etiam beatificati-
one gloriaturi, copiosiusque glorificandi
sumus? Vos itaque estis hæc omnia no-
bis *ante Dominum nostrum Jesum Chri-*
stum, id est coram Christo : quod ma-
xime apparebit, *in adventu ejus* in die
C judicii.

Vos enim estis gloria nostra : quemad- 20
modum scriptum est, Filius sapiens est *Prov.* X, 1.
gloria patris. Nam de vestra fide ac per-
fectione gloriamur apud alias Ecclesias,
proponentes vos eis in exemplum. Estis
quoque *et gaudium* nostrum, id est ma-
teria nostræ consolationis in via, et aug-
mentum jucunditatis nostræ in patria. Un-
de ait Ambrosius : Manifestum est quod
perfectio discipulorum, gaudium et coro-
na est magistrorum. Fructus namque ma-
D gistri, obedientia est discipuli : cujus bo-
na conversatio, coronam, Christo judice,
dat magistro.

ARTICULUS III

EXPOSITIO CAPITULI TERTII : PROPTER QUOD NON SUSTINENTES AMPLIUS.

LOCIS divinæ Scripturæ facilibus im-
morandum non reor, nisi forte uberem
moralitatem contineant. Nunc ergo in lo-
cis epistolarum historicis atque facilibus
celerius transibo.
1 *Propter quod,* videlicet quoniam tantum
diligimus vos, *non sustinentes amplius,*
id est diutius non differentes nostræ ca-
ritatis affectum vobis ostendere, *placuit*
nobis, id est mihi et Silvano, *remanere*
Athenis gratia prædicationis, *solis,* id est
mihi et Silvano (ut dictum est), aliis di-
2 scipulis ad diversa loca destinatis. *Et mi-*
simus Timotheum fratrem nostrum, et
ministrum Dei in Evangelio Christi præ-
dicando, *ad confirmandos vos* in persecu-
tionibus constitutos, *et exhortandos* vos
pro fide vestra firmanda, id est, quatenus
roboremini semper in fide, cujus firmi-
3 tas omnium virtutum actus confortat ; *ut*
nemo vestrum *moveatur,* per impatienti-
am aut pusillanimitatem, *in tribulationi-*
bus istis præsentibus et transitoriis, quæ
Rom. VIII, 18. non sunt condignæ ad futuram gloriam.
II Cor. IV, 17. Nam supra modum æternum gloriæ pon-
dus operantur in nobis. Hinc ait Psalmi-
Ps. XII, 5. sta : Qui tribulant me, exsultabunt si mo-
tus fuero. Et Petrus ait in Canonica sua
I Petr. IV, 13. prima : Communicantes Christi passioni-
bus gaudete, ut et in revelatione gloriæ
ejus gaudeatis. *Ipsi enim scitis quod in*
hoc, id est ad sustinendum adversa, *positi*
Act. XIV, 21. *sumus* in isto exsilio : quia per multas
tribulationes oportet nos intrare regnum
I Petr. II, 19, 21. cœlorum. Propterea scriptum est : Hæc
est gratia, si propter Dei conscientiam sus-
tinet quis tristitias, patiens injuste : in
4 hoc enim vocati estis. *Nam et quum apud*
vos essemus, prædicebamus vobis passu-
ros nos tribulationes ab hominibus impiis
A propter justitiam, *sicut et factum est, et*
scitis verum esse quod diximus, jamque
impletum est.
Propterea, scilicet, ne moveamini in 5
tribulationibus istis, *et ego amplius non*
sustinens, id est diutius differre non va-
lens vestrum statum percipere, propter
ardentem amorem, qui facit sollicitum ip-
sum amantem de præcavendis amati pe-
riculis, *misi* Timotheum ad vos dudum
antequam scripsi ; vel, Misi præsentem
epistolam ; *ad cognoscendum fidem ve-*
B *stram,* id est, ut ab eo redeunte percipi-
am fidei vestræ stabilitatem, de qua cer-
tificari anxius cupio ; *ne forte tentaverit,*
id est, impugnaverit sive deceperit, *vos is*
qui tentat, id est diabolus, cujus officium
est tentare, *et inanis fiat labor noster,* id
est, prædicatio nostra infructuosa fiat,
quantum ad vos, quamvis nobis infru-
ctuosa esse non poterit.
Nunc autem, quum præsentem dicto 6
aut mitto epistolam, *veniente Timotheo,*
quem dudum ante editionem epistolæ hu-
C jus ad vos misi, *ad nos a vobis, et an-*
nuntiante nobis fidem et caritatem ve-
stram, id est perfectionem et opera fidei
caritatisque vestræ, *et quia memoriam*
nostri habetis bonam, id est sinceram ac
nobis perutilem, *semper desiderantes nos*
videre oculo corporali, *sicut nos quoque*
vos videre optamus ; *ideo consolati su-* 7
mus, fratres, in vobis, id est in conside-
ratione perfectionis et gratiæ vestræ, ve-
stroque profectui ex animo congaudemus,
in omni necessitate, id est penuria, *et*
D *tribulatione nostra :* consolati, inquam,
per fidem vestram, id est de fidei vestræ
stabilitate, *quoniam nunc vivimus* dele- 8
ctabiliter et jucunde, *si vos statis in Do-*

mino, firmiter adhærentes Deo per fi- A
dem, dilectionem et fortitudinem cordis. Et
9 merito consolati sumus : *Quam enim gra-*
tiarum actionem possumus Deo retribuere
pro vobis, nos constituti *in omni gaudio*
spirituali, *quo gaudemus propter vos*, id
est propter beneficia vobis collata, gau-
demus autem *ante Dominum nostrum*, id
est in conspectu divino, videlicet juste et
religiose et in divinæ præsentiæ luce con-
stituendo nos ipsos? quasi dicat : Dignas
et sufficientes rependere gratiarum actio-
nes non possumus, quia de vestris sicut B
10 de propriis gloriamur profectibus. *Nocte*
ac die, id est certis horis diei noctisque,
abundantius, id est plus solito, *orantes*
Deum, *ut videamus facies vestras*, id est,
ut dirigat Deus viam nostram ad vos, *et*
compleamus ea quæ desunt fidei vestræ, id
est, notitiam Scripturarum qua fides per-
ficitur, plenius vobis jam imprimamus,
quoniam capaciores nunc estis quam olim.
11 *Ipse autem Deus et Pater*, id est Pater
æternus, *et Dominus Jesus Christus*, qui
sunt unus director, *dirigat viam nostram*, C
id est gressum pedum nostrorum, *ad vos*.
Vos autem Dominus multiplicet merito 12
et numero, *et abundare faciat caritatem*
vestram in invicem et in omnes, id est,
hoc tribuat vobis, ut ferventer diligatis
mutuo et ceteros omnes, *quemadmodum*
Deus fecit *et nos* caritate abundare *in vo-*
bis : ad confirmanda, id est, ut carita- 13
tive confirmemus, *corda vestra*, ut sint
sine querela in sanctitate, id est irrepre-
hensibiliter sancta, *ante Deum et Patrem*
nostrum, non solum coram hominibus qui
decipi possunt ; et ut talia inveniantur
in adventu Domini nostri Jesu Christi
cum omnibus Sanctis ejus, id est in die
judicii, quando Salvator venturus est cum
omnibus cœli civibus ad finale judicium,
sicut in Isaia legitur : Dominus ad judi- *Is.* III, 14.
cium veniet cum senioribus populi sui
et principibus ejus ; et in Zacharia, Veniet *Zach.* XIV, 5.
Dominus Deus meus, omnesque Sancti
ejus cum eo. Unde et Judas in sua ait Ca-
nonica : Ecce veniet Dominus in sanctis *Judæ* 14,15.
millibus suis facere judicium, et arguere
omnes impios. *Amen*.

ARTICULUS IV

EXPOSITIO CAPITULI QUARTI : DE CETERO ERGO, FRATRES, ROGAMUS VOS ET OBSECRAMUS, ETC.

COMMENDATIONE perfectorum indu-
cta, descendit Apostolus ad specia-
lem instructionem imperfectorum. Quam- D
vis enim Ecclesia Thessalonicensium pro
majori parte fuerit virtutibus probata, qui-
dam tamen eorum certis vitiis servierunt,
quos præsenti capitulo Apostolus corrigit
et informat : primo, fornicarios. Gentiles
quippe fornicationem simplicem reputa-
verunt licitam : propter quod quidam
eorum, etiam post conversionem, proni
erant ex pristina consuetudine ad forni-
cationem.
1 Ait ergo sanctus Apostolus : *De cetero*
ergo, fratres, id est, quoniam tantas pro
vobis Domino gratiarum actiones et pre-
ces obtulimus, proinde *rogamus vos, et*
obsecramus, id est, per sacrorum comme-
morationem precamur, *in Domino Jesu*,
id est secundum voluntatem et instituti-
onem Christi, *ut quemadmodum accepi-*
stis, id est didicistis, *a nobis* sermone et
opere, *quomodo vos oporteat ambulare*,
id est, quam timorate et reverenter ne-
cesse sit vobis Deo servire, ambulando
per arctam viam quæ ducit ad vitam, *et* *Matth.* VII, 14.
placere Deo per quotidianum profectum,
sic et ambuletis, id est, taliter ambuletis

Luc. i, 74, 75. coram Domino, serviendo ei in sanctitate A
atque justitia cunctis diebus, per vias,
observationes seu operationes mandato-
rum cœlestium; *ut abundetis magis* in
spiritualibus divitiis, quæ sunt splendor
gratiæ, virtutes atque scientiæ. Denique
2 ideo obsecro hæc : *Scitis enim quæ præ-
cepta dederim vobis,* quum apud vos es-
sem, *per Dominum Jesum,* id est Christo
loquente ac præcipiente per me.
3 *Hæc est enim voluntas Dei,* id est res
placens Deo, vel mandatum, signum ex-
sistens voluntatis divinæ antecedentis vel B
consequentis, *sanctificatio vestra,* id est
purgatio a peccatis : prout a B. Petro in-
II Petr. iii, 9. ducitur, Patienter agit Dominus propter
vos, nolens aliquem perire, sed omnes
ad pœnitentiam reverti ; *ut abstineatis
vos a fornicatione,* quæ est mortale pec-
I Cor. vi, 18. catum. Nam et qui fornicatur, peccat in
4 proprium corpus. *Ut sciat* scientia effi-
caci et virtuosa *unusquisque vestrum vas
suum,* id est proprium corpus, *possidere,*
ipsum per rationem regendo, ne posside-
amur ab eo, sensualitate rationi prævalen- C
te : possidere, inquam, *in sanctificatione,*
id est virtutum et castitatis munditia, *et
honore,* id est in statu honesto, carnalium
5 vitiorum turpitudinem fugiendo ; *non in
passione desiderii,* id est non in carnali
concupiscentia, ei consentiendo, vel eam
opere exsequendo, *sicut et gentes quæ
ignorant Deum,* loquendo de cognitione
Tit. i, 16. formata atque distincta. Nam etsi dicant
se nosse Deum, tamen opere negant. Unde
Galat. v, 24. Galatis dictum est : Qui autem sunt Chri-
sti, carnem suam crucifixerunt cum vitiis D
et concupiscentiis. Apud Ecclesiasticum
Eccli. xxiii, 6. quoque orat vir sapiens : Aufer a me ven-
6 tris concupiscentias, et concubitus con-
cupiscentia non apprehendat me. — *Et
ne quis supergrediatur,* id est, alium vio-
lenter suppeditet, sive impie opprimat,
neque circumveniat, id est decipiat, *in
negotio* aliquo *fratrem,* id est proximum
suum : quoniam vindex, id est justus ul-
tor, *est Dominus de his omnibus* vitiis,
sicut prædiximus vobis et testificati su-

mus, id est, firmiter asseruimus. Scri-
ptum est enim in Levitico : Non facies Lev. xix, 13.
calumniam proximo tuo, nec vi opprimes
eum. Et sicut Jacobus asserit, Judicium Jacob. ii, 13.
sine misericordia fiet ei qui non fecerit
misericordiam : quanto magis ei qui fe-
cerit fraudem aut violentiam?
Non enim vocavit nos Deus in im- 7
munditiam, id est ad hoc ut sordibus
peccatorum contaminemur, *sed in san-
ctificationem :* juxta illud Zachariæ, Ser- Luc. i, 74, 75.
viamus illi in sanctitate et justitia. Ideo
in Deuteronomio Moyses loquitur : Per- Deut. xviii, 13.
fectus et absque macula eris cum Domi-
no Deo tuo. Similitudo quippe est causa
amoris. Propterea sanctus Dominus Deus
noster sanctos requirit ministros, secun-
dum quod ait in Levitico : Nolite conta- Lev. xi, 43, 44.
minare animas vestras. Ego enim sum
Dominus Deus vester. Sancti estote, quo-
niam ego sanctus sum. Vult ergo clemen-
tissimus Deus, pater piissimus, ut ei in
virtutibus assimilemur.
Itaque qui hæc præcepta *spernit, non* 8
hominem spernit, id est, non solum me,
vel alium Dei ministrum, ex parte Dei ista
jubentem, contemnit seu vilipendit, non
satagens obedire, *sed Deum* principaliter
spernit seu inhonorat. Cui consonat quod
apud Lucam ait Salvator : Qui vos audit, Luc. x, 16.
me audit ; et qui vos spernit, me spernit.
Unde et Moyses filiis Israel loquens : Non Exod. xvi, 8.
contra nos, inquit, est vestrum murmur,
sed contra Deum. Christi ergo vicariis
tanquam Christo, reverenter ac prompte
obedire debemus. *Qui etiam* Pater vel Fi-
lius *dedit Spiritum Sanctum suum in
nobis,* id est, cordibus nostris illum in-
fudit, conferendo nobis dona ipsius : ut
dictum aliis locis est plenius. Unde apud
Romanos testatur : Caritas Dei diffusa est Rom. v, 5.
in cordibus nostris per Spiritum Sanctum,
qui datus est nobis. Et apud Joannem
Christus loquebatur discipulis : Ego ro- Joann. xiv, 16, 17.
gabo Patrem, et alium Paracletum dabit
vobis, Spiritum veritatis.
De caritate autem fraternitatis, id est 9
dilectione fraterna et opere ejus, *non ne-*

cesse habuimus scribere vobis perfectio- A
ribus ; *ipsi enim vos a Deo* per Spiritus
Sancti illustrationem *didicistis :* ut ait Jo-
I *Joann.* II, 27. annes : Non necesse habetis ut aliquis
vos doceat, sed unctio ejus docet vos de
omnibus. Itaque didicistis a Deo, a quo
Ps. XCIII, 12. qui eruditur, beatus est, *ut diligatis in-
vicem.* Unde et magister Dominus noster :
Joann. XIII, 35. In hoc, inquit, cognoscent omnes quia di-
scipuli mei estis, si dilectionem habue-
10 ritis ad invicem. *Etenim facitis illud in
omnes fratres,* id est, caritatis fraternæ
affectum et opus fratribus cunctis impen- B
ditis, *in universa Macedonia,* cujus urbs
vestra, metropolis est.

*Rogamus autem vos, fratres, ut abun-
detis magis* in dilectione ceterisque vir-
11 tutibus, *et operam detis,* id est, diligen-
tiam et conamen adhibeatis, *ut quieti
sitis,* curiositatem et loquacitatem ac eva-
gationes seu discursus vitando. Ait enim
Is. LXVI, 1, 2. Deus sublimis apud Isaiam : Super quem
requiescet Spiritus meus, nisi super quie-
tum et humilem? Rursusque alibi apud
Ibid. XXX, 15. eumdem : Si revertamini et quiescatis, C
salvi eritis ; in silentio et spe erit forti-
Thren. III, 26. tudo vestra. Denique bonum est cum si-
lentio præstolari salutare Dei. Anima quo-
que, secundum Aristotelem, quiescendo
fit prudens. *Et ut vestrum negotium aga-
tis,* id est, quisque faciat quod ad se per-
tinet, nec cum alienis et impertinentibus
causis se occupet, ut sit vobis caritas
ordinata. *Et operemini manibus vestris*
opera utilia. Otia enim dant vitia, juxta
Eccli. XXXIII, 29. illud Ecclesiastici : Multam malitiam do-
cuit otiositas. Hinc namque de impiis ca- D
Ps. LXXII, 5, 6. nit Psalmista : In labore hominum non
sunt, et cum hominibus non flagellabun-
tur : ideo tenuit eos superbia, operti sunt
iniquitate et impietate sua. Nec mirum,
Job V, 7. quia ut dicitur in Job, homo ad laborem
nascitur, et avis ad volandum. Unde in
Ezech. XVI, 49. Ezechiele legitur : Hæc fuit iniquitas So-
domæ, superbia, saturitas panis, et abun-
dantia, et otium ejus. Itaque operamini,
12 *sicut præcepimus vobis. Et ut honeste am-
buletis ad eos qui foris sunt,* id est, coram
extraneis exemplariter irreprehensibiliter-
que vivatis. *Et nullius aliquid desidere-
tis* sine rationabili causa. Unde hoc verbo
avaritia prohibetur, quemadmodum etiam
in Exodo dicitur : Non concupisces rem *Exod.* XX, 17.
proximi tui. His itaque verbis curiosi,
inquieti seu vagabundi, et cupidi notan-
tur ac corriguntur.

Consequenter docet Apostolus eos qui
de futura resurrectione minus plene spe-
rabant, atque ob hoc de amicorum suo-
rum morte immoderate dolebant, ac si
omnino perissent. Itaque ait : *Nolo* au-* 13
tem vos ignorare, fratres, fidei veritatem **Nolumus*
de dormientibus, id est defunctis : qui
per comparationem ad divinam virtutem,
dormire censentur, quia facilius a Deo
suscitabuntur, quam dormiens ab homi-
ne excitetur. Unde apud Danielem Ga-
briel : Multi, inquit, de his qui dormiunt *Dan.* XII, 2.
in pulvere terræ, evigilabunt. Hinc etiam
Christus apud Joannem loquitur : Laza- *Joann.* XI, 11.
rus amicus noster dormit, sed vado ut
a somno suscitem illum. Loquitur autem
Scriptura de quadruplici dormitione seu
somno, videlicet : de somno naturæ quo-
tidiano ac solito, de quo in Marco legi-
mus : Erat Jesus in puppi super cervical *Marc.* IV, 38.
dormiens. De somno culpæ, de quo ad
Romanos : Tempus est jam nos de som- *Rom.* XIII, 11.
no surgere. De somno mortis, sicut in
libris Regum de unoquoque pene habe-
tur : Dormivit cum patribus suis. De som-
no item contemplationis, de quo in Ge-
nesi : Misit Dominus soporem in Adam ; *Gen.* II, 21.
et in Canticis, Somnus meus dulcis gutturi *Cf. Cant.* II, 3.
meo. *Ut non contristemini* de morte pro-
pinquorum et carorum vestrorum inor-
dinate, ac si illi penitus esse desinerent,
et nunquam eis reuniri possetis, *sicut et
ceteri* tristantur *qui spem* futuræ resur-
rectionis *non habent.* Non enim pereunt
nobis proximi nostri per mortem. Unde
dicitur Deus sancto Job omnia reddidisse *Job* XLII, 10.
dupla, quamvis non habuerit plures fi-
lios ac filias post, quam ante. Nam et
defuncti remanserunt denuo vivificandi.
Possumus ergo, et aliquando debemus, de

morte proximorum tristari ac flere : pri-
mo, propter naturalis pietatis affectum ;
secundo, propter monstrandum dilectionis
indicium ; tertio, ad consolationem alio-
rum ; quarto, propter damnum quod incur-
rit Ecclesia ex morte justorum. Sic Am-
brosius planxit devotos sacerdotes.
14 *Si enim credimus :* quod utique necesse
est credere : *quod Jesus mortuus est* in
die Parasceves, *et resurrexit* tertio die ;
ita credendum est quod *et Deus* Trinitas,
eos qui dormierunt, id est defuncti sunt,
per Jesum, id est in fide et gratia Christi
(qui obdormierunt in Domino, sicut et de
Act. VII, 59. Stephano scriptum est in Actibus aposto-
licis), *adducet* ad regnum cœleste, beati-
ficatos in anima et corpore, *cum eo,* id
est cum Christo, qui peracto judicio cum
electis ascendet ad cœlos. Ideo apud Jo-
Joann. XVII, 24. annem ait : Pater, quos dedisti mihi, volo
ut ubi sum ego, et illi sint mecum, ut
videant claritatem meam. Vel, Adducet
cum eo, quia electi qui interim moriun-
tur et glorificantur, simul cum Christo et
in ejus ducatu ad judicium venient.
Insuper ponit Apostolus modum ac or-
15 dinem resurrectionis futuræ. *Hoc enim
vobis dicimus in verbo Domini,* id est in
doctrina Christi, videlicet sicut a Deo di-
dicimus, nec proprio sermone utimur ;
quia nos qui vivimus, qui residui sumus,
id est illi ex nostris qui in die judicii
fuerint vivi inventi atque superstites, ita
quod nec ab Antichristo, nec aliunde oc-
cisi sunt, *in adventu Domini,* id est Chri-
sto ad judicium descendente, *non præve-
niemus eos,* id est, non resurgemus ante
eos, *qui dormierunt,* id est, qui longo tem-
pore ante defuncti fuerunt. Omnes enim
simul resurgent, quoniam resurrectio erit
in instanti, aut certe in brevissimo tem-
I *Cor.* XV, 52. pore, sicut prædixit Apostolus : In mo-
mento, in ictu oculi. Connumerat autem
se Apostolus illis qui tunc erunt, pro-
pter unitatem mystici corporis Christi :
quod prima facie non intelligentes Thes-
salonicenses, putabant judicium genera-
le tempore Apostoli consummandum. Et

A hac occasione scripsit eis secundam epi-
stolam.
Quod autem non præveniemus illos, se-
cundum hunc sensum, hinc constat : *Quo-* 16
niam ipse Dominus Christus *in jussu,* id
est actuali imperio, quo mortuorum re-
surrectionem jubebit, *et in voce archan-
geli,* id est facta a se ipso, qui est magni *Is.* IX, 6, juxta LXX.
consilii Angelus, angelorumque princeps :
de qua ait apud Joannem, Veniet hora, *Joann.* V, 28.
in qua omnes qui in monumentis sunt,
audient vocem Filii Dei. Vel, In voce ar-
B changeli, id est Michaelis, qui est princeps *Dan.* XII, 1.
et custos Ecclesiæ, qui Deo jubente di-
cturus est : Surgite, mortui, venite ad
judicium. Multi autem angelorum mini-
sterium exhibebunt circa mortuorum re-
surrectionem, cineres colligendo, suscitan-
do, ad locum judicii deferendo, magnum
quoque terrorem terribili voce impiis in-
cutiendo. Propter quod in Matthæo legi-
mus : Mittet angelos suos cum tuba. Unde *Matth.* XXIV, 31.
jam subditur : *et in tuba Dei,* id est cum
prædicta voce archangeli vel imperio Chri-
C sti : quæ nomine tubæ designantur, quo-
niam alte et clare sonabunt ; vel, propter
similitudinem tubæ corporeæ veteris Te-
stamenti, per quam Judæi congregabantur
ad concilium, commovebantur ad præli-
um, vocabantur ad festum. Simili modo
hac tuba resurgentes congregabuntur ad
concilium judicii, ad prælium quoque quo
orbis terrarum pugnabit contra insensa- *Sap.* V, 21.
tos, et ad solennitatem æternam. *Descendet*
in propria persona atque visibili forma,
de cœlo empyreo, juxta illud Apocaly-
D psis : Ecce venit cum nubibus, et videbit *Apoc.* I, 7.
eum omnis oculus, et qui eum pupu-
gerunt.
Et mortui qui in Christo sunt, id est,
qui interim in Christo per mortem quie-
verunt, *resurgent primi. Deinde nos qui* 17
vivimus, id est, qui tunc vivi invenien-
tur, *qui relinquimur,* id est, qui usque
ad diem illum in vita dimittentur, et sic-
ut jam dictum est, residui erunt, *simul,*
id est pariter et eodem momento, *rapie-
mur* ab angelis *cum illis* qui ante nos

quieverunt, *in nubibus*, quæ nos susci- Act. I, 9. pient, sicut Christum ascendentem nubes suscepit, *obviam Christo in aera :* quia et nos in aerem transferemur sive levabimur, et Christus descendet in aerem super vallem Josaphat. Propter quod apud Matth. XXV, 6. Matthæum inducitur : Media nocte clamor factus est, Ecce sponsus venit, exite obviam ei. Unde in Joele Deus loquitur : Joel III, 12. Consurgant et ascendant gentes in vallem Josaphat, quia ibi sedebo ut judicem omnes gentes in circuitu. *Et sic semper*, id est æternaliter, *cum Domino erimus* Matth. XXV, 34. in patria, prolata illa sententia : Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.

Præterea magna est difficultas, quomodo intelligendus sit iste priorum hujusmodi ac posteriorum ordo, de quibus dicit Apostolus : Mortui qui in Christo sunt, resurgent primi ; deinde nos qui vivimus, qui relinquimur. Nunc enim prædictum I Cor. XV, 52. est, quod omnes mortui simul resurgent etiam in momento ictuque oculi : instantanea quippe erit resurrectio, quoad id quod fiet a Deo, videlicet quantum ad ipsam animæ et corporis reassociationem. Virtus enim divina, quum sit infinita, operatur in instanti. Quantum vero ad id quod fiet ministerio angelorum, scilicet quoad cinerum collectionem, erit in brevissimo et (ut communiter dicitur) imper-

A ceptibili tempore. Non ergo intelligi potest de prioritate ac posterioritate temporali; sed nec de prioritate et posterioritate dignitatis intelligi potest, præsertim quum aliqui perfectissimi homines tunc vivi invenientur, qui nequaquam inferiores erunt omnibus qui ante eos in Christo quieverunt.

Quidam igitur responderunt, quod quidam resurgent ante alios tempore. Et ad verba Apostoli dicunt, quod licet singuli resurgent in momento, non tamen omnes B eodem momento. Lyra autem exponit alio modo. Cujus expositio quamvis sit vera, tamen ex textu elici non potest : nam et multa verba subintelligit. Unde nec commemoranda videtur. Mihi vero (meliori salvo judicio) apparet, quod ista prioritas ac posterioritas referendæ sint ad ordinem quo incipit reparatio ubi desiit destructio. — De vivis autem qui in die judicii invenientur in terra, aliqui dicunt quod in raptu quo rapientur in aera, morientur et incinerabuntur, simulque cum C aliis suscitabuntur. Secundum primam responsionem hanc dici potest, quod prædicta prioritas et posterioritas resurrectionis erit temporalis : alii namque ante
hunc raptum resurgent. Communius tamen tenetur, quod in igne conflagrationis morientur. [*Itaque consolamini invi-* 18
cem in verbis istis.]

ARTICULUS V

EXPOSITIO CAPITULI QUINTI : DE TEMPORIBUS AUTEM ET MOMENTIS NON INDIGETIS UT SCRIBAMUS VOBIS.

LOCUTUS est in præcedenti capitulo Apostolus de resurrectione futura et die judicii ; nunc reddit discipulos cautos circa exspectationem illorum, ponitque doctrinas saluberrimas, compendiosas, moralitate repletas : quas qui impleverit, futurum illud judicium secure exspectat.

D Itaque ait : *De temporibus autem* se- 1
cundi adventus Christi seu resurrectionis
communis, videlicet quot anni restent antequam compleatur, *et momentis*, id est determinata hora qua venturus est Christus, *non indigetis ut scribamus vobis*, quia quod sciri potest de hoc, vobis jam

2 constat (sicut subjungitur). *Ipsi enim di-*
ligenter scitis, id est, cum magna adver-
tentia cognoscitis, *quia dies Domini,* id
est hora finalis judicii : quæ dicitur dies,
non solum propter solis illustrationem,
sed et propter omnium operum hominum
I Cor. iv, 5. manifestationem : tunc enim illuminabit
Dominus abscondita tenebrarum; *sicut fur*
in nocte, ita veniet, id est, latenter, im-
provise et subito accidet, sicut fur tem-
pore noctis domum ingreditur; vel, Sicut
fur, id est improvise, in nocte, ita veniet,
id est, latenter adveniet, ad similitudi-
Matth. xxv, 6. nem furis. Unde in Matthæo legimus : Me-
dia nocte clamor factus est, Ecce sponsus
3 venit. *Quum enim dixerint* impii : *Pax*
nobis est, id est quies a malis præsenti-
bus, *et securitas* a futuris periculis; *tunc*
repentinus eis superveniet interitus, id
est subitanea perditio diei judicii, *sicut*
dolor in utero habentis, id est tam pœna-
lis, quam est cruciatus mulieris parturi-
entis, *et non effugient* mortem et judicis
manum.
Istud ergo scitur de tempore et mo-
mento futuri judicii, quod improvise ve-
niet, atque celerrime finietur, sicut apud
Ibid. xxiv, 27. Matthæum legimus : Sicut fulgur exit ab
oriente, et apparet usque in occidentem,
ita erit adventus Filii hominis. Quod vero
de tempore et momento scire non pote-
stis, videlicet determinatam horam ejus,
et quantum distet, nec mihi Paulo apo-
stolo innotescit. Propter quod ait Salvator
Act. i, 7. in Actibus Apostolorum : Non est vestrum
nosse tempora et momenta, quæ Pater
Matth. xxiv, 36. posuit in sua potestate; et alibi, De die
autem illa et hora nemo scit, neque an-
geli cœlorum.
4 *Vos autem, fratres, non estis in tene-*
bris ignorantiæ et peccati, *ut vos dies il-*
la tanquam fur comprehendat, id est, in
die illa improvise comprehendamini atque
damnemini a Christo judice metuendo. —
Occasione hujus verbi apparet quibus-
dam, quod in isto capitulo loquatur Apo-
stolus potius de die particularis judicii,
qua quilibet visitatur per mortem, et
A judicatur a Christo. Sciebat namque Apo-
stolus diem finalis judicii multum dista-
re : idcirco de illa non dixisset hominibus
sui temporis, Vos autem in tenebris non
estis, etc., quasi, si in tenebris essent, ab
illa die comprehendi potuissent. Sed istud
facile solvitur. Sicut enim in præcedenti
capitulo dixit Apostolus de longe futuris,
eis videlicet qui erunt viventes circa diem
judicii, in sua persona, Nos qui vivimus, *I Thess. iv, 15.*
qui residui sumus, etc., ita hoc loco per
præsentes, designat futuros electos, pro-
B pter unitatem mystici corporis Christi.
Verumtamen omnia jam inducta, expo-
ni possunt de die particularis judicii. Ut
sit sensus : *De temporibus autem et mo-*
mentis, id est, qua die et qua hora qui-
libet vestrum moriturus et judicandus sit
a Christo, *non indigetis ut scribamus vo-*
bis. Nam ita incertum est tempus et mo-
mentum hujus judicii, sicut illius, nec
spectat ad vos talia scire. Unde ait Sal-
vator : Vigilate itaque, quia nescitis diem *Matth. xxv, 13.*
neque horam. Quod autem sciri de hoc
C potest, scitis. *Ipsi enim diligenter scitis*
quia dies Domini, id est dies particularis
judicii : quæ dicitur dies Domini, quia
in ea facit Dominus cum moriente parti-
culare judicium ; *sicut fur in nocte,* id
est improvise et subito, *ita veniet :* juxta
illud, Qua hora non putatis, Filius ho- *Luc. xii, 40.*
minis veniet. Et Isaias : Veniet super te *Is. xlvii, 11.*
malum atque calamitas, et nescies ortum
eorum ; veniet super te miseria repente.
Quum enim dixerint homines carnales,
Pax et securitas, arbitrantes diu in de-
D liciis vivere, prout apud Lucam quidam
eorum effatur : Anima, habes multa bo- *Luc. xii, 19.*
na reposita in annos plurimos ; requiesce,
comede, bibe, epulare ; *tunc repentinus*
eis superveniet interitus, id est mors im-
provisa ac subita, sicut prædictis verbis
evangelicis additur : Dixit autem illi Deus : *Ibid. 20.*
Stulte, hac nocte animam tuam repetent
a te.
Denique super hæc verba, Quum dixe-
rint, Pax et securitas, tunc repentinus eis
superveniet interitus, dicit glossa : Mini-

stri Antichristi eo occiso in diebus sequentibus gaudebunt, ducentes uxores, convivia celebrantes, et joca diversi generis exercentes, ac dicentes : Licet princeps noster mortuus sit, nos tamen pacem habemus et securitatem. Et quum talia dixerint, repentinus eis superveniet interitus. Hanc glossam reprobat quidam hoc loco, sic dicens : Illud non videtur convenienter dictum. Glossa enim præmittit quod Antichristus fulminabitur, et maxima pars sui exercitus cum ipso peribit. Non ergo est verisimile quod remanentes, erunt in tanta securitate, sed potius in timore. Et ita glossa sibimetipsi repugnare videtur. Item est contra commune dictum Sanctorum et doctorum, qui communiter asserunt omnes ad Christum convertendos, Antichristo occiso et ejus falsitate detecta.

Porro ad salvandum veritatem glossæ, et harum objectionum solutionem, hujusque dicti confutationem, primo inducenda est Scriptura canonica. Ait namque Salvator : Sicut fuit in diebus Noe, ita erit adventus Filii hominis. Sicut enim erant, inquit, in diebus Noe comedentes et bibentes, nubentesque et nuptui tradentes usque in eum diem in quo introivit in arcam Noe, et non cognoverunt donec venit diluvium et tulit omnes, ita erit adventus Filii hominis. (*Matth.* xxiv, 37-39. *Gen.* vi, vii.) Ex verbis his evidentissime constat, quod aliqui impii erunt in mundo, prædictis intenti operibus usque ad ipsum Christi adventum seu diem judicii. Præterea, verba Apostoli quibus dixit, Quum dixerint, Pax et securitas, Augustinus exponit de carnalibus qui non arescent præ timore et exspectatione futuri judicii. (*Luc.* xxi, 26.) Non ergo simpliciter omnes, boni erunt. — Quod ergo primo arguitur, non esse verisimile quod post occisionem Antichristi, ministri ejus gaudebunt in malis, dico cum Salomone, quia quem Deus spernit, nullus corrigere potest. (*Eccle.* vii, 14.) Ideo reprobi illi non corrigentur, visis tot signis quibus merito corrigerentur. Et hoc utique verisimile est. Legitur enim in libro Numerorum, quod postquam terra deglutivit Datan et Abiron et Core in conspectu filiorum Israel, ignis quoque devoravit ducentos quinquaginta viros fautores eorum, nihilo minus filii Israel die sequenti insurrexerunt contra Moysen et Aaron. (*Num.* xvi, 31-35, 41.) Denique Pharao rex Ægypti quantas Dei plagas et signa vidit ac passus est? (*Exod.* vii-x, xii, xiv.) Non tamen se correxit. Gregorius quoque recitat de quibusdam, qui visis pœnis futuris, redierunt ad corpus, et tamen in vitiis permanserunt. — Præterea quod quidam asserit, glossam esse contra commune dictum Sanctorum et doctorum, nequaquam putandum est. Nam et glossa illa non est verbum glossatoris, videlicet Petri Lombardi, sed expositio Haymonis. Et idem dicunt Beda, Gorra, multique alii. Verum est tamen, quod Sancti affirmant totum mundum convertendum ad Christum, Antichristo occiso : quod non est intelligendum tam absolute, quod singuli convertentur, sed quia tam multi convertendi sunt, quod comparatione eorum alii erunt paucissimi. Nunc quippe sunt multi vocati et pauci electi, in terra vel in sæculo isto, tunc autem erit opposito modo. (*Matth.* xx, 16.)

Cur vero Thessalonicenses non sint in tenebris, subdit Apostolus. *Omnes enim* 5
vos filii lucis increatæ, videlicet Christi, *estis :* qui ait, Ego sum lux mundi; de quo refert Evangelista : Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem. (*Joann.* viii, 12. *Ibid.* i, 9.) Vel, Filii lucis, id est gratiæ et fidei. Unde ait Salvator : Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis. (*Ibid.* xii, 36.) *Et filii diei,* id est temporis gratiæ seu novi Testamenti, atque virtutum. Unde ad Romanos dictum est : Nox præcessit, dies autem appropinquavit ; et Zacharias ait, Applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa. (*Rom.* xiii, 12. *Zach.* ii, 11.) Christus quoque per diem intelligi potest, sicut in Hymno cantatur : Christe, qui lux es et dies, etc. *Et non estis noctis,* id est temporum justæ ultionis : de quibus in Actibus Apostolorum legimus, Tempora prioris ignorantiæ despiciens Deus. (*Act.* xvii, 30.) *Neque* estis *tenebrarum,* id est vitiorum ac di-

versorum errorum : hoc est, non perti-
netis ad tempora reprobationis et iræ, nec
vitiis deservitis, sed estis in tempore gra-
tiæ et statu salutis.
6 *Igitur non dormiamus* somno culpæ,
torpendo in vitiis, *sicut et ceteri* ignavi,
negligentes et intimorati; *sed vigilemus*,
id est, vigili mente insistamus divinis :
non enim dormientibus, sed vigilantibus
provenit regnum Dei ; *et sobrii simus*
7 temperantiam observando. *Qui enim dor-
miunt,* jacendo in vitiis, *nocte dormi-
unt,* id est, tempore suæ internæ cæcitatis
seu ignorantiæ hoc faciunt. Omnis enim
peccans, est ignorans, secundum Diony-
sium et Aristotelem. *Et qui ebrii sunt,*
gulose vivendo, *nocte ebrii sunt,* id est,
in mentis caligine tales consistunt, ita ut
8 rationis et gratiæ lumine sint privati. *Nos
autem qui diei sumus,* id est, claritati vir-
tutum intendimus, *sobrii simus,* quatenus
I *Tim.* VI, 8. habentes victum et vestitum, contenti si-
Prov. XXX, 8. mus. Unde et Sapiens orat : Tantum vi-
ctui meo tribue necessaria. *Induti lori-
cam fidei et caritatis,* id est sic interiora
nostra armantes seu munientes fide, quan-
tum ad intellectum, et caritate, quantum
ad voluntatem, quemadmodum armatur
corpus materiali lorica, *et galeam spem
salutis,* id est, spe futuræ beatitudinis mu-
niamus animam nostram, sicut defenditur
Rom. VIII, 24. corpus galea corporali. Nam et spe salvi
Ps. XXV, 1; facti sumus; et omnes qui sperant in Do-
I *Mach.* II, 61. mino, non infirmantur.
9 *Quoniam non posuit nos Deus* in hoc
mundo, vel in statu fidei christianæ, *in
iram,* id est ad hoc ut pereamus, *sed in
acquisitionem salutis,* id est ad hoc ut
æternam felicitatem mereamur, *per Domi-
num nostrum Jesum Christum,* id est vir-
10 tute et gratia ejus, *qui mortuus est pro
nobis* salvandis; *ut sive vigilemus*, id est,
in hac carne vivamus, seu exterioribus
sensibus et ratione utamur, *sive dormia-
mus* dormitione somni naturalis vel mor-
tis corporalis, *simul cum illo vivamus,* id
est, in Christo vitam gratiæ vel gloriæ ha-
11 beamus. *Propter quod consolamini invi-*

A *cem,* id est, unus alium consoletur si in-
diget : juxta illud Ecclesiastici, Ne desis *Eccli.* VII, 38.
plorantibus in consolatione; *et ædificate
alterutrum,* id est, mutuo exemplares es-
tote in verbis et actibus, ne quis ponat *Rom.* XIV, 13.
offendiculum proximo; *sicut et facitis.*
Consequenter Apostolus instruit subdi-
tos. *Rogamus autem vos, fratres, ut no-* 12
veritis per effectum, id est, nosse vos de-
monstretis, *eos qui laborant inter vos, et
præsunt vobis in Domino, et monent vos,*
id est officiales superioresque vestros, qui
B in spiritualibus et temporalibus provi-
dent vobis, et de vestra salute solliciti
sunt, *ut habeatis illos abundantius* soli- 13
to et magis quam ceteros *in caritate,*
diligendo eos ferventer tanquam patres
spirituales ac pastores : quos tanto fer-
ventius amare debetis, quanto majora ab
eis sortimini bona. Et hunc amorem ope-
re declarate, reverenter obediendo, atque
in necessariis ministrando, *propter opus
illorum,* id est propter exigentiam juris
ex parte administrationis quam vobis im-
C pendunt. *Pacem habete cum eis,* nunquam
murmurando, contendendo, aut rebellan-
do. Qui enim bene præsunt presbyteri, I *Tim.* V, 17.
duplici honore digni sunt. Et qui pote-
stati resistit, Dei ordinationi resistit, dam- *Rom.* XIII, 2.
nationemque acquirit.
Rogamus autem vos, fratres, corripite 14
inquietos, id est mente aut corpore insta-
biles, gyrovagos, curiosos, et contentio-
sos, *consolamini pusillanimes,* ne adversis
frangantur, sed firmiter sperent in Deo,
suscipite infirmos corde aut corpore, lan-
D guorem eorum interiorem aut corporalem
pro posse sanando, eosque fovendo ac sup-
portando; *patientes estote ad omnes :* quia
qui patiens est, multa gubernatur pru- *Prov.* XIV, 29.
dentia; et in patientia consistit possessio *Luc.* XXI, 19.
animæ. *Videte ne quis malum pro malo* 15
alicui reddat : quoniam et alibi dictum
est, Noli vinci a malo, sed vince in bono *Rom.* XII, 21.
malum; et Psalmista, Si reddidi, inquiens, *Ps.* VII, 5.
retribuentibus mihi mala, decidam merito
ab inimicis meis inanis. Unde et Salo-
mon in Proverbiis : Ne dicas, Quomodo *Prov.* XXIV, 29; XX, 22.

fecit mihi, sic faciam ei; exspecta Domi- A
num, et liberabit te. In Ecclesiastico quo-
Eccli. xxviii, 2. que ait Scriptura : Relinque proximo tuo
nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata
solventur. *Sed semper quod bonum est se-
ctamini,* id est, exsequamini vel imite-
mini, *in invicem,* ut unus imitetur bonum
alterius, et alteri bona impendat, *et in
omnes* extraneos sectamini bonum his mo-
dis. Virtutes igitur aliorum consideremus
16 et imitemur, non vitia. *Semper gaudete*
in Domino, utputa omni tempore oppor-
tuno, tam in adversis quam prosperis. Et B
17 simili modo *sine intermissione orate,* nul-
Luc. xviii, 1. lam debitam orationis horam omittendo.
18 *In omnibus* quæ accidunt vobis, et in pro-
speritatibus aliorum, *gratias agite* Deo :
Is. lxiii, 7. quemadmodum Isaias dicit, Miserationum
Domini recordabor, laudem Domini su-
per omnibus bonis quæ reddidit nobis.
Hæc est enim voluntas Dei, id est, ho-
rum exsecutio placet Deo, *in Christo Jesu,*
id est, prout Christus edocuit, et sicut ip-
si in Christo hæc placuerunt, *in omnibus
vobis,* quia vult Deus ut vos omnes ista C
agatis.
19 *Spiritum,* id est Spiritus Sancti donum,
videlicet gratiam devotionis et sancti fer-
voris, *nolite exstinguere* in vobis vel aliis,
aperiendo cordis vestri januam dæmoni
20 seu peccato mortali. *Prophetias,* id est
expositiones Scripturarum, eloquia Pro-
phetarum, seu revelationes quæ interdum
simplicibus fiunt, *nolite spernere,* sed re-
21 verenter audite ac discite. *Omnia autem
probate,* id est, universa quæ probatione
Jer. xv, 19. digna sunt, per rationem discutite, sepa- D
rando pretiosum a vili. Quæ vero mani-
feste mala sunt atque prohibita, discus-
sione non indigent. *Quod bonum est* rectæ
rationis judicio, vel Scripturæ testimonio,
tenete memoriter et operanter, inhæren-
22 do jugiter actibus virtuosis. *Ab omni spe-
cie mala abstinete vos,* id est, non solum
veraciter, sed et apparenter mala vitate,
ne quis scandalizetur.

Præterea orat Apostolus pro Thessalo-
nicensibus, quatenus Deo operante, exhor-
tationes seu jussiones præmemoratas ad-
impleant. *Ipse autem Deus pacis* dator et 23
custos, *sanctificet vos per omnia,* id est,
universis virtutibus mundet, ornet atque
perficiat vos, *ut integer,* id est a corru-
ptione vitiorum immunis, *spiritus vester,*
id est mens seu superior pars animæ, *et
anima,* quantum ad vires suas inferio-
res, integra a læsione peccati : incorruptio *Sap.* vi, 20.
enim facit proximum esse Deo; *et corpus*
vestrum integrum, id est inviolatum, *sine
querela,* id est irreprehensibiliter, *in ad-
ventu Domini nostri Jesu Christi,* id est
usque ad terminum vitæ præsentis, *ser-
vetur* per gratiam custodientem; vel, In
adventu Christi, id est ad hoc ut in se-
cundo Christi adventu, appareatis coram
eo cum anima et corpore glorioso. Hæc
autem fidenter oro. *Fidelis* enim *est* Deus, 24
id est verus in sermonibus suis, *qui voca-
vit vos* ad statum salutis; *qui etiam faciet,*
id est, preces vestras exaudiet : sicut pro-
misit de eo divinus Psaltes, Voluntatem ti- *Ps.* cxliv, 19.
mentium se faciet, et deprecationem eorum
exaudiet. Omnis enim qui petit, accipit; *Matth.* vii, 8.
et qui quærit, invenit. Quis namque invo- *Eccli.* ii, 12.
cavit eum, et despexit illum? Sed agendum
est quod rursus hortatur Psalmographus :
Lætetur cor quærentium Dominum; quæ- *Ps.* civ, 3, 4.
rite Dominum et confirmamini; quærite
faciem ejus semper. Qui sic invocat, pro-
cul dubio sortietur felicem effectum.

Fratres, orate pro nobis. Ecce verbum 25
eximiæ humilitatis, quo tantus Apostolus
discipulorum suorum quærit suffragium.
Salutate fratres omnes vobis opportune 26
occurrentes, *in osculo sancto,* non carnali
aut simulato.

Adjuro vos per Dominum, ut legatur 27
epistola hæc omnibus sanctis fratribus, id
est veraciter christianis. — Circa hoc quæ-
ri posset, quomodo adjuratio sit licita, et
si liceat hominem adjurare. Et videtur
quod non. Ait enim Origenes super Mat-
thæum : Non oportet ut vir qui vult secun-
dum Evangelium vivere, adjuret alium :
si enim jurare non licet, nec adjurare. In
oppositum est ipse Apostolus, adjurans

hoc loco discipulos suos. Et respondendum est, secundum Thomam, quod adjurare non est alium ad jurandum inducere, sed per similitudinem juramenti a se inducti, alium ad aliquid agendum provocare. Dicitur enim adjurare, quasi ad aliquid jurare, videlicet ut aliquid fiat ab alio. Sic autem potest homo adjurare superiores suos per modum deprecationis, subditos vero per modum jussionis, quos etiam ad jurationem constringere potest propter necessariam causam. Quum vero aliquis vult ab alio quidpiam obtinere per B adjurationem sine impositione necessitatis, talis adjuratio omnibus licet. Origenes autem loquitur de adjuratione, qua quis A vult alium cogere ut sibimetipsi juret, quemadmodum princeps sacerdotum adjuravit Christum. Horum determinatio plenius continetur in secunda secundæ, quæstione 90. *Matth.* xxvi, 63.

Gratia Domini nostri Jesu Christi, sine 28
qua nullo momento esse potestis in statu salutis, sit semper *vobiscum*. Ipse enim ad supernaturalem finem nos condidit : ad quem perduci non possumus, nisi per supernaturalia media. Ideo nunquam de nobis præsumere, nunquam inaniter gloriari debemus, sed pietati benignissimi Creatoris indesinenter inniti, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. *Amen.* *Joann.* xv, 5. *Judith* vi, 15.

ENARRATIO
IN EPISTOLAM II BEATI PAULI
AD THESSALONICENSES

PROŒMIUM

CLARA *est, et quæ nunquam marcescit sapientia, et facile videtur ab his qui diligunt et quærunt eam.* Sap. VI, 13.

Quoniam veraciter scriptum est, Auris bona cum omni concupiscentia audiet *Eccli.* III, 31. sapientiam, Thessalonicenses tanquam boni discipuli, doctrinam præcedentis epistolæ cum ingenti diligentia adverterunt. In qua quum scriptum conspicerent, Nos qui vivi- I *Thess.* IV, 17. mus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis, etc., opinati sunt Christum fuisse ad judicium finale venturum in diebus suis, præsertim quum et tribulationes eorum pene quotidie augerentur. Quo cognito, scripsit eis Apostolus ab Athenis hanc secundam epistolam per Tychicum et Onesimum : qui et priorem detulerunt epistolam, et verba Thessalonicensium retulerunt Apostolo. Hortatur ergo eos Apostolus ad patientiam, et diem judicii nondum instare testatur, inquietosque dure redarguit.

ENARRATIO
IN EPISTOLAM II BEATI PAULI
AD THESSALONICENSES

ARTICULUS PRIMUS

EXPOSITIO PRIMI CAPITULI : PAULUS ET SILVANUS ET TIMOTHEUS ECCLESIÆ THESSALONICENSIUM.

1, 2 P*AULUS et Silvanus et Timotheus, Ec-* A
clesiæ Thessalonicensium, in Deo Pa-
tre nostro et Domino Jesu Christo, etc.
1 *Thess.* i, 1. Omnia verba hæc in exordio epistolæ præ-
cedentis exposita sunt. Nam et verbo et
sensu idem est utriusque epistolæ prin-
cipium.
3 *Gratias agere debemus Deo semper,* id
est omni tempore congruenti, *pro vobis,*
id est propter beneficia vobis divinitus
præstita, o *fratres :* ad hoc enim tenemur
tanquam pastores vestri. Caritas quoque
qua de vestra salute gaudemus et Dei ho- B
norem concupimus, ad hanc nos gratia-
rum actionem constringit. *Ita ut dignum*
est, id est multum affectuose atque hu-
militer, sicut pro tantis beneficiis, tanto
benefactori a tantillis gratias agi decet.
Quoniam supercrescit, id est, plurimum
proficit, *fides vestra :* nam per illumina-
tionem Spiritus Sancti fit clarior, atque
per opera bona vivacior ; *et abundat ca-*
ritas uniuscujusque vestrum in invicem,
id est, unusquisque vestrum alium amat
ferventer spirituali et sancta dilectione ; C
4 *ita ut et nos ipsi in vobis,* id est de vestra
perfectione, vel in perfectionis vestræ con-
sideratione, *gloriemur in Ecclesiis Dei,* id
est coram congregationibus Christianorum,
ad quorum ædificationem lætanter referi-
mus vestras virtutes : gloriemur, inquam,
pro, id est de, *patientia vestra et fide,*
quæ fortiter conservastis *in omnibus per-*
secutionibus vestris, quæ extrinsecus in-
fliguntur, *et tribulationibus* aliis, *quas*
sustinetis, in exemplum, id est in decla- 5
rationem, *justi judicii Dei* futuri in mor-
te cujuslibet, vel in die novissimo. Tribu-
lationes quippe quas sustinetis, testantur
et manifestant quod Deus post hanc vi-
tam judicat patientes et inferentes, red-
dens singulis quod merentur, videlicet pa-
tientibus gloriam. Qui enim humiliatus *Job* xxii, 29.
fuerit, erit in gloria. Quum namque cer-
namus in hac vita impios prosperari et
justos opprimere, justos autem adversi-
tatibus fatigari et opprimi etiam usque
ad mortem, oportet concedere quod justus
et sapiens Deus post hanc vitam omnia
recte disponat, juste judicet, et optime
ordinet : quod non fit nisi per justam
damnationem malorum et beatificationem
justorum. *Ut digni,* id est gloriosi, *ha-*
beamini (vel, Digni habeamini, id est, di-

gni sitis per opera sancta recipi) *in regno* A
Dei, id est Ecclesia triumphanti ac thro-
no cœlesti, *pro quo,* videlicet ut sic digni
habeamini, *et patimini* tanta adversa, pen-
Luc. VI, 23; santes illud Evangelii : Gaudete in illa
Matth. V, 12. hora et exsultate, ecce enim merces ve-
Rom. VIII, stra copiosa est in cœlis. Si enim compa-
17; II *Tim.* II, 12. timur, et conregnabimus.
6 *Si tamen,* id est quia, *justum est apud*
Deum, id est, in mente divina hoc ju-
stum censetur, *retribuere tribulationem*
his qui vos tribulant, id est persecutori-
bus vestris debitas reddere pœnas pro pœ- B
nis quas vobis infligunt. Quod utique ju-
stum est et continget, sicut et Psalmista
Ps. CXLV, 7. testatur : Qui custodit veritatem in sæcu-
lum, facit judicium injuriam patientibus.
Job XXIV, 12. Unde et in Job habetur : Deus inultum
abire non patitur. Justum quoque est apud
7 Deum, *et vobis qui tribulamini* propter
justitiam, *requiem* dare æternam *nobis-*
cum in patria. Ideo namque in libro Sa-
Sap. III, 5; pientiæ legimus : Deus tentavit illos, et
V, 17. invenit illos dignos se; ideoque accipient
regnum decoris, et diadema speciei de C
Apoc. VII, manu Domini. Et in Apocalypsi : Isti sunt
14, 15. qui venerunt de tribulatione magna, id-
eo sunt ante thronum Dei.

Hæc autem retributio plenarie fiet, et
justum est apud Deum eam compleri, *in*
revelatione, id est manifesta apparitione,
Domini Jesu venientis *de cœlo* in die no-
vissimo, *cum angelis virtutis ejus,* id est
angelis sanctis suæ divinæ potestati, imo
8 et suæ humanitati subjectis ; *in flamma*
ignis dantis vindictam, id est in reve-
latione Jesu dantis in flamma ignis, id D
est per ignem flammantem, vindictam, id
est justam ultionem, *iis qui non noverunt*
Deum scientia formata quæ facit quod
novit agendum, id est injustis, qui etsi
Tit. I, 16. dicant se nosse Deum, factis negant. De
hac enim scientia ait Joannes in prima
I *Joann.* II, 4. sua Canonica : Qui dicit se nosse Deum,
et mandata ejus non custodit, mendax est.
Vel per ignorantes Deum, intelliguntur ido-
lolatræ. *Et* iis *qui non obediunt Evange-*
lio, id est evangelicæ doctrinæ, *Domini*
nostri Jesu Christi. De hac Christi reve-
latione et flamma ignis psaltes David cla-
rissime prophetavit : Deus manifeste ve- *Ps.* XLIX, 3.
niet, Deus noster, et non silebit; ignis
in conspectu ejus exardescet.

Qui nescientes et inobedientes, *pœnas* 9
dabunt, id est persolvent et luent, *in in-*
teritu æternas, id est æternaliter perdu-
rantes, et quasi occidentes, non tamen
exstinguentes, eos quos punient. Unde hæ
pœnæ sunt mors secunda, æterna et ama- *Apoc.* XXI, 8.
rissima. Has igitur pœnas dabunt, id est,
sustinebunt sibi inflictas, *a facie Domi-*
ni, id est a præsentia Christi, qui dicet :
Ite, maledicti, in ignem æternum. Cujus *Matth.* XXV, 41.
facies reprobis erit horrenda ac pœnalis-
sima, ita ut dicant montibus et petris :
Cadite super nos, et abscondite nos a facie *Apoc.* VI, 16.
Sedentis super thronum, et ab ira Agni.
Et a gloria virtutis ejus, id est ab ex-
cellentia seu majestate potentiæ Christi,
qui in suo imperio reprobos in pœnas
inferni detrudet. Data namque est ei om- *Matth.* XXVIII, 18.
nis potestas in cœlo et in terra. *Quum* 10
venerit Christus *glorificari,* id est glori-
osus atque magnificus apparere, *in San-*
ctis suis, id est in præmiatione seu glo-
rificatione electorum suorum ; *et* quum
venerit *admirabilis fieri* in cordibus om-
nium intuentium *in omnibus qui credi-*
derunt, id est in justa retributione seu
præmio universorum fidelium, bonos sal-
vando, impiosque damnando. Ex quo ef-
fectu cunctis patebit quam admirabilis
sit Dominus Jesus, quemadmodum scri-
ptum est : Mirabilis Deus in Sanctis suis. *Ps.* LXVII, 36.

Signum vero quod omnia ista sic fient,
est : *Quia creditum est testimonium no-*
strum, id est, attestatio seu prædicatio
nostra de justo judicio Dei credita est, *su-*
per vos, id est a vobis vel in cordibus
vestris. Hoc enim sensu in Isaia habetur :
Spiritus Domini super me, id est in me. *Is.* LXI, 1.
Creditum est *in die illo,* id est, sic quod
complebitur in die novissimo, quando om-
nes simul remunerabuntur ; vel, In die
illo, id est de die illo, quia de die judi-
cii credidistis quæ prædicavimus vobis.

11 *In quo* negotio seu testimonio prædi- A
cationis nostræ, *etiam oramus semper pro
vobis, ut dignetur,* id est, dignos efficiat,
vos vocatione sua, id est beatitudine ad
quam vocati estis, *Deus noster, et impleat
omnem voluntatem bonitatis suæ,* id est,
quidquid suæ pietati placitum est, ad ef-
fectum perducat in vobis, quatenus faciat
vos suis præceptis atque consiliis mise-
ricorditer datis obedire in omnibus. Im-
pleat quoque *et opus fidei,* id est opera
Jacob. II, 20. virtuosa ex fide nascentia, sine quibus
fides mortua est in se ipsa. Vel, opus fi- B
dei proprie intelligitur oris confessio, qua
Rom. x, 10. quis fidem profitetur. Corde enim cre-
ditur ad justitiam, ore vero confessio fit
ad salutem. Quæ confessio summe neces-
saria fuit martyribus tempore Apostolo-
rum, et postmodum diu. *In virtute* con-
stantiæ seu animi firmitate, vel fortiter,
12 stetis, atque in finem perseveretis. *Ut
clarificetur nomen Domini nostri Jesu
Christi,* id est, ipse Christus clarificetur,
in vobis dupliciter : Primo, ut eum sin-
cere cognoscatis, et digne honoretis. Sic
enim clarificatur, id est, clare habetur,
scitur et honoratur in cordibus vestris. De
tali clarificatione ait Salvator : Pater, ve- Joann. XVII, 1.
nit hora, clarifica Filium tuum. Secundo,
ut divina perfectio Christi in vobis appa-
reat, et ita Christus in vobis per suum
præclarum effectum innotescat seu decla-
retur. *Et vos in illo,* id est, in Christo
clarificemini, videndo eum in patria fa- I Cor. XIII, 12.
cie ad faciem. Non ergo eodem modo cla-
rificatur Christus in nobis, et nos in illo.
Per hoc enim quod ipse clarificatur in
nobis, nihil perfectionis aut gloriæ ei ac-
crescit; per hoc autem quod nos clarifi-
camur in Christo, summe perficimur. Sic
igitur clarificemini in illo, *secundum gra-
tiam Dei nostri,* id est juxta mensuram
gratiæ vobis a sancta Trinitate exhibitæ,
et Domini Jesu Christi, id est secundum
eamdem gratiam, quæ nobis per Christum
tanquam per mediatorem et causam meri-
toriam datur. Hoc dicit Apostolus, ne quis
propriis meritis principaliter innitatur.

ARTICULUS II

EXPLANATIO CAPITULI SECUNDI : ROGAMUS AUTEM VOS, FRATRES, ETC.

COMPLETA gratiarum actione, et ora- C
tione pro Thessalonicensibus Deo ob-
lata, in præcedenti capitulo, nunc corrigit
errorem eorum, et instruit eos quid de
die judicii sit tenendum.
1 *Rogamus autem vos, fratres, per ad-
ventum Domini nostri Jesu Christi* ad ex-
tremum judicium, *et* per adventum *nostræ
congregationis,* id est per collectionem
omnium fidelium, *in ipsum,* id est ad
Christum, ad quem omnes in die judicii
adducentur. Sic autem rogare, est obsecra-
2 re. *Ut non cito,* id est non facile, neque D
in brevi hora seu modico tempore, *mo-
veamini,* id est recedatis, *a vestro sensu,*
id est a vero intellectu Scripturæ quem
didicistis. Qui enim cito credit, levis est Eccli. XIX, 4.
corde. Vel, Non moveamini ad instabili-
tatem atque errores, a vestro sensu, id
est propria sensualitate et naturali ratio-
ne, propriis adinventionibus ac imagina-
tionibus potius quam Scripturæ auctori-
tati intendendo. *Neque terreamini* vano
terrore, arbitrantes instare diem judicii,
et persecutiones gravissimas quæ ipsum
præcedent. *Neque per spiritum,* id est,
quamvis diabolus se in angelum lucis II Cor. XI, 14.
transfigurans, asserat instare diem novis-
simum. *Neque per sermonem* cujuscum-
que prædicatoris, *neque per epistolam tan-*

quam per nos missam, id est, quamvis A
aliquis pseudoapostolus miserit vobis epi-
stolam nostro nomine intitulatam : sicut
interdum fecerunt pseudoapostoli causa
fallendi ; *quasi instet*, id est, in proximo
venturus sit, *dies Domini*, id est tempus
finalis judicii.
3 *Ne quis vos seducat* ad hoc æstiman-
dum *ullo modo*. Error enim et falsitas
semper vitanda sunt. *Quoniam nisi ve-
nerit discessio primum* : id est, dies Do-
mini non erit in actu, nec Christus ge-
nerale judicium faciet, nisi primum, id B
est ante, venerit discessio gentium a Ro-
mano imperio, quæ jam pro magna parte
impleta est, vel, discessio particularium
Ecclesiarum ab obedientia Romanæ Ec-
clesiæ. Vel, ut aliis amplius placet, Nisi
venerit discessio Christianorum a fide ca-
tholica : non quod omnes a fide recedent,
sed multi. Dicit enim Salvator, quod tunc
Matth. xxiv, 12. abundabit iniquitas, et refrigescet caritas,
sicque fides vera in multis deficiet. Pro-
I *Tim.* iv, 1. pter quod Apostolus alibi dicit : Spiritus
manifeste dicit, quia in novissimis die- C
bus discedent quidam a fide. Et Petrus
II *Petr.* iii, 3, 4. in secunda epistola : Venient in novissi-
mis diebus illusores, juxta proprias con-
cupiscentias ambulantes, et dicentes : Ubi
est promissio aut adventus ejus ? — Non
dicit Apostolus, quod mox venturus sit
Christus ad judicium, discessione ista com-
pleta, sed quod non veniet nisi ista præ-
cedat. Tamen ista discessione facta, præ-
parata erit via Antichristo, ut recipiatur
pene ab omnibus. Idcirco verisimile est
quod post discessionem statim veniet An- D
tichristus, vel nascendo, vel publice præ-
dicando, ut aliqui asserunt. Ideo de ad-
ventu Antichristi, qui est secundum quod
præcedet diem judicii, subditur :
Et revelatus fuerit, id est manifestatus
mundo, imo se ipsum hominibus mani-
festaverit, *homo peccati, filius perditio-
nis*, id est Antichristus, per excellentiam
homo peccati vocatus, tanquam omnibus
vitiis præ cunctis hominibus plenus, et
ceteris quasi fons et origo peccandi ex-
sistens, ad æternam damnationem seu per-
ditionem immoderatissime tendens ; *qui* 4
adversatur, id est, Christo adversabitur
ac toti Ecclesiæ, *et extollitur*, id est, per
superbiam erigetur, *supra omne quod di-
citur Deus*, id est, universis creaturis (quæ
vel singulari perfectione, vel vana homi-
num opinione dii vocantur) se præferet, I *Cor.* viii, 4, 5.
aut quod colitur, id est, etiam per tu-
morem elationis gravissime supra verum
Deum extolletur : non quod dicturus sit
se Deo majorem, sed quoniam Deum nil
prorsus timebit, atque divinæ voluntati
suam in omnibus præferet, divinum cul-
tum exterminans, et suum inducens. Cu-
jus figura fuit, quod de Nabuchodonosor
scribitur, qui Holoferni præcepit omnes *Judith* iii, 13.
deos terræ exterminari, ut ipse solus a
suis subditis, imo ab omnibus coleretur
ut deus, et deus vocaretur. *Ita ut* Anti-
christus *in templo Dei sedeat, ostendens
se* suis cultoribus *tanquam sit Deus* : nam
et Deum et Dei Filium se vocabit. Per
templum vero in quo sessurus est, intel-
ligitur templum quod ipse cum Judæis
sibi adhærentibus (ut fertur) in Jerusalem
ædificabit.
Non retinetis memoriter, *quod quum* 5
adhuc essem apud vos corporali præsen-
tia in vestri conversione, *hæc* quæ nunc
scribo de discessione et Antichristo ac die
judicii, *dicebam vobis* proprio ore ? *Et* 6
nunc quid detineat, id est, Antichristi ad-
ventum differat, *scitis*, videlicet quia dis-
cessio nondum completa est, nec tempus
divinitus præstitutum seu præordinatum
adventui Antichristi advenit. Hoc igitur de-
tinet, sic tamen, *ut reveletur* homo peccati
in suo tempore, id est divinitus prædis-
posito. Revelabitur enim aliquando, quod
patet ex hoc : *Nam mysterium jam ope-* 7
ratur iniquitatis, id est, diabolus per Nero-
nem et alios tyrannos, tempore isto, facit
peccata præfigurativa malitiæ Antichri-
sti. Persecutio quippe Neronis et aliorum
similium occidentium Christianos, præfi-
guravit persecutionem ab Antichristo fi-
delibus infligendam. Et sicut Nero occidit

Petrum et Paulum, sic Antichristus occidet Enoch atque Eliam. Denique, sicut Abel, Joseph, David, Samson et alii multi, Christi figuræ fuerunt, sic Nero, Simon magus, Antiochus Illustris, Diocletianus, Antichristi erant figuræ. Vel sic, et redit quasi in idem : Nam mysterium iniquitatis, id est iniquitas mysterialis occulta et figurativa iniquitatis in Antichristo futuræ, jam operatur in Nerone, ceterisque prædictis, qui nunc talia operantur contra Christum et sanctos, qualia tunc operabitur Antichristus.

* Augustinus Hoc loco ait B. Hieronymus * : Quod Apostolus dixerit sciri a Thessalonicensibus, non exponit hoc loco aperte. Ideo nos qui nescimus quod illi sciebant, pervenire cum labore ad id quod sensit Apostolus, cupimus, nec valemus : præsertim quoniam verba sequentia hunc sensum faciunt obscuriorem. Quid enim est quod subditur, *Tantum ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat?* Denique circa hæc verba Augustinus fatetur : Ego prorsus ignoro quid dixerit. — Glossa tamen exponit hunc locum variis modis, quorum unus : Mysterium iniquitatis jam operatur (secundum sensus inductos); tantum hoc restat implendum, antequam filius perditionis appareat, ut qui tenet nunc, id est homo jam tenens Romanum imperium, teneat illud, id est, qui imperat, imperet, donec ipsa Romani imperii potestas de medio fiat, id est, penitus deleatur. Nam ante adventum Antichristi cessabit, ut dicitur. Vel sic, Ut qui tenet fidem, teneat eam donec ipsa fides de medio fiat, id est, tollatur quantum ad plurimos, sicut expositum est.

8 *Et tunc,* id est discessione hac triplici consummata, *revelabitur,* id est, se ipsum ostendet et regnare incipiet, *ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui,* id est suo præcepto jubens eum occidi a Michaele, vel per se ipsum eum occidens suo adspectu. Unde apud Danielem de Antichristo conscriptum est : Sine manu conteretur. (Dan. VIII, 25.) Quidam etiam dicunt

A quod fulminabitur. Hinc et in Isaia legitur : Spiritu labiorum suorum interficiet impium. (Is. XI, 4.) Quidam per spiritum oris Christi, intelligunt Spiritum Sanctum, cujus virtute occidendus est Antichristus. *Et destruet illustratione adventus sui eum,* id est, Dominus Jesus conteret et damnabit Antichristum cum suis, suo claro adventu ad judicium, quando dicturus est : Ite, maledicti, in ignem æternum. (Matth. XXV, 41.)

Cujus est adventus secundum operationem Satanæ. 9 Duplex ponitur Antichristi B adventus : primus, occultus, qui pertinet ad ejus generationem ; alter, manifestus, pertinens ad ejus prædicationem, de quo jam tractat Apostolus. Adventus ergo, id est manifestatio Antichristi, qua se hominibus ostendet tanquam verum Christum ac Filium Dei, est, id est, erit (loquitur enim Apostolus more prophetico de futuro per modum præsentis), secundum operationem Satanæ, id est dæmone cooperante, *in omni virtute* potestatis humanæ. Maximam enim habebit multitu- C dinem ministrorum, et omnibus divitiis abundabit, nec erit qui ei poterit humana virtute resistere. *Et signis,* quantum ad miracula minora, *et prodigiis,* quantum ad majora, *mendacibus,* id est apparentibus, vel ad fallendum ordinatis.

Solet autem quæri, an Antichristus et ejus ministri vera miracula facient. Et respondendum, quod si de miraculis propriissime loquamur, videlicet tanquam de effectibus totam naturalem facultatem ac ordinem rerum transcendentibus, tunc non D facient miracula vere, sed solum apparenter, et in præstigiis illudendo sensus humanos. Nempe talia fieri nequeunt nisi virtute divina : de quibus ait Psalmographus, Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus. (Ps. LXXI, 18.) Talia fecit Christus, sicut ait : Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. (Joann. XV, 24.) Si autem loquamur de miraculis magis communiter, velut de effectibus inconsuetis et præter solitum cursum naturalemque modum productis, sic

facient vera miracula adjuvante diabolo. A
Apoc. XIII, 2. Unde in Apocalypsi legitur : Dedit illi
draco virtutem et potestatem magnam ; et
Ibid. 13, 14. rursus : Fecit signa magna, ut etiam ignem
faceret de cœlo descendere in conspectu
hominum, et seducet habitantes in terra
propter signa quæ data sunt illi. Hoc et
Matth. XXIV, 24. Christus in Evangelio testatur : Surgent,
inquiens, pseudochristi, et dabunt signa
magna, ita ut in errorem ducantur, si fie-
ri potest, etiam electi. Dicuntur tamen
miracula ista mendacia, non formaliter,
sed finaliter, quia ad fallendum seu fal- B
sitatum confirmationem ordinabuntur. Ali-
qua autem erunt omnino mendacia sive
phantasmata, ad illudendum hominibus.
10 *Et in omni seductione iniquitatis,* id
est in omni genere deceptionis injustæ ad
iniquitatem trahentis, *iis qui pereunt,* id
est ad damnationem reproborum. Variis au-
tem modis Antichristus decipiet mundum,
videlicet simulatione sanctitatis, Scriptu-
rarum allegationibus, sapientia et ornatu
sermonis, eminentia miraculorum, promis-
sione divitiarum, terrore minarum, pote- C
state, prosperitate, ac multitudine mini-
strorum suorum. Sic ergo veniet reprobis,
eo quod caritatem veritatis, id est veram
Joann. XIV, 6. dilectionem, seu Christi, qui veritas est,
amorem, *non receperunt,* perseverando in
ea *ut salvi fierent,* promerendo vitam æter-
Matth. XXIV, 13. nam, ad quam sola perseverantia ducit.
Ideo, id est in pœnam hujus peccati, *mittet*
11 permissive *illis Deus operationem erro-*
ris, id est fallacias Antichristi, *ut credant*
mendacio, id est falsæ doctrinæ Antichri-
sti. Tenetur autem hic dictio, Ut, conse- D
12 cutive, non causaliter. *Ut judicentur,* id
est, ab electis discernantur, ad sinistram
Marc. XVI, 16. ponantur et condemnentur, *omnes qui*
non crediderunt fide formata ac stabili,
veritati evangelicæ legis, *sed consense-*
runt iniquitati doctrinæ et operum Anti-
christi.
13 *Nos autem* pastores vestri, *debemus* de-
bito condescentiæ vel caritate exigente,
gratias agere Deo semper pro vobis, id
est vice vestra, vel pro beneficiis vobis
collatis, o *fratres dilecti a Deo :* quibus
convenit illud Joannis, Nos ergo diliga- *I Joann.* IV, 19.
mus Deum, quoniam ipse prior dilexit
nos ; *quod elegerit vos Deus,* id est, ab
æterno prædestinaverit, *primitias,* id est
ad hoc ut essetis primi de Christifideli-
bus, *in salutem,* id est ad obtinendam
felicitatem æternam. Erant enim Thessa-
lonicenses de primitiva Ecclesia. *In san-*
ctificatione spiritus, id est in infusione
gratiæ Spiritus Sancti, seu Baptismo ubi
Spiritus Sanctus datur et homo sanctifi-
catur ad obtinendam salutem, *et fide veri-*
tatis, id est fide catholica data a Christo,
qui est veritas prima. Nam per sancti- *Joann.* XIV, 6.
ficationem istam et fidem acquiritur salus
æterna, ad quam pertinet divina electio.
In quam, id est ad quam veram fidem, 14
et vocavit vos Deus vocatione suæ inspi-
rationis internæ, *per evangelium nostrum,*
id est per prædicationem sancti Evangelii
a nobis exhibitam, qua admoniti estis ad
fidei susceptionem : quam et Deus vobis
infudit, *in acquisitionem gloriæ,* id est
ad adipiscendam beatitudinem, *Domini*
nostri Jesu Christi : qui ait, Qui credit *Ibid.* VI, 47.
in me, habet vitam æternam ; itemque,
Beati qui non viderunt et crediderunt. *Ibid.* XX, 29.
Itaque, fratres, state in gratia, non ru- 15
entes in vitia ; *et tenete traditiones,* id
est, morales instructiones seu jussiones im-
plete, *quas didicistis, sive per sermonem*
vocalem oris nostri, *sive per epistolam*
nostram præsentem seu præcedentem. *Ip-* 16
se autem Dominus noster Jesus Christus,
et Deus Pater noster, id est Trinitas vel
persona Patris, qui est Deus creatione, et
pater gubernatione ac dilectione, *qui di-*
lexit nos ab æterno, quemadmodum be-
neficia ejus testantur : nam et propter *Ephes.* II, 4 ; *Rom.* VIII, 3.
nimiam caritatem suam qua dilexit nos,
Filium suum misit in similitudinem car-
nis peccati ; *et dedit* nobis *consolationem*
æternam, nunc in spe et per quamdam
inchoationem, frequenter nos lætificando,
nostram redemptionem annuntiando, fu-
tura præmia proponendo ac promittendo,
imo et in omni tribulatione nostra nos *II Cor.* I, 4.

consolando. Hanc consolationem æternam A
daturus est tandem in re, et per felicem
consummationem. Propter quod ait Chri-
Joann. xvi, 22. stus discipulis suis : Iterum videbo vos,
et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.
Ideo subditur : *et spem bonam in gratia,*
id est, per gratiam suam præstitit nobis
certam ac piam fiduciam adipiscendi con-
solationem prædictam, sicuti Christus lo-
quitur : Petite, et accipietis, ut gaudium Joann. xvi, 24.
vestrum sit plenum; *exhortetur,* id est, 17
gratiose excitet, *corda vestra, et confirmet*
ea *in omni opere et sermone bono,* id est
meritorio.

ARTICULUS III

EXPLANATIO CAPITULI TERTII : DE CETERO, FRATRES, ORATE PRO NOBIS.

POSTQUAM pro filiis suis oravit Apo- B
stolus, jam postulat ut et ipsi vicis-
sim pro se precentur; ipsos quoque ple-
nius instruit in pertinentibus ad salutem;
1 et ait : *De cetero, fratres, orate pro nobis,*
id est pro adimpletione eorum quæ nos
desideramus, videlicet *ut sermo Dei cur-
rat,* id est, Evangelium Christi undique
seminetur, et velociter divulgetur, *et cla-
rificetur,* id est, clare innotescat homi-
nibus, et per miracula confirmetur, ut
sciatur a Deo esse, *sicut et apud vos* cla-
2 rificatus est; *et ut liberemur ab impor-* C
tunis, id est inquietis, molestis, *et malis
hominibus.* Hoc dicit Apostolus non quasi
persecutiones pati abhorrens, sed ne præ-
dicatio sua impediretur, et aliorum con-
versio. Possumus etiam idem rogare ad
hunc sensum, ne per impatientiam supe-
remur, quemadmodum orat divinus Psal-
Ps. cxviii, 134. tes : Redime me a calumniis hominum,
ut custodiam mandata tua. *Non enim om-
nium est fides,* id est, ideo liberari ab
illis desidero, quoniam fides nondum præ-
dicata est omnibus quibus prædicanda D
est. Vel sic : Non enim, etc., id est, ideo
illos importunos malosque dixi, quia non
Rom. x, 16. omnes obediunt fidei, credendo vel ope-
rando. Propter quod in Actibus Aposto-
Act. xiii, 48. lorum legitur : Crediderunt quotquot præ-
ordinati erant ad vitam æternam.
3 *Fidelis autem Dominus est,* qui nec
fallit nec variatur, sed implet quod pol-
licetur, *qui confirmabit vos in bono, et
custodiet a malo. Confidimus autem de* 4
vobis in Domino, tanquam in tam prin-
cipali causa, et spei objecto finali, non in
viribus vestris, *quoniam quæ præcepimus*
vobis ex parte Dei, vel præter mandata a
Christo assignata, *et facitis, et facietis* us-
que in finem vitæ præsentis. *Dominus au-* 5
*tem dirigat corda vestra in caritate Dei
et patientia Christi,* ut caritative et pa-
tienter vivatis.
Denuntiamus autem vobis, fratres, in 6
nomine Domini nostri Jesu Christi, id est,
auctoritate Christi qua fungimur, præci-
pimus, *ut subtrahatis vos* loco et voto, si
commode fieri potest, vel saltem voto, *ab
omni fratre,* id est quolibet proximo, *am-
bulante inordinate,* id est indisciplinate
et irrationabiliter conversante, *et non se-
cundum traditionem,* id est doctrinam,
quam acceperunt fratres *a nobis :* qui di-
ximus alio loco, Omnia honeste et secun- I Cor. xiv, 40.
dum ordinem fiant in vobis; qui in iis
duabus epistolis scripsimus quomodo sit
ordinate vivendum.
Ipsi enim, tanquam eruditi discipuli, 7
scitis quemadmodum oporteat vos *imitari
nos* in sanctis operibus, tanquam prælatos
vestros atque magistros. Non enim est di- Luc. vi, 40.
scipulus super magistrum; perfectus ve-
ro erit si sit sicut magister ejus. *Quoniam*

8 *non inquieti fuimus inter vos; neque gra-*
tis panem manducavimus ab aliquo, id
est, nullius cibis usi sumus sine proprio
labore et pretio, *sed in labore et fatiga-*
tione, nocte et die, id est certis horis diei
noctisque, *operantes* propriis manibus, *ne*
quem vestrum gravaremus, vivendo de
9 substantia ejus. Hoc autem fecimus, *Non*
quasi non habuerimus potestatem, id est
auctoritatem et licentiam vivendi de fa-
I Cor. ix, 11. cultatibus vestris. Quia enim vobis spi-
ritualia seminavimus, magnum non est
si vestra carnalia metamus : præsertim
Luc. x, 7. quum Christus locutus sit, In eadem do-
mo manete, edentes et bibentes quæ apud
illos sunt. *Sed ut nosmetipsos formam*
vitæ *daremus vobis ad imitandum nos,*
otiositatem vitando. Duas itaque causas
assignat Apostolus, cur corporaliter apud
Thessalonicenses laboraverit : primam, ne
eos gravaret; secundam, ut eis præberet
exemplum. Inter Corinthios vero ob alias
I Cor. ix, causas sic laboravit, videlicet ne scanda-
12; II Cor. xi, 9, 12; lizarentur si eorum sumptibus viveret,
xii, 13, 14. et ut pseudoapostolis occasionem avaritiæ
10 amputaret. *Nam et quum essemus apud*
vos, hoc denuntiabamus vobis : quoniam
si quis vestrum *non vult operari* corpo-
raliter, ad otia vitanda, ad sui ipsius vel
aliorum pauperum sustentationem, *nec*
manducet, id est, manducatione indignum
se noverit : quam quia vitare non potest,
non desinat operari.

Porro cur tam arduum eis præceptum
11 dederit, manifestat : *Audivimus enim in-*
ter vos quosdam ambulare inquiete, vi-
delicet *nihil operantes, sed curiose agen-*
tes, id est alienis et impertinentibus atque

A superfluis negotiis se occupantes. *Iis au-* 12
tem qui ejusmodi sunt, denuntiamus et
obsecramus eos *in Domino Jesu Christo,*
ut cum silentio operantes, suum panem,
id est necessarium, non voluptuosum ci-
bum, *manducent* congrua hora.

Vos autem, fratres, nolite deficere be- 13
nefacientes. Qui enim ponit manum suam Luc. ix, 62.
ad aratrum, et retro respicit, non est ap-
tus regno cœlesti. *Quod si quis* vestrum 14
non obedierit verbo nostro, id est nostris
præceptis, *per epistolam hunc notate,* id
B est, mihi hoc scribite, ut durius eum re-
darguam, *et non commisceamini cum il-*
lo, ne cum perverso pervertamini, id est, Ps. xvii, 27.
familiaritatem et societatem illius vitate,
quantum potestis, *ut confundatur* de suo
peccato atque pœniteat. *Et nolite* eum 15
quasi inimicum existimare, id est, non
personam ejus, sed culpam odite; *sed cor-*
ripite eum caritative *ut fratrem. Ipse au-* 16
tem Dominus pacis, id est Deus omnipo-
tens, totius pacis liberrimus princeps, *det*
vobis pacem sempiternam, id est pacem
C internam, quæ nunc inchoatur, et in pa-
tria perpetuatur, *in omni loco,* ubicum-
que et apud quoscumque fueritis.

Salutatio mea, quæ subditur, *manu* 17
Pauli, id est, propria manu scripta est.
Quod signum, videlicet propriæ manus
scripturam in fine epistolæ positam, *in*
omni epistola mea *ita scribo* quasi sigil-
lum, ut sciatur quod vere a me mittatur
epistola. Deinde salutatio ponitur : *Gra-* 18
tia Domini nostri Jesu Christi sit *cum*
omnibus vobis, qui cum Patre et Spiritu
D Sancto unus est Deus, super omnia subli-
mis et benedictus. *Amen.*

ENARRATIO
IN EPISTOLAM I BEATI PAULI
AD TIMOTHEUM

PROŒMIUM

A*UDI, fili mi, disciplinam patris tui, ut addatur gratia capiti tuo*. Prov. I, 8, 9.

Habet hoc ordo Sapientiæ increatæ, ut creaturæ inferiores a superioribus gubernentur, et minus eruditi a sapientioribus instruantur. Unde et Dominus tam in angelica quam in ecclesiastica hierarchia diversos instituit ordines, in quibus divina sancitum est lege ut inferiores a superioribus purgentur et illustrentur ac perficiantur. Hinc ergo sanctus atque divinus Apostolus, in jam elucidanda epistola, filium suum spiritualem singulariter dilectum, sanctum Timotheum, affectuosissime et excellentissime edocet, scribens ei a Laodicia. Docet igitur Timotheum de ordinatione episcopatus ac diaconii, imo totius ecclesiasticæ disciplinæ, quales videlicet presbyteros atque diaconos ordinet, et quomodo Ecclesiam regat, qualem se ipsum exhibeat, quomodo adversarios veritatis confutet. Denique, Timotheus Ephesiorum episcopus ab Apostolo ordinatus, et tam divinis Scripturis quam liberalibus artibus eruditus, fuit natus ex patre gentili et matre fideli atque Hebræa. In hac autem epi- *Act.* XVI, 1.
stola solito more procedit, salutationem præmittens, deinde narrationem subjungens.

ENARRATIO
IN EPISTOLAM I BEATI PAULI
AD TIMOTHEUM

ARTICULUS PRIMUS

EXPOSITIO CAPITULI PRIMI : PAULUS APOSTOLUS JESU CHRISTI, ETC.

1 PAULUS *apostolus Jesu Christi, secun-* A
dum imperium, id est ab imperio
voluntatis, *Dei Salvatoris nostri,* videlicet
Dei Patris, qui est salvator per auctori-
tatem et principalem efficientiam, quo-
niam gratiam influit, et per Filium suum
mundum redemit, *et Christi Jesu spei no-
stræ,* id est ab imperio Christi factus apo-
stolus, qui Christus est objectum et cau-
sa spei nostræ. Voluntas autem Patris et
Christi, atque imperium utriusque, unum
sunt penitus, sicut et utriusque est una
essentia, una potentia, indivisa actio foris B
transiens, loquendo de Christo in quan-
tum est Deus. Patre autem et Filio ejus
volente ac præcipiente, factus est Paulus
2 apostolus : qui scribit *Timotheo dilecto
filio in fide* christiana, quoniam hanc di-
dicit et recepit Timotheus a Paulo disposi-
tive seu instrumentaliter. Sicque Apostolus
genuit eum quantum ad esse christiani-
tatis, quod fundatur in fide. [*Gratia, mi-
sericordia et pax a Deo Patre, et Christo
Jesu Domino nostro.*]
Et quia inter cetera episcopi officia C
est, falsam doctrinam exstirpare, seu fal-
sis doctoribus obviare, ideo primo de hoc
tractat Apostolus. *Sicut rogavi te* ex ca- 3
ritate et humilitate, cui præcipere potui
apostolica auctoritate, *ut remaneres Ephe-
si,* id est in urbe Ephesina metropoli Asiæ
minoris, quæ est pars Græciæ, *quum irem
in Macedoniam :* cujus metropolis est
Thessalonica, ad Græciam pertinens. Cur
autem rogaverit eum, adjecit : *ut denun-
tiares quibusdam,* videlicet separatis ab
ecclesiastica unitate hominibus, utputa
pseudoapostolis et eorum auditoribus, *ne
aliter docerent,* id est, ne aliquid nostræ
prædicationi contrarium affirmarent, *ne-* 4
que intenderent fabulis, id est fictis et
frivolis narrationibus Judæorum, quæ nec
sacræ Scripturæ veteris Testamenti nec
rationi concordant, *et genealogiis inter-
minatis,* id est infinitis quodammodo et
inexplicabilibus generationibus, quas is-
ti confingunt. De quibus in Talmud eo-
rum plurima conscribuntur, quæ sunt in-
explicanda mendacia, scilicet, quod Adam
duas habuit conjuges, de quibus plures
genuit filios. Ex quibus excæcati Judæi
deducunt, conscribunt, et computant in-
terminabiles pene progenies. *Quæ* fabulæ
et genealogiæ, *quæstiones* litigiosas, vanas

ac steriles *præstant* per occasionem, quia A ad eas inducunt, *magis quam ædificationem Dei,* id est informationem divinam seu spiritualem, *quæ* ædificatio *est in fide* tanquam fundamento, et in his quæ fidem concernunt, ad recte intelligendum testimonia fidei, et bene exsequendum seu operandum præcepta fidei atque consilia.

5 *Finis autem,* id est finalis perfectio seu consummatio ultimata, *præcepti,* id est legis divinæ veteris et novæ, imo et omnium præceptorum, *est caritas,* id est actus interior caritatis, qua Deus proximus- B que diligitur, procedens *de corde puro,* id est appetitu intellectivo seu voluntate a passionibus et vitiis expurgata, *et conscientia bona,* quantum ad intellectum, cujus actus est conscientia, quæ est applicatio scientiæ ad particulare agibile. Quum vero recte applicatur, vocatur conscientia bona. De tali itaque conscientia actualis dilectio oritur, quando videlicet intellectus applicat suam notitiam ad id quod vere amabile est. *Et fide non ficta,* id est sincera, non simulata. Procedit autem di- C lectio ex voluntate elicitive, ex actu intellectus ostensive sive directive. Intellectus namque voluntati ostendit quid amet, et cognitio via est ad dilectionem. Ex fide vero [procedit] sicut ex quadam fundamentali radice, actum dilectionis ad supernaturalem finem dirigente. Caritas itaque est finis præcepti, sicut et alio loco testatur Apostolus : Plenitudo legis est (*Rom.* xiii, 10.) dilectio. Unde Salvator in mandatis caritatis legem atque Prophetas censet pen- (*Matth.* xxii, 40.) dere. Tria quippe præcepta primæ tabulæ D ordinantur ad dilectionem Dei. Septem vero præcepta tabulæ secundæ ordinantur ad dilectionem proximi, quam certum est ordinari ad dilectionem Dei, quæ finis et vertex est totius perfectionis. Sed non potest dilectio Dei esse perfecta et pura, nisi passionibus reformatis.

6 *A quibus,* videlicet a puro corde, conscientia bona, et fide non ficta, *quidam* hæretici *aberrantes, conversi sunt in vaniloquium,* id est ad vanas et falsas as-
sertiones de observatione legalium tempo-
re novæ legis, *volentes esse legis doctores,* 7
eo quod sint in propriis oculis nimium (*Is.* v, 21.)
sapientes ; *non intelligentes neque quæ loquuntur,* id est propria verba. Quum enim asserunt cærimonialia legis nunc observanda, nequaquam intelligunt propriam vocem, quum cærimonialia ex sua natura fuerint figurativa : unde veritate patefacta, cessare debuerant. *Neque de quibus affirmant* testimonia Scripturarum veteris Testamenti, quibus suum propositum probare nituntur.

8 *Scimus autem quia bona est lex* Mosaica, non solum in se tanquam divinitus data, sed etiam per comparationem ad homines, *si quis ea legitime,* id est juste et vere, *utatur,* intelligendo et observando eam secundum intentionem legislatoris principalis, videlicet Dei, et instrumentalis, utputa angeli seu Moysis, id est, ut spiritualiter intelligatur, ad Christi mysteria ordinetur, et quantum ad præcepta moralia, semper servetur, quantum vero ad cærimonialia, pro tempore legis scriptæ custodienda fuisse noscatur.

9 *Scientes hoc, quia justo,* id est bonis hominibus, *non est lex posita,* id est imposita, divinitusque collata, *sed injustis.* Videtur huic contrarium quod ait Psalmista : Quis est homo qui timet Dominum ? legem statuit ei in via quam elegit. (*Ps.* xxiv, 12.) Unde in persona justi loquens : Bonum (inquit) mihi lex oris tui super millia auri et argenti. (*Ps.* cxviii, 72.) Baruch quoque ait : Deus invenit omnem viam disciplinæ, dedit illam Jacob puero suo, et Israel dilecto sibi. (*Baruch* iii, 37.) Puer autem et dilectus Dei, est justus. Ad Josue etiam Dominus loquitur : Custodi omnem legem quam tibi præcepit Moyses. (*Josue* i, 7.) Josue autem justus fuit. Et respondendum, quod intentio legis est homines ad debitum finem dirigere. Ideo primus actus legis est, homines facere bonos seu regulare actus humanos. Quantum ad hoc, omnibus data et posita est lex divina, et alia quælibet recta. Denique lex datur per modum præcepti quo

applicatur ad actus. Actus vero sunt tri- A
plices, scilicet : boni, mali, et indifferentes.
Unde et triplex est actus legis, videlicet :
præcipere, quoad actus bonos ; prohibe-
re, quoad actus malos ; et permittere, quo-
ad actus indifferentes. Sunt autem et alii
actus legis, videlicet, cogere nolentes, pu-
nire prævaricantes, terrere seu pœnas mi-
nari. Quantum ad hos actus, non est ju-
stis lex posita, nec proprie quantum ad
actum prohibitionis. Actus tamen qui vo-
catur præcipere, cadit super justos : qui
subjecti sunt legi, non coacte, sed spon- B
te : non terrore pœnæ, sed amore justitiæ ;
non subjectione servili, sed libera. Quan-
tum ergo ad hos actus posteriores, non
est posita lex justis, sed injustis. *Et non
subditis*, id est perversis et Deo rebel-
libus.

De quibus particularius subditur : *im-
piis*, qui contra Deum peccant directe, *et
peccatoribus*, qui peccant in proximum,
sceleratis in se ipsos, *et contaminatis*, con-
sentiendo vel cooperando alienis peccatis,
parricidis et matricidis, id est parentum C
carnalium vel spiritualium interfectori-
10 bus, *homicidis, fornicariis*, id est, fornica-
tionem naturalem committentibus, *mascu-
lorum concubitoribus*, quod est peccatum
contra naturam, *plagiariis*, id est, qui ali-
os lædunt, *mendacibus, et perjuris ; et si*
(pro quia) *quid aliud* vitium a prædictis,
sanæ doctrinæ, id est veræ atque morali
scientiæ, *adversatur*, huic lex posita est :
Galat. III, 19. prout Galatis dixit Apostolus, Lex propter
11 transgressiones posita est. *Quæ* sana do-
ctrina *est* tradita *secundum Evangelium*, D
id est in Evangelio ; vel, Secundum Evan-
gelium, quoniam consonat evangelicæ do-
ctrinæ : Evangelium, dico, *gloriæ*, id est,
quod annuntiat et promittit gloriam, *beati
Dei*, quam Deus gloriosus in se habet,
suisque electis communicat ; *quod* Evan-
gelium *creditum*, id est commissum seu
datum, *est mihi* ut dispensatori, quatenus
aliis ipsum annuntiem.

12 *Gratias ago ei*, videlicet Deo Patri, *qui
me confortavit* in anima ad credendum,
sperandum, amandum divina, et ad om-
nia bona agenda, ac mala toleranda, *in
Christo Jesu Domino nostro*, id est per
Christum mediatorem Dei ac hominum, I Tim. II, 5.
per cujus gratiam et meritum confortatus
sum ; *quia fidelem me existimavit*, id est,
prævidit seu existimando effecit, *ponens
in ministerio*, id est in apostolatus officio
ad docendum ac prædicandum. *Qui prius*, 13
id est, antequam inter Jerusalem et Da- Act. IX, 1 et seq. ; VII, 59 ; VIII, 3.
mascum Christum vidi et credidi, *fui bla-
sphemus*, Christum negando, *et persecutor*
primitivæ Ecclesiæ, *et contumeliosus*, id
est injurias contumaciter inferens sanctis.
Sed ideo *misericordiam Dei*, id est indul-
gentiam, gratiam et apostolatum, *conse-
cutus sum* accidenter, non directe, *quia
ignorans feci in incredulitate*, id est, igno-
ranter peccavi per infidelitatem, sicque
peccatum meum excusabile fuit. Non ta-
men ignorantia hæc, causa fuit meritoria
gratiæ mihi concessæ, sed quædam occa-
sio. *Superabundavit autem gratia Domi-* 14
ni nostri Jesu Christi in me, *cum fide et
dilectione*, id est, etiam fides atque di-
lectio, *quæ est in Christo Jesu* sicut in
causa et objecto, mihi abundanter infu-
sæ sunt : sicut et alibi dixi, Ubi abunda- Rom. V, 20.
vit iniquitas, superabundavit et gratia.

Consequenter ponit rationem cur gra-
tia Dei abundavit in se, imo in omnibus
iniquis conversis. *Fidelis*, id est verax fi- 15
deliterque credendus, *sermo, et omni ac-
ceptione dignus*, id est maxime acceptabi-
lis, gratus et amplectendus, qui sequitur :
quia, id est quod, *Christus Jesus venit* per
humanæ naturæ assumptionem *in hunc
mundum* : juxta illud Baruch, Post hæc Baruch III, 38.
in terris visus est, et cum hominibus con-
versatus est. Verbum enim caro factum Joann. I, 14.
est, et habitavit in nobis. *Peccatores sal-
vos facere*, id est ad salvandum et libe-
randum iniquos, juxta illud Joannis : Non Ibid. III, 17.
misit Deus Filium suum ut judicet mun-
dum, sed ut salvetur mundus per ipsum.
Unde et ipse testatur : Venit Filius homi- Luc. XIX, 10.
nis quærere et salvum facere quod per-
ierat ; itemque, Non veni vocare justos, Ibid. V, 32.

sed peccatores ad pœnitentiam. *Quorum*
primus, id est præcipuus, *ego sum,* pro-
pter magnitudinem peccatorum meorum :
non tamen simpliciter primus seu maxi-
mus, sed secundum aliquam considerati-
onem, videlicet in quantum peccata mea
certius scio et gravius pondero quam alio-
16 rum. *Sed ideo misericordiam consecutus*
sum, ut in me, id est in mei piissima
conversione et salvatione, *primum,* id est
principaliter, *ostenderet Christus Jesus om-*
nem, id est perfectam, *patientiam,* id est
longanimitatem et mansuetudinem suam,
ad informationem eorum qui credituri
sunt illi in vitam æternam, id est, ut
omnes futuri fideles propter æternam vi-
tam credituri, discant in me divinæ pieta-
tis abyssum, quatenus nunquam desperent,
considerantes me maximum peccatorem,
in apostolum præelectum. Hæc est alia et
major ac verior causa propter quam Deus
misertus est Pauli, videlicet, ut poneret
eum exemplum spei cunctis credentibus.

Pro tantis igitur beneficiis gratias ago
17 et dico : *Regi autem sæculorum,* id est
Deo uni et trino, omnium generationum
et temporum principi, omnia gubernanti,
immortali, id est penitus invariabili, sicut
Jacob. I, 17. et Jacobus loquitur : Apud quem non est
transmutatio, nec vicissitudinis obumbra-
tio; *invisibili,* quia nec oculo corporali,
nec intellectuali perfecte et comprehen-
sive videtur, id est omnino incomprehen-
Joann. I, 18. sibili, sicut apud Joannem habetur : Deum
I *Cor.* II, 11. nemo vidit unquam. Quæ enim sunt Dei,
nemo novit nisi Spiritus ejus. *Soli Deo,*
id est Regi huic, qui solus est Deus, sit
honor latriæ, id est summæ exhibitio re-
verentiæ, *et gloria,* id est beatitudo in se
ipso; vel, Gloria, id est nominis sui clari-
ficatio in cordibus hominum cum debita
laude; *in sæcula sæculorum,* id est sine
fine. *Amen.*

Post divinorum beneficiorum recorda-
A tionem, et humilitatis propriæ professio-
nem ac devotissimam gratiarum actionem,
docet Apostolus Timotheum quomodo in
regimine gregis sui se habeat. *Hoc præ-* 18
ceptum quod subjungo, *commendo tibi,*
fili Timothee, implendum *secundum præ-*
cedentes in te prophetias, id est secundum
revelationes propheticas mihi de te factas,
antequam a me episcopus creareris : hoc
est, sic impleas istud præceptum quem-
admodum mihi Spiritus Sanctus revelavit
de te priusquam te ordinarem episcopum.
B Præceptum autem est hoc : *ut milites,* id
est, pugnando exerceas, *in illis* prophetiis
adimplendis, *bonam militiam,* id est fru-
ctuosam exercitationem, resistendo falsis
doctoribus, et veritatem prædicando, ac
populum tuum regendo, sicut revelatum
est mihi te operaturum, *habens fidem* ple- 19
nam, *et bonam conscientiam* de nullo vi-
tio sibi consciam.

Quam conscientiam bonam *quidam re-*
pellentes, id est peccando perdentes, *circa*
fidem naufragaverunt, id est, in his quæ
C fidei sunt, erraverunt, et in profundum
erroris submersi sunt. *Ex quibus,* id est 20
de quorum numero, *est Hymenæus et Ale-*
xander, quos tradidi Satanæ, id est ex- I *Cor.* V, 5.
communicavi, et excommunicatos exposui
potestati diaboli, ut eos corporaliter vexet,
donec resipiscant, *ut discant* per experi-
entiam pœnarum suarum, *non blasphe-*
mare : quemadmodum scriptum est, Sola *Is.* XXVIII, 19.
vexatio dabit intellectum auditui. Sicque
traditio ista finaliter intendebat in emen-
dationem ipsorum. Tantæ demum pote-
D statis, ut dictum est, erat Apostolus, ut
recedentes a fide solo verbo daret diabo-
lo : qui nil potest nisi a Deo et Sanctis
permissus. Unde traditio hæc, fuit prola-
tio sententiæ ab ore Apostoli contra eos :
qua dæmon percepta, mox traditos appre-
hendit, et tribulavit per intervalla ; imo
interim etiam occidit corrigi non volentes.

ARTICULUS II

EXPOSITIO CAPITULI SECUNDI : OBSECRO IGITUR PRIMO OMNIUM FIERI OBSECRATIONES.

SECUNDUM doctores catholicos, in ex-
ordio hujus capituli, non solum Ti-
motheo, sed universæ Ecclesiæ præscribit
Apostolus formam celebrandi, atque pro
omnibus supplicandi. Primo igitur Glossa
exponit hunc locum, quantum ad Missæ
1 officium, ut sit sensus : *Obsecro igitur pri-
mo omnium*, id est ante cetera, *fieri ob-
secrationes, orationes, postulationes, gratia-
rum actiones*. Obsecrationes dicuntur, quæ
in Missa ante consecrationem proferun-
tur; orationes, quæ dicuntur in consecra-
tione; postulationes vero, quæ post conse-
crationem, ut est episcopalis benedictio, vel
dum aliquid ex debito petitur; gratiarum
actiones autem, quæ dicuntur post sum-
ptionem in fine officii. Secundo exponit,
quantum ad officium orandi communiter.
Sicque obsecrationes vocantur, quæ pro
rebus difficilibus Domino offeruntur, ut
est justificatio impii, suscitatio mortui :
quamvis cuncta sint Deo æque facilia, cui
Jer. XXXII, 17, 27. non est difficile omne verbum, ut dicitur
apud Jeremiam. Orationes dicuntur, dum
conversis petuntur virtutes; postulationes
vero, dum justis gloria sempiterna im-
precatur. Gratiarum actiones, sunt hymni
Deo oblati pro beneficiis ejus.

Quidam distinguunt hæc quatuor ita :
nam ad actum precationis tria exiguntur.
Primum, est accessus precantis ad Deum :
quod fit per orationem, quæ secundum
Damascenum est ascensus mentis ad Deum.
Et quantum ad hoc, dicit Apostolus : Ob-
secro fieri orationes. Secundum, est pro-
ponere coram Deo quod petitur : quod
fit dupliciter, scilicet, in communi, sicut
quum dicimus : Domine, adsis mihi, vel,
adjuva me; et in speciali, ut quum dici-
mus : Domine, da mihi caritatis fervo-

A rem. Primo modo vocatur petitio, secun-
do, postulatio. Tertium, quod ad actum
precationis exigitur, est id per quod fit ex-
audibilis : quod est duplex. Unum enim est
ex parte Dei, videlicet sanctitas ejus, vel
aliquid sanctificatum ab eo, sicut quum
dicimus : Per tuam bonitatem, vel, tuam
Incarnationem, libera nos. Aliud est ex
parte orantis, videlicet gratitudo seu gra-
tiarum actio de bonis collatis, per quam
dignificatur homo ad percipienda dona
majora. Ad quorum primum pertinent
B obsecrationes, ad secundum gratiarum ac-
tiones.

Has igitur orationis species obsecro fie-
ri, id est a fidelibus, præsertim a sacerdo-
tibus, Deo offerri, *pro omnibus hominibus*
fidelibus et infidelibus, amicis et inimi-
cis, notis et ignotis, præcipue tamen *pro* 2
*regibus, et omnibus qui in sublimitate
sunt constituti*, id est prælatis atque prin-
cipibus, ex quorum bono regimine, alio-
rum salus pro magna parte dependet, jux-
ta illud : Secundum judicem populi, sic *Eccli.* X, 2.
C et ministri ejus; et qualis est rector ci-
vitatis, tales et inhabitantes in ea. His
etiam majus onus incumbit, majusque pe-
riculum imminet : quia judicium gravis- *Sap.* VI, 6.
simum fiet in his qui præsunt. Subditi
quoque specialiter obligantur orare pro
eis. *Ut quietam* ab exterioribus pertur-
bationibus, *et tranquillam*, id est intus
pacificam, *vitam agamus in omni pieta-
te* animæ, *et castitate* corporis, sumendo
castitatem pro continentia; vel, In omni
pietate, quantum ad alios, et castitate, id
D est temperantia, quantum ad nos ipsos.

Hoc enim, id est sic orare pro omni- 3
bus, *bonum est et acceptum*, id est vir-
tuosum, meritorium et placitum, *coram*

4 *Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* Hoc idem alibi sæpe testatur Scriptura. Scriptum est namque : Non est voluntas ante Patrem vestrum ut pereat unus ex pusillis istis; (*Matth.* xviii, 14.) et iterum, Patienter agit Dominus propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. (II *Petr.* iii, 9.) Et rursus per Prophetam : Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus, et non ut convertatur a viis suis, et vivat? (*Ezech.* xviii, 23.) Imo, in tantum vult et quasi desiderat Deus nostram salutem, ut per alium Prophetam populo impio dicat : Utinam attendisses mandata mea. (*Is.* xlviii, 18.) — Sed difficultas est, quomodo sint hæc intelligenda, propter auctoritates Scripturæ quæ videntur oppositum velle. Nam alibi dicit Apostolus : Voluntati ejus quis resistit? (*Rom.* ix, 19.) Et per Isaiam Dominus perhibet : Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet. (*Is.* xlvi, 10.) Et Psalmista : Omnia, inquit, quæcumque voluit Dominus, fecit. (*Ps.* cxxxiv, 6.) Si ergo vult omnes salvari, ergo omnes salvarentur.

Ad hoc multipliciter respondetur : Primo, quod Deus vult omnes salvari quantum in se est, ita ut ex parte ejus non sit defectus, neminemque ad se venientem repellat, (*Joann.* vi, 37.) et singulis gratiam dare paratus sit, si fecerint quod in se est. Secundo, intelligitur cum distributione accommoda seu impletione, ut sit sensus : Vult omnes salvos fieri, id est, omnes qui salvantur, vult salvos fieri. Nemo enim salvatur nisi Deo volente. Tertio, intelligitur cum distributione pro generibus singulorum, non pro singulis generum. De omni enim statu et genere hominum vult quosdam salvari. Hæc tamen responsio non videtur satisfacere auctoritati qua dictum est, quod non sit voluntas Patris ut pereat unus ex pusillis istis. (*Matth.* xviii, 14.) Quarto, intelligitur de voluntate signi. Nam Deus consulit, hortatur, et jubet, ut omnes bene se habeant. Quinta responsio, quæ melior est, et a Damasceno assignatur, est quod Deus vult omnes salvari voluntate antecedente, non autem voluntate consequente : quæ duplex voluntas in Deo, sola ratione distinguitur. Dicitur enim voluntas antecedens, qua quis aliquid vult secundum considerationem communem et absolutam rei quam vult; consequens vero, qua vult aliquid consideratis particularibus circumstantiis atque conditionibus ejus. Primo modo vult rex omnes suos subjectos vivere, in quantum videlicet considerat eos ut cives et membra regni sui ; secundo modo vult quosdam eorum perire, in quantum sunt bono communi contrarii, vel enormiter scelerati. Simili modo vult Deus omnes homines salvari, voluntate antecedente, videlicet consideratis eis ut sunt rationalis naturæ ad Dei imaginem factæ, beatitudinisque capaces; sed considerando nonnullos secundum actus et circumstantias suas particulares, non vult eos salvari, sed damnari : quod pertinet ad voluntatem consequentem. Verum, ut ait Thomas, voluntas fertur in rem secundum quod res in se realiter exsistit. Ideo quod aliquis vult voluntate antecedente, non vult simpliciter, sed secundum quid; quod vero vult voluntate consequente, vult simpliciter et perfecte. Ideo omnes salvantur quos vult Deus salvari, loquendo de voluntate Dei æterna simpliciter dicta.

Quod ergo vult Deus omnes salvari his
modis, declarat Apostolus. *Unus enim Deus* 5
est, utpote in essentia simplex, et in Personis trinus, qui est Trinitas superbenedicta, unus verus simplicissimus Deus ; *unus* est *et mediator,* id est reconciliator et sequester, *Dei* Trinitatis *et hominum, homo Christus Jesus,* cum utroque extremo conveniens : cum Deo, secundum naturam divinam ; et cum hominibus, secundum assumptam humanitatem. Estque mediator Dei ac hominum, proprie loquendo, nec ut Deus, neque ut homo, sed ut Deus homo, seu ut Deus incarnatus. Sic quippe competit ei et satisfacere seu reconciliare, et idoneitas vel efficacia reconciliandi : quorum primum convenit ei ratione assumptæ naturæ; secundum vero, ratione Deitatis unitæ, ex qua opera et

pœnæ Christi hominis infinitam quodam- A
modo dignitatem et efficaciam sortiuntur,
in tantum ut minima gutta sanguinis ejus,
fuisset sufficientissima ad totius humani
6 generis liberationem. *Qui* Christus *dedit,*
id est, sponte et caritative obtulit, *redem-
ptionem,* id est in causam et pretium no-
stræ redemptionis, *semetipsum pro omni-
bus,* quantum ad sufficientiam.

Cujus testimonium, id est assertio seu
prædicatio, utpote testimonium quod vel
Prophetæ præbuerunt de Christo venturo,
vel Apostoli de ipso jam passo et glorifi- B
cato, *temporibus suis,* id est diebus a Deo
præordinatis, *confirmatum est,* id est im-
pletum et verificatum, atque per signa
divina probatum, videlicet in die sancto
Act. II, 1-4. Pentecostes adveniente Spiritu Sancto, et
Apostolis Christi resurrectionem prædican-
tibus, ac diversa miracula operantibus.
Marc. XVI, 20. Unde scriptum est : Illi profecti prædica-
verunt ubique, Domino cooperante, et ser-
7 monem confirmante sequentibus signis. *In
quo,* id est ad cujus testimonii perhibi-
tionem seu prædicationem, *positus,* id est C
divinitus institutus et factus, *sum ego præ-
dicator et apostolus. Veritatem dico* in
Christo, et *non mentior* ista dicendo, qui
sum *doctor gentium in fide* catholica *et
veritate* evangelicæ legis.

Insuper docet Apostolus modum orandi
8 in speciali : primo, quantum ad viros. *Vo-
lo ergo,* id est, quoniam doctor sum gen-
tium, volo *viros orare,* id est decentia pe-
tere a Deo, *in omni loco,* opportunitate
adepta, et non solum in ecclesia materia-
li ; *levantes puras manus,* id est sancta D
desideria cum corporalium manuum ex-
tensione ad Deum, pro devotione arden-
tiori excitanda : si tamen fieri possit se-
crete. Coram aliis namque singularitas est
vitanda. Multum autem confert corpora-
lium manuum elevatio ad superna, pro
interiori elevatione provocanda. Propter
Thren. III, 41. quod per Prophetam dicitur : Levemus
corda nostra cum manibus ad Dominum
Ps. LXII, 5. in cœlos ; et rursus apud alium, In nomi-
Ps. CXL, 2. ne tuo levabo manus meas ; itemque, Ele-
vatio manuum mearum sacrificium ve-
spertinum. *Sine ira* in proximum, id est
sine appetitu vindictæ et animæ commo-
tione. Unde in Ecclesiastico legitur : Homo *Eccli.*
homini servat iram, et a Deo quærit mede- XXVIII, 3, 5.
lam ? Quis exorabit pro peccatis illius ? *Et
disceptatione,* id est hæsitatione quantum
ad Deum, non dubitantes de exauditione,
dummodo orent sicut oportet, videlicet,
salubriter, perseveranter, et pro se ipsis.
Cum plena ergo fiducia est orandum. Quis *Ibid.* II, 12.
enim invocavit Deum, et despexit eum ?
Ideo per Jacobum dicitur : Postulet in fide *Jacob.* I, 6.
nihil hæsitans.

Similiter et mulieres volo orare, sicut 9
de viris prædixi, cum manuum purarum
levatione, sine ira et disceptatione, exsi-
stentes *in habitu ornato,* id est veste de-
centi, non curiosa ; *cum verecundia :* quæ
est passio laudabilis, quum sit timor de
re turpi, secundum Damascenum. Hinc
scriptum est : Gratia super gratiam mu- *Eccli.* XXVI,
lier sancta et pudorata et tacita. Et rur- 19, 18.
sus : Fallax gratia et vana est pulchritudo ; *Prov.* XXXI,
mulier timens Dominum, ipsa laudabitur. 30.
Et sobrietate, ne sint gulosæ. *Ornantes
se, non in tortis,* id est crispatis, *crini-
bus, aut auro, aut margaritis, vel veste
pretiosa, sed quod decet mulieres,* illo or- 10
nentur ; illudque faciant, *promittentes,* id
est firmiter proponentes, vel Deo voven-
tes, vel foris veraciter ostendentes, *pieta-
tem,* id est religiosam benignitatem seu
christianam religionem et misericordiam,
per opera bona, id est virtuose vivendo.
Hoc et Petrus in prima sua docet Cano-
nica : Mulierum non sit extrinsecus ca- *I Petr.* III,
pillatura, aut circumdatio auri, aut in- 3, 4.
dumenti vestimentorum cultus ; sed qui
absconditus cordis est homo, in incorru-
ptibilitate quieti et modesti spiritus.

Mulier in silentio discat, id est, silen- 11
ter instruentem seu prædicantem advertat,
præsertim in ecclesia, *cum omni subje-
ctione* interiori ac exteriori, id est cum
perfecta humiliatione. *Docere autem* viros 12
in publico seu in ecclesia *mulieri non
permitto :* quia communiter ratio debilis

est in feminis, suntque nimis loquaces, et A
ad vanitatem proclives; sermo quoque ea-
rum luxuriam potius incitat sæpe, quam
Eccli. IX, 11. devotionem, juxta illud, Colloquium mu-
lieris quasi ignis exardescit. Verumtamen
mulieres in suis conventibus seu domibus
docere possunt personas sibi subjectas.
Neque permitto mulieri *dominari in vi-
rum,* id est proprium maritum, *sed esse
in silentio,* quum sint pronæ ad vitia lo-
cutionis. Ideo autem debet esse viro sub-
13 jecta : *Adam enim primus formatus est,*
Gen. II, 7, 21. id est a Deo ante mulierem creatus, *dein-* B
14 *de Eva* de latere viri. *Et Adam non est
seductus* a serpente, credendo vera esse
Ibid. III, 5. quæ dixerat serpens, videlicet, Quacum-
que die comederitis, etc., eritis sicut dii;
*mulier autem seducta in prævaricatione
fuit,* id est decepta promissione serpentis,
Ibid. 4, 5. dicentis, Nequaquam moriemini, sed eritis
sicut dii : in tantum ut de prohibito fru-
ctu comederit. Unde Adam interrogatus
Ibid. 12. a Deo, non dixit, Mulier seduxit me; sed,
Ibid. 13. Dedit mihi, et comedi. Illa vero, Serpens,
inquit, decepit me, et comedi. Adam enim
multo sapientior atque perfectior erat uxo-
re : unde nequaquam putavit verba Dei
esse mendosa; seductus tamen fuit in hoc,
quod propter amorem conjugis manduca-
vit de vetito fructu, nec putavit transgres-
sionem suam tam graviter puniendam.
Salvabitur autem, id est, salutis aug- 15
mentum merebitur et sortietur mulier,
per filiorum generationem corporalem vel
spiritualem. Nam actus matrimonii meri-
torius est, si cum debitis circumstantiis
exerceatur, videlicet propter prolem di-
vino cultui deputandam. Spiritualis quo-
que generatio, quæ est instructio, corre-
ctio et educatio in virtutibus, multum
meritoria est matri. *Si permanserit in fi-
de* catholica *et dilectione* spirituali, ne
amor carnalis in ea prævaleat, *et sancti-
ficatione,* id est sancta conversatione, præ-
sertim vitando alterius viri pollutionem,
cum sobrietate, temperanter vivendo. Im-
moderatio enim cibi ac potus, plurima
vitia parit in feminis.

ARTICULUS III

EXPOSITIO CAPITULI TERTII : FIDELIS SERMO : SI QUIS EPISCOPATUM DESIDERAT, ETC.

CONSEQUENTER Apostolus instruit Ti- C
motheum de ordinatione ministrorum
1 Ecclesiæ. *Fidelis,* id est verus et gratus,
est *sermo* qui subditur, scilicet : *Si quis
episcopatum desiderat,* id est, episcopus
fieri cupit, *bonum opus,* id est sanctum
officium, *desiderat* : sed non bene desi-
derat. Non enim licere videtur ad episco-
patum anhelare, nisi forte ex speciali in-
spiratione Spiritus Sancti. Quamvis enim
episcopatus sit dignitas magna, habet ta-
men summum laborem et maximam sol-
licitudinem sibi annexam, ita ut potius D
appelletur opus quam dignitas. Et si quis
episcopatum licite cupit, non propter di-
gnitatem, sed propter administrationem
eum cupit, optans prodesse, non præes-
se. Denique nomen episcopi proprie sum-
ptum, significat opus, non dignitatem. Di-
citur enim, ab ἐπί, quod est supra, et
σκοπός, intentio, quasi saluti gregis super-
intendens. Quidam probabiliter asserunt
hoc loco per episcopatum intelligi sacer-
dotium. Nam de diaconis statim subjun-
gitur. Non autem apparet quod Apostolus
de sacerdotio conticuisset, tantumque or-
dinem transiliisset, nisi in nomine episco-
patus includeretur.

Ne autem quispiam pronus sit ad episco-
patum desiderandum, declarat Apostolus

qualem oporteat esse episcopum, quatenus
episcopatum nemo affectet nisi virtutibus
2 istis ornetur. *Oportet ergo,* si res digne
et fructuose agatur, *episcopum* jam creatum,
vel eum qui ad episcopatum promo-
vetur, *sine crimine* esse,* id est sine ma- [* irreprehensibilem]
gno, perseveranti seu notabili vitio, ne
increpanti dicatur : Medice, cura te ip- [Luc. iv, 23.]
sum. *Unius uxoris virum.* Circa hoc Hieronymus
et Augustinus dissentiunt. Hieronymus
enim affirmat, quod oportet eum
non habuisse nisi unam uxorem post Baptismum,
ita quod non obest si ante Baptismum
aliam habuit, eo quod Baptismus
irregularitatem tollat. Augustinus tenet oppositum,
quia Baptismus non sacramenta
relaxat, sed crimina. *Sobrium* in victu,
ne gravetur cor ejus crapula vel ebrieta- [Ibid. xxi, 34.]
te. Unde in Levitico Dominus ait ministris
Synagogæ, Aaroni scilicet et filiis ejus :
Vinum et omne quod inebriare potest, [Lev. x, 9, 10.]
non bibetis tu et filii tui, quando intrabitis
in tabernaculum testimonii, ut habeatis
scientiam discernendi inter sanctum
et pollutum. *Prudentem* in agendis et dandis
consiliis, *pudicum* in exteriori apparatu,
honestum, ornatum probitate morum,
hospitalem, alios (maxime pauperes)
clementer hospitando, *doctorem,* id est
eruditum et agilem ad docendum.
3 *Non vinolentum,* ne corpus ejus ad libidinem
concitetur; *non percussorem,* id
est bellicosum, vel ex impatientia verberantem,
sed modestum, id est in omnibus
ordinatum. *Non litigiosum,* ne verbis contendat.
Honor enim est homini qui sepa- [Prov. xx, 3.]
rat se a lite; et, Ubi zelus et contentio, ibi [Jacob. iii, 16.]
inconstantia et omne opus pravum. *Non
cupidum,* ne propter munera pervertat ju-
4 dicium, vel acceptor sit personarum. *Suæ
domui bene præpositum,* id est propriam
familiam digne regentem. Virtus namque
et vitium familiæ, redundat in patremfamilias.
Qualis enim rector, tales et sub- [Eccli. x, 2.]
diti. *Filios habentem subditos* sibi et Deo
in omni castitate, id est continentia, quæ
5 omni Christiano necessaria est. *Si quis
autem domui suæ,* id est domesticis pro-

A priis, *præesse nescit, quomodo Ecclesiæ
Dei diligentiam habebit?* id est, qualiter
toti congregationi fidelium cum debita sollicitudine
providebit? quasi dicat : Nequaquam,
quum istud sit majus et laboriosius
illo. *Non neophytum,* id est noviter 6
conversum, *ne in superbiam elatus,* id est
tumore elationis inflatus ex subita promotione,
se reputans aliis perfectiorem et
Ecclesiæ pernecessarium, *in judicium,* id
est reprobationem seu pœnam, *incidat
diaboli,* qui ob suam elationem damna- [Is. xiv, 12-15.]
B tus est.
*Oportet autem illum et testimonium ha- 7
bere bonum ab his qui foris sunt,* id est
infidelibus et mundanis hominibus : hoc
est, tanta virtutum excellentia necesse est
eum fulgere, ut etiam a perversis laudetur,
ita ut nemo valeat reprehendere eum,
sicque facilius extranei a fide seu vita
laudabili, ejus prædicationi consentiant ;
ut non in opprobrium incidat, id est contemptum,
videlicet ne quis eum despiciat,
et in laqueum diaboli, id est aliud quod-
C cumque peccatum, quo dæmon capit atque
illaqueat animam peccatricem.
Insuper de statu et qualitate diaconorum
subdit Apostolus : *Diaconos similiter* 8
oportet esse *pudicos, non bilingues,* id est
duabus loquelis utentes, videlicet aliter
in præsentia, atque aliter in absentia loquentes :
quales sunt adulatores, simulatores,
et seminatores discordiæ. Unde in
Ecclesiastico legitur : Susurro et bilinguis [Eccli. xxviii, 15.]
maledictus; multos enim turbavit pacem
habentes. Talibus dicit Jacobus : Purifi- [Jacob. iv, 8.]
D cate corda, duplices animo. *Non multo
vino deditos,* id est non vinolentos et ebriosos,
ne sint mente obtusi, indiscreti ac
lubrici, quoniam scriptum est : Luxurio- [Prov. xx, 1.]
sa res est vinum, et tumultuosa ebrietas ;
qui his delectatur, non erit sapiens. *Non
turpe lucrum,* id est temporale commodum,
sectantes, vel non vilius ementes, et
carius vendentes. Turpe est enim huic
professioni quæstibus studere. *Habentes* 9
mysterium fidei, id est secreta fidei cognoscentes,
in conscientia pura, videlicet,

ne de sua scientia extollantur, vel secreta A
10 fidei curiose scrutentur. *Et hi autem,* id
est diaconi et episcopi, *probentur primum,*
id est, antequam promoveantur, exami-
nentur si idonei sint ; *et sic* probati et
approbati, *ministrent* in suis officiis, *nul-
lum crimen,* id est mortale peccatum, *ha-
11 bentes.* — *Mulieres similiter* oportet esse
pudicas, id est verecundas, honestas, fo-
I Tim. II, 15. ris compositas, *non detrahentes, sobrias :*
ebrietas enim præcipue obest eis, quum
sint debiles in rationis judicio ; *fideles in
omnibus* articulis fidei, vel in omnibus B
dictis et factis.
12 *Diaconi sint unius uxoris viri,* id est,
ultra unam uxorem non habeant, propter
sacramentum. Sunt enim quasi vicarii
Sponsi cœlestis, cujus Sponsa, puta Ec-
clesia, una est. Tempore autem Apostoli
licuit episcopis, presbyteris, atque diaco-
nis unam habere mulierem : qua defun-
cta, ad castitatem tenebantur. Nunc vero
ex ordinatione summi Pontificis ad per-
petuam castitatem tenentur. *Qui* diaconi
filiis suis bene præsint et suis domibus, C
id est familiis, tam in spiritualibus, quam
13 in temporalibus. *Qui enim bene ministra-
verint* in minoribus officiis atque ordi-
nibus, *gradum sibi bonum acquirent,* id
est, ad altiorem statum et ordinem pro-
movebuntur, ad propriam et aliorum sa-
lutem, *et multam fiduciam,* id est spem
magnam de futura beatitudine : fiduciam,
inquam, *in fide* fundatam, *quæ* fides *est
in Christo Jesu* sicut in datore, confir-
matore et præmiatore.
14 *Hæc tibi scribo, sperans me venire ad* D
15 *te cito* a Laodicia ad Ephesum. *Si autem
tardavero,* tunc scribo *ut scias* interim ex
doctrina hujus epistolæ, *quomodo oporteat
te in domo Dei,* id est in grege fidelium
tibi commisso, *conversari,* omnibus et sin-
gulis salubriter præsidendo, exemplariter
te habendo, et unicuique proportionatam
doctrinam imprimendo. *Quæ* domus *est
Ecclesia Dei vivi,* id est congregatio Chri-
stianorum : Ecclesia utique, non ex vili-
I Petr. II, 5. bus saxis, sed vivis constructa lapidibus;

estque *columna et firmamentum verita-
tis,* id est, veritatem evangelicam fortiter
portat, infirmosque sustinet, et vacillantes
confirmat, tanquam firmamentum seu ful-
cimentum nutantium in fide aut moribus.
Et manifeste magnum est in Ecclesia 16
pietatis sacramentum, id est Verbum Dei
incarnatum in cordibus fidelium habi-
tans : quod dicitur sacramentum, id est
sacrum secretum seu res occulta, quia
secundum divinam naturam, inaccessibi- I Tim. VI, 16.
lem habitat lucem. De quo Isaias : Vere, Is. XLV, 15.
inquit, tu es Deus absconditus. Dicitur
etiam sacramentum pietatis, tanquam ori-
go et fons totius misericordiæ, sanctæ Re-
ligionis et cultus divini. *Quod* sacramen-
tum *manifestatum est,* id est, visibiliter
apparuit hominibus, *in carne* assumpta.
Verbum enim caro factum est, et habita- Joann. I, 14.
vit in nobis. Unde apud Isaiam testatur :
Sciet populus meus nomen meum in die Is. LII, 6.
illa, quia ego ipse qui loquebar, ecce ad-
sum ; et iterum, Simul laudabunt, quia Ibid. 8.
oculo ad oculum videbunt, quum conver-
terit Dominus Sion. *Justificatum est,* id est
justum ostensum quantum ad deitatem,
vel justum effectum secundum humani-
tatem, *in Spiritu,* id est per operationem
Spiritus Sancti, testimonium perhibentis
de Christo, et animam ejus omni sancti-
tate implentis. *Apparuit angelis,* præser-
tim in ascensione, quando dixerunt : Quis Ps. XXIII, 8, 10.
est iste Rex gloriæ? et, Quis est iste qui Is. LXIII, 1.
venit de Edom? *Prædicatum est* per Apo-
stolos *gentibus* universis. In omnem enim Ps. XVIII, 5.
terram exivit sonus eorum. Unde Prophe-
ta : Paravit, inquit, Dominus brachium Is. LII, 10.
sanctum suum in oculis omnium genti-
um. *Creditum est in mundo,* id est, ho-
mines per fidem receperunt hoc sacra-
mentum, credendo in Christum, juxta illud
in Psalmo : Viderunt omnes termini ter- Ps. XCVII, 3.
ræ salutare Dei nostri. *Assumptum est in
gloria,* id est, in ascensione ad Patris dex-
tram elevatum atque locatum est, prout
apud Marcum legitur : Dominus Jesus as- Marc. XVI, 19.
sumptus est in cœlum, et sedet a dextris
Dei.

ARTICULUS IV

DECLARATIO CAPITULI QUARTI : SPIRITUS AUTEM MANIFESTE DICIT, ETC.

QUONIAM jacula prævisa minus feri-
unt, prænuntiat Apostolus mala Ec-
clesiæ eventura, ut quum venerint, minus
1 turbentur fideles. *Spiritus autem mani-
feste dicit,* id est, Spiritus Sanctus nobis
evidenter revelat, *quia in novissimis tem-
poribus,* maxime circa adventum Anti-
christi, *discedent quidam,* etiam famosi
et magni, *a fide* catholica : a qua non
Rom. x, 10. corpore, sed corde disceditur, sicut et
corde creditur ; *attendentes spiritibus er-
roris,* id est animabus hominum erran-
tium, seu dæmonibus ad errorem ducen-
Joann. viii, 44. tibus, qui in veritate non steterunt, *et
doctrinis dæmoniorum,* quas dæmones per
se ingerunt cordibus perversorum, vel per
2 hæreticos proponunt eas simplicibus, *in
hypocrisi,* id est in simulata sanctitate,
loquentium mendacium. Dæmonia enim,
id est homines dæmone informati, lo-
quuntur falsa cum simulata sanctitate, ut
sibi credatur. De quibus dicit in Evan-
Matth. vii, 15. gelio Christus : Attendite a falsis prophe-
tis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovi-
um, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.
Cauteriatam, id est læsam seu vitiose
corruptam, *habentium suam conscienti-
3 am ; prohibentium nubere,* quasi matri-
monium non esset sacramentum atque
divinitus institutum; jubentium etiam *abs-
tinere a cibis quos Deus creavit,* quoad
primordialem materiam, *ad percipiendum
eos,* id est ad vescendum, *cum gratiarum
actione :* creavit, inquam, eos *fidelibus
et his qui cognoverunt veritatem,* id est
ad sustentationem credentium.
4 *Quia omnis creatura Dei bona est* in
sua natura, *et nihil rejiciendum* a man-
ducante, *quod cum gratiarum actione per-
cipitur,* id est, nullus cibus spernendus
A est tanquam in sua natura nocivus, qui
comedi potest aut solet cum gratiarum
actione. Nam licet fideles a certis cibis
et potibus interim abstineant, hoc tamen
non faciunt ea ratione qua fiebat in ve-
teri Testamento, sed ob corporis castiga-
tionem. *Sanctificatur enim per Verbum* 5
Dei, id est, a Verbo seu Filio Dei cibus
benedicitur, ne sit nocivus, sed utilis.
Christus quoque seu Verbum Dei, suo ad-
ventu cibos in lege prohibitos, fecit lici-
tos, sicque sanctificavit eos. *Et orationem,*
B id est per orationem hominum instrumen-
taliter, qui sua prece obtinent a Filio Dei
sanctificationem ciborum.
Hæc documenta proponens fratribus 6
per modum exhortationis seu jussionis,
bonus eris minister, id est fructuosus præ-
latus, laudabilisque vicarius, *Christi Jesu,*
populum ejus efficaciter instruendo, *enu-
tritus,* id est spiritualiter educatus ac fo-
tus, *verbis fidei et bonæ doctrinæ,* id est
verbis sacræ Scripturæ, pertinentibus ad
fidem sacram evangelicamque doctrinam.
C Hæc verba animam nutriunt, juxta illud :
Non in solo pane vivit homo, sed in omni Deut. viii, 3;
verbo quod procedit de ore Dei. *Quam* Matth. iv, 4.
doctrinam *assecutus,* id est adeptus, *es*
per illuminationem divinam et meam in-
structionem.
Ineptas autem, id est inconvenientes, 7
quibus nec fides nec virtus ædificatur, *et
aniles fabulas,* quales solent recitari a
vetulis, *devita.* Unde apud Petrum quo-
que habetur : Non indoctas fabulas se- II Petr. i, 16.
cuti, notam vobis fecimus Domini nostri
D Jesu Christi virtutem. *Exerce autem te
ipsum ad pietatem,* id est ad interiorem
cultum latriæ et religionem internam ve-
ri Dei, ad compassionem fraternam et

8 benignitatem cordialem. *Nam corporalis* A
exercitatio ad modicum utilis est, id est,
exteriora ista exercitia ac instrumenta vir-
tutum, videlicet abstinentiæ, jejunia, vi-
giliæ, disciplinæ, per se parum proficiunt,
nisi in interioribus anima vere virtuosa
ac pia reddatur. Unde nonnulli in his cor-
poralibus exercitiis se fatigantes, in ca-
ritate et pietate ac interiori perfectione
parum proficiunt, quia non ordinant pru-
denter et indesinenter media ista ad pu-
ritatem internam. *Pietas autem* præfata,
ad omnia, id est ad omnem gratiam pro-
merendam, et ad propriam ac aliorum
salutem procurandam, *utilis est, promissi-
onem,* id est promissam mercedem, *habens
vitæ quæ nunc est,* id est vitæ præsentis
(nunc enim pietati promittitur sufficien-
tia temporalium, et abundantia spiritua-
lium gratiarum), *et futuræ* vitæ in patria,
in qua merces pietatis est vita seu beati-
tudo æterna : quemadmodum ait Salvator,
Matth. XIX, 29. Centuplum accipiet, et vitam æternam
possidebit.
9 *Fidelis sermo et omni acceptione di-* C
gnus est, quem de laude pietatis jam in-
10 tuli. *In hoc enim* sermone, id est propter
hujus sermonis veritatem, *laboramus* in
interioribus et exterioribus exercitiis pie-
tatis, *et maledicimur* a perversis quasi
inique agentes. Sed ideo constanter labo-
ramus et omnia æquanimiter toleramus,
quia speramus in Deum vivum, id est,
sperando in Deum tendimus, exspectando
futuram felicitatem ab eo : quæ tanta est
Rom. VIII, 18. ut non sint condignæ passiones hujus
temporis ad eam ; *qui est salvator om-* D
nium hominum, maxime fidelium. Tri-
nitas quippe supergloriosa est salvator
principalis, quæ per Christi mysteria nos
redemit. Et sicut Christus vocatur salva-
tor omnium quoad sufficientiam, electo-
rum vero quantum ad efficientiam ; sic
Deus Trinitas est salvator omnium per
sufficientiam, fidelium vero fide et opere
est salvator per efficientiam, quos ad sa-
lutem perducit cœlestem.
11 *Præcipe hæc* quæ de fabularum inani-

um vitatione et pietatis exercitatione tibi
jam jussi, subditis tuis, *et doce* eos, si
qui eorum hæc nesciant.

Consequenter docet prælatum a suis
subditis honorandum. *Nemo adolescenti-* 12
am tuam, id est te adolescentem, *contem-
nat,* parvi pendendo verba tua ac jussa
propter adolescentiam tuam, quasi inex-
pertus sis et imperfectus. Et ut hoc alii
diligenter observent, oportet ut vita et
moribus annos tuos excedas, habendo te
mature in omnibus. Ideo subditur : *sed*
B *exemplum esto fidelium in verbo, in con-
versatione, in caritate, in fide, in castita-
te,* id est, in his omnibus habe te exem-
plariter et sincere, quatenus loquendo,
operando, diligendo, credendo, seu opera
caritatis ac fidei ostendendo, et caste vi-
vendo, alios ædifices, et similes tui effi-
cias. *Dum venio* ad te, videlicet interim 13
et tunc, *attende lectioni* sacræ Scripturæ,
in qua Spiritus Sanctus cum homine lo-
quitur, et homo quasi in speculo conspi-
cit quid agere debeat, *exhortationi* pro-
ximorum, *et doctrinæ,* id est informationi
ignorantium : faciendo hos actus succes-
sive ac ordinate, videlicet congruo loco
et tempore studendo, postmodum exhor-
tando sive docendo.

Deinde hortatur Timotheum ad diligen-
tem sui officii exsecutionem. *Noli negli-* 14
gere, id est per pigritiam perdere vel
dissimulare, et ab operibus bonis suspen-
dere, *gratiam** gratum facientem, seu gra- * [*quæ in te est*]
tis datam, id est supernaturale donum
Spiritus Sancti, seu ordinem episcopatus,
quæ data est tibi a Deo *per prophetiam,*
id est propheticam revelationem mihi de
te factam, qua mihi ostensum est te vi-
riliter exsecuturum episcopale officium.
Quæ etiam gratia data est tibi *cum impo-
sitione,* id est per impositionem, *manuum
presbyterii,* id est manuum mearum, qui
te ordinavi episcopum : per quam im-
positionem, presbyterium seu sacerdotium
tibi collatum est cum gratia sacramentali,
quæ confertur in sacramentis evangelicæ
legis. Vel, ponit abstractum pro concre-

to, videlicet presbyterium pro presbytero.
Deinceps admonet Timotheum ad seri-
osam obedientiam eorum quæ ipse scribit
15 et mandat ei. *Hæc* quæ tibi præcepi, *me-
ditare :* quemadmodum apud Sapientem
Prov. VII, 2, 3. dicitur : Serva mandata et legem quasi
pupillam oculi tui; liga eam in digitis
tuis, et in tabulis cordis tui scribe eam ;
in his esto occupatus per obedientiam, *ut
profectus tuus* in sancta conversatione,
manifestus sit omnibus, ad ædificationem
eorum et gloriam Dei, non ad tuum præ-
16 conium. *Attende tibi* primum, ut vivas
sicut decet episcopum, *et doctrinæ,* id est,

A consequenter intende instructioni gregis
tui. Qui enim sibi ipsi nequam est, cui *Eccli.* XIV, 5;
bonus est? Et, Quid proficit homo si lu- *Luc.* IX, 25.
cretur universum mundum, se ipsum au-
tem perdat ? Hoc etiam in Actibus ait
Apostolus : Attendite vobis et universo *Act.* XX, 28.
gregi, in quo posuit vos Spiritus Sanctus
episcopos. *Insta in illis,* diligenter vacan-
do tibi et aliis. *Hoc enim faciens, et te
ipsum salvum facies,* id est, beatitudinem
promereberis, *et eos qui te audiunt,* non
solum auribus corporis, sed etiam cordis,
B salvos facies accidenter, cooperative ac in-
strumentaliter.

ARTICULUS V

EXPLANATIO CAPITULI QUINTI : SENIOREM NE INCREPAVERIS, SED OBSECRA UT PATREM.

PRÆTEREA docet Apostolus modum
docendi in speciali, quatenus unus-
quisque instruatur secundum status sui
1 decentiam. *Seniorem* ætate et moribus *ne
increpaveris,* arguendo eum duris sermo-
nibus, ne ad indignationem concitetur, et
quia non decet : nisi forte ad exercitan-
dum vel ad aliorum ædificationem, sicut
frequenter viri sancti sanctissimos senio-
res dure increpasse leguntur; *sed obsecra
ut patrem,* id est, humiliter ac supplici-
ter admone eum ut indecentia corrigat in
se ipso vel aliis. Tamen, ut ait Gregorius,
seniores leves et vitiosi, durissime argu-
Sap. IV, 8, 9. endi sunt. Unde Sapiens ait : Senectus
venerabilis est, non diuturna, neque an-
norum numero computata ; sed ætas se-
nectutis, vita immaculata. De tali sene
Lev. XIX, 32. in Levitico legitur : Coram cano capite
consurge, et honora personam senis. *Ju-
venes* obsecra ad proficiendum in bonis,
et abstinendum a malis, *ut fratres,* ut tua
humilitate et caritate molliti atque com-
2 puncti, citius acquiescant. *Anus,* id est
vetulas, obsecra hoc modo, *ut matres* tuas

spirituales, vel sicut decet matres rogari
C a filiis. *Juvenculas* obsecra *ut sorores in
omni castitate,* ita ut nullo modo habeas
te ad eas petulanter, impudice sive car-
naliter.
Viduas honora, ministrando eis neces- 3
saria vitæ, si pauperes sint, vel reveren-
tiam solam exhibendo, si fuerint divi-
tes : quod intelligo de his *quæ vere viduæ
sunt,* id est, vitam suo statui convenientem
ducunt, tanquam separatæ a solatio amo-
reque sæculi, sicut destitutæ sunt a sola-
tio viri. Denique, de divitibus viduis sub-
D ditur : *Si qua autem,* id est aliqua, *vidua* 4
filios aut nepotes habet, ejus educatione
et instructione egentes, *discat primum,* id
est, antequam alienis præficiatur, *domum
suam,* id est propriam familiam, bene *re-
gere, et mutuam vicem reddere parenti-
bus* suis, si vivant, quatenus sicut ab eis
nutrita est, sic nutriat eos, si fuerit op-
portunum. [*Hoc enim acceptum est coram
Deo.*] *Quæ autem vere vidua est,* secun- 5
dum sensum prætactum, *et desolata,* id
est pauper et sola, non habens familiam,

speret in Deum, id est, totam suam fidu-
ciam in Deo constituat, certa quod Eccle-
sia sibi de necessariis providebit; *instet*
obsecrationibus et orationibus nocte ac die,
id est competentibus horis diurnis atque
nocturnis, totaliter occupando se in divi-
nis, et orando pro se ipsa ac aliis quorum
eleemosynis sustentatur ut sic vacet di-
6 vinis. Sic ergo agendum est viduæ: *Nam*
quæ in deliciis est, id est carnaliter vi-
vens et mundi delicias quærens, *vivens*
vita naturæ, *mortua est,* carendo vita gra-
tiæ propter peccatum mortale. De qua
Matth. VIII, 22. morte ait in Evangelio Christus: Dimitte
7 mortuos sepelire mortuos suos. *Et hoc*
præcipe viduis, *ut irreprehensibiles sint,*
delicias corporales et magna ac notabilia
peccata vitando.

Quod autem vidua dives vel valens, pro-
priam domum regere debeat, patet ex hoc:
8 *Si quis autem suorum* propinquorum, *et*
maxime domesticorum, ut sunt parentes
et filii, *curam non habet,* eos regendo
seu nutriendo; *fidem negavit,* bona fidei
omittendo, quamvis ore non exprimat:
Tit. I, 16. sicut de quibusdam testatur Scriptura, Di-
cunt se nosse Deum, factis autem negant;
et est infideli qui nondum veritatem fidei
audivit, *deterior,* saltem quantum ad ali-
quid, vel ceteris paribus. Agit enim con-
tra Christum, qui in cruce suspensus, de
Joann. XIX, 26, 27. Matre sua sollicitus fuit, commendans eam
discipulo. Propter quod etiam Petrus:
II *Petr.* II, 21. Melius est, inquit, viam justitiæ non co-
gnoscere, quam post agnitionem converti
retrorsum.

Consequenter docet quales viduæ sint
9 eleemosynis Ecclesiæ sustentandæ. *Vidua*
eligatur, id est, talis vidua suscipiatur
ab Ecclesia sustentanda, *non minus sexa-*
ginta annorum, id est, quæ ad minus
sexagenaria sit. Talis namque caret signo
suspicionis, eo quod in tanta ætate ex-
stinctus sit fervor libidinis: idcirco se-
cure nutritur a ministris Ecclesiæ. *Quæ*
fuerit unius viri uxor dumtaxat: quod
est signum continentiæ. Debet enim unius
tantum viri uxor fuisse, propter sacra-

A mentum copulæ Christi et Ecclesiæ, quæ
est unius cum una, videlicet Christi cum
sponsa sua Ecclesia. *In operibus bonis,* id 10
est de laudabili sua præterita conversati-
one, *testimonium habens* a fide dignis.
De quibus operibus subditur: *si filios*
suos educavit in cibis ac moribus, *si ho-*
spitio recepit peregrinos ac pauperes, *si*
sanctorum pedes lavit, præsertim prædi-
catorum undique discurrentium: quos in
primitiva Ecclesia periculosum erat reci-
pere; *si tribulationem patientibus,* id est
B afflictis, captivis, oppressis atque simili-
bus, *subministravit,* necessaria tribuen-
do, vel obsequium impendendo, *si omne*
opus bonum ad se pertinens *subsecuta est*
per operationem assiduam.

Adolescentiores autem viduas, quæ non- 11
dum sexaginta annos sortitæ sunt, *devita,*
id est, non eas suscipias Ecclesiæ elee-
mosynis sustentandas, nec votum conti-
nentiæ usque adeo ab eis requiras, propter
vitanda pericula. Talium enim sanguis
fervet, nec lubricæ ætati facile est cre-
C dendum. Ideo autem vitandæ sunt: *Quum*
enim luxuriatæ fuerint, luxuriose, gulo-
se seu deliciose vivendo post continentiæ
votum, *in Christo,* id est quasi honeste
ac licite, *nubere volunt,* non arbitrantes
hoc esse culpabile, eo quod excæcata sit
ratio earum concupiscentiis carnis; *ha-* 12
bentes damnationem, id est causam dam-
nationis æternæ, videlicet mortale pecca-
tum, *quia primam fidem,* id est continentiæ
promissionem, *irritam fecerunt,* id est
violaverunt. Promittentibus namque ca-
D stitatem non solum nubere, sed et vel-
le nubere, est damnabile. *Simul autem,* 13
id est una cum peccatis jam memora-
tis, *et otiosæ* exsistentes *discunt circuire*
domos aliorum, hinc inde vagando; *non*
solum otiosæ, quoniam otiositas non est
diu sola, sed parit alia vitia, *sed et verbo-* *Eccli.* XXXIII, 29.
sæ et curiosæ: verbositas enim et curio-
sitas ex otiositate nascuntur; *loquentes*
quæ non oportet, id est illicita et nociva.
Minus dicit, et majus significat.

Volo ergo per modum consulentis, *ju-* 14

niores viduas quæ castitatem non promi-
serunt, *nubere, filios procreare, matres-
familias esse,* id est domum propriam
regere, *nullam occasionem dare adversa-
rio,* id est infideli seu impio, *maledicti
gratia,* id est ad maledicendum seu de-
trahendum : cui gratum et jucundum est
habere aliquid contra fideles, ut possit
obloqui eis. Idcirco autem hæc consulo :
15 *Jam enim quædam* viduæ adolescentio-
res, post voti emissionem *conversæ sunt
retro Satanam,* id est, a proposito casti-
tatis ceciderunt, rursus nubentes, et dæ-
16 monis pravitatem sequentes. *Si quis fi-
delis habet viduas* adolescentes in domo
sua, *subministret illis* necessaria vitæ, *et
non gravetur Ecclesia* Dei eas alendo ; *ut
his quæ vere viduæ sunt* et annosæ, de
quibus jam dictum est, *sufficiat* quod ha-
bet Ecclesia, scilicet, ut valeat eas sus-
tentare.

Insuper agit Apostolus de presbytero-
17 rum honore. *Qui bene præsunt presbyteri,*
id est, qui gregem suum digne custodiunt,
duplici honore digni habeantur, id est,
præ ceteris copiosius honorentur. Potest
autem per duplicem honorem intelligi
obedientia et sustentatio : nam subditi
presbyteris obedire et stipendia vitæ præ-
bere tenentur. In patria quoque duplici
honore digni habentur, videlicet aureæ
atque aureolæ. *Maxime qui laborant in
verbo et doctrina,* id est, illi presbyteri
potissimum digni sunt duplici honore, qui
instant verbo exhortationis quantum ad
scientes, et doctrinæ, id est instructioni
ignorantium. Quod autem a subditis sint
alendi, probat Apostolus auctoritate Scri-
18 pturæ. *Dicit enim Scriptura : Non infre-*
Deut. xxv, 4. *nabis os bovi trituranti,* id est, prædica-
tori non subtrahes necessaria vitæ ; *et,*
Luc. x, 7. *Dignus est operarius mercede sua.* Hoc
est quoque superius dictum atque expo-
I Cor. ix, 9. situm : Non alligabis os bovi trituranti.
19 *Adversus presbyterum noli accusatio-
nem recipere, nisi sub duobus aut tribus
testibus* fide dignis. Presbyteri enim, quum
habeant alios corripere, facile adversarios

A acquirunt. Veritas enim parit odium. Et
ut Salomon profitetur, non amat pestilens Prov. xv,
eum qui se corripit. Ideo non est accu- 12.
satio contra presbyterum admittenda, nisi
sub duobus testibus ut minimum, vel tri-
bus ; et etiam propter dignitatem sui gra-
dus seu ordinis, quum sit Christi vica-
rius. *Peccantes autem* testimonio testium 20
convictos, vel aperte excedentes, *coram
omnibus argue :* publica namque pecca-
ta, publice arguenda sunt ; *ut et ceteri*
superiores ac inferiores, *timorem habeant,*
B id est, argui et peccare formident. Si vero
peccatum sit occultum, primo occulte ar-
guendus est reus, juxta illud : Si pecca- Matth.
verit in te frater tuus, corripe eum inter xviii, 15.
te et ipsum solum.

Testor, id est, sub testimonio dico, te- 21
que adjuro, *coram Deo* Patre, *et Christo
Jesu* Filio ejus, *et electis,* id est sanctis,
angelis, ut hæc dicta atque dicenda *cu-
stodias,* non solum memoriter, sed etiam
efficienter; *sine præjudicio,* id est prædi-
scussione seu præcedenti discretionis ju-
C dicio, *nihil* notabile *faciens in aliam** *alteram
partem declinando, id est a via justitiæ
recedendo ad partem contrariam. Unde in
Ecclesiastico legimus : Fili, sine consilio Eccli.
nihil facias, et post factum non pœnite- xxxii, 24.
bis. Job quoque : Causam, inquit, quam Job xxix,
ignorabam, diligentissime investigabam. 16.
Manus cito nemini imposueris, aliquem 22
facile ordinando, sed prius examina eum :
neque communicaveris per consensum *pec-
catis alienis.*

Te ipsum castum custodi, continenter
D vivendo : quod maxime decet prælatum
Ecclesiæ. *Noli adhuc aquam bibere,* sicut 23
diu fecisti ; *sed vino modico utere propter
stomachum tuum* vini calore indigentem
(in quo stomacho est sedes ægritudinis, et
principium digestionis), *et frequentes tu-
as infirmitates,* quæ per aquæ potationem
augentur.

Consequenter ostendit Apostolus in qui-
bus necessarium sit præjudicium, seu præ-
vium rationis examen. *Quorumdam ho-* 24
minum peccata manifesta sunt, id est

evidenter mala, quia non possunt bono
animo fieri, sicut sunt stupra, furta, bla-
sphemiæ, *præcedentia ad judicium,* id est
nota antequam veniant ad rationis exa-
minationem ac dijudicationem ; vel, Præ-
cedentia ad judicium divinum generale
seu particulare, quorum utrumque fit post
vitam præsentem. Talia ergo non oportet
examinari, nec in talibus præjudicium
exigitur, sed subito dijudicari possunt.
Unde judicium quod ea sequitur, non est
temerarium. *Quorumdam autem* peccata
et subsequuntur, id est, peccata aliquo-
rum occulta seu quadam apparenti justi-
tia fucata sunt, ita ut non appareant mala
nisi post discussionem : ideo in eis præ-
judicium est necessarium ut examinen-
tur. Unde nec ea judicare debemus, sed
A prælatorum et judicum est ea discute-
re. Vel, Subsequuntur divinum judicium,
quia non deducentur in publicum, nisi
in die judicii, quando illuminabuntur abs- I *Cor.* IV, 5.
condita tenebrarum. *Similiter et facta bo-* 25
na manifesta sunt, id est, aliqua opera
bona sunt aperte bona, saltem quantum
ad genus operis, quamvis non ad inten-
tionem agentis. Talia ergo examinatione
non indigent. *Et quæ aliter se habent,*
id est, bona de quibus mox certum non
est an sint veraciter bona, *abscondi non*
B *possunt,* id est, suo tempore clare pate-
bunt, quando a recta ratione examinan-
tur, vel a Deo judicantur. Propter quod
in Evangelio Veritas loquitur : Nihil oper- *Luc.* XII, 2; VIII, 17.
tum, quod non reveletur ; neque occul-
tum, quod non manifestetur.

ARTICULUS VI

EXPOSITIO CAPITULI SEXTI : QUICUMQUE SUNT SUB JUGO SERVI.

DESCENDIT demum Apostolus ad in-
structionem particularium persona-
1 rum. *Quicumque sunt sub jugo servi,* id
est, qualescumque sint servi, videlicet sa-
pientes, fideles, vel alia gratia adornati :
tamen quum sint subditi imperio domi-
I *Petr.* II, 18. norum suorum, *dominos suos,* tam bonos,
quam dyscolos seu infideles, *omni honore*
duliæ, qui carnalibus dominis impendi
solet ac debet, *dignos arbitrentur :* non
in quantum infideles et impii, quum scri-
Ps. XIV, 4. ptum sit de viro justo : Ad nihilum de-
ductus est in conspectu ejus malignus.
Sciendum, quod quidam docebant liberta-
tem omnibus Christianis esse communem,
intendentes servitutem reprobare, eo quod
Joann. VIII, 36. dicat Salvator : Si Filius vos liberaverit,
Matth. XVII, 25. vere liberi eritis ; et alibi, Ergo liberi sunt
filii. Sed hæc de spirituali libertate, non
de carnali, intelligenda sunt. Ideo contra
hos fatur Apostolus. Ideo autem servi hoc
C faciant, *ne nomen Domini et doctrina,* id
est, ne Christus et ejus prædicatio, *bla-*
sphemetur ab impiis, tanquam sit contra
leges, et dominis auferat debitam servi-
tutem. *Qui autem fideles habent dominos,* 2
id est servi christianis dominis servien-
tes, *non contemnant* dominos tales, *quia*
fratres sunt, id est ob hoc quia in Chri-
sto sunt pares quantum ad spiritualia ;
sed magis serviant dominis suis cum de-
bita reverentia, *quia* domini *fideles sunt*
et dilecti Deo, *quia beneficii participes*
D *sunt,* id est, domini eadem beneficia gra-
tiæ a Deo receperunt atque recipient, quæ
et servi. *Hæc doce* servos *et exhortare*
eos, ut sic agant.
Si quis aliter docet, quam ego jam do- 3
cui, *et non acquiescit sanis,* id est veris,
sermonibus Domini nostri Jesu Christi,
quos loquitur per me, qui etiam proprio
ore dixit, Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæ- *Matth.* XXII, 21.

sari ; *et ei, quæ secundum pietatem est,* A
doctrinæ evangelicæ, quæ ad pietatem in-
ducit, et lites odiumque exstirpat. Talis
4 *superbus est, nihil sciens* scientia salutari
et formata, de qua dicitur a Sapiente :
Sap. x, 10. Dedit illi scientiam Sanctorum. Unde et
Prov. xi, 2. Salomon : Ubi, inquit, humilitas, ibi sa-
Ibid. xxi, 24. pientia ; et rursus, Superbus et arrogans
vocatur indoctus. *Sed languens,* id est
cum infirmitate sui intellectus inaniter
occupatus, *circa quæstiones et pugnas,* id
est disputationes litigiosas, *verborum : ex*
quibus oriuntur invidiæ unius in alium, B
contentiones, blasphemiæ adversariorum
fidei contra Deum, dum audiunt aliqua
rationi naturali contraria, *suspiciones ma-*
5 *læ, conflictationes hominum mente cor-*
ruptorum, id est infectam voluntatem
habentium, aversorum a summo et in-
commutabili bono : de quibus Propheta
Osee x, 2. inquit, Divisum est cor eorum, nunc in-
teribunt ; *et qui veritate privati sunt,* id
est spiritualiter excæcati. Hominum, in-
quam, *existimantium quæstum esse pie-*
tatem, id est opus pietatis, videlicet præ- C
dicationem, ordinandum esse ad lucrum
temporale. Nam ideo prædicant, ut tem-
porale commodum consequantur, quem-
admodum apud Michæam prophetam de
Mich. iii, 11. quibusdam inducitur : Sacerdotes ejus in
mercede docebant, et prophetæ ejus in
pecunia divinabant.
6 *Est autem quæstus magnus, pietas cum*
sufficientia : id est, quamvis pietas non
sit quæstus carnalis ac temporalis, ut illi
existimant ; est tamen magnus quæstus,
videlicet fructuosus, spiritualis atque æter- D
nus, quia æternam vitam meretur. Estque
acquisitio omnium spiritualium divitia-
rum pietas ista, id est cultus Dei cum
sufficientia victus ac vestium, sicut jam
I Tim. iv, 8. dictum est, Pietas ad omnia utilis est, pro-
missionem habens vitæ quæ nunc est, et
futuræ : cum qua sufficientia debemus
7 esse contenti. *Nihil enim* temporalium di-
vitiarum *intulimus in hunc mundum* na-
Job i, 21. scendo : sicut Job ait, Nudus egressus sum
de utero matris meæ ; *haud,* id est non,

dubium est, sed certum, *quia nec auferre*
mundo *quid* talium rerum *possumus* mo-
riendo : sicut ait Psalmista, Homo quum Ps. xlviii, 18.
interierit, non sumet omnia ; et Job : Dives Job xxvii, 19, 20.
quum dormierit, nihil secum auferet ; ap-
prehendet eum quasi aqua inopia. *Haben-* 8
tes autem alimenta et indumenta *quibus*
tegamur, id est victualium et vestimen-
torum competentiam, *his contenti simus,*
quantum ad appetitum temporalium re-
rum. Qui enim ultra procedit, inordinate
se habet, et superflue agit : quoniam cor-
poralia ad spiritualia ordinantur sicut me-
dia ad finem, ideo non sunt appetenda
nisi ad necessitatem, videlicet in tantum
quantum conferunt vel requiruntur ad
spiritualem mentis profectum, quem su-
perfluitas temporalium rerum non prove-
hit, sed impedit. Ideo Sapiens orabat :
Divitias ne dederis mihi, tribue tantum Prov. xxx, 8.
victui meo necessaria.
Nam qui volunt, id est, volendo sat- 9
agunt, *divites fieri, incidunt in tentatio-*
nem, id est in diabolicam impugnationem,
et in laqueum diaboli, id est in peccati
consensum, quo anima a diabolo capitur
quasi in laqueo. Tales enim quum sint ava-
ri, aliorum bona desiderant, alienis pro-
speritatibus invident, et per vitiosa media
conantur temporalia congregare, mentien-
do, fallendo, etc. Ideo enim in Ecclesia-
stico scriptum est : Avaro nihil est scele- Eccli. x, 9, 10.
stius ; et nihil est iniquius quam amare
pecuniam. Christus quoque in Evangelio :
Possibilius, inquit, est camelum per fo- Matth. xix, 24.
ramen acus transire, quam divitem (id
est divitiarum amatorem) intrare in re-
gnum cœlorum. Incidunt quoque *et* in
desideria multa inordinata : de quibus Jo-
annes, Omne, inquit, quod est in mundo, I Joann. ii, 16.
aut est concupiscentia oculorum, aut con-
cupiscentia carnis, aut superbia vitæ ; *et*
inutilia et nociva. Hæc enim desideria
sunt inutilia, quia non prosunt ad adipi-
scendam veram salutem ; et nociva, quoni-
am gratiam Dei exstinguunt. *Quæ mergunt,*
id est, per modum aquarum occidunt, *ho-*
mines avaros *in interitum,* id est gratiæ

amissionem, quæ est mors animæ, *et per-* A
Apoc. xx, 14. *ditionem* gloriæ sempiternæ, quæ est mors
secunda ac infernalis. Hæc enim mala in-
ferunt desideria ista.
10 *Radix enim omnium malorum est cu-*
piditas plus habendi quam expedit. Nec
Eccli. x, 15. obstat quod superbia dicitur omnis pec-
cati initium, vel etiam amor privatus, cui
maxime convenit esse omnium vitiorum
originem. Nam, sicut nullum est genus
peccati quod non oriatur (ut plurimum)
ex superbia, sic nullum est genus peccati
quod non interdum nascatur ex cupidi- B
tate, præsertim quum ipsa quoque super-
bia aliquando oriatur ex cupiditate, et
econtrario. Sunt enim qui non amarent
superflua, nisi per possessionem illorum
putarent se excellentiores esse futuros; et
sunt qui non amarent excellentiam, nisi
per eam putarent se ditiores fieri posse.
Amor autem privatus est radix omnium
horum malorum, imo simpliciter univer-
sorum vitiorum. *Quam,* id est cujus cu-
piditatis materiam, *quidam appetentes, er-*
raverunt a fide, vel eam negando, ne C
divitiis spoliarentur, vel infideliter ope-
rando, fidei directionem non sequentes;
et inseruerunt se doloribus multis, id est
variis curis et pœnalibus sollicitudinibus
vitæ præsentis. Nam et divitiæ cum labo-
re acquiruntur, cum timore possidentur,
Luc. viii, 14. cum dolore amittuntur. Propterea compa-
rat eas Christus spinis. Pungunt enim et
lacerant animam possidentis.
11 *Tu autem, o homo Dei,* id est, divino
cultui totus mancipatus, *hæc* vitia *fuge :*
Eccli. xxi, 2. juxta illud Ecclesiastici, Quasi a facie co- D
lubri fuge peccata. Unde Ambrosius : Ni-
hil tam asperum, tamque perniciosum,
quam si vir ecclesiasticus (maxime qui
sublimem tenet locum) divitiis hujus sæ-
culi studeat : quod non solum sibi, sed
etiam aliis obest, quibus contrariam dat
formam. *Sectare vero,* id est, præceden-
tium Sanctorum vestigia imitando, opera-
re seu tene, *justitiam,* reddendo unicui-
que quod ei debetur a te, *pietatem,* quæ
I Tim. iv, 8. secundum prædicta ad omnia utilis est,

fidem catholicam, *caritatem* Dei et pro-
ximi, *patientiam,* non tristando propter
adversa, *mansuetudinem,* non appetendo
vindictam propter illatas injurias. *Certa* 12
bonum certamen fidei, id est, efficaciter
milita Christo, pugna pro fide, labora ad-
versus peccata. Militia est enim vita ho- Job vii, 1.
minis super terram; nec coronatur nisi II Tim. ii, 5.
qui legitime certaverit. *Apprehende,* id
est, adipisci conare, et toto affectu am-
plectere, *vitam æternam,* id est felicita-
tem cœlestem tanquam bravium tui certa-
minis, aliud præmium non quærendo; *in*
qua, id est ad quam, vel propter cujus
adeptionem, *vocatus es* a Deo ad fidem
fideique certamen, *et confessus es bonam*
confessionem, id est fidei veritatem seu
promissionem (ore enim confessio fit ad Rom. x, 10.
salutem), *coram multis testibus,* non so-
lum Deo et angelis, sed etiam coram bo-
nis hominibus, in tua ordinatione ac præ-
dicatione : hoc est, etiam propter hanc
confessionem apprehende vitam æternam,
ut actio confessioni respondeat.
Præcipio tibi coram Deo, id est Deo 13
Patre testante, vel auctoritate divina mihi
commissa, *qui* Deus *vivificat omnia* viva
vita naturæ, gratiæ seu gloriæ, *et* coram
Christo Jesu, qui est testis fidelis, *qui te-* Apoc. i, 5.
stimonium veritati *reddidit sub Pontio*
Pilato, dicens : Ego in hoc natus sum, Joann. xviii, 37.
et ad hoc veni in mundum, ut testimo-
nium perhibeam veritati : videlicet *bonam*
confessionem, qua dixit, Rex sum ego; et, Ibidem.
Regnum meum non est de hoc mundo. Ibid. 36.
Hoc ergo præcipio, *ut serves,* id est im- 14
pleas, *mandatum,* id est mandata divi-
na, et mea, quæ utique a Deo sunt, *sine*
macula, id est pure, *irreprehensibile,* id
est, sic ea observes, ut reprehendi non
possint quasi injusta, *usque in adventum*
Domini nostri Jesu Christi, id est perse-
veranter usque ad mortem, quando a Chri-
sto visitaberis et ei occurres.
Quem Christum in forma humana, *suis,* 15
id est congruis et a Deo præordinatis, *tem-*
poribus, scilicet in die judicii particularis
vel universalis, vel in die æternitatis, quæ

omne tempus comprehendit. Nam et in A
patria erit post diem judicii, tempus dis-
cretum, ut Thomas et alii multi testan-
tur. *Ostendet* hominibus bonis et malis in
die judicii, sed solis electis in die æter-
nitatis, *beatus et solus potens*, id est Deus
Trinitas substantialiter felix : in quo est
omnium bonorum, pulchrorum ac desi-
derabilium infinita plenitudo; qui solus
essentialiter potens est, et ipsa sua poten-
Job XXXVI, 5. tia. De quo in Job conscriptum est : Deus
potentes non abjicit, quum et ipse sit po-
Apoc. XIX, 16. tens. *Rex regum et Dominus dominanti-*
um. Omnia namque quantumcumque po-
tentia atque sublimia, comparantur ad
Deum sicut instrumenta ad artificem, sic-
ut media ad finem, et sicut subjecti ad
Ps. XCIV, 3. principem. Unde ait Psalmista : Quoniam
Deus magnus Dominus, et Rex magnus
super omnes deos.
16 *Qui solus* per naturam *habet immorta-*
litatem, id est omnimodam et superple-
nissimam invariabilitatem, sicut per Ma-
Malach. III, 6. lachiam loquitur : Ego Dominus, et non
mutor. Omne autem creatum aliquo modo C
mutabile est, et in omni ente mutabili in-
venitur quædam mortalitas, secundum Au-
gustinum, videlicet alicujus desinentia, et
recens dispositio. *Et lucem habitat inac-*
cessibilem : id est, nullo loco vel termino
clauditur, nec in aliqua creatura per cir-
cumscriptionem moratur, sed habitat in
se ipso per quietissimam subsistentiam ;
I *Joann.* I, 5. qui est lux supersubstantialis, vera et in-
finita : quæ inaccessibilis dicitur, quia a
nullo intellectu creato comprehendi po-
Ps. XVII, 12. test. Unde et dicitur tenebras ponere la- D
tibulum suum. Potest tamen homo ad eam
accedere in via per fidem et gratiam, et
in patria per claram visionem. Propter
Ps. XXXIII, 6. quod ait Psalmista : Accedite ad eum, et
illuminamini. Et ad Hebræos dicit Aposto-
Hebr. IV, 16. lus : Accedamus cum fiducia ad thronum
gratiæ ejus. *Quem nullus hominum vidit*,
exsistens homo purus, et sensitivarum vi-
rium operationibus utens ; *sed nec videre*
potest in hac vita visione clara per spe-
ciem, qua cognoscitur de re quid est. Po-

test tamen videri per fidem et speciem
creatam, qua cognoscitur quia est. Pro-
pter quod scriptum est in Job : Omnes *Job* XXXVI, 25.
homines vident Deum, unusquisque in-
tuetur procul. Prædictis vero verbis Apo-
stoli consonat et illud Joannis : Deum ne- *Joann.* I, 18.
mo vidit unquam ; et quod Moysi Dominus
dicebat, Non videbit me homo, et vivet. *Exod.* XXXIII, 20.
His ergo non obviat, quod non solum Chri-
stus, sed Moyses quoque et Paulus Deum
per speciem in hac vita viderunt, secun-
dum Augustinum. Pro tunc enim non vi-
B xerunt vita humana et sensitiva. *Cui* Deo
trino ac simplici *est honor* latriæ, *et im-*
perium sempiternum : juxta illud Danie-
lis, Potestas ejus potestas sempiterna, et *Dan.* IV, 31.
regnum ejus in generationem et genera-
tionem. *Amen*.
Superius dixit Apostolus quid contingat
volentibus ditari ; nunc docet quid opor-
teat divites facere. *Divitibus hujus sæcu-* 17
li, id est temporales et sæculares divitias
habentibus, *præcipe*, quod et Scriptura di-
vina præcipit : *non sublime sapere*, id est
de divitiis non extolli, nec alios asperna-
ri, *neque sperare in incerto divitiarum*,
id est in istis amissibilibus divitiis quæ
sunt bona fortunæ. Propter quod ait Psal-
mista : Divitiæ si affluant, nolite cor ap- *Ps.* LXI, 11.
ponere. Et Job : Si putavi, inquit, aurum *Job* XXXI, 24.
robur meum, et obryzo dixi, Fiducia mea.
Quam autem difficile et rarum sit hoc,
patet per illud Ecclesiastici : Beatus dives *Eccli.* XXXI, 8, 9.
qui inventus est sine macula, qui post au-
rum non abiit, nec speravit in pecuniæ
thesauris. Quis est hic ? et laudabimus
eum : fecit enim mirabilia in vita sua.
Hinc et Christus in Evangelio asserit :
Quam difficile qui habent pecunias, in- *Marc.* X, 23.
trabunt in regnum cœlorum ! *Sed in Deo*
vivo, omnis vitæ fontano principio, de quo
ait Propheta : Domine virtutum, beatus *Ps.* LXXXIII, 13.
homo qui sperat in te ; *qui præstat nobis*
omnia corporalia ac spiritualia quæ ha-
bemus, *abunde*, id est copiose, juxta illud
Jacobi : Qui dat omnibus affluenter, et non *Jacob.* I, 5.
improperat ; *ad fruendum*, id est ad uten-
dum temporalibus, et ut sic utamur præ-

sentibus, quatenus bonis futuris nobis pro- A
I Cor. II, 9. missis, quæ oculus non vidit, nec auris
audivit, tandem fruamur.
18 Præcipe insuper divitibus, *bene agere, divites fieri in operibus bonis,* id est spi-
rituales divitias congregare, videlicet cu-
mulum meritorum, et incrementa gratiæ
Matth. VI, 20. atque virtutum, prout ait Salvator : The-
saurizate vobis thesauros in cœlo ; *faci-
le tribuere* eleemosynas, quemadmodum
Luc. VI, 30. Christus hortatur : Omni petenti te tri-
Act. XX, 35. bue ; et, Beatius est magis dare quam ac-
cipere ; *communicare,* id est communia B
19 reputare vel facere bona exteriora; *the-
saurizare sibi fundamentum bonum,* id
est stabilem cordis adhæsionem cum Deo,
seu opus meritorium, *in futurum,* id est
ad hoc ut digni sint bonis sæculi futu-
ri, *ut apprehendant veram vitam,* id est,
æternam vitam seu beatitudinem quæ non
est fallax et labilis, consequantur.
20 *O Timothee, depositum custodi,* id est,
episcopale officium tibi divinitus com-
mendatum seu creditum diligenter exer-
ce, et gratiam tibi concessam, creditaque C
Matth. XXV, 27. talenta, suo tempore cum usuris repeten-
da, sollicite conserva, expende, dispensa ;
devitans profanas vocum novitates, id est
nova vocabula Religioni sanctæ contraria,
quæ sua obscuritate vel vanitate introdu-
cunt errorem. Ponit autem Glossa exem-
plum de nomine isto, Hypostasis ; sed hoc

intelligendum est pro certo tempore. Hy-
postasis namque significat essentiam et
personam. Unde hæretici per usum hu-
jus nominis volebant catholicos inducere
ad confitendum tres essentias in divinis,
sicut et tres Personas. Idcirco non licuit
nomine isto uti ante determinationem suæ
significationis. Nunc vero, quoniam usu
doctorum determinatum est ad significan-
dum personam, licitum est ipso uti : imo
doctores ut plurimum ipso utuntur. Hinc
Dionysius, et eum sequens Damascenus,
affirmant, non esse audendum aliud de
supersubstantiali Deitate asserere, præter
ea quæ nobis in sacris eloquiis tradita
sunt. Et Hieronymus dicit : Ex sola inor-
dinata prolatione verborum incurritur hæ-
resis. Devitans etiam *et oppositiones,* id
est instantias seu contradictiones contra
fidem, *falsi nominis scientiæ,* id est vanæ
scientiæ, quæ mendaciter scientia appel-
latur, ut est omnis scientia quæ se extollit
contra scientiam Dei seu fidei veritatem;
quam falsam scientiam *quidam promitten-* 21
tes, id est se habere et diligere profitentes,
circa fidem exciderunt, id est, a fide catho-
lica corruerunt, sequentes naturalem ratio-
nem et propriam imaginationem, imo stul-
titiam potius quam divinam auctoritatem.
Gratia tecum : quæ non infunditur ni-
si ab Omnipotente, qui est super omnia
Deus sublimis et benedictus. *Amen.*

ENARRATIO
IN EPISTOLAM II BEATI PAULI
AD TIMOTHEUM

PROŒMIUM

QUI *abjicit disciplinam, despicit animam suam; qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis.* Prov. xv, 32.

Quia in multis offendimus omnes, septiesque in die corruit justus, necessaria nobis est disciplina verborum ac verberum, quatenus verbis ictibusque correcti, abstrahamur a vitiis, et decoremur virtutibus. Quemadmodum ergo qui diligit iniquitatem, odit animam suam; sic qui abjicit disciplinam, despicit animam propriam. Ideo sanctus Apostolus in hac secunda ad Timotheum epistola, erudit eum et corripit. Præcedenti quippe epistola recepta et lecta, Timotheus tandem animo fatigatus et circa officii sui exsecutionem fuit tepidior factus propter continuas adversitates, infirmitates et persecutiones circumstantes. Hortatur ergo eum Apostolus ad palmam martyrii atque idoneam sui ministerii exsecutionem, proponens se ipsum ei in exemplum. Scribitque ei a Roma de carcere, vel a Laodicia, ut asserunt quidam. Procedit autem modo consueto, salutationem præmittendo, sicut patebit.

Jacob. III, 2. *Prov.* XXIV, 16. *Ps.* X, 6.

ENARRATIO

IN EPISTOLAM II BEATI PAULI

AD TIMOTHEUM

ARTICULUS PRIMUS

EXPOSITIO CAPITULI PRIMI : PAULUS APOSTOLUS JESU CHRISTI PER VOLUNTATEM DEI.

1 P*AULUS apostolus Jesu Christi per vo-* A
luntatem Dei, id est Deo agente, *se-*
cundum promissionem vitæ, id est propter
præmium, vel ad obtinendam remunera-
tionem vitæ *quæ est in Christo Jesu,* id
est vitæ æternæ, quæ a Christo confer-
tur, et in Christo consistit sicut in obje-
cto : quæ vita est præmium, propter quod
factus sum apostolus, non ab homine, sed
2 a Deo; mandat et scribit *Timotheo caris-*
simo filio suo spirituali. *Gratia* gratum
faciens, *misericordia,* id est peccatorum
remissio, *et pax,* id est tranquillitas men- B
tis, sit tibi *a Deo Patre et Christo Jesu*
filio ejus *Domino nostro.*
3 *Gratias ago Deo meo, cui servio a pro-*
genitoribus meis, id est exemplo antiquo-
rum patrum meorum, videlicet Abrahæ,
Isaac et Jacob, quorum vestigia imitor
unum verum Deum colendo, *in conscien-*
tia pura, id est sine remorsu alicujus
peccati. Inde autem gratias ago, *quod si-*
ne intermissione, id est omni congruo
tempore, *habeam tui memoriam in ora-*
tionibus meis fusis pro te et aliis, *nocte* C
4 *ac die; desiderans te videre, memor la-*
Jer. xiv, 17. *crimarum tuarum,* quas deduxerunt ocu-
li tui quando recessi a te, qui libentissi-
me mecum transisses ac permansisses, *ut*
gaudio implear, id est, ut te in bonis
confirmem, et accendam ad martyrii pal-
mam, quo facto, de tuo profectu plene
exsultem; *recordationem accipiens ejus* 5
fidei quæ est in te non ficta, id est tuæ
veræ fidei reminiscens, quæ non est si-
mulata, sed pura et efficax; *quæ* fides *et*
habitavit, id est, firmiter fuit, [*primum*]
in avia tua Loide, id est matre matris
tuæ sic dicta; habitavit quoque *et* in *ma-*
tre tua Eunice. Parentum fidem comme-
morat, ut fidem filii roboret. Tacet vero
de patre Timothei, quoniam gentilis erat Act. xvi, 1.
et infidelis, ut dicitur. *Certus sum autem*
quod et in te habitet fides ista.
Propter quam causam, videlicet, quia 6
tam bonas genitrices habuisti, et fidelis
diu fuisti, *admoneo te* paterne, *ut resusci-*
tes, id est, reformes, perficere studeas, et
ad pristinos actus extendas, *gratiam Dei*
quæ est in te, id est gratiam episcopalem
et sacramentalem tibi divinitus datam in
tui ordinatione vel confirmatione, *per im-*
positionem manuum mearum : quæ im-
positio fuit causa gratiæ dispositiva et in-

strumentalis. Vel potest intelligi absolute A
Act. viii, 17. de gratia gratificante, quia per impositio-
nem manuum Apostolorum dabatur Spi-
ritus Sanctus. Ex his patet, quod gratia
in corde Timothei erat quasi sopita et
debilitata : ideo admonet eum ut reparet
gratiam pristinam, proficiendo in ea. Un-
de etiam quod in Apocalypsi angelo Ec-
Apoc. ii, 2. clesiæ Ephesi dicitur, Scio opera tua et
Ibid. 4, 5. laborem et patientiam ; et post pauca, Sed
habeo adversum te, quod caritatem tuam
primam reliquisti ; memor esto itaque un-
de excideris, et age pœnitentiam, et pri- B
ma opera fac : quidam exponunt de Ti-
motheo, quem constat fuisse Ephesiorum
7 angelum, id est episcopum. *Non enim
dedit nobis Deus spiritum,* id est donum,
timoris pure servilis ; vel, Spiritum ti-
moris, id est animam inordinate timentem
Matth. x, 28. temporalia mala, videlicet eos qui corpus
occidunt ; *sed* dedit nobis spiritum, id est
donum et gratiam, *virtutis,* id est forti-
Is. xi, 2. tudinis contra adversa, quæ est unum de
septem donis Spiritus Sancti, *et dilectio-
nis* Dei ac proximi, *et sobrietatis,* id est C
temperantiæ vel discretionis. Verba hæc
plenius exposita sunt ad Romanos, ubi
Rom. viii, 15. legitur, Non accepistis spiritum servitutis
iterum in timore.
8 *Noli itaque erubescere,* id est, quoniam
dedit nobis Deus spiritum dilectionis, non
erubescas *testimonium Domini nostri* Je-
su Christi, id est protestationem, prædi-
cationem seu confessionem Christi ; sed
sine rubore et confusione testare coram
hominibus, quod Christus sit Deus et ho-
mo, qui sua passione universum mun- D
dum redemit, resurrexit, cœlos ascendit.
Matth. x, 32. Unde ait Salvator in Evangelio : Qui me
confessus fuerit coram hominibus, con-
fitebor et ego eum coram Patre meo ; et
Luc. ix, 26. rursus, Qui me erubuerit et meos sermo-
nes, hunc Filius hominis erubescet. *Ne-
que* erubescas *me vinctum ejus,* id est
me Paulum pro fide nunc captum atque
ligatum.
Sed collabora Evangelio, id est, cum
me et ceteris evangelizantibus, labora ad
promulgationem ac venerationem evan-
gelicæ legis, fortiter prædicando, juste vi-
vendo, et pro fidei veritate mortem sus-
tinendo, *secundum virtutem Dei,* id est
secundum virtutem et gratiam tibi divi-
nitus datam ; *qui nos liberavit* per pro- 9
priam passionem a jugo diaboli et pœna
inferni, *et vocavit* ad fidem ac vitam æter-
nam, *vocatione sua sancta,* id est inspi-
ratione interna (de qua in Apocalypsi :
Ego sto ad ostium et pulso), vel prædica- Apoc. iii, 20.
tione evangelica quam fecit per nos : non Matth. x, 20.
enim nos sumus qui loquimur, sed Spi-
ritus Patris nostri qui loquitur in nobis.
Vocavit, inquam, nos, *non secundum ope-
ra nostra,* id est propria merita, quæ
vocationem hanc nequaquam præcesse-
runt, *sed secundum propositum suum,* id
est voluntatis suæ decretum seu volunta-
riam præordinationem, *et gratiam* nobis
clementer infusam : quæ est effectus hu-
jus propositi, per quem ad omnia opera
meritoria promovemur atque perducimur ;
quæ data, id est dari præordinata, *est
nobis in Christo Jesu,* id est per Christum,
utputa per ejus incarnationem, virtutem
et meritum, *ante tempora sæcularia,* id
est ab æterno.
Manifestata est autem, id est, publice 10
prædicata et nota, vel evidenter impleta
est, *nunc* tempore gratiæ, *per illumina-
tionem,* id est prædicationem et doctri-
nam, *Salvatoris nostri Jesu Christi :* quam
proprio ore vel per Apostolos mundo pro-
posuit, aut certe per illuminationem fa-
ctam in die Pentecostes, quando in igneis Act. ii, 1-4.
linguis Spiritus Sanctus apparens, illu-
minavit Apostolos ad cognoscendum et
prædicandum hanc gratiam : quæ illumi-
natio dicitur Christi, quoniam ipse misit Joann. xvi, 7.
Spiritum Sanctum. *Qui* Christus sua pas-
sione *destruxit,* id est hominibus abstu-
lit, *mortem* culpæ atque gehennæ, et cor-
poris immortalitatem promeruit eis : quam
et nunc præstat in spe, daturus eam in
re quando corruptibile hoc induet incor- I Cor. xv, 53.
ruptionem. Hoc est quod apud Osee lo-
quitur : De morte redimam eos ; ero mors Osee xiii, 14.

tua, o mors. *Illuminavit autem,* id est, A
notam fecit, *vitam* æternam, quæ est mer-
ces nostri laboris, et finis hujus peregri-
nationis, *et incorruptionem,* id est per-
petuam immortalitatem, quam habebunt
electi in anima et corpore post diem ju-
dicii, *per Evangelium,* id est Evangelii
prædicationem, videlicet per se ipsum et
Joann. x, 27, 28. discipulos suos, dicendo : Cognosco oves
meas, et vitam æternam do eis ; et alibi,
Ibid. xi, 26. Qui credit in me, non morietur in æter-
11 num. *In quo* Evangelio prædicando, vi-
delicet ut id annuntiem omnibus, *positus* B
sum ego, id est a Deo ordinatus et consti-
tutus, *prædicator et apostolus et magister*
gentium.
12 *Ob quam causam* [*etiam*], videlicet pro-
pter Evangelii prædicationem, *hæc,* id est
incarcerationem, ligationem et alia plu-
rima, *patior; sed non confundor* in me
II *Cor.* xi, 30. ipso, quasi turpe aliquid operans : imo
I *Cor.* i, 18. glorior in adversis. Verbum equidem cru-
cis pereuntibus stultitia est ; his vero
qui salvi fiunt, id est nobis, virtus Dei
est. *Scio enim cui credidi,* scilicet Deo C
Joann. xiv, 6. omnipotenti, qui est via, veritas et vita,
et certus sum quia potens est depositum
meum, id est beatitudinem mihi paratam,
quam merui et apud ipsum reposui, *ser-*
vare in illum diem, id est usque ad di-
em remunerationis meæ, hoc est usque
ad diem mortis, quantum ad glorificatio-
nem animæ, et usque in diem extremi
judicii, quantum ad glorificationem cor-
poris mei.
13 Insuper admonet Timotheum. *Formam*
habens sanorum verborum, id est tu, Ti- D
mothee, habens seriem sanctarum præ-
dicationum, seu formam evangelicorum
verborum, *quæ* verba *a me* prædicante *au-*
disti : habens, inquam, hæc verba *in fi-*
de, id est cum fidei observatione, *et dile-*
ctione in Christo Jesu, id est per gratiam
Christi ad gloriam ejus, vel secundum vo-
luntatem ipsius, *bonum depositum custo-* 14
di, id est, gratiam tibi concessam con-
serva, et officium tibi commissum digne
prosequere. Vel sic : Bonum depositum
de quo nunc dixi, id est præmium tibi
apud Deum repositum pro tuo labore, cu-
stodi, ne illud per negligentiam perdas.
Per Spiritum Sanctum, id est, non tuis
viribus, sed adjutorio Spiritus Sancti hoc
age, *qui habitat in nobis* per caritatem
et gratiam, quoniam sumus templum Dei. I *Cor.* iii, 16, 17.
Dominus enim in templo sancto suo. *Ps.* x, 5.
Scis hoc, id est, jam plane agnoscis, vel 15
scire debes, *quod aversi sunt a me omnes*
qui in Asia sunt, id est, quod universi
qui nunc recesserunt a me cum perfido
corde, sunt in Asia minori; *ex quibus,* id
est de quorum numero, *sunt Phigelus* et* * *Philetus*
Hermogenes. Hi, ut legitur, fraudulenter
accesserunt Apostolum ut discerent ejus
mysteria, quatenus materiam calumnian-
di haberent : qui quum se manifestatos
conspicerent, abierunt.
Det misericordiam Dominus Onesipho- 16
ri domui, id est fideli familiæ Onesiphori
Asiani, *quia sæpe me refrigeravit,* id est,
consolatus est et refocillavit, necessaria
ministrando, *et catenam meam,* id est me
catenis vinctum, *non erubuit* verecundan-
do de tali magistro ; *sed quum Romam* 17
venisset, sollicite me quæsivit et invenit.
Det illi Dominus Pater *invenire miseri-* 18
cordiam, id est gratiam adipisci et vitam
æternam *a Domino* Filio : cui Pater dedit *Joann.* v, 22.
omne judicium, juxta illud : Deus, judi- *Ps.* lxxi, 2.
cium tuum regi da ; *in illa die,* id est in
die mortis atque judicii. Talis modus lo-
quendi in veteri Testamento usitatior est,
ut ibi : Pluit Dominus super Sodomam *Gen.* xix, 24.
ignem et sulfur a Domino. *Et quanta* be-
neficia *Ephesi,* id est in Epheso, *mini-*
straverit mihi Onesiphorus iste, *tu melius*
nosti qui præsens fuisti, quam ea quæ
Romæ mihi ministraverit.

ARTICULUS II

ELUCIDATIO CAPITULI SECUNDI : TU ERGO, FILI MI, CONFORTARE IN GRATIA.

1 TU *ergo, fili mi, confortare in gratia* A
gratum faciente : quæ est omnium
operum meritoriorum principium, sicut
natura est principium operationum natura-
lium ; *quæ* gratia *est in Christo Jesu* sicut
in fonte et capite, quia ab ipso derivatur
Joann. I, 16. in nos. De plenitudine quippe ejus omnes
2 accepimus. *Et quæ audisti a me,* id est
evangelica documenta quæ tibi proposui,
per multos testes, id est per allegationes
Prophetarum, quorum testimonio confir-
mavi quæ docui ; vel, Per multos testes,
id est multis præsentibus qui testimonium B
ferre possent ; *hæc commenda fidelibus
hominibus* ut prædicent aliis, non quibus-
cumque fidelibus, sed *qui idonei erunt et
alios docere,* id est, qui morum probita-
te, scientia atque facundia pollent.
3 *Labora* in agro dominico et vinea Do-
Is. V, 7. mini Sabaoth, *sicut bonus miles Christi
Jesu,* spinas vitiorum et tribulos passio-
num de cordibus subditorum evellendo,
vita et labiis prædicando, et tuum officium
4 digne continuando. *Nemo militans Deo,*
id est ad Dei honorem et gloriam, adver- C
sariis veritatis repugnans, contra propria
vitia luctans, et divinis exercitiis se im-
mergens, *implicat,* id est involvit, *se ne-
gotiis sæcularibus,* id est causis et rebus
divitiisque mundanis. Per hoc enim distra-
Luc. X, 42. heretur mens ejus ab illo uno quod solum
Matth. VI, 34. necessarium est. Ideo sollicitudo de cra-
stino prohibetur a Christo. Nam etsi in-
terim oporteat servum et militem Christi
sæcularia tractare negotia, non tamen se
implicat illis, sed moderate et interdum
se applicat talibus, cupiens expediri et D
Deo uniri. *Ut ei,* videlicet Deo, *placeat cui
se probavit,* id est, probabilem exhibuit
Ps. LXXII, 28. seu devovit, dicens cum Psalmista : Mihi
adhærere Deo bonum est ; et, Unam petii *Ps.* XXVI, 4.
a Domino, hanc requiram. Idcirco autem
labora ut miles Christi : *Nam et qui cer-* 5
tat in agone, id est, cum alio contendit
in hujuscemodi bellico exercitio : quod et
agonizantes quandoque nudi exercuerunt ;
non coronabitur quasi victor, *nisi legiti-
me,* id est efficaciter et sicut lex agonis
requirit, *certaverit,* omnia impedimenta
pugnandi abjiciendo, quemadmodum di-
ctum est alibi : Omnis qui in agone con- *I Cor.* IX, 25.
tendit, ab omnibus se abstinet.
Laborantem agricolam oportet primum 6
de fructibus percipere : id est, quemad-
modum agricola diligens primo fruges suæ
terræ degustat, et de eis necessaria sumit
et edit ; sic prædicator et pastor qui cor-
da audientium vomere prædicationis ape-
rit, vertit et excolit, semenque verbi cœ-
lestis infundit, debet de sumptibus aliorum
et gregis proprii sustentari. Dignus est *Luc.* X, 7.
enim operarius mercede sua. Hoc dicit
Apostolus, quia superius dixit quod mili-
tans Deo non implicat se sæcularibus ne-
gotiis. Ut ergo ostendat unde prædicator
et prælatus vivere debeat, adjecit simili-
tudinem de agricola. *Intellige,* id est, di- 7
screte perpende, *quæ dico,* ne tibi videa-
tur contrarietas in verbis et actibus meis :
eo quod ego non accipiam sumptum ab
aliis, cujus oppositum te doceo. Ego enim
non accipio interdum propter rationabiles *II Cor.* XI,
causas, ut amputem occasionem perver- 9, 12 ; XII, 13, 14 ; *I Thess.*
sis. Te vero accipere volo propter ratio- II, 9 ; *II,* III, 8.
nabiles causas, quum sis infirmus, et ut
Deo liberius vaces. *Dabit enim tibi Domi-
nus in omnibus* quæ scribo aut facio, *in-
tellectum,* id est veram ac circumspectam
notitiam.
Denique, quatenus legitime certes consi-

8 deratione futuræ coronationis, *memor esto* A
per actualem considerationem, *Dominum*
nostrum Jesum Christum resurrexisse a
mortuis, natum *ex semine David, secun-*
Rom. II, 16. *dum evangelium meum,* id est secundum
evangelicam annuntiationem a me admi-
9 nistratam; *in quo,* id est in cujus evan-
gelii prædicatione, *laboro usque ad vin-*
cula inclusive, quibus jam vinctus in
carcere jaceo, *quasi male operans,* id est
tanquam falsa prædicans et homines fal-
lens. *Sed verbum Dei non est alligatum,*
id est, prædicatio mea seu doctrina non B
est impedita : nam verbo præsentes in
carcere doceo; scriptis vero et item per
10 discipulos meos absentes informo. *Ideo*
omnia adversa *sustineo* patienter *propter*
electos, ut et ipsi salutem consequantur,
non a me, sed per ministerium meum, vi-
delicet ut cooperer eorum saluti, *quæ est*
in Christo Jesu sicut in objecto, datore et
causa meritoria : in ejus enim visione con-
sistit, ab ipso donatur, ipse quoque nobis
promeruit eam ; *cum gloria cœlesti,* id
est, salutem consequantur cum omni bea- C
titudine præmii accidentalis adjuncta præ-
mio essentiali, quæ per salutem exprimi-
tur. Vel, per salutem intelligitur felicitas
viæ, per gloriam cœlestem, felicitas patriæ.
11 *Fidelis sermo* quem dixi et dicam. *Nam*
II Cor. I, 7. *si commortui sumus,* id est, Christi pas-
sionibus conformamur, mundo et vitiis
moriendo, ejusque vestigia digne sequen-
do, *et convivemus* cum Christo vita gra-
tiæ in præsenti, et vita gloriæ in futuro.
12 *Si sustinemus* adversa pro Christo, *et con-*
regnabimus cum eo in regno cœlorum. *Si* D
negaverimus eum verbis vel impiis fa-
ctis, *et ille negabit nos* pertinere ad ip-
sum : sicut in Evangelio ait quibusdam :
Luc. XIII, 27. Nescio vos unde sitis ; discedite a me,
operarii iniquitatis. Propter quod rursus
Ibid. XII, 9. loquitur : Qui negaverit me coram homi-
13 nibus, denegabitur coram angelis Dei. *Si*
non credimus ea quæ fidei sunt, *ille,* sci-
licet Deus seu Christus, *fidelis,* id est ve-
rus, *permanet : negare se ipsum non po-*
test, quum ipse sit veritas. Et hoc non

posse, non ad impotentiam pertinet, sed
ad veram ac summam potentiam : sicut
posse peccare, non ad veram potentiam,
sed ad impotentiam spectat. Qui enim
potest quod sibi non expedit, quanto id
magis potest, tanto impotentior est et in-
felicior. Quemadmodum Dionysius recitat,
hunc locum Elymas magus objecit Apo-
stolo, quasi derogaret omnipotentiæ Dei,
quod se ipsum negare non potest.
Hæc commone, id est, ad horum fidem 14
et observantiam alios exhortare, *testificans*
coram Deo, id est Deum testem invocans,
vel per eum auditores tuos adjurans et
obsecrans. *Noli verbis contendere,* cum
aliis disputando seu conferendo; *ad nihil*
enim utile est directe et ex sua natura
talis verbosa contentio, *nisi ad subversio-*
nem audientium, qui scandalizantur per
hoc. Ideo dicit Glossa, quod non sit secu-
rum cum hæreticis disputare in publico.
Non sic autem intelligendum est verbum
Apostoli, quasi ad subversionem audien-
tium utile esse, sit vera utilitas; sed tan-
tum vult dicere, quod contentio ad nihil
valet nisi ad subversionem. Ideo prorsus
inutilis est et nociva ac fugienda. Unde
Corinthiis dictum est : Si quis videtur con- I Cor. XI,
tentiosus esse, nos talem consuetudinem 16.
non habemus, nec Ecclesia Dei. Ideo dicit
Ambrosius : Collatio, non altercatio, esse
debet inter famulos Dei.
Sollicite cura te ipsum probabilem, id 15
est laudabilem et acceptum, *exhibere Deo,*
opus Dei reverenter agendo, et in puritate
conscientiæ coram Altissimo conversando,
operarium inconfusibilem, id est exsecu-
torem virtutum irreprehensibilem, ut non
metuas venire ad lucem quatenus mani- Joann. III,
festentur opera tua; *recte tractantem,* id 21.
est discrete proponentem, *verbum verita-*
tis, unumquemque docendo prout capere
potest vel indiget. *Profana autem,* id est 16
verba sanctæ Religioni contraria, *et vani-*
loquia, devita audire vel loqui : juxta il-
lud, Sepi aures tuas spinis, et noli audire Eccli.
linguam nequam, et ori tuo facito ostia XXVIII, 28.
et seras; *multum enim proficiunt,* id est,

valde cooperantur, *ad impietatem :* quo- A
niam cultum Dei impediunt, et errores
graves inducunt hujusmodi verba. Sumit
17 autem verbum, Proficiunt, improprie. *Et*
sermo eorum, videlicet profanorum, hæ-
reticorum et vana loquentium, *ut cancer*
serpit, id est, ad similitudinem morbi illius
paulatim crescit, et tendit a parvo errore
ad magnum. *Ex quibus,* id est de quorum
hæreticorum infelici collegio, *est Hyme-*
18 *næus et Philetus, qui a veritate* fidei in
qua olim steterunt, *exciderunt,* cadendo
in hæresim, *dicentes resurrectionem jam* B
factam, id est, ea quæ Scriptura testatur
de generali resurrectione corporum, asse-
rentes intelligenda esse de spirituali re-
surrectione animarum a vitiis, quæ in
Baptismo jam facta est, quotidieque im-
pletur. Contra quos sanctus Job apertis-
Job XIX, 25, 26. sime profitetur : Credo quod Redemptor
meus vivit, et in novissimo die de terra
surrecturus sum, et rursum circumdabor
pelle mea, etc. *Et subverterunt,* sua fal-
laci expositione, *quorumdam* simplicium
fidem. C
19 *Sed firmum,* id est, quamvis illi sic
perierunt, non tamen de subversione om-
nium est timendum; sed firmum *funda-*
mentum Dei, id est Ecclesia in Deo fun-
data : quæ in præcedenti epistola dicta
I *Tim.* III, 15. est firmamentum atque columna verita-
tis ; *stat* firmiter in fide ; *habens signacu-*
lum hoc, id est, hoc quod subditur habens
pro sigillo et signo certissimo quod ipsa
non peribit : *Cognovit Dominus qui sunt*
Rom. VIII, 29. *ejus,* id est, Deus prædestinatos suos æter-
naliter cognoscit, scriptos in libro vitæ, D
eosque conservat et approbat. Habens quo-
que signaculum hoc secundum, quod se-
quitur : *et discedat ab iniquitate,* id est,
peccata devitet, *omnis qui nominat* cum
mente fideli ac munda *nomen Domini.* De
I *Cor.* XII, 3. qua nominatione dicit Apostolus : Nemo
potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spi-
ritu Sancto. Hæc autem discessio, signum
est prædestinationis et salvationis Ecclesiæ.
Et quasi aliquis quæreret, cur Deus per-
mittat sic quosdam perire, respondet Apo-
stolus, ponens exemplum de grandi pala-
tio : *In magna autem domo, non solum* 20
sunt vasa aurea et argentea, pretiosa et
pro usibus nobilibus facta, quæ in men-
sam patrisfamilias apportentur, *sed et li-*
gnea et fictilia, id est etiam vilia vasa,
sunt in domo hujusmodi. *Et quædam qui-*
dem, id est aurea et argentea vasa, facta
sunt *in honorem,* id est ad usus præcla-
ros ; *quædam autem,* id est vasa lignea
et fictilia, facta sunt *in contumeliam,* id
est ad usus immundos. Per hoc insinua-
tur, quod in Ecclesia (quæ est magna do-
mus Dei), non solum sunt electi et boni,
qui per vasa aurea et argentea designan-
tur, sed etiam reprobi, qui per vilia vasa
notantur. Electi autem facti sunt in ho-
norem, id est ad gloriam sempiternam :
in quibus impletur id Psalmistæ, Gloriam *Ps.* XX, 6.
et magnum decorem impones super eum.
Reprobi vero sunt in contumeliam, id est
ad æternam confusionem ac pœnam. Et
hoc totum cedit ad gloriam Creatoris : nam
sicut in illis resplendet misericordia, sic *Rom.* IX, 22, 23.
in istis manifestatur divina justitia. Unum-
quodque oppositorum ex consideratione
sui oppositi clarius elucescit. *Si quis er-* 21
go emundaverit se ab istis, id est a vitiis
reproborum, qui sunt in contumeliam,
erit vas in honorem sanctificatum, id est,
per gratiam sanctificabitur, ita ut finali-
ter sempiternum consequatur honorem,
audiens illud a Christo : Intra in gaudium *Matth.* XXV, 21, 23.
Domini tui ; *et utile Domino,* id est ad
gloriam Dei proficuum aliis, *ad omne opus*
bonum paratum, id est a Deo dispositum
et formatum ad facienda opera virtuosa.
Juvenilia autem desideria, id est pue- 22
riles concupiscentias, *fuge,* videlicet con-
solationes carnales ac levitates. *Sectare*
vero per jugem operationem, *justitiam,*
quæ est præclarissima virtus : et nec est
hesperus nec lucifer ita admirabilis, quan-
tum ad virtutes morales in appetitiva po-
tentia exsistentes ; *fidem, spem, caritatem*
Dei et proximi, *et pacem* internam et con-
cordiam cum aliis, *cum his qui invocant*
Dominum de corde puro. Tales nempe has

23 virtutes sectantur. *Stultas autem et sine* A
I Tim. I, 4; Tit. III, 9. *disciplina quæstiones,* id est vanas et in-
eruditas, *devita : sciens quia generant li-*
tes, non ædificationem in fide et moribus.
24 *Servum autem Domini non oportet,* imo
nec licet, *litigare :* sicut jam dictum est,
vers. 14. Noli verbis contendere; *sed mansuetum*
esse ad omnes, iram frenando. Unde ait
Eccli. III, 19. Sapiens : In mansuetudine opera tua fac,
et super hominum gloriam diligeris. *Do-*
cilem, ut possit facile instrui, nec sit per-
tinax in proprio sensu, quemadmodum
Joann. VI, 45. Christus in Evangelio loquitur : Erunt B
Jacob. I, 21. omnes docibiles Dei. Et Jacobus : Cum
mansuetudine, inquit, suscipite insitum
25 verbum. *Patientem* in adversis. *Cum mo-*
destia, id est cum discretione ac modera-
mine, sine perturbatione et impetu, *cor-*
ripientem eos qui resistunt veritati, id est
rebelles Deo atque justitiæ : de quibus
Job XXIV, 13. Job ait, Ipsi fuerunt rebelles lumini; *ne-*
quando, id est ut tandem aliquando, *det*
illis inobedientibus *Deus pœnitentiam,* id
est gratiam pœnitendi de pristinis malis,
ad cognoscendam veritatem fidei et do-
ctrinæ. Purgati enim a vitiis per pœniten-
tiam, apti sunt illuminationi divinæ, eam-
que recipiunt, quum aliud nihil dividat
mentem rationalem a Deo nisi peccatum.
Propter quod Isaias ait : Hic est omnis Is. XXVII, 9.
fructus, ut deleatur iniquitas; et rursus,
Iniquitates vestræ diviserunt inter Deum Ibid. LIX, 2.
vestrum et vos. Jeremias quoque testatur :
Peccata vestra prohibuerunt bonum a vo- Jer. V, 25.
bis. *Et resipiscant a diaboli laqueis,* id 26
est peccatis atque erroribus : quibus ani-
mæ a dæmone capiuntur, prout Scriptura
dicit, Iniquitates suæ capient impium, et Prov. V, 22.
funibus peccatorum suorum constringe-
tur; *a quo* diabolo *captivi tenentur,* id
est dominationi et jugo dæmonis ac pec-
cati subjecti, *ad ipsius* diaboli *volunta-*
tem, id est sicut diabolo placet et ad ex-
sequendam voluntatem ipsius.

ARTICULUS III

DECLARATIO CAPITULI TERTII : HOC AUTEM SCITO, QUOD IN NOVISSIMIS DIEBUS, ETC.

PRÆTEREA docet Apostolus Timothe- C
um debere sollicitum esse propter fu-
1 tura pericula. *Hoc autem scito, quod in*
novissimis diebus, circa Antichristi adven-
tum, *instabunt tempora periculosa.* Erit
Matth. XXIV, 21. enim tunc tribulatio talis, qualis non fuit
ab exordio mundi. Tunc namque Ecclesia
persecutionem sustinebit a tribus gravis-
simis hostibus simul, a quibus ante suc-
cessive afflicta est, utputa a tyrannis, ab
hæreticis, falsisque fratribus.
2 *Et erunt homines se ipsos amantes* amo-
re carnali, privato et pessimo, quærentes D
solum bona delectabilia et utilia, non ho-
nesta, *cupidi,* id est avari, *elati,* id est
ambitiosi, *superbi,* quantum ad appetitum
excellentiæ in temporalibus, *blasphemi* in
Deum et Sanctos, *parentibus non obedi-*
entes, ingrati Deo, magistris et parenti-
bus, quibus non potest reddi æquivalens,
scelesti, id est magnis peccatis obnoxii;
sine affectione, id est corde frigidi a calo- 3
re amoris divini, *sine pace* interiori et
exteriori, id est turbulenti, *criminatores,*
alios inordinate accusando, videntes alio- Matth. VII, 3.
rum festucas, non proprias trabes; *incon-*
tinentes, id est luxuriosi, *immites,* id est
iracundi, *sine benignitate,* id est fraterna
compassione, *proditores* justorum; *proter-* 4
vi, id est crudeles, juxta illud : Viscera Prov. XII, 10.
impiorum crudelia; *tumidi* contra Deum,
sicut Job ait : Vir vanus in superbiam eri- Job XI, 12.
getur; *voluptatum* carnalium, scilicet gu-
læ et luxuriæ, *amatores magis quam Dei,*

præponentes carnalia spiritualibus ac di- A
5 vinis ; *habentes speciem quidem pietatis,*
id est simulatam sanctitatem et apparen-
Matth. vii, 15. tiam veræ Religionis assumentes, venientes
videlicet in vestimentis ovium, *virtutem*
autem ejus abnegantes, id est vigorem
seu exsistentiam pietatis abjicientes, quum
sint hypocritæ, et intus lupi rapaces.

Et hos, id est typos et prædecessores
istorum qui prædictis vitiis polluuntur,
6 *devita. Ex his enim,* id est de horum ca-
talogo, *sunt qui penetrant domos,* id est,
secretiora loca domorum ingrediuntur, ut B
in occulto suos errores disseminent : nam
Joann. iii, 20. omnis qui male agit, odit lucem ; *et ca-*
ptivas ducunt mulierculas, id est, suis
erroribus involvunt feminas in domibus
residentes, *oneratas peccatis,* id est pec-
catrices, et ideo decipi dignas, *quæ du-*
cuntur variis desideriis, id est, diversis
concupiscentiis et curiositatibus agitantur,
propter rationis debilitatem et animi in-
7 stabilitatem ; *semper discentes* aliquid no-
vi vel Scripturas, *et nunquam ad scien-*
tiam, id est notitiam salutarem, *veritatis* C
pervenientes, quoniam inordinate se ha-
bent in addiscendo, et curiosa ac frivo-
la magis quam fructuosa ac necessaria
discunt.

8 *Quemadmodum autem Jannes et Mam-*
bres, qui erant duo fratres et magi Pharao-
nis : quorum nomina, secundum Glossam,
sumpsit Apostolus ex libris apocryphis.
Sed hoc certum arbitror, quod auctoritati
apocryphorum non innitebatur Apostolus,
Judæ 14, 15. sicut nec Judas apostolus in sua Canoni-
ca, allegans verba Enoch, quæ in apocry- D
phis scripta sunt. Sed uterque eorum ali-
unde, vel ex revelatione divina certificatus
erat de veritate verborum quæ introduxe-
runt. Quemadmodum ergo hi *restiterunt*
Exod. vii, 11 et seq.; viii, 1-19. *Moysi,* facientes signa coram Pharaone sic-
ut et Moyses, usque ad tertium signum,
in quo omnis pulvis terræ Ægypti versus
est in sciniphes : ubi deficientes hi magi,
dixerunt, Digitus Dei est hic ; *ita et hi*
seductores, domorum penetralia introeun-
tes, *resistunt veritati* fidei christianæ, *ho-*
mines corrupti mente, id est intellectu
depravati, *reprobi circa fidem,* id est a
fide errantes. *Sed ultra non proficient,* id 9
est, non diu alios fallent ; *insipientia enim,*
id est perfidia *eorum, manifesta erit om-*
nibus Catholicis, *sicut et illorum* mago-
rum fallacia manifestata est, quando a
Moyse victi sunt, et plagas Dei senserunt.
Loquitur autem Apostolus præcipue con-
tra hæreticos Asiæ, quos prævidit a bea-
tissimo evangelista Joanne confutandos. Et
tamen de aliis hæreticis accipi potest, qui
frequenter a Catholicis superati et eradi-
cati leguntur, magis divina virtute quam
potestate humana.

Tu autem, o Timothee, *assecutus es,* id 10
est, discendo adeptus vel operando imita-
tus es, *meam doctrinam,* id est scientiam
Scripturarum sanctarum, *institutionem,*
quantum ad mores laudabiles, *propositum,*
id est intentionem, *fidem, longanimitatem*
in exspectatione cœlestium promissorum,
dilectionem, patientiam, persecutiones fo- 11
ris illatas, *passiones* ab intra exortas ; *qua-*
lia tormenta *mihi facta,* id est inflicta,
sunt Antiochiæ, Iconii, Lystris. Per has Act. xiii, 14, 45, 50; xiv, 1-5, 6-18.
tres urbes, alia loca in quibus persecuti-
onem pertulit, intelliguntur. *Quales per-*
secutiones, videlicet multas et magnas,
sustinui. Et ex omnibus eripuit me Do-
minus, præservando a morte corporis, et
ab impatientia animæ, ita ut dicere vale-
am cum Psalmista : Quantas ostendisti mi- Ps. lxx, 20.
hi tribulationes multas et malas ! et con-
versus vivificasti me, et de abyssis terræ
iterum reduxisti me. *Et omnes qui volunt* 12
voluntate efficaci, *pie,* id est religiose et
sancte, *vivere in Christo,* id est secundum
doctrinam et voluntatem Christi, *persecu-*
tionem patientur a mundo, carne vel dæ-
mone. Per multas enim tribulationes opor- Act. xiv, 21.
tet nos intrare regnum cœlorum. Unde
Judith ait : Omnes qui placuerunt Deo, Judith viii, 23.
per multas tribulationes transierunt fide-
les. *Mali autem homines et seductores,* qui 13
sedent in cathedra pestilentiæ, *proficient,* Ps. i, 1.
id est tendent, *in pejus,* quemadmodum Eccli. iii, 29.
scriptum est : Peccator adjiciet ad pec-

candum. De minoribus quippe peccatis A
procedunt ad graviora, quoniam unum
peccatum disponit ad aliud, estque pec-
catum et pœna peccati. *Errantes* a via
veritatis atque justitiæ, *et in errorem mit-*
tentes alios quos pervertunt.
14 *Tu vero permane* usque in finem fide
et opere, *in his quæ didicisti,* id est in
documentis quæ tibi proposui, *et credita,*
Luc. xix, 23. id est commissa, *sunt tibi,* exigenda a te
cum spirituali usura; *sciens,* id est dili-
genter advertens, *a quo didiceris,* puta
a me Christi apostolo, cujus doctrina tibi B
ambigua esse non debet. Permanere quo-
15 que debes in his, *et quia ab infantia,* id
est adolescentia, *sacras litteras,* id est scri-
pturas legis et Prophetarum, *nosti* per stu-
dium, *quæ te possunt instruere* formaliter
in his quæ pertinent *ad salutem, per fi-*
dem, id est mediante et cooperante fide,
quæ est in Christo Jesu, id est, quæ de
Christo habetur, sine qua fide nemo ad Hebr. xi, 6.
salutem perducitur.

Porro, quod sacræ litteræ erudire te va-
leant, patet : nam, *Omnis scriptura di-* 16
vinitus inspirata, id est tota Scriptura
canonica a Spiritu Sancto infusa, non hu-
manitus adinventa, *utilis est ad docendum*
ignaros, *ad arguendum,* id est ad proban-
dum ea quæ fidem concernunt, *ad cor-*
ripiendum injustos seu negligentes, *ad*
erudiendum proficientes *in justitia,* id
est ad obtinendam perfectionem justitiæ;
ut perfectus sit, secundum modum viato- 17
rum, et prout ad salutem requiritur, vel in
operibus supererogationis, servando con-
silia scripturæ novi Testamenti, *homo Dei,*
hoc est cultor devotus, *ad omne opus bo-*
num prosequendum *instructus* per Scri-
pturas.

ARTICULUS IV

EXPLANATIO CAPITULI QUARTI : TESTIFICOR CORAM DEO ET CHRISTO JESU.

HORTATUR Apostolus in hoc capitulo C
ad indesinentem ac diligentissimam
1 evangelicæ veritatis prædicationem. *Testi-*
ficor coram Deo et Christo Jesu, id est,
sub testimonio Dei Patris et Filii ejus te
doceo atque admoneo, *qui* Christus *judi-*
Act. x, 42; I Thess. iv, 15, 16. *caturus est* in fine sæculi *vivos et mor-*
tuos, id est homines universos, videlicet
tam illos qui ante tempus judicii morien-
tur, quam illos qui tunc vivi invenien-
tur, et in igne conflagrationis morientur.
Testificor quoque *per adventum ipsius* in
carnem, vel ad finale judicium, *et regnum* D
ejus, quod est Ecclesia militans ac trium-
phans, id est per congregationem omni-
2 um electorum. *Prædica verbum* regni cœ-
lestis, quod est evangelica doctrina; *insta*
prædicationis officio *opportune,* quantum
ad auditores benevolos, *importune,* quan-
tum ad acediosos, qui stimulatione et im-
pulsione indigent, quibus molestum est
verbum Dei audire. Unde et eis importu-
nus videris, sed vere opportune discrete-
que agis. *Argue* negligentes, *obsecra* se-
niores et digniores, *increpa* induratos *in*
omni patientia et doctrina, id est cum
perfecta patientia et sapientia cordis tui,
quatenus totus sermo oris tui ex sapientia
animæ tuæ procedat, et patientia adorne-
tur. Nam et doctrina viri per patientiam Prov. xix, 11.
noscitur, sermoque eruditus proficit mul-
tis. Vel omnia verba hæc ad eosdem re-
feruntur, quoniam unus et idem interdum
arguendus, interim obsecrandus, aliquan-
do increpandus, id est aspere redarguen-
dus est.

Ideo autem instandum est verbo præ-
dicationis hoc modo : *Erit enim tempus,* 3

quum homines *sanam,* id est animarum
languores sanantem, *doctrinam non susti-
nebunt,* id est, patienter non audient; *sed
ad sua desideria,* id est, ut ea audiant et
faciant quæ desiderant vitioso affectu, *co-
acervabunt,* id est congregabunt, *sibi ma-
gistros* pro eorum beneplacito docentes
et operantes; *prurientes auribus,* id est,
tam magistri isti, quam eorum discipuli,
interiorum aurium patientur pruritum de-
siderio legendi, proponendi vel audiendi
4 curiosa et laudes humanas. *Et a veritate
quidem auditum avertent* disciputi isti, et
item eorum magistri, *ad fabulas autem*
audiendas vel prædicandas *convertentur.*
Job xxi, 14. De talibus scriptum est : Dixerunt Deo,
Recede a nobis, scientiam viarum tuarum
Is. xxx, 10. nolumus. Et in Isaia : Dicunt adspicien-
tibus, Nolite adspicere nobis ea quæ re-
cta sunt, loquimini nobis placentia, videte
nobis errores.
5 *Tu vero vigila,* id est, diligens atque
sollicitus esto, quoniam grande habes ex-
pedire negotium; *in omnibus* ad tuam tui-
que gregis salutem pertinentibus, *labora*
II *Tim.* ii, 3. sicut bonus miles Christi, non parcendo
tibi, neque corporalem quietem quæren-
Job v, 7. do. Homo enim nascitur ad laborem, sicut
avis ad volatum. *Opus fac Evangelistæ,*
id est, sic vive ut decet annuntiatorem
evangelicæ legis; *ministerium tuum im-
ple,* id est, episcopale officium digne pro-
sequere, quatenus orando, docendo et con-
versando, commissos tibi salvos facias.
Sobrius esto in victu.
Et hæc tibi necessaria sunt nunc magis
6 quam ante : *Ego enim jam delibor,* id est,
Domino offeror, seu pro Deo mori incipio
tanquam hostia grata, *et tempus meæ re-
solutionis,* id est mortis, *instat,* id est,
7 propinquum est. *Bonum certamen certavi*
contra adversarios veritatis et fidei, for-
titer resistendo inimicis humanæ salutis;
cursum consummavi, id est, peregrinati-
onem meam in præsenti exsilio ad saluta-
rem finem perduxi, perseverando semper
et proficiendo in bonis; *fidem* catholicam
8 inconcussam *servavi. In reliquo,* id est

A posthac seu in futuro, *reposita,* id est apud
Deum locata atque præparata, *est mihi co-
rona justitiæ,* id est præmium justæ con-
versationis, videlicet gloria sempiterna,
quam reddet mihi Dominus, quantum ad
animam *in illa die* resolutionis meæ, quan-
tum vero ad corpus in die judicii, *justus
judex :* de quo ait Psalmista : Deus ju- *Ps.* vii, 12.
dex justus, fortis et patiens. *Non solum
autem mihi* reddet hanc gloriam, *sed et
his qui diligunt adventum ejus,* id est,
cum bona conscientia futurum Christi ad-
B ventum ad judicium desiderant, vel pri-
mum ejus adventum, videlicet incarna-
tionem, affectuose et mente gratissima
amplectuntur; qui etiam quotidie spiri-
tualem Christi adventum, quo anima per
gratiam visitatur, affectant : de quo ait
Salvator, Ad eum veniemus, et mansio- *Joann.* xiv, 23.
nem apud eum faciemus.
Festina venire ad me cito, eo quod cito
moriturus sim, et quos habui, modo non
habeo. *Demas enim :* de quo ad Colossen- 9
ses dicitur, Salutat vos Lucas medicus ca- *Coloss.* iv, 14.
C rissimus et Demas; *me reliquit* tempore
tribulationis, *diligens hoc sæculum,* id est
ea quæ mundi sunt, *et abiit Thessaloni-
cam :* quæ est metropolitana urbs Mace-
doniæ. *Crescens* abiit, missus a me, *in* 10
Galatiam ; Titus in Dalmatiam. Lucas 11
autem evangelista *est mecum solus. Mar-
cum,* consobrinum Barnabæ, ut dicitur,
*assume et adduc tecum : est enim mihi
utilis in ministerium,* id est ad prædi-
cationis officium. *Tychicum autem misi* 12
Ephesum ubi tu resides, quatenus te ve-
D niente ad me, suppleat vicem tuam. *Penu-* 13
*lam quam reliqui Troade apud Carpum,
veniens affer tecum.* Penula, secundum
Hieronymum, appellatur legis volumen.
Secundum Haymonem vero, est vestis con-
sularis, qua induebantur consules Ro-
mani curiam ingredientes : quam legati
Romanorum venientes Tarsum Ciliciæ, de-
derunt patri Pauli in signum amicitiæ,
quando receperunt eum in amicum et ci-
vem Romanum, eo quod reverenter eis
occurrisset, et eos lætanter recepisset.

Quam vestem retinuit sibi Paulus ob re- A
Act. xxii, 28. cordationem. Unde in Actibus Paulus di-
cit se natum civem Romanum. Civilitas
quippe Romana patri Pauli collata erat
pro se ipso ac filiis ejus, propter magnum
obsequium et honorem quæ impendebat
Romanis. *Et libros* quos illic dimisi, *ma-
xime autem membranas,* id est materias
illas non scriptas, affer tecum, ut in mem-
branis scribantur epistolæ meæ ad me-
moriam futurorum.
14 *Alexander ærarius,* id est faber in ære,
Ibid. xix, 24. vel custos ærarii, qui fecit sedes argen- B
I Tim. i, 19, 20. teas Dianæ, quem supra dixi circa fidem
naufragasse, *multa mala mihi ostendit,* id
est, graves persecutiones procuravit mihi.
Reddet illi Dominus secundum opera ejus,
id est pœnas condignas pro tantis pec-
catis. Hoc dicit Apostolus prænuntiando,
15 non imprecando. *Quem et tu devita* tan-
quam excommunicatum et perfidum. *Valde
enim restitit verbis nostris* per se ipsum,
16 et alios quos contra me incitavit. *In prima
mea defensione,* quando videlicet primo
aggressus sum Alexandrum hunc, respon- C
dendo ejus objectis, et fidem defendendo
contra eum, *nemo* fidelium *mihi adfuit*
manifeste adsistendo ; *sed omnes me de-
reliquerunt* terrore concussi. *Non illis
imputetur* hæc culpa a Deo, sed indulge-
atur : nam ex humana fragilitate, non ex
17 certa malitia, orta est. *Dominus autem
mihi adstitit,* vel internam consolationem
præstando, vel per visionem apparendo,
et confortavit me gratia fortitudinis, *ut
per me prædicatio impleatur,* id est, Evan-
gelium plenius divulgetur, *et audiant om-
nes gentes* ad fidem conversæ : quia *et
liberatus sum de ore leonis,* id est ab oc-
cisione crudelis Neronis. *Liberavit* autem 18
me Dominus ab omni opere malo, vel
præservando a vitiis, vel præterita mala
relaxando, *et salvum me faciet,* deducen-
do me *in regnum suum cœleste. Cui est
gloria in sæcula sæculorum. Amen.* Scie-
bat enim Apostolus, Deo revelante, se esse
de numero electorum.
Saluta Priscam, et Aquilam virum ip- 19
sius, *et Onesiphori domum,* id est fami-
liam : qui omnes morabantur in Epheso.
Erastus remansit Corinthi. Trophimum 20
autem reliqui infirmum Mileti, id est in
illo loco. *Festina ante hiemem venire,* vi- 21
delicet in autumno, quando aptius tem-
pus est ambulandi vel navigandi. *Salutant
te Eubulus, et Pudens, et Linus* (quem
aliqui dicunt fuisse discipulum Petri, suc-
cessoremque ejus in cura pontificali), *et
Claudia, et fratres omnes* qui mecum sunt.
Per hoc provocat Timotheum ad citius at-
que libentius veniendum, eo quod dili-
gatur et salutetur a tantis ac talibus.
Dominus Jesus Christus sit *cum spiritu* 22
tuo, id est, in anima tua habitare digne-
tur. *Gratia vobiscum,* id est tecum et cum
populo tibi commisso. *Amen.*

ENARRATIO
IN EPISTOLAM BEATI PAULI
AD TITUM

PROŒMIUM

MANDATUM *lucerna est, et lex lux; et via vitæ, increpatio disciplinæ.* Prov. vi, 23.

Qui ergo tenebras vitiorum quærit effugere, mandatis obediat. Ad hoc ordinatur doctrina Apostoli, qui in præsenti nunc elucidanda epistola (quam scripsit Tito Cretensium episcopo, a Nicopoli) admonet Titum ad strenuam sui officii exsecutionem, et de ordinatione presbyterii, de vitandis quoque hæreticis, et de exemplari conversatione ad episcopum pertinente. Erat quippe hic Titus non nihil mollis et laxus in increpatione peccantium. Ideo monet eum Apostolus cum omni imperio agere. Timotheum vero, qui satis rigorosus acerque fuit, monuit in præcedentibus epistolis ad pietatem ac patientiam. In hac autem epistola procedit Apostolus solito more, sicut patebit.

Tit. iii, 12.

I *Tim.* iv, 7; vi, 11; II *Tim.* iii, 10; iv, 2.

ENARRATIO

IN EPISTOLAM BEATI PAULI

AD TITUM

ARTICULUS PRIMUS

EXPOSITIO CAPITULI PRIMI : PAULUS SERVUS DEI, APOSTOLUS AUTEM JESU CHRISTI.

1 P*AULUS servus Dei* Patris, *apostolus* A
autem Jesu Christi, imo etiam apo-
stolus Dei Patris, et servus Christi : sed
Christi se vocat apostolum, quoniam im-
mediate ab eo missus est evangelizare :
servus, inquam, et apostolus *secundum*
fidem, id est in fide, vel observando fi-
dem, *electorum Dei,* id est hominum præ-
destinatorum, qui per fidem salvantur, *et*
secundum *agnitionem veritatis,* id est ac-
tualem notitiam procedentem ex fide, qua
notitia veritas christiana cognoscitur; *quæ*
etiam cognitio *secundum pietatem est,* id B
est secundum Christi Religionem, cui con-
cordat, et ad cultum divinum ordinatur,
2 *in spem vitæ æternæ,* id est ad obtinen-
dam speratam felicitatem, videlicet vitam
æternam. *Quam* vitam *promisit* homini-
Joann. xiv, 6. bus, *qui non mentitur, Deus,* quum ipse
Num. xxiii, 19. sit veritas. De quo Scriptura : Non est
Deus quasi homo, ut mentiatur; neque
ut filius hominis, ut mutetur. Promisit
autem Deus hanc vitam, id est, promit-
tere statuit, seu ex promissione dare præ-
ordinavit, *ante tempora sæcularia,* id est C
ab æterno. Tempora enim sæcularia sunt
dies et horæ, quibus omnia temporalia
mensurantur, quæ ab initio mundi fue-
runt. *Manifestavit autem,* id est, homini- 3
bus revelavit, *temporibus suis,* id est con-
gruis et ab eo dispositis horis, videlicet
tempore gratiæ, *verbum suum,* id est præ-
dictam promissionem, vel Verbum suum Joann. i, 14.
incarnatum, videlicet unigenitum Filium
suum, *in prædicatione,* id est per præ-
dicationem, *quæ credita,* id est commen-
data, *est mihi secundum præceptum Sal-*
vatoris nostri Dei, id est a divino imperio
seu Deo jubente, qui mihi prædicationis
injunxit officium.
Paulus itaque scribit *Tito dilecto filio* 4
suo spirituali : ideo subditur, *secundum*
communem, id est universalem seu ca-
tholicam, *fidem.* Quasi dicat : Filio, non
secundum carnem, sed secundum spiri-
tualem generationem, qua in Christo te
genui, fidem tibi annuntians, eamque ti-
bi exponens. *Gratia et pax* tibi detur et
conservetur *a Deo Patre et Christo Jesu*
Salvatore nostro, qui sunt unum princi-
pium gratiæ et omnis boni creati.
Hujus rei gratia, id est propter id quod 5
subditur, *reliqui te Cretæ,* quando inde
abscessi, *ut ea quæ desunt corrigas,* id

est, vitiosa emendes, et quod deest Ec- A
clesiæ perficias, *et constituas per civitates
presbyteros,* id est, in unaquaque civita-
te fidelium ordines unum presbyterum,
id est episcopum. Quod enim nomine pre-
sbyterorum intelligantur episcopi, constat
vers. 7. ex eo quod paulo post subditur : Oportet
enim episcopum sine crimine esse. Et ut
alii probabiliter asserunt, nomine pre-
sbyterorum intelliguntur sacerdotes atque
episcopi, et econtrario. Sicque in una ci-
vitate poterant esse plures presbyteri, non
plures episcopi. Episcopatus itaque non B
est alius ordo a presbyteratu, sed est no-
men superadjunctæ dignitatis. Ordinavit
autem Apostolus Titum in archiepisco-
pum Cretensium : ideo pertinebat ad eum
constitutio episcoporum per singulas ci-
vitates suo regimini subditas. *Sicut et ego
tibi disposui,* id est, tales constituas, qua-
les tibi descripsi, vel ordinatione dignos
6 edocui, utputa : *si quis sine crimine est,*
id est sine notabili gravique vitio, ne sit
infamis, sed famæ laudabilis. Quod signi-
Lev. xxi, 17. ficatum est ubi Aaroni dicitur : Homo de C
semine tuo qui habuerit maculam, non
offeret panes Deo suo. *Unius uxoris vir,*
id est, qui non habuit conjugem nisi
unam post Baptismum, secundum Hiero-
nymum, vel nunquam, secundum Augu-
I Tim. iii, 2. stinum, ut dictum est plenius ad Timo-
theum. *Filios habens fideles* in credendo
et operando, si tamen habeat filios, et si
filii non sint incorrigibiles. Oportet nam-
que ut sit domui suæ bene præpositus.
Habeat, inquam, filios, *non in accusatio-
ne luxuriæ,* id est non incontinentes et D
accusatione peccati luxuriæ dignos, *aut
non subditos,* id est non rebelles.
7 *Oportet enim episcopum.* Ecce quod
nomine presbyteri episcopus designetur.
Oportet ergo episcopum, id est sacerdo-
tem et pontificem, maxime tamen pon-
tificem, *sine crimine,* id est irreprehen-
sibilem, *esse* quoad magna peccata : non
quod hoc sit de necessitate gradus vel
Ordinis, sed dignæ exsecutionis atque sa-
lutis ; *sicut Dei dispensatorem,* id est
spiritualium bonorum Dei, videlicet sa-
cramentorum et verborum cœlestium ero-
gatorem : ad quod requiritur maxima san-
ctitas. *Non superbum :* quoniam scriptum
est : Quanto major es, humilia te in om- Eccli. iii,
nibus ; itemque : Rectorem te posuerunt ? 20. Ibid. xxxii,
noli extolli ; esto in illis quasi unus ex 1.
eis. *Non iracundum :* quoniam ira in si- Eccle. vii,
nu stulti quiescit. Et Jacobus ait : Sit om- 10. Jacob. i, 19.
nis homo tardus ad loquendum, et tardus
ad iram. *Non vinolentum,* sed sobrium ;
non percussorem, id est bellicosum et vio-
lentum ; *non turpis lucri cupidum. Sed* 8
hospitalem, benignum, sobrium, justum,
sanctum, continentem ; amplectentem, id 9
est cordiali affectu suscipientem, ac aliis
proponentem, *eum qui secundum doctri-
nam est fidelem sermonem,* id est veram
prædicationem veræ doctrinæ seu christi-
anæ sapientiæ consonantem ; *ut potens sit,*
id est virtuosus et eruditus, *exhortari*
subjectos *in doctrina sana,* id est in evan-
gelica disciplina vitiorum sanativa, *et eos
qui contradicunt* fidei, verbo vel opere,
arguere, id est reprobare ; vel, Eos qui
contradicunt arguere, id est inobedientes
efficaciter increpare. Ideo subditur :
Sunt enim multi inobedientes et vani- 10
*loqui et seductores, maxime qui de cir-
cumcisione sunt,* id est Judæi conversi,
scilicet hæretici, asserentes legalia cum Act. xv, 1, 5.
Evangelio esse observanda ; *quos oportet* 11
redargui a te aliisque prælatis Ecclesiæ,
ne seducant alios, ipsique pereant ; *qui
universas domos,* id est omnes familias
Christi, seu cunctos fideles incautos, *sub-
vertunt,* quantum in ipsis est, quia ni-
tuntur ad hoc, *docentes quæ non oportet,*
id est illicita, scilicet observationem lega-
lium, *turpis lucri gratia,* id est commodi
temporalis intuitu, quatenus ab his quos
decipiunt, temporalia bona acquirant. *Di-* 12
xit quidam ex illis vaniloquis, qui ta-
men aliqua vera locutus est, *proprius ip-
sorum propheta,* id est, qui prædictorum
seductorum atque Cretensium proprieta-
tes optime noverat. Unde propheta ipso-
rum vocatur, quia de eis vera in futurum

conjicere potuit. Non autem erat prophe-
ta Dei, nec homo sanctus, sed poeta, vi-
delicet Epimenides, in cujus libris verba
sequentia inveniuntur. *Cretenses semper*
mendaces sunt contra Deum et proximum,
malæ bestiæ, id est crudeles, humanum-
que sanguinem sitientes, *ventres pigri,* id
13 est gulosi et acediosi. *Testimonium hoc*
verum est, quamvis verba hujus poetæ
non habeant auctoritatem. Commemorat
vero Apostolus hunc poetam, ut Creten-
ses proprii auctoris testimonio redarguti,
plus erubescant et corrigantur.

Quam ob causam increpa illos Creten-
ses *dure,* quum sint duri, non molliter,
sicut hucusque fecisti ; *ut sani,* id est
integri et sinceri *sint in fide* catholica,
14 *non intendentes Judaicis fabulis,* id est
1 Tim. i, 4. falsis narrationibus Judæorum de obser-
vatione cærimonialium legis, et genealogiis
interminatis, *et mandatis,* id est super-
stitiosis traditionibus, *hominum aversan-*
tium se a veritate, id est a vero intellectu
Scripturæ recedentium. Et quoniam isti
Judæi hæretici inter cibos discernebant
tempore gratiæ quemadmodum tempore
legis, ideo contra eos dicit Apostolus :
15 *Omnia munda mundis,* id est, cuncta hu-
Ibid. iv, 4, 5. manis usibus concessa vel apta, sunt mun-
da mundis, id est fidelibus qui ea pura
intentione rectaque fide in usum neces-
sitatis recipiunt. Non enim inquinantur ex
perceptione ciborum prohibitorum in lege
ea ratione qua illic prohibebantur. *Coin-*

A *quinatis autem,* id est vitiosis,* *nihil est* *[et infidelibus,]
mundum per comparationem ad eos. Om-
nia enim cooperantur eis in malum : nam
et ipsi abutuntur rebus mundis ac sanctis.
Sed inquinatæ sunt eorum mens et con-
scientia, id est anima seu ratio, et actus
qui conscientia nuncupatur. Denique vi-
detur hic locus generalius posse intelligi,
ut omnia dicantur munda mundis, quan-
tum ad contemplationem ipsorum. Homi-
nes enim puri et eruditi, res immundas
mundo oculo speculantur; immundi vero,
B etiam munda deformiter contemplantur.

Confitentur se nosse Deum, factis autem 16
negant : quia tam impie vivunt ac si Deus
non esset. Operibus ergo loquuntur Deum
non esse, dum eum non sicut Deum ho-
norant, nec ejus justitiam pensant. Unde
Joannes : Qui se dicit (inquit) nosse Deum, 1 Joann. ii, 4.
et mandata ejus non custodit, mendax est.
Verumtamen aliquo modo Deum cogno-
scunt, videlicet informi notitia, quoniam
dictum est ad Romanos : Quum cogno- Rom. i, 21.
vissent Deum, non sicut Deum honora-
C verunt. Ideo non cognoscunt Deum cogni-
tione veræ ac salutaris sapientiæ, de qua
scriptum est : In malevolam animam non Sap. i, 4.
introibit sapientia. *Quum sint abomina-*
ti, id est abominabilibus peccatis pollu-
ti, et a Deo juste contempti, *et incredibi-*
les, quia nec eis credendum est, nec ipsi
veraciter credunt, *et ad omne opus bonum*
reprobi, id est ad omnem actum merito-
rium indispositi et perversi.

ARTICULUS II

EXPOSITIO CAPITULI SECUNDI : TU AUTEM LOQUERE QUÆ DECENT.

POSTQUAM Apostolus Titum edocuit
circa ordinationem episcoporum seu
presbyterorum, jam instruit eum circa di-
ligentem gubernationem subditorum suo-
1 rum. *Tu autem,* id est, illis ita erranti-

D bus, tu, aliorum antistes ac prædicator,
loquere verba salubria, *quæ decent sanam*
doctrinam, id est, quæ christianæ sapi-
entiæ congruunt, quatenus dignitas et ho-
nestas tui sermonis ostendat veram esse

legem quam prædicas. Nec aliquid dicas A
quod veræ doctrinæ non consonet.
2 *Senes* hortare *ut sobrii sint, pudici,*
prudentes, sani in fide, in dilectione Dei
et proximi, *in patientia.* Hæc est saluta-
3 ris doctrina. *Anus similiter* hortare esse
in habitu sancto, id est vestibus religi-
osis, *non criminatrices,* id est aliorum
accusatrices, præsertim adolescentularum,
quibus ex levi suspicione crimina impo-
nere consueverunt, *non multo vino ser-*
vientes, ne sint gulosæ ac vinolentæ, *bene*
4 *docentes* suam familiam, *ut prudentiam* B
doceant, id est veram utilemque doctri-
nam, non incantationes vel sortilegia. Non
I *Cor.* xiv, 34; I *Tim.* ii, 12. tamen debent viros docere publice in ec-
clesia, quia docere hoc modo mulieri non
permitto. *Adolescentulas* maritatas admo-
ne *ut viros suos ament* sincero affectu,
non solum carnali aut naturali, ne alium
quemquam respiciant, *filios suos diligant*
naturali et spirituali amore, quærendo eis
bona honesta magis quam delectabilia si-
ve utilia. Diligere namque est alicui bo-
5 num velle. Hortare etiam eas esse *pru-* C
Eccli. xxvii, 12. *dentes,* ne sicut luna et stultus, mutentur
et fluctuent, *castas,* ne se prorsus expo-
nant libidini, ut cum pudore debitum vi-
ris reddant magis quam exigant, *sobrias,*
domus curam habentes, id est propriæ fa-
miliæ sollicite providentes, *benignas,* id est
Ibid. xxv, 30. misericordes, *subditas viris suis.* Mulier
namque si primatum habeat, contraria est
viro suo. — Omnia ista a senibus, et ani-
bus seu vetulis, et adolescentulis obser-
vanda sunt, *ut non blasphemetur verbum*
Dei, id est, ne propter vitiosam eorum D
conversationem Christus vel ejus doctri-
na, ab infidelibus et perversis perfidis-
que adolescentularum maritis blasphemi-
am patiatur.
6 *Juvenes similiter hortare ut sobrii sint:*
quod eis potissimum necessarium est, eo
quod propter calorem et multum humo-
rem naturæ, ad vitium incontinentiæ sint
proclives.

Et quia exhortatio sine virtuosa con-
versatione, inefficax est atque despecta,
idcirco Apostolus admonet Titum. *In om-* 7
nibus ad salutem pertinentibus et in cun-
ctis quæ doces, *te ipsum præbe exemplum*
bonorum operum, copiosius agendo quæ
doces. Nec solum in opere exteriori præ-
beas te in exemplum fidelium, sed et
in doctrina, id est vera sermocinando,
in integritate mentis et corporis, fideli-
ter et continenter vivendo, *in gravita-*
te, id est probitate morum, ne sis levis
aut dissolutus. *Verbum* tuum sit *sanum,* 8
id est verum et sine læsione peccati,
ut non delinquas in lingua tua, et *irre-* *Ps.* xxxviii, 2.
prehensibile : ut is qui ex adverso est,
id est adversarius noster videns apertam
sanctitatem nostræ conversationis, *verea-*
tur, id est, timeat nobis resistere, *nihil*
habens malum dicere de nobis, id est non
inveniens culpam quam nobis objiciat.
Unde Petrus : Hæc est, inquit, voluntas I *Petr.* ii, 15.
Dei, ut benefacientes, obmutescere facia-
tis imprudentium hominum ignorantiam.

Servos hortare *dominis suis* tempora- 9
libus, etiam dyscolis, *subditos esse, in* *Ibid.* 18.
omnibus licitis *placentes* eisdem, *non con-*
tradicentes verbis dominorum suorum,
non fraudantes, id est aliquid de rebus 10
dominorum subtrahentes, nec minus de-
bito eis servientes, *sed in omnibus* suis
obsequiis *fidem bonam,* id est veram fi-
delitatem, *ostendentes, ut doctrinam Sal-*
vatoris nostri Dei ornent, id est, com-
mendabilem faciant, sanctam ostendant
atque decorent, *in omnibus* operibus suis.

Sic igitur alios exhortari, et te ipsum
regere debes : *Apparuit enim gratia,* id 11
est misericordia et pia largitio et gratiosa
instructio, *Dei Salvatoris nostri,* id est
Christi qui est salvator et Deus noster,
omnibus hominibus, id est omnibus ge-
neribus hominum et ad omnium utilita-
tem. Sic autem apparuit in carne pro
nobis a Verbo assumpta, quia per assum-
ptam humanitatem manifestata et data est
hominibus gratia Salvatoris, et ipse Chri-
stus proprio ore nos docuit, Spiritum
Sanctum Apostolis insufflavit, suamque *Joann.* xx, 22.
gratiam hominibus evidenter exhibuit. Ap-

paruit ergo hæc gratia et doctrina Chri- A
12 sti, *erudiens nos, ut abnegantes,* id est
detestantes et fugientes, *impietatem,* id
est peccata contra Deum, ut sunt idolo-
latria, blasphemia, *et sæcularia desideria,*
id est inclinationes inordinatas tendentes
ad bona hujus sæculi, scilicet ad divitias,
honores, delicias, dominationes, etc., *so-*
brie et juste et pie vivamus in hoc sæculo,
13 *exspectantes* longanimiter ac fiducialiter
beatam spem, id est felicem remunerati-
onem speratam, videlicet gloriam sempi-
ternam, *et adventum gloriæ,* id est glo- B
riosum adventum seu manifestationem
Ps. CXLIV, 3. excellentiæ, *magni Dei,* cujus magnitu-
dinis non est finis, *et,* pro id est, *Salva-*
toris nostri Jesu Christi : cujus primus
adventus fuit in humilitate, ut judicare-
tur ; secundus erit in potestate et gloria,
ut judicet. Cujus adventum præstolamur,
quatenus in die judicii suscitemur, et cor-
14 pus glorificatum sortiamur. *Qui* Christus
dedit, id est, gratis, sponte et caritative
obtulit, *semetipsum pro nobis* in ara cru-
Philipp. II, 8. cis, factus obediens Patri usque ad mor- C
Is. LIII, 7. tem. Oblatus est enim quia ipse voluit.
Joann. X, 14, 15. Unde apud Joannem loquitur : Ego sum
pastor bonus, et animam meam pono pro
ovibus meis. *Ut nos redimeret* sua pre-
tiosissima passione *ab omni iniquitate*
originali et actuali sive personali, *et mun-*
daret, id est, mundum efficeret, *sibi,* id
est ad gloriam suam, *populum* fidelem,
quem in Baptismo purgat ab omni pec-
cato, *acceptabilem,* id est sibi placentem
et gratum, *sectatorem bonorum operum,*
id est bona opera jugiter sequentem seu
operantem : hoc est, ideo Christus nos
redemit, ut mundaret nos in Baptismo, Tit. III, 5.
quatenus simus ei populus acceptabilis,
sectator justitiæ, etc.
Hæc quæ dixi de modo informandi et 15
gratia Christi, *loquere,* id est, populo præ-
dica, *et exhortare* eum ut informationi ac-
quiescat, et Christi beneficiis gratus sit;
et argue negligentes *cum omni imperio,*
id est in virtute obedientiæ et pontificali
auctoritate. Hoc dicit Apostolus, quoniam
Titus plus quam populo suo expediebat,
mollis fuit atque remissus, secundum Glos-
sam. *Nemo te contemnat,* quasi nobilior,
sapientior, senior, aut alio modo excel-
lentior quam tu. Christi enim vicarius es,
ideo amore et vice Christi es honorandus,
præsertim quum Christus dixerit : Qui Luc. X, 16.
vos spernit, me spernit.

ARTICULUS III

EXPLANATIO CAPITULI TERTII : ADMONE ILLOS PRINCIPIBUS ET POTESTATIBUS SUBDITOS ESSE.

1 ADMONE *illos,* id est Cretenses ti- D
bi subjectos, *principibus et potestati-*
bus subditos esse, id est spiritualibus et
temporalibus dominis, seu majoribus at-
Rom. XIII, 2. que minoribus præsidentibus obedire. Qui
enim potestati resistit, Dei ordinationi re-
sistit; et qui resistunt, damnationem sibi
acquirunt. *Dicto,* id est sermoni superi-
orum, *obedire; ad omne opus bonum* a
superioribus jussum *paratos esse.* In ma-
2 lis enim obediendum non est. *Neminem*
blasphemare propter adversa ab ipso ir-
rogata ; *non litigiosos esse, sed modestos,*
id est discretos et moderatos,* *ostendentes* * [omnem]
mansuetudinem, id est mititer se haben-
tes, *ad omnes homines.*
Eramus enim et nos aliquando, dum 3
non credebamus in Christum, *insipientes,*
id est sine notitia divinorum salubri, *et*
increduli, errantes per devia vitiorum Ps. CXVIII,
sicut ovis quæ periit. Unde scriptum est : 176.
Omnes nos quasi oves erravimus ; unus- Is. LIII, 6.

quisque in viam suam declinavit. *Servi-
entes, id est per modum servorum consen-
tientes, *desideriis et voluptatibus variis,* id
est carnalibus ac spiritualibus concupi-
scentiis atque deliciis ; *in malitia et in-
vidia agentes,* id est malitiose et invide
operantes ; *odibiles* Deo et Sanctis quan-
tum ad esse culpæ : juxta illud Sapientiæ,
Sap. XIV, 9. Odio sunt Deo impius et impietas ejus ;
Ps. V, 7. et in Psalmo, Odisti omnes qui operantur
iniquitatem ; *odientes invicem.*
4 *Quum autem benignitas et humanitas
apparuit Salvatoris nostri Dei :* id est,
Galat. IV, 4. hoc tempore gratiæ, quando advenit tem-
poris plenitudo in qua statuit Deus suc-
Luc. I, 70. currere mundo, sicut locutus est per os
sanctorum qui a sæculo sunt Propheta-
rum ejus, apparuit mundo per Christi vi-
sibilem ac corporalem præsentiam, vel
posterioribus, scilicet nobis, per fidem (de
Joann. XX, 29. quibus dictum est : Beati qui non vide-
runt et crediderunt), benignitas, id est
clementia, et humanitas a Verbo assum-
pta, Salvatoris nostri Dei, id est Christi,
qui est Deus et salvator noster. Hæc ap-
Baruch III, 38. paruerunt visibiliter, Christo in terris cum
Act. X, 38. hominibus conversante, quando circuivit
benefaciendo et sanando omnes oppressos
5 a diabolo. *Non ex operibus justitiæ quæ
fecimus nos,* id est non propter merita
nostra, quæ nulla fuerunt, quia prædictis
eramus peccatis obnoxii, *sed secundum
suam misericordiam salvos nos fecit* a
potestate diaboli et reatu æterni tormenti,
merito suæ conversationis et passionis,
per lavacrum regenerationis, id est per
Joann. III, 3. Baptismum, qui est lotio qua ex aqua
et Spiritu Sancto renascimur, *et renova-
tionis Spiritus Sancti,* id est per interi-
orem lotionem seu infusionem gratiæ Spi-
ritus Sancti, per quam anima spiritualiter
Ephes. IV, 23. renovatur, juxta illud : Renovamini spi-
Ps. CII, 5. ritu mentis vestræ ; et, Renovabitur ut
aquilæ juventus tua. Quæ etiam lotio in-
terior non solum confertur in Baptismo,
sed et in sacramento Pœnitentiæ et ceteris
sacramentis. Hæc ideo dicit Apostolus, quo-
niam licet Christus nos in cruce redemit

A sufficienter, oportet tamen ut meritum
suæ passionis nobis per sacramenta ap-
plicetur, et primo per Baptismum, qui
est janua sacramentorum.
Quem Spiritum Sanctum, id est cu- 6
jus dona et gratiam, *effudit* Deus Pater
in nos abunde, id est clementer et co-
piose in Baptismo et postea, *per Jesum
Christum Salvatorem nostrum,* id est me-
rito Christi, de cujus plenitudine omnes *Joann.* I, 16.
accepimus, per quem omnia dona gra-
tiæ derivantur ad nos ; *ut justificati,* id 7
B est a nostris injustitiis et peccatis abluti,
gratia ipsius, id est merito Christi, et
per infusionem gratiæ suæ, *heredes simus*
Dei, coheredesque Christi, id est filii ado- *Rom.* VIII, 17.
ptivi, *secundum spem vitæ æternæ,* id est
vitam æternam sperando ; vel, Heredes
simus vitæ æternæ secundum spem, id
est jam in spe, adepturi eam aliquando
in re.
Fidelis sermo est quem dixi, atque di- 8
cturus sum. *Et de his* jam dictis, videlicet
de gratia et beneficiis Christi, *volo te con-*
C *firmare,* id est, volo ut in cognitione et
dilectione istorum confirmeris a me, et
gregem tibi commissum prædicando con-
firmes, *ut curent bonis operibus præes-
se,* id est exemplariter se habere, vel in
virtutibus præcedere, vel non solum di-
gnitate et nomine, sed vita et moribus
præesse subjectis, *qui credunt Deo,* id est
fideles, præsertim in prælationibus con-
stituti. *Hæc* documenta *sunt bona,* id est
vera in se, *et utilia hominibus.*
Stultas autem, id est superfluas et in- 9
D fructuosas, *quæstiones, et genealogias,* id *I Tim.* I, 4.
est generationum enumerationes a Judæis
confictas, quæ non habentur in Scriptura
canonica : sicut quod Adam habuit duas
uxores, de quarum qualibet plurimos ge-
neravit ; *et contentiones* de observatione
legalium tempore novi Testamenti, *et pu-
gnas legis,* id est verbosas litigationes,
quæ oriuntur ex locis Scripturarum quæ
sibi contraria videntur, *devita. Sunt enim
inutiles et vanæ. Hæreticum hominem* 10
post unam et secundam correptionem, id

Matth. est, quum bis correptus fuerit, semel in A
xviii,15-17. privato, deinde in publico, et emendari
11 noluerit, *devita : sciens quia subversus,*
id est incorrigibiliter errans et perditus,
est, qui hujusmodi est, et delinquit, id
est peccat, [*quum sit*] *proprio judicio condemnatus,* id est propria electione et determinatione causam damnationis assumens,
quoniam falsitatem pertinaciter servat, veritatem repellens.
12 *Quum misero ad te Artemam aut Tychicum,* ut unus eorum pro te Cretensibus
præsit, ne populus Christi sit sicut oves B
sine pastore, *festina ad me venire Nicopolim. Ibi enim statui,* id est, in illa urbe
13 proposui, *hiemare. Zenam legisperitum,*
qui hujus professionis erat in synagoga,
et Apollo, qui non erat imperitior illo,
quamvis non vocetur legisperitus, quoniam hujus professionis non fuit: fuit autem
Act. xviii, in Scripturis potens ; *sollicite præmitte*
24. ad me, sic tamen *ut nihil* de victualibus et
14 necessariis *illis desit* in via. *Discant autem,* id est, per operationem scire studeant, *et nostri,* id est Christiani inter Cretenses, *bonis operibus præesse* sibi ipsis,
id est bene operando se ipsos gubernare,
ad usus necessarios, id est ad hoc ut
prædicatoribus Evangelii necessaria præbeant, *ut non sint infructuosi,* id est sine merito, eo quod non dent carnalia iis I *Cor.* ix, 11.
a quibus recipiunt spiritualia. Hoc dicit
Apostolus, ut ostendat Tito unde possit
Zenæ et Apollo de necessariis providere.
Tanquam dicat : A subditis tuis, quibus
et illi prædicaverunt, recipere debes.

Salutant te qui mecum sunt omnes fi- 15
deles, quos gratia brevitatis nominatim
non exprimo. *Saluta eos qui nos amant
in fide,* id est, eo quod fideles sumus ;
vel, In fide, id est fideli affectu, non ficte. *Gratia Dei* sit semper *cum omnibus
vobis,* id est tecum et cum adjutoribus ac
subditis tuis : qui omnes incessabiliter
indigetis gratia Creatoris, qui est super
omnia Deus sublimis et benedictus. *Amen.*

ENARRATIO
IN EPISTOLAM BEATI PAULI
AD PHILEMONEM

PROŒMIUM

QUI *pronus est ad misericordiam, benedicetur*. Prov. XXII, 9.

Volens ergo Apostolus ad misericordiam inclinare discipulum quemdam, virum magnum, civem Colossensem christianum, nomine Philemonem, qui non erat prædicator neque in sacris, sed fidelium sustentator, scribit ei præsentem epistolam a Roma de carcere, mittens eam per Onesimum acolythum, rogans pro reconciliatione Onesimi, qui fuit servus Philemonis prædicti, et aliquid de rebus domini sui subtraxit ac fugit, veniensque Romam ad Apostolum, ab eo conversus est. Misit ergo eum Apostolus ad dominum suum Philemonem cum præsenti epistola, in qua procedit more consueto.

ENARRATIO
IN EPISTOLAM BEATI PAULI
AD PHILEMONEM

ARTICULUS UNICUS

EXPOSITIO UNICI CAPITULI : PAULUS VINCTUS JESU CHRISTI, ETC.

1 PAULUS *vinctus Jesu Christi,* id est A
pro Christo Romæ ligatus ac incarce-
ratus. Non adjecit, Apostolus, quod est
nomen dignitatis, quoniam deprecatoriam
scribit epistolam, in qua humilitas con-
venientius suffragatur ad impetrandum
quod petitur. *Et Timotheus frater :* quem
sibi adjungit Apostolus, quoniam dilectus
fuerat Philemoni. Idcirco ejus nomine au-
dito, amplius movebatur ad exauditionem.
Scribunt vel mandant *Philemoni dilecto*
2 et *adjutori nostro* in opere Dei, *et Appiæ,*
conjugi ejus, *sorori* nostræ spirituali *ca-* B
rissimæ, et Archippo commilitoni nostro,
id est nobiscum pro Christo militanti atque
pugnanti contra adversarios veritatis. Hic
Archippus fuit filius Philemonis, Colos-
sensiumque episcopus, de quo ad Colos-
Coloss. iv, 17. senses dicitur : Archippo dicite, Vide mi-
nisterium tuum, etc. *Et ecclesiæ,* id est
congregationi fidelium, *quæ in domo tua*
est. Omnes hos nominat, ut orent Phile-
monem pro causa hac, videlicet ut igno-
3 scat Onesimo. *Gratia vobis et pax* detur,
augeatur et conservetur *a Deo Patre no-* C
stro, id est Patre æterno, *et Domino Jesu*
Joann. i, 3. *Christo,* Filio, per quem omnia efficit Pater.

Gratias ago Deo meo semper, id est om- 4
ni tempore opportuno, *memoriam tui,*
o Philemon, *faciens,* id est tui remini-
scens, *in orationibus meis,* quas fundo
pro te ceterisque fidelibus, *audiens* a nar- 5
rantibus *caritatem tuam et fidem quam*
habes in Domino Jesu, id est ad gloriam
ejus, vel virtute ipsius, vel in ipso sicut
in objecto, amando et credendo in eum,
et in omnes sanctos, id est, per opera bo-
na extendis ac manifestas caritatem tuam
et fidem in omnes Christianos tecum ex-
sistentes seu tibi occurrentes, quos dili-
gis, foves, eisque credis et fideliter sub-
venis; *ut communicatio fidei tuæ,* id est 6
operatio tua fidelis, sive largitio qua bona
tua ex fide communicas aliis, *evidens fiat,*
id est, Deo per approbationem innotescat,
in agnitione omnis boni, id est in notitia
mentis divinæ, cui omnia bona clarissi-
me illucescunt : evidens, inquam, fiat *in*
Christo Jesu, id est per Christum, cujus
auxilio ad hoc pervenitur. Vel, In agni-
tione omnis boni, id est in attestatione
omnium operum bonorum, qua Christus
in die judicii attestabitur operibus justo-
rum, dicendo : Nudus fui et cooperuistis Matth. xxv, 36.

me, etc. Ad hoc itaque bene agis, ut Chri- A
stus in die judicii opera tua approbet et
7 declaret justa fuisse. *Gaudium enim* spi-
rituale *magnum habui et consolationem*
in adversis meis, *in caritate tua,* id est
ex consideratione operum tuæ dilectionis.
Prov. x, 1. Sic quippe patrem suum filius sapiens læ-
tificat. *Quia viscera sanctorum,* id est in-
teriores affectus, et etiam interiora cor-
poris fidelium, dolore vel fame, aut simili
passione afflicti, *requieverunt per te, fra-
ter,* id est, a te refocillata consolataque
sunt, dum fideles pie recepisti ac susten- B
tasti.
8 *Propter quod,* videlicet quia tam cari-
tative te habes, ego *multam fiduciam ha-
bens in Christo Jesu,* id est per gratiam
Christi, vel secundum voluntatem ipsius,
imperandi tibi, quum sim apostolus, *quod
ad rem pertinet,* id est, quod tuam sa-
lutem concernit et petitione condignum
9 est ; *propter caritatem* nostram ad invi-
cem *magis obsecro* quod imperare vale-
bam, *quum sis talis ut Paulus, senex,* id
est, quum mihi sis similis vita et senio, C
nunc autem Paulus est *et vinctus Jesu
Christi,* id est pro Christo.
Consequenter forma petitionis inducitur.
10 *Obsecro te pro meo filio* spirituali, *quem
genui* quantum ad esse spirituale, perdu-
cendo eum ad fidem et gratiam, ego exsi-
stens *in vinculis* Romæ, ubi et eum ba-
11 ptizavi : filio, inquam, *Onesimo, qui tibi
aliquando inutilis fuit,* quando bona tua
subtraxit, *nunc autem* conversus a me,
tibi et mihi utilis est. Pro te enim orat,
12 et mihi ministrat. *Quem remisi tibi,* ut D
tibi reconcilietur et satisfaciat. *Tu autem
illum ut mea viscera,* id est filium meum
mihi intime cordialiterque dilectum, *sus-
13 cipe* pie et caritative. *Quem ego volueram*
quadam vice *mecum detinere, ut pro te,*
id est loco et vice tuæ personæ, *mihi
ministraret in vinculis Evangelii,* id est
mihi vincto propter Evangelii prædicatio-
14 nem. *Sine tuo autem consilio* prævio *nihil
volui facere* in hoc negotio voluntate per-
fecta, quamvis ante volueram eum deti-
nere, *uti non velut ex necessitate bonum
tuum esset,* id est, ut servitus quam One-
simus mihi pro te impenderet, non esset
tibi displicens atque molesta, *sed volun-
tarium,* id est, ex tuo consensu procede-
ret, sicque tibi meritoria fieret. Debes ergo
eum recipere.
Forsitan enim ideo, saltem per occasi- 15
onem et indirecte, *discessit ad horam,* id
est per tempus aliquantulum, *a te, ut æter-
num,* id est sine fine tibi sociandum, sci-
licet in præsenti et in futuro, *illum re-
ciperes.* Hæc fuit una causa fugæ ejus
indirecta, id est non intenta ab Onesimo;
sed Deus propter eam permisit eum dis-
cedere, sicut permisit Joseph vendi pro- *Gen.* XLV, 5; L, 20.
pter salutem multorum. *Jam non ut ser-* 16
vum ut ante, *sed pro servo,* qualis fuit,
carissimum fratrem in fide et caritate,
maxime mihi qui eum converti ; *quanto
autem magis tibi* carissimus esse debet, *et
in carne,* id est quia servus tuus, *et in
Domino,* id est propter gratiam Dei exsi-
stentem in eo ! Quanto enim tibi vicinior,
tanto et carior esse debet.
Si ergo habes me socium, id est, si ita 17
me diligis ut socium, *suscipe illum* affe-
ctuose et reverenter, *sicut me* susciperes,
si venirem ad te. *Si autem,* id est quia, 18
aliquid nocuit tibi, aut debet ad restitu-
tionem ablati, *hoc mihi imputa,* id est,
rationem et satisfactionem exige a me. Ego
pro illo me offero. Per hoc omnem excu-
sationem Philemoni aufert Apostolus. Et
ut certus sit Philemon de auctore præsen-
tis epistolæ, subditur : *Ego Paulus scripsi* 19
mea manu epistolam. *Ego reddam* pro
Onesimo debitum, vel spiritualem com-
pensationem, maxime si exegeris. Quod
ideo dico, *ut non dicam tibi,* quod tamen
veraciter dicere possem, videlicet *quod
et te ipsum mihi debes* ad serviendum et
obediendum, eo quod sis a me conversus
ad fidem : et ideo non indigeo te tantum
obsecrare pro causa hac, quia minus peto
quam debes. *Ita, frater,* id est, sic est ut 20
dico; vel, sic age ut postulo. Quod si fe-
ceris, *ego te fruar,* id est utar, *in Domi-*

no, id est, de tuo merito seu opere bono A gaudebo, et tibi congratulabor spiritualiter in Domino, in præsenti atque futuro. Quod ut impleatur, *refice,* id est, consolare et fove, *viscera mea,* id est filium meum Onesimum, vel, cordis mei affectum, *in Christo.*

21 *Confidens de obedientia tua, scripsi tibi, sciens,* id est confidenter præsumens et probabiliter æstimans, *quoniam et super id quod dico,* id est plus quam deprecor, *facies.* Hac blanda commendatione, quæ tamen veritati innititur, provocat B eum ad meliora. Fit enim frequenter, ut qui videt bene sentiri de se, meliorem
22 se præbeat. *Simul autem et para mihi hospitium,* id est, te ipsum para ad recipiendum me, ut inveniam te qualem desidero. (Quid enim necessarium fuit parare hospitium pauperi homini qui pane
I *Tim.* VI, 8. et aqua contentus erat?) *Nam spero per orationes vestras,* id est merito precum vestrarum, quas pro mei liberatione Domino jugiter funditis, *donari me vobis* a Deo, ita quod liberatus de carcere, revertar ad vos.

Salutat te, id est, salutem tibi dicit et 23
optat, *Epaphras* (qui erat Colossensis, sicut et Philemon), *concaptivus meus in Chri-*
sto Jesu, id est pro Christo, *Marcus* evan- 24
gelista, vel consobrinus Barnabæ, *Aristarchus, Demas.* In epistola ad Timotheum
dixit Apostolus Demam reversum ad sæ- II *Tim.* IV, 9.
culum. Si ergo ista epistola scripta fuit post illam, probatur Demas pœnituisse atque redisse ad Paulum, si tamen de eodem sit sermo. *Et Lucas* evangelista, mihi inseparabiliter fidelissimeque adhærens : qui licet ultimo nominetur, minor tamen non fuit. [*Adjutores mei.*]

Gratia Domini nostri Jesu Christi sit 25
cum spiritu vestro. Amen. In principio et in fine epistolæ loquitur Apostolus pluribus, in processu vero Philemoni dumtaxat, quia ad eum principaliter sermo dirigitur.

ENARRATIO
IN EPISTOLAM BEATI PAULI
AD HEBRÆOS

PROŒMIUM

LEX *a me exiet, et judicium meum in lucem populorum requiescet,* ait Dominus. Is. LI, 4.

Frequenter per Prophetas, præsertim per Isaiam, locutus est Deus de nova quadam lege danda per Christum, non uni dumtaxat nationi seu populo, sicut lex *Eccli.* XXIV, 33. Moysis data est solis Judæis per Moysen, sed omnibus gentibus. Propter quod per Isaiam Pater testatur de Christo : Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem *Is.* LV, 4. gentibus. Et in eodem ait Christus : Glorificatus sum in oculis Domini, et dixit ad *Ibid.* XLIX, 5, 6. me : Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et fæces Israel convertendas ; dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. De hujus novæ ac evangelicæ legis prædicatione prædictum est etiam ab Isaia : De Sion *Ibid.* II, 3. exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. Hujus legis perfectionem perpetuamque durationem, et sufficientiam seu efficaciam ad salvandum, itemque Mosaicæ legis imperfectionem, insufficientiam et cessationem, Christi quoque excellentiam secundum utramque suam naturam, declarat Apostolus in præsenti epistola. Cujus ratio fuit :

Judæi enim conversi, æmulationem legis suæ habentes, sed non secundum scien- *Rom.* X, 2. tiam, contendebant legalia simul cum Evangelio esse de necessitate servanda. Ex quo Nazaræorum hæresis emanavit : qui etiam quosdam gentilium conversos ad hunc induxerunt errorem. Paulus igitur ardentissimus fraternæ salutis zelator, utrisque consulere cupiens, hanc destinavit Hebræis epistolam, quam postea Lucas in Græcum transposuit. In qua multipliciter reprobat opinionem illam hæreticam, ostendens fidem et gratiam Christi cum observatione evangelicæ disciplinæ ad salutem sufficere, legalia vero non solum mortua, sed et mortifera esse post Evangelii divulgationem.

Porro, nonnulli opinati sunt epistolam hanc non esse Pauli, sed Lucæ, vel Clementis Papæ, Apostolorum discipuli, vel Barnabæ, vel Tertulliani, qui erat propinquus Apostolorum temporibus. Quorum motivum duplex fuit : primum, quoniam in aliarum epistolarum exordiis ponit Apostolus nomen suum, non autem in ista epistola ; secundum, quoniam stilus hujus epistolæ multo venustior est quam stilus ceterarum. Sed ad hæc facile est respondere. Apostolus quippe suspectus et odiosus erat Judæis, tan- *Act.* IX, 21, 26 ; XIII, 45, 50 ; XV, 1, 2. quam legis destructor : ideo nomen suum subticuit, ne eo audito vel lecto, abhorrerent epistolam, eamque legere aspernarentur. Ad secundum dicitur, mirum non esse si

Paulus in proprio idiomate, puta Hebræo, quo scripta est præsens epistola, eloquentior fuit quam in peregrino, videlicet Græco, quo ceteras scripsit. Nec obstat quod a Spiritu Sancto accepit donum linguarum. Accepit enim hoc donum quantum ad sufficientem prædicandi facultatem, non eloquentiæ venustatem, ne fides putaretur humanæ inniti facundiæ. Denique gratia perficit naturam secundum suam dispositionem et capacitatem : ideo non est mirandum quod per gratiam doni linguarum potentior fuit in lingua propria quam aliena. Firmiter ergo tenendum est, hanc esse Pauli epistolam, maxime propter determinationem Ecclesiæ; et etiam quia B. Dionysius in suis libris passim allegat scripturam hujus epistolæ, Paulo magistro suo eam adscribens.

ENARRATIO
IN EPISTOLAM BEATI PAULI
AD HEBRÆOS

ARTICULUS PRIMUS

EXPOSITIO CAPITULI PRIMI : MULTIFARIE MULTISQUE MODIS, ETC.

POSTQUAM ergo Apostolus Ecclesiam
Latinorum, puta Romanos, Ecclesiam
quoque Græcorum, videlicet Corinthios,
Galatas, Thessalonicenses, etc., scripto edo-
cuit, novissime Ecclesiam Hebræorum per
epistolam instruit; ostendensque Christi
excellentiam, et novi Testamenti præ ve-
1 teri dignitatem, ita exorsus est : *Multi-
farie,* id est frequenter repetitisque vici-
bus, seu diversis sermonibus, figurativis,
obscuris et mysticis, *multisque modis,* id
est distinctis visionum generibus seu va-
riis modis loquendi, videlicet : interdum
per visionem imaginariam, quemadmodum
Is. vi, 1. Isaias vidit Dominum sedentem super so-
Jer. i, 13, 11. lium excelsum, et Jeremias vidit ollam
succensam et virgam vigilantem ; inter-
Dan. viii, 16, 17; ix, 21. dum per visionem exteriorem, sicut Da-
niel vidit Gabrielem, et Jacob angelum
Gen. xxxii, 24-30. secum luctantem; interdum per inspira-
tionem anagogicam seu pure intellectua-
II *Reg.* xxiii, 2, 3. lem, ut in David ; quandoque in somno,
quandoque in vigilia; *olim,* id est præ-
teritis diuque elapsis temporibus, *Deus
loquens patribus,* id est præcessoribus no-
stris, Patriarchis, et ceteris bonis homini-
Luc. i, 55. bus : de quibus ait Virgo benedicta, Sicut

A locutus est ad patres nostros, Abraham et
semini ejus; *in Prophetis,* id est per Pro-
phetas, quibus per angelos loquebatur.
Sed et inferioribus angelis loquitur per
superiores. Unde apud Lucam habetur :
Sicut locutus est per os sanctorum, qui *Luc.* i, 70.
a sæculo sunt, Prophetarum ejus. Hinc
quoque per Prophetam Dominus loquitur:
Ego visiones multiplicavi, et in manibus *Osee* xii, 10.
Prophetarum assimilatus sum.

Novissime, id est in hac ultima mundi
ætate (de qua dicit Joannes, Carissimi, no- I *Joann.* ii, 18.
B vissima hora est) : nos enim sumus in I *Cor.* x, 11.
quos fines sæculorum devenerunt; *diebus* 2
istis, id est tempore gratiæ. Unde scri-
ptum est : Erit in novissimis diebus præ- *Is.* ii, 2.
paratus mons domus Domini. *Locutus est
nobis in Filio,* id est per Unigenitum su-
um incarnatum, qui in Evangelio asserit :
Mea doctrina non est mea, sed ejus qui *Joann.* vii, 16.
misit me; rursusque, Verba quæ ego lo- *Ibid.* xiv, 10.
quor, a me ipso non loquor. *Quem consti-
tuit* Deus Pater *heredem universorum,* id
est possessorem ac Dominum omnium re-
C rum creatarum, loquendo de Christo se-
cundum naturam assumptam : sic enim I *Cor.* xv, 26; *Ephes.*
constitutus est omnium Dominus. Nam eo i, 21, 22.

ipso, quo Christi humanitas a Verbo as- A
sumpta est ad esse increatum, convenit
ei, toti creaturæ præferri ac dominari.
Matth. Propter quod ipse ait : Data est mihi om-
xxviii, 18. nis potestas in cœlo et in terra; et ite-
Joann. iii, rum, Pater diligit Filium, et omnia dedit
35. in manu ejus. Hoc et in Psalmo cantatur :
Ps. ii, 8. Postula a me, et dabo tibi gentes heredi-
tatem tuam. *Per quem fecit et sæcula*, id
Joann. i, 3. est temporalia omnia. Omnia enim per ip-
sum facta sunt, et sine ipso factum est
nihil. Hoc convenit Christo secundum di-
vinam naturam. Non enim per Filium facta B
sunt quasi per ministrum vel instrumen-
tum, sed sicut per principalem agentem,
qui cum Patre idem est factor, quemad-
Ibid. v, 19. modum ipse affirmat : Quæcumque facit
Pater, hæc et Filius similiter facit. Hoc
tamen quod dicitur, Per ipsum, proprie
spectat ad Filium, cui convenit causalitas
causæ exemplaris, quum sit exemplar om-
nium rerum et ars rationibus plena.
3 *Qui quum sit splendor gloriæ*, id est
radius sapientiæ Patris ingenitæ, seu can-
Sap. vii, 26. dor lucis æternæ, et fulgor majestatis pa- C
ternæ, in quo plene resplendet tota per-
fectio Patris. Est namque Filius, mentis
paternæ verbum æternum, intelligibilis di-
ctio, et sapientiæ ejus plena expressio.
Dicitur ergo Filius splendor gloriæ seu ex-
Joann. x, cellentiæ Dei Patris, quoniam quidquid
30; xvi, 15. Patris est, splendet ac lucet in Filio. Et
in hoc insinuatur coæternitas Filii cum
Patre. Splendor enim est igni seu soli co-
ævus : et si sol ab æterno fuisset, splen-
dor fuisset ei consempiternus. *Et figura*,
id est imago vel character (in Græco quip- D
pe habetur, χαρακτήρ), *substantiæ ejus*, id
est ipsius Patris, qui est substantia seu
divina essentia. Græci vero utuntur no-
mine substantiæ indifferenter pro essen-
tia et persona. Dicit autem Apostolus, Fi-
gura, quamvis figura proprie locum non
habeat nisi in corporalibus rebus. Per fi-
guram enim res maxime cognoscitur, et
in ea similitudo attenditur unius cum
alio. Quoniam ergo Filius Patri per omnia
similis, imo simillimus est, non distinctus

ab eo, nisi quia ab eo, et Patrem repræ-
sentat, eumque notificavit in tantum ut
ipse dixerit, Qui videt me, videt et Pa- Joann. xiv,
trem ; idcirco Filius appellatur figura sub- 9.
stantiæ Patris : in quo designatur consub-
stantialitas Patris et Filii. Filius equidem
est imago naturalis et essentialis, non imi-
tativa et artificialis, Dei Patris, quemad-
modum filius regis est imago patris re-
gnantis. In tali autem imagine invenitur
natura ejus cujus est imago. Quum ergo
divina essentia sit simplex ac indivisibi-
lis, constat quod eadem numero sit in
Patre ac Filio. Propter quod ait : Ego et Ibid. x, 30.
Pater unum sumus; et, Quæcumque ha- Ibid. xvi,
bet Pater, mea sunt. *Portansque* Filius, id 15.
est sustentans, conservans et moderans,
omnia creata, visibilia et invisibilia, *ver-
bo virtutis suæ*, id est suæ potestatis im-
perio seu influxu. Quemadmodum enim
omnia per ipsum facta sunt, sic sine ejus Ibid. i, 3.
continua conservatione redigerentur in ni-
hilum : quia plus dependet creatura a Cre-
atore, quam radius a sole. In hoc autem
notatur æqualitas Filii cum Patre in po-
testate, quæ etiam una et eadem est in
tribus Personis.

Denique, his quæ dicta sunt de simili-
tudine Filii cum Patre, consonat quod de
increata et ingenita Sapientia scribitur in
libro Sapientiæ : Vapor est virtutis Dei, et Sap. vii, 25,
emanatio quædam claritatis omnipotentis 26.
Dei sincera; candor est enim lucis æter-
næ, et speculum sine macula Dei maje-
statis, et imago bonitatis illius. De sempi-
ternitate vero Filius ait per Sapientem :
Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita Eccli. xxiv,
ante omnem creaturam. — Sed objici po- 5.
test : Quum Filius sit Verbum Patris, si
Filius omnia portat verbo virtutis suæ,
ergo Verbi est Verbum. Et respondendum,
quod Verbum in tali locutione æquivoce
sumitur. Verbi autem non est Verbum,
sumendo Verbum univoce. Quum vero di-
citur, Portans omnia verbo virtutis suæ,
accipitur verbum pro imperio, sicut in
Psalmo, ubi dicitur : Ignis, grando, nix, Ps. cxlviii,
glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt 8.

Ps. cxlvii, 18. verbum ejus; et alibi, Emittet verbum suum, et liquefaciet ea.

Purgationem peccatorum faciens, id est peccatores emundans, seu peccata originalia et actualia merito suæ sanctissimæ passionis delens, juxta illud propheticum: *Is.* liii, 5. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera *Joann* i, 29. nostra. Et Joannes ait: Ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi. *Sedet* in throno *Act.* x, 42. gloriæ, id est, tanquam omnium judex ac Dominus quiescit et residet, *ad dexteram majestatis,* id est ad æqualitatem summi et gloriosi Dei Patris, secundum suam deitatem. Sic enim æqualis est Patri: imo Patris et Filii est una majestas ac dignitas. Si vero referatur ad Christum secundum assumptam humanitatem, tunc dicitur sedere ad dexteram majestatis paternæ, id est in potioribus bonis Dei Patris, quibus et copiosissime fruitur. *In excelsis,* id est in cœlestibus, scilicet in cœlo empyreo, loco et dignitate omnibus altior. Unde ipse *Apoc.* iii, 21. ait: Ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus. Hæc autem sessio Christi non opponitur stationi. Ideo interdum dicitur *Act.* vii, 55. stare, prout Stephanus dicebat: Video cœlos apertos, et Filium hominis stantem a *Is.* iii, 13. dextris virtutis Dei; et Isaias, Stat ad judicandum Dominus. Stat enim, quasi paratus ad operandum; sedet vero, tanquam stabiliter permanens ubi est.

4 *Tanto melior,* id est per gratiam unionis et habitualem dignior, *angelis effectus* secundum humanam naturam, secundum *Joann.* iii, 34. quam accepit gratiam Spiritus Sancti non ad mensuram: angeli vero ad mensuram sortiti sunt eam; *quanto differentius,* id est sublimiori modo; vel, Differentius, id est excellentius, *præ illis nomen hereditavit,* id est, jure æterno a Patre accepit, firmiterque possedit. De quo nomine Phi- *Philipp.* ii, 9. lippensibus dictum est supra: Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen, videlicet, ut ille homo vocetur verus Deus, atque unigenitus Dei Filius, non per adoptionem, sed per naturam, quemadmodum ait Scriptura: Simus in vero Filio ejus Jesu Christo: hic est verus Deus et vita æterna. *I Joann.* v, 20. Tale autem nomen non competit angelis. Verumtamen in Psalmo dicitur Christus paulo minus *Ps.* viii, 6. minoratus ab angelis. Sed hoc intelligitur de Christo quantum ad assumptæ naturæ passibilitatem et mortem ac sepulturam. In resurrectione vero ac ascensione præ angelis glorificatus est, etiam in humana natura. Sciendum vero, quod Christus in quantum homo, a primo instanti suæ conceptionis in Virgine, absolute loquendo, prælatus est angelis, et omnium creatu- *I Cor.* xv, 26; *Ephes.* i, 21, 22. rarum Dominus constitutus, propter personalem cum Verbo unionem et gratiæ plenitudinem singularem. Sed ista prælatio post resurrectionem manifestata est. Unde et Christus dixit: Pater, clarifica *Joann.* xvii, 1. Filium tuum. Porro humanitas Christi, quum sit ejusdem speciei cum aliis, non est melior natura angelica, secundum sua essentialia; sed per dona gratiæ melior ea effecta est. Hanc excellentiam Christi consequenter probat Apostolus.

Cui enim dixit Pater *aliquando* (ab exordio creationis) *angelorum?* quasi dicat, 5
Nulli angelo unquam dixit Pater quod subditur: *Filius meus es tu, ego hodie,* *Ps.* ii, 7. id est in æternitate, in qua semper est hodie, id est instans invariabile, non habens præteritum vel futurum, *genui te* generatione vera ac intellectuali, id est, de mea substantia produxi te, communicando tibi essentiam meam. Hoc certum est dici non posse de aliquo angelo. Nam licet angeli appellentur filii Dei, non ta- *Job* xxxviii, 7. men sunt filii ejusdem naturæ cum Creatore; nec proprie geniti sunt, sed creati; non hodie, sed in exordio mundi. Dicit ergo Pater ad Filium, Genui, per modum præteriti, ne generatio ejus nova vel modo inchoata putetur. Dicit quoque, Hodie, ne præterita æstimetur. Ut ergo generatio Filii agnoscatur invariabilis et æterna, dicit, Hodie genui, copulando præsens præterito. In æternitate quippe nihil præteritum est, quasi desierit; nihil futurum, quasi nondum sit: sed quidquid æternum

est, semper est. Hanc auctoritatem sum- A
psit Apostolus ex Psalmo, quem ad litte-
ram scriptum esse de Christo frequenter
Act. XIII, 33. testatur liber Actuum Apostolorum. Idcir-
co recentiores Judæorum doctores, qui
psalmum illum ad litteram exponunt de
David, plurimum errant, et ab antiquis
Hebræorum doctoribus discrepant.

Consequenter inducit Apostolus aliud
testimonium ad idem probandum. *Et rur-
sus* Deus Pater ait : *Ego ero illi in pa-
trem,* id est, Pater Christi ero, quia æter-
naliter Pater ipsius sum. Æternitas autem B
omnem temporis differentiam comprehen-
dit : ideo per quodlibet tempus designa-
tur. Simili modo ait Salvator de Spiritu
Joann. XVI, 13. Sancto : Quæcumque audiet, loquetur ; et,
Ibid. 14. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.
Si autem intelligatur dictum per modum
præteriti, referendum est ad tempus in-
carnationis et manifestationis Christi. Nam
qui æternaliter Pater Christi fuit, secun-
dum quod Deus, futurus fuit Pater Christi
hominis de Virgine tunc nascituri, jam
nati : et hoc ipsum manifestatum est mun- C
do post adventum Spiritus Sancti per præ-
dicationem Apostolorum. *Et ipse erit mihi
in filium,* id est, Filius meus erit atque
Luc. I, 32. vocabitur, prout prædixerat angelus : Hic
erit magnus, et Filius Altissimi vocabi-
tur. Unde Christo baptizato, et transfigu-
Matth. III, 17 ; XVII, 5. rato, vox Patris audita est, dicens : Hic
est Filius meus dilectus, in quo mihi com-
placui. Ideo Archiapostolus in secunda sua
II *Petr.* I, 17. Canonica : Accepit (inquit) a Deo Patre
honorem et gloriam, voce ad eum dela-
psa hujuscemodi a magnifica gloria : Hic D
est Filius meus, etc. — Secundum Glos-
sam (et est glossa Chrysostomi), hoc te-
stimonium Apostoli nunc allegatum, ex
Is. XLII, 1. Isaia assumptum est : quod tamen nostra
non habet translatio, quantum ad formam
verborum. Sed quantum ad sensum, di-
cere possumus quod sumptum sit ex eo
quod ibi habetur secundum allegationem
Matth. XII, 18. Matthæi evangelistæ : Ecce puer meus ele-
ctus quem elegi, etc. Probabilius vero ap-
paret, quod sumptum sit ex secundo Re-
gum et primo Paralipomenon, ubi hæc II *Reg.* VII, 14 ; I *Par.* XXII, 10.
verba in propria forma continentur. Sed
tunc dubitatio oritur, quomodo efficax sit
probatio Apostoli ex verbis prædictis, quæ
ad litteram de Salomone prædicta sunt,
qui et vocatus est Amabilis Domino, ut II *Reg.* XII, 25.
patet intuenti seriem textus illius. Pro-
batio autem fidei per auctoritatem Scri-
pturæ, non valet nisi ex sensu litterali,
secundum Augustinum in locis diversis.
Et respondendum, quod verba hæc dicta
sunt de Salomone in quantum erat figura
Christi : ideo principaliter intelliguntur
de Christo.

Insuper ponit Apostolus aliam auctori-
tatem ad idem, videlicet quod Christus
major sit angelis. *Et quum iterum intro-* 6
ducit, id est, quum Deus Pater introdu-
cendum seu adventurum rursus in Psalmo
prænuntiat, *primogenitum* suum, id est
Filium suum ante omnia genitum (qui in
Proverbiis testatur : Dominus possedit me *Prov.* VIII, 22.
in initio viarum suarum, antequam quid-
quam faceret a principio), *in orbem terræ,*
dicit per Prophetam in Psalmo : *Et ado-* *Ps.* XCVI, 7.
rent eum, videlicet Filium, *omnes angeli
Dei.* Adoratio autem non convenit nisi
Deo. Hac ergo auctoritate ostenditur Chri-
stus verus Deus, quem Deus Pater vult
ab angelis adorari. Quoniam vero Aposto-
lus dicit, Et quum iterum introducit, etc.,
quidam volunt solum de secundo Christi
adventu hanc scripturam intelligi ; sed
hoc non est necessarium : Primo, quo-
niam sensus est, Quum iterum introducit,
id est, rursus introducendum prænuntiat :
hoc enim frequenter prædixit. Secundo :
nam ante adventum Christi in carnem,
seu ante incarnationem introductus fuit
in orbem terræ, id est in corda hominum
per invisibilem missionem seu spiritua-
lem adventum, ideo in sua incarnatione
iterum introductus asseritur.

Et ad angelos quidem dicit, id est, de 7
conditione et exsistentia angelorum Do-
minus loquitur per Prophetam in Psal-
mo : *Qui* Deus Pater, seu Filius secundum *Ps.* CIII, 4.
quod Deus, *facit angelos suos spiritus,* id

est, spirituales et intellectuales substan-
tias facit suos legatos, dum eos ad aliqua
nuntianda seu operanda emittit. Angelus
enim est nomen officii, spiritus nomen
naturæ : quemadmodum miles est nomen
officii, homo nomen naturæ. Quemadmo-
dum ergo homo fit miles, non econtrario ;
sic Deus spirituales illas substantias, quæ
ex creatione sunt spiritus, efficit ange-
los, id est nuntios, injungendo eis obse-
quium. *Et ministros suos flammam ignis,*
id est, angelos de ordine Seraphim, qui
ob divini amoris fervorem flamma ignis
ignisque urens vocantur, facit Deus mi-
nistros suos, ita quod ipsi quoque mini-
stri sunt, non filii per naturam, nec veri
dii. Vel per flammam ignis omnes angeli
designantur, propter suæ naturæ agilita-
tem, suique motus velocitatem, et quia
divinæ caritatis calore succensi sunt. De
Dan. VII, 9. quibus exponi potest illud Danielis : Thro-
nus ejus, videlicet Dei, flammæ ignis ;
rotæ ejus, ignis accensus.

Porro quod dictum est, Adorent eum,
Ps. XCVI, 7. etc., nostra translatio sic habet : Adorate
eum, omnes angeli ejus. Similiter quod
subditur, Qui facit angelos suos, etc., sic
Ps. CIII, 4. continet : Qui facis angelos tuos spiritus,
et ministros tuos ignem urentem. Christus
enim atque Apostoli sæpe allegant Scri-
pturas potius quantum ad sensum, quam
secundum formam verborum.

8 *Ad Filium autem* Dominus ait per Pro-
Ps. XLIV, 7. phetam : *Thronus tuus,* id est regia di-
gnitas, judiciaria potestas, et sedes qua
resides ad dexteram Patris, o *Deus* Fili,
in sæculum sæculi, id est, æternaliter per-
manet. Hoc de Christo secundum utram-
que naturam intelligi potest. Nam Pater
Joann. V, 22, 27; I Cor. XV, 26; Ps. VIII, 8. omne judicium dedit Filio, deditque ei
potestatem et judicium facere, quia Filius
hominis est, et omnia ei subjecit. Secun-
dum divinitatem vero, convenit Christo
judiciaria potestas et regia dignitas per
auctoritatem, quamvis receperit ea a Pa-
tre : imo una numero est potestas digni-
tasque amborum. *Et virga æquitatis,* id
est regula justa et æqua disciplina, est

A *virga regni tui,* id est gubernatio et di-
sciplina qua Ecclesiam regis et instruis,
malosque percutis et justos exaltas. Potest
quoque per virgam hanc accipi doctrina
et lex christiana, per quam regnum Chri-
sti, id est Ecclesia militans, regitur, edo-
cetur, atque corrigitur. De hac virga ait
Psalmista : Reges eos in virga ferrea ; Ps. II, 9.
et Isaias, Percutiet (inquit) terram virga Is. XI, 4.
oris sui.

Dilexisti justitiam, id est omnem vir- 9
tutem et omne bonum : justitia enim est Ps. XLIV, 8.
B omnis virtus ; *et odisti iniquitatem. Pro-
pterea,* id est merito hujus, videlicet quo-
niam sic fecisti, *unxit te,* o Christe, *Deus*
omnium, qui est *Deus tuus* specialiter se-
cundum quod homo es. Tamen secundum
Augustinum, in Græco est manifesta di-
stinctio casuum, ut primum quod dicitur,
Deus, sit vocativi casus, aliud nominati-
vi. Eritque sensus : Propterea unxit te,
o Deus Fili, Deus tuus, id est Deus Pater.
Unxit itaque te secundum humanam na-
turam, *oleo exsultationis,* id est præmio
C accidentali, videlicet corporis glorificati-
one, ascensione, et plena lætitia partis
sensitivæ, quæ usque ad horam mortis
tuæ passibilis fuit, *præ participibus tuis,*
id est præ cunctis electis, qui membra
tua sunt, et de plenitudine tua accipiunt, Joann. I, 16.
vel una tecum a supersancta Trinitate gra-
tiam et gloriam sortiuntur. Vel sic : Pro-
pterea, id est, ut justitiam diligeres, et
iniquitatem odires, unxit te, Deus, Deus
tuus, oleo exsultationis, id est lenitate ac
plenitudine gratiæ animam exhilarantis, in
D sacerdotem, pontificem, regem, prophe-
tam, ac pugilem. Unde per Isaiam Chri-
stus testatur : Spiritus Domini super me, Is. LXI, 1.
eo quod unxerit me.

Consequenter probat Apostolus Filium
Patri coæternum. *Et : Tu in principio* 10
temporis, id est simul cum tempore, *Do-* Ps. CI, 26.
mine Fili ; vel, Tu, Domine Pater, in prin-
cipio, id est in Filio, seu per Filium, per
quem omnia agis (qui ait : Ego princi- Joann. VIII, 25.
pium, qui et loquor vobis) ; *terram fun-
dasti,* id est creasti et firmiter collocasti

in medio universi ; *et opera manuum tu-*
arum sunt cœli omnes. Manus autem Dei,
dicuntur intellectus ejus practicus et vo-
11 luntas, quibus omnia producuntur. *Ipsi,*
id est cœli, *peribunt,* quantum ad esse
accidentale, non quantum ad substantiam.
Motus namque et influentia et qualitas
eorum cessabunt. *Tu autem permanebis,*
id est, incommutabiliter in te ipso sub-
Jacob. I, 17. sistes : apud quem non est permutatio,
nec vicissitudinis obumbratio ; qui asse-
Malach. III, 6. ris, Ego Dominus, et non mutor. *Et omnes*
cœli *ut vestimentum veterascent,* quan-
tum ad modum essendi quem nunc ha-
I *Cor.* VII, 31. bent. Præterit quippe figura hujus mundi.
Matth. XXIV, 35. Et Christus in Evangelio : Cœlum, ait, et
terra transibunt. *Et velut amictum,* id est
12 vestem, *mutabis eos,* id est, a solito cur-
su et influxu cessare facies, *et mutabun-*
tur a pristina qualitate, atque in melius
commutabuntur : quemadmodum dictum
In Rom. VIII, 22. est plenius ad Romanos. Unde in Apoca-
Apoc. XXI, 1. lypsi habetur : Vidi cœlum novum et ter-
ram novam ; primum enim cœlum et pri-
ma terra abiit. Et per Isaiam Dominus :
Is. LXV, 17. Ecce, inquit, ego creo cœlos novos et
terram novam, et non erunt in memoria
priora. *Tu autem idem ipse es,* id est, pe-
nitus incommutabilis es, *et anni tui non*
deficient, id est, æternitas tua omne tem-
pus comprehendens, et tuum esse men-
surans, non finietur.

Rursus auctoritate Psalmistæ probatur
13 excellentia Christi præ angelis. *Ad quem*
autem angelorum dixit Deus Pater *ali-*
Ps. CIX, 1. *quando, Sede a dextris meis* (secundum
sensum jam explicatum), *quoadusque po-*
nam inimicos tuos scabellum pedum tuo-
rum, id est, plene eos tibi subjiciam ? tan-
quam dicat : Nulli angelorum dictum est
hoc, quod tamen Pater ait ad Filium : cui
dixit Pater in ascensione, ut sedeat secum
usque ad diem judicii, in quo omnes ini-
mici Christi, videlicet reprobi, Christo per-
fectissime subjicientur quantum ad suæ
dominationis exsecutionem, quamvis et
nunc ei subjecti sint quantum ad suæ
potestatis auctoritatem. Per hoc autem
quod dicitur, Quoadusque, vel, Donec, non
datur intelligi quod postea non sedebit.
Nonne omnes angeli *sunt administratorii* 14
spiritus, id est divino imperio servien-
tes, *in ministerium,* id est ad obsequium
seu adjutorium electorum, *missi* a Deo,
missione interiori vel exteriori, *propter*
eos, id est eorum profectum, *qui heredi-*
tatem capiunt salutis, id est, cœlestem
atque beatam hereditatem patriæ, scilicet
beatificam Dei visionem, adipiscuntur ?

Quæri hic potest, an omnes angeli foras mittantur. Et videtur quod sic, auctoritate Apostoli loco præsenti ; item ex eo quod ab Isaia dicitur, Volavit ad me unus de Seraphim. [*Is.* VI, 6.] Multi quoque Sanctorum videntur hoc dicere. Hanc quæstionem Gregorius non præsumit nec audet determinare. Quidam vero dixerunt, quod secundum communem legem, et ut plurimum atque ex proprio officio, soli inferiores mittuntur ad extra. Superiores tamen interdum ex speciali ratione et divina dispensatione mittuntur.

Sed hanc responsionem improbat S. Thomas in prima parte. Nam ordo angelorum attenditur secundum dona gratiarum. Ordo autem gratiæ summus est : idcirco non habet ordinem superiorem propter quem omittatur : quemadmodum ordo naturæ prætermittitur propter ordinem gratiæ, quatenus gratia declaretur, seu fides confirmetur, ut patet in suscitatione defuncti. Ad fidei autem confirmationem non proficeret omissio gratiæ, quum non percipiatur a nobis. Denique, nullum ministerium adeo magnum est, quod per inferiores expleri non valeat, quia secundum Gregorium, archangeli appellantur, qui summa annuntiant. Insuper, nulla persona viatoris præstantior est Maria, nullum quoque ministerium majus est annuntiatione Filii Dei : et tamen ad beatissimam Virginem pro hoc summo negotio missus est angelus Gabriel, qui est de secundo [*Luc.* I, 26.] ordine infimæ hierarchiæ. Ex his concludit sanctus Doctor, quod angeli superiores nunquam ad exterius ministerium desti-

nentur. Et hoc verius reor, præsertim propter hoc quoniam dictis divini Dionysii potius consonat. Dicit quoque B. Dionysius quod angelus missus ad Isaiam, non erat de ordine Seraphim, sed unus de inferioribus. Dicitur vero unus de Seraphim, vel quoniam missus ab uno de ordine Seraphim, vel ratione sui effectus, quia labia Prophetæ incendendo purgavit. (*Is.* vi, 6.)

Dicit etiam Thomas, quod sicut divinis Personis, videlicet Filio et Spiritui Sancto, attribuitur duplex missio, utpute invisibilis, propter gratiæ infusionem, atque visibilis, propter creaturam corporalem assumptam vel manifestatam, sic angelis convenit duplex missio, scilicet : interior, secundum operationes intellectuales, prout unus illuminat alium. Sicque superiores mittuntur, medios et inferiores illustrando, et ad exteriora officia dirigendo ordine hierarchico. Alia est eorum exterior missio, secundum actus transeuntes circa corpoream creaturam. Sic soli inferiores mittuntur. Omnes ergo sunt administratorii spiritus, in ministerium missi missione interiori vel exteriori. Quatuor autem superiores ordines non mittuntur ad extra, secundum Thomam, sed quandoque inferiores, videlicet Angeli, Archangeli, Principatus, Potestates, Virtutes.

ARTICULUS II

EXPLANATIO CAPITULI SECUNDI : PROPTEREA ABUNDANTIUS OPORTET OBSERVARE NOS, ETC.

DECLARATA excellentia Christi, consequenter ostenditur cum quanta diligentia observanda sit doctrina et lex tan-
1 ti magistri. *Propterea,* id est, quum tanta
sit dignitas Christi legislatoris nostri, *abundantius,* id est multum reverenter et timorate, vel copiosius atque perfectius quam a Judæis observata fuit lex Moysis, *oportet,* id est, ad salutem necessarium est, *observare nos,* sæpius recolendo et fortiter adimplendo, *ea quæ audivimus* a Christo mediate vel immediate, qui et quotidie loquitur nobis per Evangelium, *ne forte pereffluamus,* id est, penitus pereamus et in æternum damnemur. Fluimus quippe per peccata venialia et mortalis naturæ quotidiana tormenta, sicut Job ait : Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis, et nunquam in eodem statu permanet. (*Job* xiv, 1, 2.) Propter quod ait Scriptura : Omnes morimur et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur. (II *Reg.* xiv, 14.) Effluimus autem per peccata mortalia ; sed pereffluimus, id est, perfecte effluimus, incidendo æterna cruciamenta.

Quod ergo tam diligenter servanda sint verba Christi, probat Apostolus per locum
a minori. *Si enim qui per angelos dictus* 2
est sermo, id est, quia doctrina Dei, ministerio angelorum tradita Moysi : prout Stephanus dixit, Accepistis legem in dispositione angelorum (*Act.* vii, 53.); *factus est firmus,* id est, rate severeque injuncta ac firmiter servata est, et multipliciter confirmata miraculis, minis, pœnis, atque promissis (*Marc.* xvi, 20.); *et omnis prævaricatio,* id est legis transgressio, mala committendo, *et inobedientia,* id est incustodia præceptorum, bona omittendo : quorum primum est contra præcepta negativa, secundum contra præcepta affirmativa; *accepit justam mercedis retributionem,* id est debitam pœnam, tempore veteris Testamenti in populo Judæorum, quemadmodum Moyses scripsit : Pro mensura peccati erit et plagarum modus. (*Deut.* xxv, 2.)
Quum ergo sit ita, *quomodo nos* Christiani 3
effugiemus ultionem divinæ justitiæ, *si*

tantam neglexerimus salutem, id est, tam salutarem Christi doctrinam, tam copiosam ejus gratiam, tantam beatitudinem nobis ab eo promissam parvi penderimus et obliti fuerimus? *Quæ* salus *quum initium accepisset enarrari per Dominum*, id est, quum a Christo cœpta est prædicari, *ab eis qui audierunt*, id est ab ore Apostolorum, qui cum Christo corporaliter conversati sunt, ejusque sermonibus interfuerunt : quibus et dictum est, Vobis datum est nosse mysterium regni Dei; et, Beati oculi qui vident quæ vos videtis; *in nos confirmata est*, id est, nobis firmiter annuntiata atque ingesta est. Hoc dicit Apostolus in persona fidelium, non sui : ipse enim a Christo immediate edoctus fuit in raptu. Unde ad Galatas loquitur : Mihi qui videbantur esse aliquid (videlicet Petrus, Jacobus et Joannes), nihil contulerunt.

Marc. IV, 11. *Luc.* X, 23. — II *Cor.* XII, 4. — *Galat.* II, 6.

Confirmata est ergo hæc salus in nos,
4 *contestante*, id est prædicationi Apostolorum testimonium perhibente, *Deo*, qui neminem fallit, *signis*, id est per minora miracula, quæ quantum ad substantiam facti, fieri possunt per naturam, non tamen quoad modum fiendi, sicut est quarumdam infirmitatum depulsio, quæ fieri potest a medicis, *et portentis*, id est per majora miracula, quæ sunt omnino supra naturam, ut est suscitatio mortui, *et variis virtutibus*, id est potentissimis Dei effectibus, quæ non solum naturalem cursum, sed etiam rationem humanam excedunt, ut est penetratio dimensionum; vel, variis virtutibus, id est habitibus virtuosis atque infusis, videlicet fide, spe, caritate, donisque Spiritus Sancti; *et Spiritus Sancti distributionibus*, id est gratiis gratis datis a Spiritu, de quibus dictum Corinthiis jam est : Alii datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii genera linguarum, alii discretio spirituum : quæ primo datæ sunt sanctis Apostolis in die Pentecostes, et per eos datæ sunt aliis multis, ut legitur in Actibus Apostolorum. Quæ omnia facta et data sunt *secundum suam voluntatem*, id est ex beneplacito Dei, qui omnia operatur secundum propositum voluntatis suæ, non secundum merita hominum. Alioqui gratia jam non esset gratia.

I *Cor.* XII, 8, 10. — *Act.* II, 1-4; VIII, 17; X, 44; XIX, 6. — *Ephes.* I, 11. — *Rom.* XI, 6.

Hæc sunt christianæ fidei argumenta. Incomprehensibilis namque supernaturalisque veritas, supernaturalibus atque divinis eguit argumentis. Unde et in Evangelio scribitur : Illi profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis. Hinc in Joannis epistola scriptum est : Qui non credit in Filium, mendacem facit Patrem, quoniam non credit in testimonium quod testificatus est Deus de Filio suo. De quo testimonio ait et Filius : Opera quæ dedit mihi Pater, etc., testimonium perhibent de me.

Marc. XVI, 20. — I *Joann.* V, 10. — *Joann.* V, 36; X, 25.

Quod autem non effugiemus ultionem divinam, si tantam neglexerimus salutem, probat Apostolus per hoc quod Christus sublimior est atque potentior angelis. *Non* 5
enim angelis subjecit Deus orbem terræ futurum, id est orbem terræ seu mundum secundum statum quem habebit post diem judicii : quamvis interim aliquo modo subjectus sit eis, quoniam movent cœlestia corpora, quorum motu et influentia transmutantur hæc inferiora; *de quo* orbe terræ futuro *loquimur*. De orbe enim terræ quantum ad statum futurum, intendit Apostolus loqui. Oportet ergo advertere, quod quum omnia corporalia et terrena ordinentur ad hominem, sicut duplex est status seu perfectio hominis, una secundum suam institutionem in via hujus exsilii, alia secundum suam glorificationem in patria cœlesti; sic duplex est status orbis terræ seu mundi : unus, secundum successionem generationis et corruptionis, donec compleatur numerus electorum, qui dicitur status præsens, durans usque ad diem judicii; alius, secundum futuræ renovationis stabilitatem quæ fiet in die novissimo. Quamvis autem mundus seu orbis terræ in utroque statu sit substantialiter idem, tamen propter differentiam statuum dicitur orbis terræ præsens,

et orbis terræ futurus. Quemadmodum A
autem homines, quantum ad statum præ-
sentem, subjecti sunt angelis, quia regun-
tur, purgantur, illuminantur, ac perfici-
untur ab eis, secundum Dionysium; quæ
tamen prælatio in futuro statu cessabit,
quantum ad novam influentiam : sic or-
bis terræ, secundum præsentem statum,
angelis est subjectus, juxta modum prædi-
ctum; sed secundum statum futurum, eis
non erit subjectus : tunc enim alteratio-
nes et generationes cessabunt. Hæc expo-
sitio videtur mihi textui magis conformis. B
Glossa tamen aliis modis exponit hunc
locum : quam inspicere potest, qui alium
sensum requirit.

Porro, quod Christo orbis futurus sub-
jiciatur, probat Apostolus auctoritate Psal-
6 mistæ : *Testatus est autem in quodam lo-*
co quis, id est quidam famosus, puta David
Ps. VIII, 5. propheta præclarus, *dicens : Quid est ho-*
mo, quicumque sit ille, *quod memor es*
ejus, o Domine Deus omnipotens ? tan-
quam dicat : Vilis et modicus est com-
paratione tuæ majestatis, quum sit corpo- C
ralis, mortalis ac fragilis. Propter quod
mirum est quod tam benigne dignaris
eum respicere, adjuvare et sublimare, præ-
sertim assumendo ejus naturam. *Aut* quid
est *filius hominis,* id est Christus secun-
dum naturam assumptam, *quoniam visi-*
tas eum, uniendo tuæ increatæ persona-
litati ejus humanitatem, et habitando in
ea quasi in templo ? quasi dicat : Hoc hu-
manitati Christi ex sua naturali dignitate
7 seu meritis non convenit. *Minuisti eum*
paulo minus ab angelis : id est, quamvis D
Christum secundum humanitatem sic visi-
taveris atque sublimaveris, tamen quantum
ad aliquid, fecisti eum angelis inferiorem,
videlicet quoad corporis sui passibilita-
tem ac mortem, quæ angelis non conve-
niunt propter naturæ ipsorum excellen-
tiam, quum sint immateriales essentiæ.
Gloria et honore coronasti eum. Gloria, est
clara cum laude notitia; honor vero, est
exhibitio reverentiæ in signum virtutis.
Deus ergo Pater seu Trinitas coronavit,
id est, undique et multipliciter decora-
vit Christum hominem, *gloria,* infunden-
do cordibus hominum claram cognitionem
excellentiæ Christi, *et honore,* inducendo
fideles ad venerationem et cultum ipsius.
Vel, Gloria, id est beatitudine animæ vel
corporis glorificatione in resurrectione, et
honore, id est elevatione ad dexteram tu-
am in ascensione, coronasti eum. *Et consti-*
tuisti eum super opera manuum tuarum,
id est, omnibus creaturis eum præposui-
sti, faciens eum Regem regum et Dominum *Apoc.* XIX,
dominantium : quod post resurrectionem 16.
factum est quantum ad manifestationem.
Omnia visibilia et invisibilia, suprema, 8
media et infima, *subjecisti sub pedibus*
ejus, id est, ei perfecte subdidisti quan-
tum ad potestatis collationem, etiam ab
exordio incarnationis. Tunc enim data est *Matth.*
homini Christo potestas atque prælatio su- XXVIII, 18.
per universa creata.

In eo autem quod Deus *ei,* videlicet
Christo, *omnia subjecit, nihil dimisit non*
subjectum ei, id est, universaliter sine ex-
ceptione cuncta ei subjecit. Verumtamen,
quoniam nondum subjecta sunt ei omnia
quantum ad potestatis exsecutionem et
plenam manifestationem, subjungitur :
Nunc autem, id est tempore isto usque
ad diem judicii, *necdum videmus omnia*
subjecta ei, quantum ad exsecutionem et
plenam manifestationem : quod tamen fiet
in die novissimo, quando juxta Isaiæ ora-
culum, Ad eum venient, et confundentur *Is.* XLV, 25.
omnes qui repugnant ei. Nunc enim multi
Christo resistunt, et nullam sentiunt pœ-
nam; eum blasphemant vel inhonorant,
et nullum experiuntur supplicium. Sed
post diem judicii ita non erit. Extunc
enim coacte erunt ei subjecti, pœnas luen-
do, qui nunc libere repugnant illi, impie
conversando. Ideo convenienter prædictum
est, futurum orbem Christo subjiciendum.

Eum autem qui modico quam angeli 9
minoratus est, id est, qui in parvo minor
factus est angelis, scilicet quantum ad cor-
poris passibilitatem, *videmus* oculo fidei
Jesum, scilicet minoratum, *propter passi-*

onem mortis, id est merito suæ passionis A
letalis, mortem sibi inferentis, *gloria et*
honore coronatum : sicut expositum est.
Philipp. II, 8, 9. Unde dictum est alibi : Factus est obedi-
ens usque ad mortem, propter quod et
Ps. CIX, 7. Deus exaltavit illum ; et in Psalmo, De
torrente in via bibet, propterea exaltabit
caput. Ideo autem modico quam angeli
minoratus est, id est mortalis effectus, as-
sumendo naturam passibilem, *ut gratia*
Dei, id est non humanis meritis, sed gra-
tuita Dei voluntate et pia liberalitate, *pro*
omnibus gustaret mortem, id est, pro uni- B
versorum salute, quantum in se est, mor-
tis amaritudinem experiretur. Unde et Pro-
Is. LIII, 6. pheta : Dominus (inquit) posuit in eo
iniquitatem omnium nostrum. Pro solis
tamen electis passus est Christus, quan-
Matth. XX, 28. tum ad efficaciam, prout ait : Venit Filius
hominis dare animam suam redemptio-
nem pro multis.

10 *Decebat enim eum, propter quem omnia*
et per quem omnia : id est, conveniens
erat Deo Patri, propter quem omnia facta
sunt ab ipso, sicut propter causam fina- C
Prov. XVI, 4. lem (omnia enim propter se ipsum ope-
ratus est Dominus), et per quem omnia,
id est, a quo omnia facta sunt, sicut ex
causa efficiente ; vel, Per quem, sicut per
causam exemplarem ; *qui multos filios* ad-
optivos, videlicet homines electos, *in glo-*
riam adduxerat, id est, ad æternam bea-
titudinem perducere præordinavit in sua
prædestinatione æterna ; *auctorem salutis*
eorum, id est Christum electorum salva-
torem, qui eis salutem promeruit sua pas-
sione dignissima, *per passionem consum-* D
mare, id est per mortem crucis ab hac
vita tollere, exponendo videlicet, imo tra-
dendo eum morti crucis pro nostra re-
demptione ; vel, Per passionem consumma-
re, id est ad finem seu consummationem
nostræ liberationis, merito passionis ad-
ducere. Convenientissimus quippe modus
humanæ redemptionis fuit, quod Pater
Unigenitum suum humana natura vesti-
vit, et morti pro hominum salvatione ex-
Rom. V, 8, 9. posuit : quia per hoc maxime commen-
datur bonitas et misericordia ejus, qua
miseris et aliunde seductis tam clemen-
ter subvenit ; justitia quoque, quoniam
peccata hominum non reliquit inulta. Nul- Job XXIV, 12.
la etiam pura creatura digna erat pro ho-
minibus satisfacere : tanta est enormitas
culpæ per comparationem ad Deum, et di-
gnitas vitæ æternæ consistentis in Deo,
sicut in immediato objecto. Decuit etiam
eamdem naturam pati in Salvatore, quæ
erat in salvandis reparanda.

Quod vero decuit Christum pati, osten-
dit Apostolus : quoniam decet sanctifica-
torem et sanctificatos esse ejusdem natu-
ræ, quatenus satisfaciat quod offendit, id
est, eadem natura patiendo reformet, quæ
male agendo peccavit. Natura ergo huma-
na in primo parente posterisque infecta,
per Christi humanitatem fuerat reparan-
da. Dicit igitur : *Qui enim sanctificat,* id 11
est Christus qui peccatores a vitiis purgat,
et qui sanctificantur, id est electi qui me-
rito suæ passionis mundantur, *ex uno*
omnes, id est, ex eodem patre atque prin-
cipio profluxerunt. Christus nempe secun-
dum assumptam humanitatem, descendit
de Adam, sicut et nos : excepta infectio-
ne originalis peccati, et quod immediate
de Virgine natus est. Secundum divinam
vero naturam, natus est ex Patre æterno,
de quo et nos nati sumus : difformiter ta-
men, quoniam ipse est Filius naturalis et
unicus, nos autem adoptivi et plurimi.

Propter quam causam, videlicet quo-
niam Christus et membra ejus, puta fi-
deles, unum paternum principium habent,
et in natura communicant : unde et ait
in Joanne, Ascendo ad Patrem meum et Joann. XX, 17.
Patrem vestrum ; *non confunditur fratres*
eos vocare, non obstante quod ipse sit
Deus verus et homo a peccato immunis, I Petr. II, 22.
illi vero propter peccatum degeneres, *di-*
cens ad Patrem in Psalmo : *Nuntiabo no-* 12
men tuum fratribus meis, id est, te ipsum Ps. XXI, 23.
et gloriam tuam, o Pater, prædicabo Apo-
stolis aliisque discipulis. De his enim di-
xit Mariæ Magdalene : Vade et dic fratri- Joann. XX, 17.
bus meis. *In medio Ecclesiæ* primitivæ,

videlicet inter fideles primo conversos, A
Joann. xx, 19, 26. *laudabo te*. Stetit enim Jesus in medio
Act. i, 3. discipulorum suorum : quibus et sæpe ap-
paruit per dies quadraginta, intrans et
I Cor. xv, 6. exiens, et quadam vice plus quam quin-
gentis fratribus apparens. Hæc etiam fecit
Marc. iv, 34. Salvator ante passionem, quando seorsum
discipulis suis disseruit omnia. Potest quo-
que generaliter de omnibus fidelibus ac-
cipi : quibus Christus per Apostolos et
successores eorum nomen Patris æterni
prædicavit; atque in medio Ecclesiæ, id
est ubique in omni congregatione fide- B
lium, eum laudavit, imo et laudat et præ-
dicat.
13 *Et iterum* Christus ait per Isaiam, quan-
tum ad sensum, quamvis verba non ha-
beantur in nostra translatione secundum
Is. viii, 17. hanc formam : *Ego ero fidens in eum*, id
est, ego Christus secundum quod homo
passibilis, sperabo in Deum, non per spem
quæ est virtus theologica, quam non ha-
bui, sed per quamdam fiduciam qua re-
surrectionem et corporis glorificationem
ab eo certissime exspectavi. Hoc autem C
Christo non competeret, nisi verus homo
fuisset : ideo non confunditur homines
vocare fratres. — *Et iterum* Christus ait :
Ibid. 18. *Ecce ego et pueri mei*, id est discipuli
et spirituales filii mei : quibus et dixit,
Joann. xxi, 5. Pueri, numquid pulmentarium habetis ?
quos dedit mihi Dominus, id est, per ca-
ritatem et gratiam mihi tanquam capiti
copulavit, eosque per me salvare decre-
Ibid. xvii, 6. vit. De talibus dicit in Evangelio : Tui
Ibidem. erant, et mihi eos dedisti ; itemque, Pa-
ter, manifestavi nomen tuum hominibus, D
quos dedisti mihi de mundo. Ex hoc te-
stimonio patet, quod tam ipsi quam Chri-
stus, sint ex uno principio, scilicet Deo.
Hanc auctoritatem Isaiæ intelligit Lyra me-
lius hoc loco, quam super Isaiam. Hic
namque dicit eam ad litteram de discipu-
lis Christi debere intelligi, ibi vero expo-
nit eam litteraliter de discipulis Isaiæ.
Consequenter ostenditur quod decuit
Christum incarnari et pati, ex parte sal-
14 vandorum. *Quia ergo pueri*, id est fideles

electi, *communicaverunt carni et sangui-
ni*, id est, ex corpore et anima facti sunt,
et homines mortales fuerunt, *et ipse* Chri-
stus *similiter participavit eisdem*, id est,
carnem veram et animam rationalem as-
sumpsit, factus mortalis; *ut per mortem*,
id est propriæ passionis merita, *destrue-
ret*, id est, superaret et foras ejiceret, *eum
qui habebat mortis imperium, id est dia-
bolum*, mortis auctorem, qui homines ad
mortem culpæ induxit, ex qua secuta est
mors naturæ, et mors secunda, videlicet Apoc. xxi, 8.
mors gehennæ. Deus enim mortem non Sap. i, 13;
fecit ; sed invidia diaboli mors introivit ii, 24.
in orbem terrarum. Habuit autem diabo-
lus mortis imperium, quoniam ante Chri-
sti adventum, omnes quodammodo in mor-
te detinuit. In libro quoque Sapientiæ
dicitur Deus habere imperium vitæ et Ibid. xvi, 13.
mortis; et in Apocalypsi ait Salvator, Ha- Apoc. i, 18.
beo claves mortis et inferni. Sed Deus
dicitur habere mortis imperium, quia quos
vult, in morte relinquit, et quos vult, a
morte reducit. Non autem inducit mortem
culpæ. Christus vero habet claves mortis,
hoc est, potestatem relaxandi peccata.
Et liberaret Christus sua passione *eos* 15
qui timore mortis corporalis, *per totam
vitam obnoxii*, id est rei et subditi, *erant
servituti* culpæ ac dæmonis, id est ho-
mines universos, qui maluerunt peccare,
quam corporalem mortem incurrere, magis
timentes eos qui corpus occidunt, quam Matth. x, 28.
qui corpus et animam perdere potest in
gehennam. Tales erant homines, ut pluri-
mum, ante Christi passionem; sed ipse sua
passione præstitit nobis exemplum mo-
riendi pro justitia, et abstulit suis hunc
inordinatum timorem. Secundo exponitur
specialiter de Judæis : *Et liberaret eos*,
puta Judæos, ab oneribus legis, per gra-
tiam et meritum suæ passionis, *qui ti-
more mortis* corporalis, quam lex inflixit
transgressoribus suis, vel gehennalis, quam
lex minabatur, *per totam vitam* præsen-
tem *obnoxii*, id est subjecti, *erant servi-
tuti* legis : nam timore pœnarum potius
quam amore justitiæ legem servabant.

Ephes. II, 15. Christus enim sua passione legem, quan-
tum ad cærimonialia, evacuavit : qua eva-
cuata, fecit Judæos liberos, ut per fidem
et gratiam salvarentur sine observantia
cærimonialium, ministrarentque Deo amo-
re potius quam timore.

Denique, quod Christus pueris commu-
nicavit in carne et sanguine, homines-
16 que redemit, ostendit Apostolus. *Nusquam
enim angelos apprehendit,* id est, nun-
quam legitur angelos apostatas ad gratiam
reduxisse, aut angelicam naturam assum-
psisse; *sed semen Abrahæ apprehendit,* id
est, carnem humanam ex semine Abra-
hæ sibi univit, et populum Judæorum spe-
cialiter revocavit : de quibus locutus est,
Matth. XV, 24. Non sum missus nisi ad oves quæ per-
17 ierunt domus Israel. *Unde,* id est propter
hanc causam, videlicet quia semen Abra-
hæ apprehendit, *debuit,* debito condecen-
tiæ, non obligationis, *per omnia,* id est
in omnibus naturalibus proprietatibus at-
que defectibus indetrahibilibus, *fratribus,*
id est ceteris hominibus, *similari,* non
autem in defectibus detrahibilibus, sci-
licet in culpa et defectu necessariorum.
Non enim debuit esse claudus, cæcus,
aut languidus, quamvis tempore passionis
elanguit. Fuit ergo aliis similis, quia mor-
A talis, uberibus lactatus, crevit, esuriit,
manducavit, mortem perpessus est. *Ut mi-
sericors fieret,* id est misericordiam im-
pertiret ; vel, Misericors fieret actu et
habitu in natura humana, qui æternaliter
misericors est in natura divina ; *et fidelis
pontifex,* id est verus mediator atque sa-
cerdos pro nobis, *ad Deum* Patrem vel
Trinitatem, immolando se ipsum Deo in *Ephes.* V, 2.
cruce hostiam immaculatam in odorem
suavitatis ; *ut repropitiaret,* id est, Deum
placando deleret, *delicta populi,* id est
B totius generis humani : sicut dicit Joan-
nes, Ipse est propitiatio pro peccatis no- I *Joann.* II, 2.
stris. De hoc pontifice ait quoque Petrus :
Conversi estis ad pastorem et episcopum I *Petr.* II, 25.
animarum vestrarum.

In eo enim in quo, id est in natura 18
humana assumpta, in qua *passus est ipse*
Christus a præside et ejus ministris, *et
tentatus* a dæmone in deserto, atque Ju- *Matth.* IV, 1 *et seq.*
dæis quibus et loquitur : Quid me ten- *Ibid.* XXII, 18.
tatis, hypocritæ ? *potens est et eis qui ten-
tantur, auxiliari* ne superentur. Sua enim
C passione et tentatione promeruit nobis
gratiam omnibus tentationibus efficaciter
reluctandi ; et non solum ut Deus, sed
etiam ut homo, de plenitudine sua influit *Joann.* I, 16.
nobis, quemadmodum caput membris.

ARTICULUS III

ELUCIDATIO CAPITULI TERTII : UNDE, FRATRES SANCTI, VOCATIONIS COELESTIS PARTICIPES.

OSTENSA excellentia Christi per com-
parationem ejus ad angelos et Pro-
phetas generaliter, nunc idem ostenditur
specialiter per comparationem ad Moysen :
per quod etiam declaratur eminentia novi
1 Testamenti præ veteri. *Unde, fratres san-
cti,* id est, quia sic potens est Christus
auxiliari tentatis, idcirco, o fratres, sancti
per regenerationem Baptismatis et mun-
ditiam religiosæ conversationis, *vocationis*
D *cœlestis participes,* id est, prædicationis
et inspirationis ad cœlestem beatitudinem
invitantis, seu gratiæ ad illam perducen-
tis, consortes : hæc enim vobis exhibita
sunt ; *considerate* causa imitationis, *apo-
stolum,* id est nuntium divinitus missum,
et pontificem, id est, qui viam seu pon-
tem veniendi ad Deum nobis ostendit ac
fecit, dando exemplum, *confessionis no-
stræ,* id est pontificem quem confitemur

esse verum Filium Dei salvatoremque
2 mundi, *Jesum, qui fidelis est,* secundum
naturam assumptam, *ei qui fecit illum,*
id est Deo Patri a quo secundum huma-
nitatem creatus est. Dicitur autem Chri-
stus fidelis, non a fide quæ est virtus
theologica, quam ipse non habuit, quo-
niam fuerat verus comprehensor, sed a
fidelitate qua efficaciter adimplevit quid-
quid complacuit Patri. Propter quod ipse
Joann. VIII, 29. ait : Quæ placita sunt ei, facio semper ;
Ibid. 50, 49. et : Non quæro gloriam meam, sed hono-
rifico Patrem meum. *Sicut et Moyses in*
omni domo ejus, id est in tota Synagoga
seu Judæorum congregatione, quæ est do-
mus Dei. Unde Dominus protestatur Aaroni
Num. XII, 7. et Mariæ : Servus meus Moyses in omni
domo mea fidelissimus est.

Insuper ostenditur Christus excellentior
3 Moyse. *Amplioris enim gloriæ,* id est ma-
joris dignitatis, *iste* Jesus *præ Moyse,* id
est supra Moysen seu plus quam Moyses,
dignus habitus est a Deo et fidelibus ho-
minibus, *quanto ampliorem honorem ha-*
bet domus, id est de domo (ut scilicet
Domus sit genitivi casus), ille *qui fabri-*
cavit illam, id est fabricator domus, quam
ejus inhabitator seu dispensator. Quod in-
telligendum est de principali fabricato-
re, qui alios ad fabricandum inducit, et
4 ministeriali inhabitatore. *Omnis namque*
domus, tam materialis ex lignis atque la-
pidibus constans, quam spiritualis ex di-
versis fidelibus congregata, *fabricatur ab*
aliquo artifice, diversas partes ad invicem
copulante. Per se enim non fit ; sed sic-
ut partes materialis domus copulantur cæ-
mento et clavis, sic personæ fideles uni-
untur per fidem et caritatem. *Qui autem*
Sap. I, 14. *omnia creavit, Deus est :* ergo et ipse do-
mum Ecclesiæ fabricavit. Christus autem
est Deus : ergo et ipse ædificavit Eccle-
siam, cujus membrum est Moyses. Chri-
stus vero est Dominus ejus : ideo habet
ampliorem honorem quam Moyses.
5 *Et Moyses quidem fidelis erat in tota*
domo ejus, id est in omni Synagoga Ju-
dæorum, quæ fuit domus Dei, *tanquam*
A *famulus, in testimonium eorum,* id est
ad proferendum cum attestatione divina,
ea *quæ dicenda erant,* id est, quæ Deus
jussit per eum dici ad populum. *Chri-* 6
stus vero tanquam Filius Dei naturalis et
unicus, fidelis est *in domo sua,* id est in
Ecclesia ; *quæ domus sumus nos* Christi-
ani per caritatem et fidem uniti : Tem- I *Cor.* III, 17.
plum enim Dei sanctum est, quod estis
vos ; *si fiduciam,* id est actualem confi-
dentiam, scilicet exspectationem felicitatis
futuræ, et adjutorii gratiæ ad felicitatem
B obtinendam necessarii, *et gloriam spei,* id
est jucunditatem cœlestem, ad quam spes
tendit, *usque in finem* vitæ præsentis in-
clusive, *firmam retineamus,* stabiliter ac
perseveranter sperando, atque futuram be-
atitudinem desiderando. Hoc dicit Apo-
stolus, quia sicut ad domum materialem
requiritur stabile fundamentum, ita ad do-
mum spiritualem, scilicet, ut fideles sint
domus Dei, exigitur firmitas spei ac fi-
dei : aliter Deus non habitaret in eis per
gratiam consummatam.
C Ex prædictis de excellentia Christi, ad-
monet consequenter Apostolus diligenter
obedire sermoni Christi. *Quapropter,* id 7
est, quum tanta sit eminentia Christi præ
Moyse, *sicut dicit Spiritus Sanctus* in
Psalmo, quod subditur : *Hodie,* id est *Ps.* XCIV, 8-11.
tempore evangelicæ prædicationis et gra-
tiæ, *si vocem ejus,* id est verba Christi,
audieritis vel ab ore ejus vel ab ejus mi-
nistris, hoc est, quia ea audietis, *nolite* 8
obdurare, id est verbis Dei claudere, *cor-*
da vestra, ne sitis rebelles atque incre-
D duli. Hæc ad litteram dicuntur ad Judæos
qui tempore Christi et postea fuerunt. *Sic-*
ut in exacerbatione, id est, quemadmodum
contigit, et a patribus vestris factum est
in provocatione seu Dei offensione, *se-*
cundum diem, id est in die, *tentationis*
factæ in deserto, quando ex infidelitate
voluistis experiri potentiam meam : sicut
ait Psalmista, Et tentaverunt Deum in cor- *Ps.* LXXVII, 18.
dibus suis, ut peterent escas animabus
suis. *Ubi,* id est in quo deserto, *tentave-* 9
runt me patres vestri frequenter. Unde

Num. xiv, 22. Dominus ait ad Moysen in Numeris : Ten- A
taverunt me jam per decem vices. *Pro-*
baverunt, id est, experti sunt quid agere
possem, *et viderunt opera mea* mirabilia
in Ægypto, in mari Rubro, in deserto,
10 *quadraginta annis.* Tanto enim tempore
Deut viii, 2. in deserto fuerunt vel circiter.
Propter quod, id est ob tantam perver-
sitatem istorum, *offensus,* id est iratus,
fui generationi huic, id est hominibus
istis incredulis, *et dixi* per angelum seu
Moysen : *Semper hi errant corde,* id est,
intellectum excæcatum habent, et ex ma- B
litia peccant. *Ipsi vero non cognoverunt,*
id est, spiritualiter non intellexerunt, *vias*
meas, id est opera mea miraculosa ac ju-
sta : quæ viæ vocantur, quia perducunt
ad Dei notitiam. Unde in Deuteronomio
Ibid. xxix, 2-4. Moyses loquitur : Vos, inquit, vidistis uni-
versa magnalia quæ coram nobis Domi-
nus fecit, et non dedit vobis Dominus cor
intelligens, et oculos videntes usque in
11 præsentem diem. *Quibus juravi,* id est,
firmiter dixi per Moysen, *in ira mea,* id
est in zelo justitiæ meæ, quo eorum pec- C
cata vindicare proposui : *Si introibunt,*
id est, non intrabunt, *in requiem meam,*
Exod. xxiii, 22 et seq. id est terram promissionis, in qua eis, si
non peccassent, mansionem quietam de-
Num. xiv. dissem. Hoc Deus juravit, quando filii
Israel murmuraverunt contra Dominum,
auditis sermonibus nuntiorum qui explo-
Ibid. 28-35. raverunt terram Chanaan. Tunc enim ju-
ravit, quod nemo eorum qui murmura-
verunt, ingrederetur hanc terram præter
Caleb et Josue.
Ex præallegata Scriptura infert Aposto- D
12 lus salutarem doctrinam. *Videte, fratres,*
ne forte sit in aliquo vestrum cor malum
incredulitatis, id est mens vitiosa perfi-
diæ subdita, *discedendi,* id est paratum
discedere seu averti, *a Deo vivo :* a quo
disceditur per inobedientiam, non per lo-
Osee iv, 10. calem distantiam, juxta illud Osee : De-
reliquerunt Dominum in non custodiendo.
13 *Sed adhortamini vosmetipsos per singulos*
dies, id est, quotidie admonete vos invi-
cem, seu quilibet semetipsum verbis sa-
cræ Scripturæ, *donec Hodie cognomina-*
tur, id est, quamdiu tempus gratiæ durat
et esse asseritur : de quo alibi dicitur, Ec- II Cor. vi, 2.
ce nunc tempus acceptabile, ecce nunc
dies salutis. De hoc scriptum est per Za-
chariam : Applicabuntur gentes multæ ad Zach. ii, 11.
Dominum in die illo. *Ut non obduretur*
quis ex vobis, id est, ne aliquis vestrum
obstinatus fiat, seu habituatus in malo,
fallacia peccati, id est delectatione allici-
ente et rationem excæcante, quæ est in
peccato. Peccatum namque delectat : un-
de et tristitiam promeretur.
Participes enim Christi effecti sumus, 14
id est, Christo incorporati sumus ut mem- I Cor. vi, 15.
bra capiti, et de plenitudine ejus accepi- Joann. i, 16.
mus, ejus quoque hereditatis consortes Rom. viii, 17.
erimus ; *si tamen initium substantiæ ejus,*
id est, si fidem formatam, per quam pri-
mum Deo conjungimur et ejus possessio
efficimur, *usque ad finem,* id est perseve-
ranter, *firmum retineamus,* id est, stabi-
les et efficaces in fide manserimus ; *dum* 15
dicitur, id est, quamdiu dicitur nobis :
Hodie si vocem ejus audieritis, nolite ob-
durare corda vestra, quemadmodum in
illa exacerbatione.
Quidam enim Judæorum in deserto *au-* 16
dientes verba Dei, *exacerbaverunt,* id est,
non credendo et impie operando, Deum
graviter offenderunt seu provocaverunt.
Non quod invariabilis Deus veraciter irri-
tetur vel exacerbetur, de quo legitur, Tu Sap. xii, 18.
autem, dominator Domine, cum tranquil-
litate judicas, et cum magna reverentia
disponis nos ; sed quia per modum exacer-
bati se habet, dum nostra peccata distri-
cte ulciscitur. Ideo apud Jeremiam dicitur:
Numquid me ad iracundiam provocant ? Jer. vii, 19.
dicit Dominus. Nonne semetipsos in con-
fusione vultus sui? *Sed non universi qui*
profecti sunt ab Ægypto per Moysen, id
est, non omnes Deum exacerbaverunt, qui
per Moysis ducatum exierunt Ægyptum.
Caleb enim et Josue non offenderunt tam
graviter.
Quibus autem offensus, id est iratus, *est* 17
Deus in deserto *quadraginta annis,* qui-

bus filii Israel in deserto ambulaverunt A
(non quod quotidie peccaverunt ita enor-
miter, sed quia frequenter sic peccave-
runt)? *Nonne illis qui peccaverunt* enor-
miter, discredendo, Deum tentando seu
murmurando, *quorum cadavera prostra-
ta,* id est dejecta et bestiis tradita, *sunt*
18 *in deserto? Quibus autem juravit non in-
troire in requiem ipsius,* id est in terram
promissionis, *nisi illis qui increduli fue-
runt* verbis Caleb et Josue? Qui cum aliis
nuntiis redeuntes, dixerunt : Nolite rebel- *Num.* XIV,
les esse contra Dominum, neque timeatis 9.
populum terræ hujus, quia sicut panem,
ita possumus eos devorare; Dominus no-
biscum est, nolite timere. Quid autem fe-
cerunt increduli? Voluerunt utique lapi- *Ibid.* 10.
dibus opprimere eos. *Et videmus oculo* 19
fidei, testimonio Scripturarum, *quia non
potuerunt introire in requiem ipsius,* id
est in terram hanc, Deo eos prohibente,
propter incredulitatem ipsorum.

ARTICULUS IV

EXPOSITIO CAPITULI QUARTI : TIMEAMUS ERGO NE FORTE RELICTA POLLICITATIONE, ETC.

DENIQUE, ex præinducta auctoritate B
Scripturæ hortatur Apostolus ad de-
1 bitam sollicitudinem. *Timeamus ergo,* id
est, quoniam illi Judæi propter suam in-
credulitatem et murmurationem prohibiti
sunt introire terram promissionis, idcirco
formidemus, *ne forte relicta pollicitatio-
ne,* id est oblita seu spreta promissione
divina nobis facta, *introeundi,* id est de
ingressu nostro post hanc vitam, *in re-
quiem ejus* cœlestem, id est felicitatem
æternam, *existimetur aliquis ex nobis de-
esse,* id est, aliquis nostrum inveniatur C
a consecutione hujus promissæ quietis de-
ficere propter negligentiam suam. Nam
inexcusabiles sumus, si eam non obtine-
2 mus. Cujus ratio subinfertur : *Etenim et
nobis annuntiatum est,* id est a Christo
in Evangelio prædicatum de requie cœ-
lesti, *quemadmodum et illis* Judæis per
Moysen annuntiatum est de requie terre-
Matth. V, 3. na. Ait enim Salvator : Beati pauperes spi-
ritu, quoniam ipsorum est regnum cœlo-
Ibid. XXII, 30. rum; et alibi, In futura resurrectione nec
nubent neque nubentur, sed erunt sicut D
Joann. XVII, 24. angeli Dei; et rursus, Pater, quos dedisti
mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint me-
cum, ut videant claritatem meam. *Sed non
profuit illis* Judæis *sermo auditus,* id est,
quem a Moyse audierunt de possessione
terræ promissæ, *non admixtus fidei,* id
est non receptus fideliter : fidei, inquam,
habendæ *ex his,* id est de his, *quæ audi-
erunt,* id est de bonis sibi promissis. Et
hoc patet ex opposito :
Ingrediemur enim in requiem sempi- 3
ternam, *qui credidimus* verbis auditis de
promissione illius quietis fide formata, de
qua ait Christus : Omnis qui vivit et cre- *Joann.* XI, 26.
dit in me, non morietur in æternum;
quemadmodum dixit, id est, sicut Spiritus
Sanctus ex opposito de incredulis prote-
status est, in psalmo præallegato dicens :
Sicut juravi in ira mea, Si introibunt, *Ps.* XCIV, 11.
id est, non intrabunt, *in requiem meam,*
id est terram promissionis : sicut in præ- *Hebr.* III, 11.
cedenti articulo explanatum est plenius. *Et
quidem operibus ab institutione mundi
perfectis.* Jam in superioribus mentionem
fecit Apostolus de temporali requie Judæis
promissa, atque ex hoc intulit de promis-
sione æternæ quietis nobis in cœlis pro-
missæ. In quibus verbis supponitur, quod
temporalis illa requies fuit figura requiei
cœlestis. Et hoc nunc probat Apostolus;
simulque ostendit, quando annuntiatum

est de requie sempiterna. *Et quidem :* A
tanquam dicat, Nuntiatum est nobis de
requie illa : quod utique factum est, *ope-*
ribus, id est creaturis, *ab institutione*
mundi, id est, quæ a principio creatio-
nis fieri cœperunt, *perfectis,* id est distin-
ctis atque ornatis usque ad sextum diem,
Gen. i, 27, 31. in quo creatus est homo. In illis namque
sex diebus perfectæ sunt species rerum.
Post consummationem itaque operum sex
dierum, statim facta est mentio in Scri-
Ibid. ii, 2. pturis de requie quadam, non temporali,
4 sed sempiterna. *Dixit enim* Scriptura seu
Spiritus Sanctus *in quodam loco de die*
septimo, id est sabbato, *sic,* sicut subjun-
gitur (dies quippe dominica erat prima,
Ibidem. ergo et sabbatum septima) : *Et requievit*
Deus, id est, operari cessavit, et in se-
metipso quievit, *die septimo ab omnibus*
operibus suis ante productis, id est novis
rerum speciebus creandis : quia ex tunc
non creavit opera nova secundum speciem
sive materiam. Nihilo minus de materia
tunc facta, et ad similitudinem tunc facto-
rum, nunc usque operatur, animas rati-
onales creando, et totum universum ad-
ministrando, atque per causas secundas
plurima producendo. Propter quod ait Sal-
Joann. v, 17. vator : Pater meus usque modo operatur,
et ego operor.

Virtus ergo rationis et intellectus hujus
scripturæ consistit in hoc : Quum ab exor-
dio describitur productio mundi, fit men-
tio de quadam requie qua Deus quievit.
Hæc autem requies est cœlestis, non tem-
poralis, sed per temporalem designatur.
Requies enim Dei in se ipso communicatur
electis in patria, ut et ipsi in Deo imme-
diate quiescant, qui in nullo possunt alio
contenti reddi seu quieti. Non enim suf-
ficit rationali creaturæ nisi bonum im-
mensum. Ergo de requie nobis in cœlis
parata, fit mentio ante legem, in qua et
figurata est requies vera, cœlestis et sem-
piterna.

Consequenter ostenditur, quod etiam
post legislationem fit sermo de requie
sempiterna sub figura temporalis quietis.
Et in isto rursum, id est, in psalmo jam 5
dicto, iterum dicit Spiritus Sanctus : *Si*
introibunt in requiem meam, id est, in-
creduli illi tempore Moysis exsistentes,
non ingredientur terram promissionis. Per
quod designatur, quod impii cœlestem re-
quiem non intrabunt. *Quoniam ergo super-* 6
est, id est restat, *quosdam* electos *introire*
in illam requiem beatam ac figuratam,
et hi quibus prioribus, id est Judæis qui-
bus ante nos *annuntiatum est* per Moysen
de ingressu terræ promissionis seu re-
B quiei temporalis, *non introierunt* eam *pro-*
pter incredulitatem suam ; *iterum termi-* 7
nat, id est, Scriptura sacra determinat seu
inducit, *diem quemdam Hodie,* id est tem-
pus gratiæ, quod vocatum est Hodie, quo-
niam quotidianum est, et durat usque in
finem sæculi. De quo die dictum est Ro-
manis : Nox præcessit, dies autem appro- Rom. xiii, 12.
pinquavit ; et in Isaia, In illa die erit ger- Is. iv, 2.
men Domini (id est Christus Filius Dei, de
quo alibi legitur : Suscitabo David ger- Jer. xxiii, 5.
men justum) in magnificentia et gloria.
C *In David,* id est in psalmo a David com-
posito, *dicendo post tantum temporis,* id
est post tam longum spatium, ex quo illa
dicta sunt patribus in deserto per Moysen :
David enim propheta longo tempore post
Moysen fuit ; *sicut supra dictum est* de die
isto capitulo præcedenti, jamque repeti-
tur : *Hodie si vocem ejus audieritis, no-*
lite obdurare corda vestra : quæ verba
satis jam declarata sunt. Ex his palam est,
quod David loquatur de alia terra et re-
quie, quam illa quam Moyses promisit, et
D ad quam Josue introduxit. Illa enim ante
tempora David possessa fuit a filiis Israel.
Dum ergo David admonet eos qui terram
promissionis possederunt, ut quum audie-
rint vocem Dei, non obdurent corda sua,
significat eos ad aliam requiem, scilicet
cœlestem patriam, ingressuros, si obedie-
rint Deo. Quod figuratum fuit in eis qui
terram promissionis ingressi sunt. Ideo
sequitur :

Nam si eis, videlicet filiis Israel, *Jesus* 8
Christus, qui (ut Judas dicit) populum sal- Judæ 5.

vans de Ægypto, eos qui non crediderunt
perdidit (quod convenit Jesu secundum
suam divinam naturam, secundum quam
vere æternus est), *requiem* veram atque
finalem *præstitisset* in terra promissionis.
Vel per Jesum intelligitur Josue, qui di-
Num. XIII, 17; *Eccli.* XLVI, 1; *Act.* VII, 45. ctus est Osee et Jesus, qui minister fuit
donationis terræ istius. *Nunquam* Spiri-
tus Sanctus per David *de alia loqueretur*
posthac die, id est, in nullo tempore post
diem seu requiem illam loqueretur de alia
requie hac die, id est, quæ nobis annun-
tiatur atque proponitur hodie, utpote tem-
pore gratiæ.

9 *Itaque relinquitur,* id est, paratur et
conservatur, *sabbatismus,* id est plena qui-
es in cœlo, significata per sabbatum et
terræ promissionis quietem, *populo Dei,*
Apoc. XIX, 9. id est electis fidelibus, qui ad cœnam nu-
10 ptiarum Agni vocati sunt. *Qui enim in-*
gressus est in requiem ejus, id est, qui
cœlestem quietem adeptus est, *etiam ipse*
requievit ab operibus suis, id est laborio-
sis exercitiis vitæ præsentis, *sicut et a suis*
operibus *Deus* quievit septimo die. Unde
Ibid. XIV, 13. et legimus : Beati mortui qui in Domino
moriuntur; amodo jam dicit Spiritus, ut
requiescant a laboribus suis. Nec obstat
Ibid. IV, 8. quod in Apocalypsi asseritur, Requiem
non habebant, die ac nocte dicentia, San-
ctus, Sanctus, Sanctus, etc., quia requies
sumitur ibi improprie, pro cessatione ab
actu. Sancti autem in patria indesinenter
aliquid agunt, Deum laudando, amando,
videndo. Proprie autem requies sumitur
pro cessatione a labore aut motu.

11 *Festinemus ergo ingredi,* ferventer aman-
do et efficaciter operando, *in illam re-*
quiem sempiternam, *ut ne in id ipsum*
quis incidat incredulitatis exemplum, id
est, ne aliquis nostrum incidat in eamdem
pœnam quam infideles Judæi inciderunt
propter incredulitatem : quæ pœna nobis
in exemplum proponitur, quatenus eam
considerando, vitemus peccata, propter
quæ infligitur. Cur autem festinandum
sit, subditur :

12 *Vivus est enim sermo,* id est Verbum

A seu unigenitus Filius *Dei.* Sicut enim Pa- *Joann.* V, 26.
ter habet vitam in semetipso, sic dedit et
Filio vitam habere in semetipso. *Et effi-*
cax, id est omnipotens, prout Sapiens ait :
Dum medium silentium contineret om- *Sap.* XVIII, 14, 15.
nia, omnipotens sermo tuus, Domine, a
regalibus sedibus venit; et rursus idem,
Omnium enim est artifex, omnem habens *Ibid.* VII, 22, 23.
virtutem, omnia prospiciens. *Et penetra-*
bilior, id est acutior, *omni gladio anci-*
piti, id est ex utraque parte acuto. Non
enim potest gladius tam intime corpori
B imprimi, quam intime Filius Dei illabi-
tur omnibus rerum essentiis. Quum nam-
que sit verus Deus, omnia penetrat, im-
plet et continet ; estque intimior omni
rei, quam ipsa aut pars ejus sibi. *Et per-*
tingens usque ad divisionem animæ ac
spiritus, id est tam intimus homini, ut
inter sensualitatem et rationem discernat.
Vel, per animam et spiritum eadem ho-
minis forma signatur : quæ dicitur anima,
quantum ad vires sensitivas; et spiritus,
quantum ad vires intellectivas. Tanta est
C autem perspicacitas Verbi Dei, ut distin-
guat animam secundum partem sensiti-
vam, a se ipsa secundum partem intellecti-
vam. *Compagum quoque et medullarum,* id
est, subtilissima quæque corporis interi-
ora perspicit et distinguit. Compages au-
tem sunt juncturæ corporis, nervis colli-
gatæ ; medullæ vero intra ossa inclusæ
sunt. *Et* hic sermo, Verbum, seu Filius
Dei, est *discretor,* id est dijudicator et co-
gnitor, *cogitationum,* non solum earum
quæ sunt in virtute cogitativa organica,
D sed et earum quæ sunt in potentia intel-
lectiva inorganica, *et intentionum cordis,*
id est ordinationum finalium. Deus quip-
pe non solum inspicit cogitationes, sed
cernit ad quem finem quælibet cogita-
tio ordinetur a cogitante. Unde Job di-
cit : Scio quia omnia potes, et nulla te *Job* XLII, 2.
latet cogitatio. Et iterum Scriptura : Ho- 1 *Reg.* XVI, 7.
mo videt ea quæ parent, Deus autem in-
tuetur cor.

Et non est ulla creatura invisibilis in 13
conspectu ejus, id est, omnia sine exce-

ptione manifesta seu nota sunt conspe-
Joann. v, 20. ctui Filii Dei. Pater enim diligit Filium, et
omnia demonstrat ei quæ ipse facit. *Om-
nia autem nuda,* id est intime certa et si-
ne velamine patula, *et aperta sunt oculis
ejus,* id est menti ejus divinæ : imo et
animæ Christi omnia creata sunt cognita.
Eccli. xxiii, 28, 29. Ideo scriptum est : Oculi Domini multo
plus lucidiores super solem, circumspi-
cientes omnes vias hominum : Domino
enim Deo antequam crearentur, omnia
sunt cognita. *Ad quem* increatum Dei ser-
monem seu Filium, est *nobis sermo,* id
Rom. xiv, 10, 12; II *Cor.* v, 10. est, ei tanquam judici nos adstare, et ra-
tionem reddere oportebit.

Ideo, quum tanta sit potestas, sapientia
et eminentia judicis nostri, merito festi-
nare debemus ingredi requiem ejus, ne
tanquam ingrati et acediosi condemnemur
ab ipso. Propterea hortatur Apostolus :

14 *Habentes ergo pontificem magnum,* id
I *Petr.* ii, 25. est summum sacerdotem atque episco-
Ephes. v, 2. pum, qui se ipsum immolavit pro nobis,
Act. i, 9, 11. *qui penetravit cœlos,* id est, in sua ascen-
sione super omnes cœlos ascendit cum
penetratione dimensionum, *Jesum Filium
Dei* naturalem, non adoptivum; *teneamus,*
id est, firmiter observemus et exercea-
mus, *confessionem* duplicem, scilicet lau-
dis divinæ et propriæ culpæ, dicentes cum
Ps. ix, 2; cx, 1; cxxxvii, 1. Propheta, Confitebor tibi, Domine, in toto
corde meo : hoc est, Christum laudemus
semper, et nostra vitia accusemus. Sic
15 autem fiducialiter agere debemus : *Non
enim habemus pontificem qui non pos-
sit compati,* id est condescendere atque
clementer succurrere, *infirmitatibus no-
stris; tentatum autem,* id est, sed habe-
Matth. iv, 1-11; xxii, 16-18, 35, etc. mus pontificem tentatum a dæmone et
Judæis, *per omnia* principalia genera ten-
tationis, *pro similitudine,* id est propter
similitudinem quam cum aliis hominibus
habuit. Ideo enim dæmon et ejus ministri

A ausi fuerunt Christum tentare, quoniam
eum mortalem viderunt. Habitu enim in- *Philipp.* ii, 7.
ventus est ut homo. Vel, Pro similitudi-
ne, id est pro exemplo, videlicet ut om-
nibus nobis formam vincendi tentationes
proponeret. *Absque peccato,* id est, tenta-
tio ista nequaquam induxit Christum ad
aliquam culpam, nec ipse peccando me-
ruit sic tentari. Ideo sua tentatione meruit
nobis gratiam triumphandi adversus quas-
libet tentationes.

Adeamus ergo spirituali accessu (de quo 16
B ait Psalmista, Accedite ad eum et illumi- *Ps.* xxxiii, 6.
namini; et Salvator, Venite ad me, omnes *Matth.* xi, 28.
qui laboratis), id est, cum fide devota et
caritatis affectu accedamus, *cum fiducia,*
nihil hæsitantes : quemadmodum apud *Jacob.* i, 6.
Marcum dicitur, Omnia quæcumque oran- *Marc.* xi, 24.
tes petitis, credite quia accipietis, et eve-
nient vobis; *ad thronum gratiæ,* id est ad
Christum, in quo habitat gratiæ plenitu-
do; *ut misericordiam,* id est peccatorum
remissionem, *consequamur, et gratiam in-
veniamus,* id est, quæsitam gratiam sorti-
C amur a Christo, *in auxilio opportuno,* id
est ad habendum auxilium nobis salubre :
quatenus Deus per gratiam, nostram in-
firmitatem semper corroboret, juxta illud
Jeremiæ : Dominus mecum est quasi bel- *Jer.* xx, 11.
lator fortis; idcirco qui me persequun-
tur, cadent et infirmi erunt. Postremo, si
contemplemur quantum a Christo dilecti
sumus, quanta ipse pro nostra salute as-
sumpsit, egit ac pertulit, quanta miseri-
cordia, plenitudo, liberalitas ejus, quanta
etiam est miseria ac indigentia nostra,
D cum omni utique devotione atque fiducia
ad thronum gratiæ ejus pergemus, dicen-
tes cum sancto Job : Etiam si occiderit *Job* xiii, 15.
me, in ipso sperabo. Hinc enim dicit Psal-
mographus : Lætetur cor quærentium Do- *Ps.* civ, 3, 4.
minum; quærite Dominum, et confirma-
mini; quærite faciem ejus semper.

ARTICULUS V

DECLARATIO CAPITULI QUINTI : OMNIS NAMQUE PONTIFEX EX HOMINIBUS, ETC.

MANIFESTATA in superioribus excel- A
lentia Christi præ angelis et Prophe-
tis ac Moyse, et ex hoc ostensa eminentia
novi Testamenti præ veteri, nunc declarat
Apostolus excellentiam Christi ratione sa-
cerdotii sui. Et quia in fine præcedentis
capituli dixit nos posse per Christum mi-
sericordiam et gratiam consequi, ideo in
hujus capituli exordio probat hoc per lo-
1 cum a minori. *Omnis namque pontifex*
fidelis, præsertim legalis, unde nunc agi-
tur, *ex hominibus assumptus,* id est de
numero hominum ad altiora promotus,
pro hominibus, id est ad subveniendum
gregi sibi commisso, *constituitur,* id est,
episcopus ordinatur, *in iis quæ sunt ad*
Deum, id est in spiritualibus, scilicet, ut
quæ divina sunt exsequatur, et sacramen-
ta Dei dispenset hominibus. Est enim me-
diator et sequester Dei ac populi sui. Nam
ea quæ populi sunt, offert Deo, et ea quæ
Dei sunt, puta virtutes et gratiam, impe-
trat hominibus, quibus et erogat sacra-
menta divina. Ideo subditur : *ut offerat*
dona, id est, oblationes spontaneas populi
immolet Deo, *et sacrificia pro peccatis,* id
est pro indulgentia peccatorum.
2 *Qui* pontifex *condolere possit,* id est
compati et misericorditer auxiliari, *his qui*
ignorant et errant, id est subditis suis
indoctis et male agentibus, *quoniam et ip-*
se circumdatus est infirmitate, id est, men-
te et corpore fragilis est, et ad peccata
proclivis. Caro quippe concupiscit adver- *Galat.* V, 17.
sus spiritum, et ratio atque voluntas vulne-
ratæ sunt propter originale peccatum. Ex
consideratione igitur propriæ infirmitatis
moveri debet ad condolendum succurren-
3 dumque aliis. *Et propterea,* scilicet quia
circumdatus est infirmitate, *debet quem-*
admodum pro populo sibi commisso, *ita*
etiam et pro semetipso offerre hostiam
placationis Domino *pro peccatis* suis ex-
piandis, sicut offert pro peccatis suæ ple-
bis. Horum nullum convenit Christo ponti-
fici nostro. Non enim subjacuit infirmitati *I Petr.* II, 22.
peccati, nec eguit pro se ipso offerre.
Nec quisquam sumit sibi, id est, usur- 4
pare debet, *honorem* pontificatus; *sed qui*
vocatur a Deo, id est, per divinam reve-
lationem, sive legitimam electionem insti-
B tuitur, ille honore condignus est, et recte
fit pontifex. Vocatur autem a Deo, qui ju-
ste eligitur, *tanquam Aaron,* qui Deo ju- *Num.* XVII, 1-8.
bente et per virgæ floritionem ostendente,
ordinatus et confirmatus est pontifex. His
verbis notantur ambitiosi, qui non vocati,
ingerunt semetipsos.
Sic et Christus prout homo, *non semet-* 5
ipsum clarificavit, id est exaltavit, *ut pon-*
tifex fieret. Unde ait : Claritatem ab ho- *Joann.* V, 41.
minibus non accipio; et rursus, Ego non *Ibid.* VIII, 50.
quæro gloriam meam. *Sed qui locutus est*
C *ad eum,* id est Pater, qui ait ad eum : *Fi-* *Ps.* II, 7.
lius meus naturalis et unicus *es tu, ego*
hodie, id est in æternitate, *genui te* se-
cundum divinam naturam. Ille clarificavit
eum, prout ait : Et clarificavi, et iterum *Joann.* XII, 28.
clarificabo. Sic et clarificavit Christum in *Matth.* III,
baptismo et transfiguratione. De sacerdo- 17; XVII, 5.
tio itaque Christi inducit Apostolus aliam
auctoritatem, ad ostendendum quod Chri-
stus a Patre factus sit pontifex. *Quemad-* 6
modum et in alio loco dicit Pater ad Chri-
stum : *Tu es sacerdos,* secundum quod *Ps.* CIX, 4.
D homo, mediando inter Deum et homines, *I Tim.* II, 5.
et offerendo te ipsum pro ipsis, *in æter-*
num a parte posteriori, non ad tempus

dumtaxat, ut Aaron, cujus sacerdotium A
erat temporale ac typicum. Christi autem
sacerdotium est verum ac æternum. Nam
Hebr. VII, 25. et ipse semper vivit ad interpellandum
pro nobis, ostendens Patri latus ac vul-
nera; introducitque nos in beatitudinem
patriæ, in qua offert nos Deo hostiam sem-
piternam, perfectam atque gratissimam.
Propter quod per Zachariam de Christo
Zach. VI, 13. dicitur : Ipse portabit gloriam, et sedebit,
et erit sacerdos super solio suo. Ideo sub-
ditur : *secundum ordinem Melchisedech*,
id est secundum modum, dignitatem ac B
Gen. XIV, 18. ritum sacerdotii quo functus est Melchi-
sedech sacerdos Dei altissimi. Hoc infra
diffuse tractabitur.
7 *Qui* Christus *in diebus carnis suæ*, id
est tempore mortalitatis suæ in hoc mun-
do, præsertim passione jam imminente,
preces pro se ipso, videlicet ut a passione
liberaretur, si fieri posset, et ut statim
post passionem clarificaretur, resuscita-
retur et glorificaretur in corpore. Dixit
Joann. XII, 27. enim : Pater, salvifica me ex hac hora; et
Ibid. XVII, 1. alio loco, Pater, venit hora, clarifica Fi- C
Luc. XXII, 42; Marc. XIV, 35, 36. lium tuum; itemque, Si fieri potest, trans-
fer a me calicem istum. *Supplicationes-
que* pro corpore suo mystico, puta pro
Joann. XVII, 11. suis electis, dicens : Pater sancte, serva
eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut
sint unum sicut et nos. Et ad Petrum :
Luc. XXII, 32. Ego, inquit, pro te rogavi, ut non deficiat
fides tua. *Ad eum*, videlicet ad Deum Pa-
trem, *qui posset salvum illum a morte
facere*, id est, qui Christum potuit a mor-
te eripere, ita ut non moreretur : quem-
Matth. XXVI, 53. admodum Christus testatur : An putas D
quia non possum rogare Patrem meum,
et exhibebit mihi modo plus quam duo-
decim legiones angelorum? Vel, Posset sal-
vum illum a morte facere, id est a morte
resuscitare : quod et fecit tertio die. Pro
qua salvatione Christus frequenter preca-
Ps. XXI, 21. tur in Psalmis, sicut quum ait : Erue a
framea, Deus, animam meam, et de manu
canis unicam meam. *Cum clamore valido*,
vel oris, vel cordis, id est alta voce et
fervida intentione, *et lacrimis* oculorum,

offerens : sicut in Psalmo, Oculi mei lan- Ps. LXXXVII, 10.
guerunt præ inopia; et rursus, Quasi lu- Ps. XXXIV, 14.
gens et contristatus sic humiliabar. Hoc
accidit quando factus in agonia, prolixius Luc. XXII, 43.
orabat; et quando in cruce suspensus, om-
nium pereuntium damnationem ingratitu-
dinemque deplanxit. Quamvis enim in
Evangelio non legatur hoc ipsum, pro-
pter auctoritatem tamen Apostoli certissi-
me est tenendum, quoniam multa fecit Joann. XXI, 25.
Jesus quæ non sunt scripta. *Exauditus
est*, quantum ad id quod secundum deli-
beratam rationem optavit, *pro sua reveren-
tia*, id est propter suæ personæ dignitatem,
et operum suorum sanctitatem, quibus Pa-
trem in omnibus honoravit. Propter quod
ait : Gratias ago tibi, Pater, quoniam au- Ibid. XI, 41, 42.
disti me ; ego autem sciebam quoniam
semper me audis.

Sed videtur obviare quod in Psalmo
ait : Deus meus, clamabo per diem, et Ps. XXI, 3.
non exaudies, et nocte, et non ad insipi-
entiam mihi. Et respondendum, quod om-
nis oratio Christi, absolute loquendo, exau-
dita fuit, omnis videlicet quæ ex deliberata
ratione seu integra voluntate processit.
Aliqua tamen oratio ejus, secundum quid
accepta, videlicet in ordine ad appetitum
naturalem quo mortem abhorruit, exau-
dita non fuit. Talis quippe oratio erat in-
terpres naturalis desiderii, ad demonstran-
dum veritatem assumptæ naturæ, sicut
quum dixit : Pater, transfer a me calicem Luc. XXII, 42; Marc. XIV, 36.
istum. Sed quia adjecit, Non quod ego
volo, sed quod tu, constat quod oratio
ejus, simpliciter loquendo, prout ex ra-
tione processit, fuerit exaudita. Ideo Mar-
tha professa est : Scio quia quæcumque Joann. XI, 22.
poposceris a Deo, dabit tibi Deus.

Et quidem quum, id est quamvis, *esset* 8
Filius Dei unigenitus, *didicit* notitia ex-
perimentali (non habituali, in qua nun-
quam profecit, nisi forte ponamus in Chri-
sto scientiam acquisitam, a scientia infusa
distinctam), *ex his quæ passus est, obedi-
entiam*. Virtutem enim obedientiæ quam
habitualiter scivit, expertus est patiendo.
Et consummatus, id est occisus, quando 9

Joann. xix, 30. et dixit, Consummatum est; vel, Consummatus, id est perfecte glorificatus in anima et corpore, in resurrectione et ascensione; *factus est omnibus obtemperantibus*, id est obedientibus, *sibi, causa salutis æternæ :* quam salutem virtute sacramentorum consequimur, per quæ meritum
10 dominicæ passionis nobis applicatur; *appellatus a Deo pontifex secundum ordinem Melchisedech.* Sic enim ait Pater ad
Ps. cix, 4. Christum : Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Christus namque non obtulit bruta, sicut sacerdos
Matth. xxvi, 26-28. legalis, sed corpus suum et sanguinem sub speciebus panis et vini : quod signi-
Gen. xiv, 18. ficatum fuit per sacrificium Melchisedech, qui obtulit panem et vinum.

11 *De quo* pontifice nostro, Christo Filio Dei, *grandis,* id est profundus et magnus, *nobis sermo* est, *et ininterpretabilis ad dicendum,* id est difficulter interpretabilis seu exponibilis, et pene exponi non valens, propter materiæ altitudinem, et item ob vestram incapacitatem. Propter quod subditur : *quoniam imbecilles,* id est infirmi mente, *facti estis, ad audiendum* aure cordis tam profunda mysteria. Aliqui textus habent, Et interpretabilis, id est interpretatione indigens, quia ob suam difficultatem indiget expositione ingenti.

12 Merito autem dixi vos imbecilles : *Etenim quum deberetis magistri,* id est multum eruditi et spiritualiter exercitati, *esse propter tempus,* id est, eo quod diu ad fidem conversi estis, et ante in lege atque Prophetis instructi fuistis; *rursus indigetis,* sicut et ante indiguistis, *ut vos doceamini quæ sint elementa,* id est principia prima, *exordii,* id est simplicis doctrinæ, seu symboli fidei, *sermonum Dei,* id est sacræ Scripturæ, in qua doctrina et symbolum fidei continentur ac describuntur. Per elementa itaque exordii sermonis Dei, intelliguntur prima et communia in fide, puta articuli fidei, quos quilibet scire debet : quemadmodum in naturalibus elementa dicuntur, prima atque communia principia ex quibus mixta componuntur; et in grammatica litteræ alphabeti, quas primo pueri discunt, ex quibus syllabæ componuntur, elementa vocantur. Non est autem putandum, quod Hebræi conversi tam rudes fuerunt quod fidei articulos nescierunt; sed instrui indigebant circa intellectum eorum. *Et facti estis,* id est ad tantam imperfectionem redacti, *quibus lacte opus sit,* id est, qui facili doctrina et mediocri sermone indigetis, more infantium, qui lacte aluntur propter naturæ mollitiem, *non solido cibo :* id est, perfecta atque sublimi doctrina instrui non potestis.

Omnis enim qui lactis est particeps, id 13
est, cujus cibus et pars est tenera, rudis et imperfecta instructio, *expers est sermonis justitiæ,* id est, eruditione conveniente perfectis, quæ et perfectionem inducit, privatus est. *Parvulus enim,* id est imperfectus et puero similis, *est.* Unde Corinthiis dixit Apostolus : Tanquam par- I Cor. iii, 1, 2.
vulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Et Isaias : Quem docebit Dominus Is. xxviii, 9.
scientiam? et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, avulsos ab ubere. Verumtamen nomine lactis, interdum significatur puritas seu dulcedo, vel simplicitas mentis. Sicque admonet Petrus : Quasi modo geniti infantes, lac concupi- I Petr. ii, 2.
scite. *Perfectorum autem,* id est spiritu- 14
alium, virtuosorum et contemplativorum hominum, *est solidus cibus* spiritualis, id est mystica sapientia, subtilis doctrina, juxta quod alibi dictum est : Sapienti- I Cor. ii, 6.
am loquimur inter perfectos; *eorum qui pro consuetudine,* id est ex usu et habitu lectionis et informationis, sanctæque conversationis, quæ maxime promeretur sapientiæ infusionem, *exercitatos habent sensus,* id est eruditos, expertos et validos intellectus, *ad discretionem boni ac mali,* id est ad distinguendum et separandum verum a falso, et bonum a malo, prout Dominus per Jeremiam ait : Si se- Jer. xv, 19.
paraveris pretiosum a vili, quasi os meum eris. Denique in Scripturis frequenter po-

nitur sensus pro intellectu, ut est illud A
I *Joann.* v, 20. Joannis : Scimus quoniam Filius Dei ve-
nit, et dedit nobis sensum, ut cognosca-
mus Deum verum. Et Lucas quoque ait :
Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent *Luc.* xxiv, 45.
Scripturas.

ARTICULUS VI

EXPLANATIO CAPITULI SEXTI : QUAPROPTER INTERMITTENTES, ETC.

POSITA increpatione Hebræorum, subjungitur blanda exhortatio eorumdem.
1 *Quapropter,* videlicet quoniam perfectorum est solidus cibus, *intermittentes inchoationis Christi sermonem,* id est prima atque communia christianæ doctrinæ principia, ut sunt articuli fidei, *ad perfectionem,* id est ad veram sapientiam et sanctam conversationem, *feramur,* id est moveamur, Deo per gratiam nos intus excitante, et proximo adjuvante, vel anima se ipsam hortante. Consequenter ostendit Apostolus quæ sunt quæ velit jam prætermittere, eo quod spectent ad inchoationem sermonis Christi, tanquam fidei rudimenta quibus novelli in fide instrui habent. Sunt autem sex, sicut patebit. *Non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ,* id est non iterum tractantes de sacramento Pœnitentiæ, quæ est primum fundamentum quantum ad peccatores adultos baptizatos, gratiam adipisci conantes : quæ pœnitentia est *ab operibus mortuis,* id est recessus ac dolor de peccatis, quæ interficiunt animam. Nec rursus jacientes fundamentum *fidei ad Deum,* id est, non iterum de ipsa fide, quæ est fundamentum virtutum, loquentes, videlicet de nuda ac simplici fide. Infra tamen fit sermo prolixus de fide idonea atque perfecta.
2 *Baptismatum doctrinæ,* id est non denuo determinantes de Baptismo christianæ legis. Dicit autem pluraliter, Baptismatum, propter triplex Baptisma, videlicet fluminis, flaminis et sanguinis. *Impositionis quoque manuum,* id est, non iterum tractantes de sacramento Confirmationis, in quo datur Spiritus Sanctus ac robur animæ per impositionem manuum. *Ac resurrectionis mortuorum,* id est, non de generali mortuorum resurrectione rursus agentes. *Et judicii æterni,* id est, non de finali judicio denuo pertractantes : quod ideo appellatur æternum, quia effectus sententiæ Judicis, scilicet merces redden-
da, æternaliter durat. *Et hoc faciemus,* id 3
est, prædicto modo procedemus, faciliora prætermittendo et ad perfectionem tendendo, *si quidem permiserit Deus,* id est, si tempus vivendi, gratiamque adimplendi præstiterit.

Impossibile est enim, eos, etc. Hoc tri- 4
bus modis exponitur. Primo sic : Ad perfectionem feramur, nec opinemur nos posse per Baptismum sæpius emundari. *Impossibile est enim, eos qui semel sunt illuminati,* id est, fidem et gratiam primo receperunt in fonte Baptismatis, *et gustaverunt donum cœleste,* id est, divinæ pietatis effectum, videlicet peccatorum remissionem et consolationem internam, experti sunt, *et participes facti sunt Spiritus Sancti,* id est, septem dona Spiritus Sancti *Is.* xi, 2, 3.
sortiti sunt : quæ omnia simul cum gratia gratum faciente infunduntur, et simul
cum ea habentur atque perduntur ; *gu-* 5
staverunt nihilo minus bonum Dei verbum, id est, Christi dulcedinem secundum ejus divinitatem contemplando ac diligendo senserunt : de quo verbo Pater testatur, Eructavit cor meum verbum bonum ; *Ps.* xliv, 2.
vel, Bonum Dei verbum, id est evangelicæ

doctrinæ sermonem, ita ut dicere vale-
Ps. cxviii, 103. ant : Quam dulcia faucibus meis eloquia
Jer. xx, 9. tua ! Illud quoque Jeremiæ : Factus est
sermo Domini in corde meo quasi ignis
exæstuans, claususque in ossibus meis ;
et defeci, ferre non sustinens ; *virtutesque
sæculi venturi,* id est, cœlestes perfecti-
ones, seu animæ et corporis dotes in pa-
tria habendas jam gustaverunt per spem
seu aliquam prælibationem ac inchoati-
6 onem ; *et prolapsi sunt,* id est, post tanta
beneficia in vitia corruerunt ; *renovari
rursus,* id est spiritualiter regenerari, *ad
pœnitentiam,* id est ad gratiam pœniten-
di, videlicet ut gratiam reparent per Ba-
ptismum, *rursum crucifigentes sibimetip-
sis Filium Dei,* id est, isti qui per Baptismi
iterationem resurgere putant a culpis, ite-
rum, quantum in ipsis est, et ad propri-
am damnationem, crucifigunt Christum, *et
ostentui habentes,* id est, eum irrident.
Nam et crucifixoribus et irrisoribus Chri-
sti consimiles sunt. Quum enim in Ba-
ptismo configurentur Christo passo atque
sepulto (juxta quod dictum est ad Roma-
Rom. vi, 3, 4. nos : Quicumque baptizati sumus in Chri-
sto Jesu, in morte ipsius baptizati su-
mus ; consepulti enim sumus cum illo per
Baptismum, etc.), dum ergo asserunt Ba-
ptismum iterari posse, passionem quoque
ipsius iterabilem fore protestari videntur.

Secundo, exponitur de quocumque re-
cidivante, qui post prædicta beneficia in
magna peccata prolabitur, et in iis quo-
dammodo habituatur. Non enim homo præ-
dictas gratias experitur, nisi sit valde per-
fectus. Talis vero non subito evacuatur,
sed paulatim, donec penitus obtenebretur.
Tales ergo ad pœnitentiam renovari, id est
iterum emendari et pœnitere, impossibile
est, id est difficile. Secundum quem mo-
dum peccata in Spiritum Sanctum dicun-
tur irremissibilia. Et Christus Judæis di-
Matth. xii, 34. xit : Quomodo potestis loqui bona, quum
sitis mali ? Sic enim apud Prophetam le-
Jer. xiii, 23. gitur : Si mutare potest Æthiops pellem
suam, et vos poteritis bene facere. Hujus-
modi quoque iterum crucifigunt sibi Fi-

A lium Dei, quoniam quantum in ipsis est,
causam suæ crucifixionis reiterant. — Ter-
tio, exponitur pro statu futuri sæculi, ut
sit sensus, quod prædicti renovari non
possunt ad pœnitentiam post hanc vitam,
secundum quod scriptum est : Venit nox Joann. ix, 4.
quando nemo potest operari.

Primus autem intellectus convenienti-
or est. Apostolus enim loquitur Hebræis,
amputans eis occasionem errandi circa
Baptismum, videlicet ne sic arbitraren-
tur repeti posse Baptismatis sacramentum,
B quemadmodum ablutiones et baptismata
legis Moysis iterabantur.

Denique, ex præinductis verbis Apostoli
Novatius, Romanæ Ecclesiæ diaconus, sum-
psit occasionem hæreticæ impietatis, af-
firmans sacramentum Pœnitentiæ iterari
non posse. Ad cujus erroris confirmatio-
nem aliqui adduxerunt quod scriptum est
in Job : Ecce hæc tribus vicibus opera- Job xxxiii, 29.
tur Deus per singulos. Et in libro Regum :
Si peccaverit vir in virum, placari ei po- I Reg. ii, 25.
test Deus ; si autem in Deum peccaverit,
C quis exorabit pro eo ? Et multa similia
in Scripturis habentur, ut quum ait Joan-
nes : Est peccatum ad mortem ; non dico I Joann. v, 16.
ut pro illo quis oret. Quæ omnia pruden-
ti indigent intellectu, ne verba vitæ et
veritatis fiant pabula mortis et falsitatis.

Præterea, quod prædicto modo recidivan-
tes, vel rebaptizari volentes, non renoven-
tur ad pœnitentiam, secundum expositi-
ones prætactas, ostendit per simile. *Terra* 7
*enim sæpe venientem super se bibens im-
brem,* id est, humorem seu pluviam sibi de-
D super incidentem consumens, *et generans
herbam opportunam,* id est fructum con-
venientem, *illis a quibus colitur* mediate
et immediate, id est agricolis, seu posses-
soribus qui eam faciunt arari et exerce-
ri ; *accipit benedictionem a Deo,* id est,
Deo eam fecundante, a suis cultoribus
commendatur tanquam fructifera ; vel, Ac-
cipit benedictionem, id est fecunditatem
a Deo, tanquam a prima principalique
causa. *Proferens autem spinas et tribu-* 8
los, id est infructuosa exsistens, *reproba*

est et maledicto proxima, id est, reproba- A
tur et tanquam sterilis maledicitur ; *cujus*
consummatio, id est fructificatio, scilicet
spinarum ac tribulorum productio, *erit*
in combustionem, id est, igni tradetur. —
Spiritualiter terra ista est homo, cujus
anima accipit imbrem super se venien-
tem, id est cœlestis gratiæ vel sapientiæ
salutaris profluvium. Quum autem pro-
ducit herbam opportunam, id est opera
virtuosa, convenientia illis a quibus co-
litur, id est angelis custodibus et prælatis
ac prædicatoribus, accipit benedictionem, B
Matth. xxv, 29. id est gratiæ incrementum, a Deo. Ha-
benti enim dabitur, et abundabit. Profe-
rens autem spinas et tribulos, id est pas-
siones acutas et opera prava, reproba est :
cujus consummatio, id est finis, erit in
combustionem ignis æterni, prout Salva-
Joann. xv, 6. tor ait : Si quis in me non manserit, mit-
tetur foras sicut palmes, et colligent eum,
et in ignem mittent.
Sed ne propter præinductæ increpationis
rigorem exasperarentur, vel pusillanimes
fierent, consequenter adjungit blandam C
9 consolationem. *Confidimus autem de vo-*
bis, dilectissimi, meliora et viciniora salu-
ti, id est, perfectiora opera et beatitudinis
magis meritoria, vobis inesse speramus,
quam superius insinuasse videmur, vel
Luc. viii, 7, 14. quam sint spinæ ac tribuli quæ suffocant
verbum Dei ; *tametsi ita loquimur,* id est,
quamvis tam dure vos increpavimus. Et
10 rationabiliter ita confidimus : *Non enim*
Sap. xii, 16. *injustus est Deus,* cujus virtus justitiæ
initium est, *ut obliviscatur operis vestri,*
id est, per modum obliviscentis se habeat, D
non attendendo nec remunerando vestra
opera bona, *et dilectionis* Dei ac proxi-
mi, *quam* intus latentem, *ostendistis* foris
per actus caritativos (nam exhibitio ope-
ris, probatio est caritatis : ideo dicit quo-
Joann. xiv, 23. que Salvator, Si quis diligit me, sermo-
nes meos servabit), *in nomine ipsius,* id
est propter amorem Dei et gloriam ejus ;
quia ministrastis, id est, necessaria vitæ
præbuistis et obsequia congrua impendi-
stis, *sanctis,* id est fide et opere christi-
anis, *et ministratis* eis, perseverando in
opere inchoato : sicut et ad Galatas jam
dictum est : Per caritatem servite invicem. Galat. v, 13.
Cupimus autem, zelo vestræ salutis ac- 11
censi, *unumquemque vestrum eamdem os-*
tentare sollicitudinem, id est præmemora-
tam sollicitam ministrationem frequenter
ostendere, *ad expletionem spei,* id est ad
adipiscendum bonum æternum, præmi-
umque cœleste speratum, videlicet pro-
pter consecutionem veræ felicitatis, quæ
est expletio, id est actuatio, spei : osten-
tare, inquam, *usque in finem* vitæ præ-
sentis. Qui enim perseveraverit usque in Matth. xxiv, 13.
finem, salvus erit. *Ut non segnes,* id est 12
pigri ac tepidi, *efficiamini :* prout in Apo-
calypsi cuidam improperatur, Habeo ad- Apoc. ii, 4.
versum te quod caritatem tuam primam
reliquisti ; et in eodem libro, Utinam fri- Ibid. iii, 15.
gidus esses aut calidus ; *verum,* id est sed,
imitatores eorum efficiamini, *qui fide et*
patientia, id est merito seu actibus fidei
atque patientiæ, *hereditabunt promissio-*
nes, id est, promissa cœlestia hereditarie
possidebunt, quæ nec oculus vidit, nec I Cor. ii, 9.
auris audivit, nec cor capere valet.
Quod autem factæ sint hominibus pro-
missiones divinæ, consequenter ostendi-
tur. *Abrahæ namque promittens Deus* bona 13
terrena atque cœlestia, scilicet possessio- Gen. xii, 1-3; xv, 7, 18-21; etc.
nem terræ Chanaan dandam semini suo,
et omnes gentes benedicendas esse in se-
mine suo, videlicet benedictione salutis
æternæ, *quoniam neminem,* id est nul-
lum, *habuit per quem juraret, majorem :*
nil enim majus seu dignius est Deo, per
quod possit Deus jurare ; *juravit per se-*
metipsum, dicens : Nisi benedicens bene- 14
dicam te, id est, in spiritualibus ac tem-
poralibus bonis copiam tibi præstabo :
quod si non fecero, non mihi credatur, nec
æstimer Deus ; *et multiplicans multipli-*
cabo te, id est, multos ex te filios pro-
creabo. De hoc legitur in Genesi, quem- Ibid. xxii, 16, 17.
admodum Deus juraverit Abrahæ, quod
semen ejus esset sicut stellæ cœli, et sicut
arena maris. *Et sic* Abraham *longanimiter* 15
ferens, id est diu patienter exspectans,

adeptus est repromissionem, id est bona A
promissa, videlicet vitam æternam, et re-
liqua jam expressa.
Cur autem Deus juravit, subjungitur, sci-
licet ad condescendendum infirmitati hu-
16 manæ. *Homines enim per majorem sui,* id
est per aliquem vere vel opinative dignio-
rem, *jurant.* Confirmatio namque non fit
nisi per aliquid certius atque stabilius.
Idololatræ vero jurant per idola, quibus
ipsi digniores sunt. Ipsi tamen idola sua
deos esse putantes, arbitrantur se idolis
inferiores. *Et omnis controversiæ eorum* B
finis, id est terminatio totius altercationis
hominum, *est juramentum,* valens *ad con-*
firmationem ejus quod dicitur, cui aliter
non crederetur, nisi juramento firmare-
17 tur. *In quo,* id est per quod juramentum
Abrahæ factum, *abundantius volens Deus*
ostendere pollicitationis suæ *heredibus,* id
est electis divinas promissiones æternali-
ter possessuris, videlicet Abrahæ et semi-
ni ejus, *immobilitatem consilii sui,* id est
invariabile propositum sapientiæ suæ, seu
consilium suum immobile de salvandis. C
Is. XLVI, 10. Consilium enim Dei immobile est ; et
quamvis Deus mutet sententiam, non ta-
men consilium. Dum ergo consilium Dei
juramento firmatur, multum abundanter
ostenditur hominibus immobilitas divini
consilii. Ideo subditur : *interposuit jus-*
jurandum, id est, sermoni quem habuit
18 ad Abraham, miscuit juramentum, *ut per*
duas res immobiles, id est per immobi-
litatem divini consilii, et infallibilitatem
divini juramenti, *quibus impossibile est*
mentiri Deum, qui est prima totius ve- D
ritatis mensura, et veritas ipsa, *fortissi-*
mum solatium, id est jucundam atque
præcipuam securitatem sive fiduciam, *ha-*
beamus de adeptione promissorum bono-
rum, *qui confugimus* ad Deum (dicentes :
Domine, refugium factus es nobis), *ad* *Ps.* LXXXIX, 1.
tenendam propositam spem, id est ad fir-
miter conservandam futuræ beatitudinis
exspectationem.
Quam spem *sicut ancoram habemus* 19
animæ tutam ac firmam : id est, quem-
admodum ancora corporalis tenet navim
in fluctibus fixam, ne mergatur aut de-
fluat, sic spes est spiritualis ancora animæ
tuta et firma, id est secura et fortis, quo-
niam tenet animam inter prospera et ad-
versa in Domino fixam atque illæsam.
Unde in libro Machabæorum habetur : Om- I *Mach.* II, 61.
nes qui sperant in Domino, non infir-
mantur ; et in Psalmo, Sperent in te qui *Ps.* IX, 11.
noverunt nomen tuum, quoniam non dere-
liquisti quærentes te, Domine. *Et inceden-*
tem, id est tendentem et nos introducen-
tem, *usque ad interiora velaminis,* id est
usque ad patriam Beatorum, quam modo
non cernimus nisi fide, de cujus ratione
est quædam obscuritas seu veritatis ve-
lamen. Interiora ergo velaminis, sunt se-
creta cœlestia seu beatitudo futura jam
nobis velata. Inter Ecclesiam quippe mi-
litantem ac triumphantem interpositum
est velamen. *Ubi,* id est quæ secreta pa- 20
triæ, *præcursor pro nobis,* id est ad no-
stram utilitatem, *introivit* in ascensione,
videlicet *Jesus,* qui exsultavit ut gigas ad *Ps.* XVIII, 6.
currendam viam, et ante nos festinavit
ad patriam, *secundum ordinem Melchi-* *Ps.* CIX, 4.
sedech pontifex factus in æternum. Hæc
verba jam dicta sunt atque exposita.

ARTICULUS VII

ELUCIDATIO CAPITULI SEPTIMI : HIC ENIM MELCHISEDECH, REX SALEM, SACERDOS, ETC.

Hebr. v, 11. SUPERIUS dixit Apostolus, grandem si-
bi esse sermonem ad dicendum de
Christo. Hunc ergo sermonem nunc pro-
sequi incipit, manifestans excellentiam sa-
cerdotii Christi, comparatione sacerdotii
Levitici seu legalis. Jam quippe plenius
docet quemadmodum Christus sit sacer-
dos secundum ordinem Melchisedech, non
secundum ordinem Aaron. Itaque ratio-
nem assignans cur dixerit Christum esse
pontificem in æternum secundum ordi-
nem Melchisedech, ait :
1 *Hic enim Melchisedech, rex Salem.* Se-
Gen. XIV, 18. cundum Hebræos, Melchisedech fuit pri-
mogenitus Noe, alio nomine dictus Sem :
quem dicunt habuisse tempore nativitatis
Abrahæ trecentos et nonaginta annos, vi-
xisseque eum usque ad tempora Isaac,
imo et Jacob. Quod enim in Genesi legi-
Ibid. XXV, 22. tur, Rebeccam transisse ad consulendum
Dominum super filiis quos in utero ha-
buit, dicunt quod ad Melchisedech pro
consilio iverit. Denique, per Salem Isido-
rus intelligit Jerusalem, quæ alio nomi-
ne dicta est Salem : quam asserit a Mel-
chisedech primo ædificatam, regnasseque
eum in illa. Probabilius tamen est dictum
S. Hieronymi, asserentis Salem fuisse op-
pidum terræ seu regionis Sichem, quod
nunc usque Salem vocatur, ubi ex ma-
gnitudine ruinarum palatium Melchise-
dech demonstratur. Unde legimus de Jo-
Joann. III, 23. anne Baptista : Erat Joannes baptizans in
Ænnon juxta Salem. *Sacerdos Dei summi,*
non idolorum, quorum tunc viguit cultus.
Tempore enim legis naturæ, primogeniti
fuerant sacerdotes. *Qui obviavit,* id est
occurrit, *Abrahæ* sibi propinquo, *regres-
so,* id est redeunti, *a cæde,* id est percus-
sione, *regum.* Legitur enim in Genesi,
A quomodo quatuor reges impugnaverunt *Gen.* XIV, 1 *et seq.*
quinque reges, sub quorum uno, videlicet
sub rege Sodomæ, habitavit Lot, qui a
quatuor regibus captivus abductus est,
quinque regibus superatis. Quo audito,
Abraham collectis trecentis et octodecim
vernaculis suis, insecutus est quatuor re-
ges : quibus devictis, et præda excussa,
reduxit nepotem suum Lot. *Et benedixit*
Melchisedech *ei,* videlicet Abrahæ, dicens :
Benedictus Abraham Deo excelso ; *cui et* *Ibid.* 19.
decimas, id est decimam partem, *omnium* 2
B spoliorum quæ de regibus sumpta fue-
runt, *divisit Abraham,* tanquam majori
ac sacerdoti præcipuo. Et quoniam Melchi-
sedech præstitit Abrahæ spiritualia, eum
benedicendo, ideo Abraham reddidit ei
temporalia bona.
Consequenter ostenditur quod Melchi-
sedech recte figuraverit Christum. *Pri-
mum quidem* hoc dico de Melchisedech,
qui interpretatur, id est cujus nomen
exponitur, *rex justitiæ.* Dicitur enim a
MELCHI, quod est rex, et SEDEC, id est ju-
C stitia, quasi rex justitiæ. *Deinde autem*
vocatus est *rex Salem, quod est* interpre-
tatum *rex pacis.* Propter utrumque isto-
rum significat Christum, de quo ait Psal-
mista : Orietur in diebus ejus justitia et *Ps.* LXXI, 7.
abundantia pacis. Justitia namque et pax
se concomitantur, juxta illud Isaiæ : Erit *Is.* XXXII, 17.
opus justitiæ pax. Melchisedech, inquam,
exsistens *sine patre, sine matre :* non quia 3
non habuit, sed quia Scriptura non ex-
primit : in figura Christi, qui fuit sine
matre in cœlo, secundum naturam divi-
D nam, et sine patre in terra, secundum
naturam humanam ; *sine genealogia,* id
est generatione seu prole, vel quia non
habuit, vel quia Scriptura hoc subticet ;

neque initium dierum, neque finem vi-
tæ habens, secundum sensum prætactum,
videlicet quia non describitur ortus vel
occasus vitæ ejus : et hoc, in figura Chri-
sti, qui secundum divinam naturam æter-
nus est.

Ex his videtur stare non posse dictum
Judæorum, quod Melchisedech fuit Sem :
parentes enim et genealogia atque initi-
Gen. v. um dierum Sem, describuntur in Genesi.
Nisi forte dicatur, quod Scriptura non di-
cit hæc de eo sub hoc nomine Melchise-
dech. Apparet præterea quod aliter dici
possit, ut dicatur Melchisedech fuisse sine
patre et matre, quia ob nimiam ejus se-
nectutem, nemo tempore senectutis Mel-
chisedech, notitiam seu memoriam habuit
parentum ejus. Et simili modo dicitur si-
ne initio et fine dierum, sicut de re ul-
tra solitum cursum durante, dicimus quod
nunquam cessabit. Sed tunc latius objici
posset, quod simili ratione illi qui ante
diluvium erant, et multo diutius isto Mel-
chisedech vixerunt, possent dici sine pa-
tre et matre, etc. Ad quod facile respon-
detur, quod tunc consuetum erat homines
tam diu vivere, non autem post diluvi-
Ibid. vi, 3. um. Unde et Dominus dixit, quod anni
humanæ vitæ essent exinde centum vi-
ginti.

Assimilatus autem Melchisedech iste in
omnibus jam prædictis, ut tactum est,
Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum.
Hoc de sacerdotio Melchisedech dicitur,
quoniam finis ejus in Scriptura non enar-
ratur, nec aliquis ipsi Melchisedech suc-
cessisse describitur : quod totum fit in
figura Christi ac sacerdotii ejus.

Adhuc autem ostendit Apostolus digni-
tatem ipsius Melchisedech, excellentiam-
que sacerdotii ejus ultra sacerdotium Le-
4 viticum. *Intuemini autem,* id est, solerter
pensate, *quantus,* id est quam dignus, *sit*
Ibid. xiv, 20. *iste* Melchisedech, *cui et decimas dedit de*
præcipuis, id est de melioribus rebus ;
vel, De præcipuis, id est unus præcipuo-
rum seu dignissimorum hominum, scili-
cet *Abraham patriarcha,* id est princeps
A patrum, qui decimas dando, cognovit se
inferiorem ei cui decimas dedit. Insuper
præfert ipsum Melchisedech Levitis. *Et* 5
quidem de filiis Levi sacerdotium acci-
pientes, id est filii Aaron nati ex filiis Le-
vi, fungentes sacerdotio secundum legem,
mandatum habent in lege *decimas sumere* *Num.* xviii, 21.
a populo, id est ab inferioribus, non ab
excellentioribus : et hoc, *secundum le-*
gem, id est a fratribus suis, puta Judæis,
et etiam ab inferioribus Levitis. Inferio-
res enim Levitæ sacerdotibus decimas da- *Ibid.* 26.
B bant, in signum suæ subjectionis. Hæc
autem decima, vocabatur decima decimæ :
quia de decimis sibi datis, decimas per-
solverunt. *Quanquam et ipsi* fratres sa-
cerdotum, puta Judæi omnes fere et inferi-
ores Levitæ, *exierint de lumbis Abrahæ,* id
est, de semine ejus nati sint, quemad-
modum sacerdotes. Quasi dicat : Sacerdo-
tes aliis pares sunt genere, sed majores
sunt sacerdotii auctoritate. Non ergo Ju-
dæi dedissent sacerdotibus decimas, nisi
propter excellentiam sacerdotum, quam
C ex divina ordinatione habebant. Ergo nec
Abraham decimas dedisset Melchisedech,
nisi major eo fuisset. Et quoniam iste
Melchisedech a tam excellenti Patriarcha,
sine legis mandato, quasi propria aucto-
ritate, decimas sumpsit, constat quod ejus
sacerdotium excellentius sit sacerdotio Le-
vitico. *Cujus autem generatio non an-* 6
numeratur in eis, id est Melchisedech,
cujus generationem Scriptura non recitat,
qui etiam non fuit de semine Abrahæ sicut
Judæi, a quibus Levitæ decimas accepe-
D runt, *decimas sumpsit ab Abraham,* tan-
quam ab inferiori : ergo major fuit eo et
posteris ejus.

Cujus aliam rationem subdit Apostolus.
Et hunc Abraham patriarcham *qui habe-*
bat repromissiones, id est, cui Deus multa
promisit, videlicet quod in semine ejus *Gen.* xxii, 18; xv, 15.
benedicerentur omnes gentes, et ipse in
bona senectute moreretur, *benedixit* ipse
Melchisedech, dicens : Benedictus Abra- *Ibid.* xiv, 19.
ham Deo excelso. *Sine ulla autem con-* 7
tradictione, id est nullo negante, *quod*

minus est, id est inferius, *a meliore,* id A
est a sublimiori, *benedicitur*. Benedicens
enim, inter Deum et eum qui benedici-
tur, medius est : quod intelligendum est
de benedictione consecrationis. Ergo Mel-
chisedech major fuit quam Abraham.

Tertiam quoque rationem ad idem sub-
8 dit Apostolus. *Et hic quidem,* in sacerdotio
Levitico, *homines morientes,* id est sacer-
dotes mortales, per mortem sibi invicem
succedentes, *decimas accipiunt* a Judæis ;
ibi autem, id est in ipso Melchisedech,
contestatur Scriptura *quia vivit* ipse Mel-
chisedech, quoniam nil dicit de morte
ipsius, quasi sit sine fine dierum. Quod
fit in figura Christi pontificis nostri, cu-
jus sacerdotium discernitur a sacerdotio
Levitico per Melchisedech. Hæc verba qui-
dam male intelligentes, dixerunt Melchi-
sedech immortalem fuisse. Patet ergo quod
sacerdotium Melchisedech dignius erat sa-
9 cerdotio Levitico. *Et ut ita dictum sit,*
id est sic loquendo, videlicet per figuram
quæ appellatur synecdoche, *per Abraham*
dantem decimas ipsi Melchisedech, *et Le-* C
vi, id est ordo sacerdotum Leviticorum,
qui decimas accepit secundum legem a
populo Israel, *decimatus est,* id est, de-
cimas dedit sacerdoti Melchisedech. Et re-
cte dixi quod Levi per Abraham, seu in
Abraham, non per se ipsum, decimas de-
10 dit, quoniam nondum erat : *Adhuc enim*
in lumbis patris sui, videlicet Abrahæ,
erat Levi, *quando obviavit ei,* scilicet
Abrahæ, ipse *Melchisedech*. Per lumbos
autem significat Apostolus membra in qui-
bus est semen, id est virtus generativa. D
Rom. v, 12. Quemadmodum ergo Adam peccante, om-
nes peccavimus qui eramus in lumbis
ejus ; sic Abraham dante decimas, Levi
et ceteri exsistentes in lumbis ejus, de-
cimas præstiterunt. Ideo inferiores fuerunt
ipso Melchisedech, quia dans decimas in-
ferior est recipiente. — Non tamen Chri-
stus in Abraham decimatus est, sicut nec
in Adam peccavit, quamvis fuerit in lum-
bis amborum. Fuit nempe in lumbis Adæ
ac Abrahæ alio modo quam ceteri, utpu-
ta tantum secundum corpoream substan-
tiam, non secundum rationem semina-
lem : quia non fuit conceptus naturali
virtute seminis, sed supernaturali poten- *Luc.* i, 35.
tia Sancti Spiritus. Sacerdotium ergo Mel-
chisedech dignius sacerdotio fuerat Le-
vitico, non autem sacerdotio Christi aut
christiano.

Consequenter probat Apostolus, quod
sacerdotium Christi præstantius sit sacer-
dotio Levitico, ipsumque evacuet, et per
consequens legem veterem cessare faciat.
B *Si ergo consummatio,* id est hominum 11
perfectio, *per sacerdotium Leviticum erat,*
id est, si sacerdotium illud legale, in se
perfectum aliosque perficiens fuit : *popu-*
lus enim Israel *sub ipso* sacerdotio *legem*
accepit in monte Sinai. Vetus enim lex *Exod.* xix,
ministrata est populo Israel per sacerdo- xx, etc.
tes Levitici generis. Quoniam ergo popu-
lus sub illo sacerdotio legem accepit, in-
diguit perfici illo sacerdotio ; ideo recte
quæsivi, an consummatio per sacerdotium
Leviticum erat. Si ergo sic fuit, *quid ad-*
huc necessarium fuit, secundum ordinem
Melchisedech, alium ritu ac tribu *surgere*
sacerdotem, videlicet Christum, qui non
est sacerdos ex tribu Levi descendens, nec
ritum legalium sacerdotum observans, *et*
non secundum ordinem Aaron dici, id est
Christum non appellari sacerdotem secun-
dum ordinem Aaron, sicut vocatus est sa-
cerdos secundum ordinem Melchisedech ?
quasi dicat Apostolus : Si per sacerdotium
Leviticum potuissent homines a peccato
purgari et gratia perfici, non prædixisset
Scriptura alium sacerdotem surrecturum,
non secundum ordinem Aaron, sed Mel-
chisedech. Alias namque sacerdotium hu-
jus superfluum esset. Quum ergo Scriptura
prænuntiaverit Christum fore sacerdotem *Ps.* cix, 4.
secundum ordinem Melchisedech, constat
quod sacerdotium Leviticum fuerat im-
perfectum ac figurativum : propter quod,
adveniente sacerdotio Christi cessare de-
bebat, quemadmodum figura et imperfe-
ctum cessant adveniente re figurata atque
perfecta.

Porro quod frustra alius sacerdos sur- A
geret, si sacerdotium Leviticum consum-
12 maret, declarat Apostolus. *Translato enim
sacerdotio, necesse est ut et legis transla-
tio fiat.* Lex namque et sacerdotium simul
sunt, et se concomitantur, nec unum pro-
dest sine officio alterius. Ideo quod de
uno dicitur, de alio intelligitur : unde uno
mutato, aliud quoque mutatur. Quoniam
ergo teste Scriptura, surgit alius sacer-
dos a sacerdotibus legalibus, scilicet Chri-
Ps. CIX, 4. stus, de quo scriptum est, Tu es sacerdos
in æternum secundum ordinem Melchi- B
sedech, liquet quod lex vetus per Chri-
stum cessaverit.

Cessationem vero legalis seu Levitici sa-
cerdotii adhuc probat Apostolus, eo quod
13 Christus non sit de tribu Levi. *In quo
enim hæc dicuntur,* id est Christus, de
cujus persona, ista de sacerdotio secun-
dum ordinem Melchisedech recitantur, *de
alia tribu* quam sit tribus Levi, *est,* sci-
licet de tribu Juda, *de qua nullus altario
præsto fuit,* id est, nemo ad ministerium
altaris accessit. Quod autem de alia tribu C
14 sit Christus, ostenditur. *Manifestum est*
Gen. XLIX, 8-10. *enim quod ex Juda patriarcha ortus sit
Dominus noster* Jesus Christus. Virgo enim
Matth. I, 3-16; *Luc.* I, 27. Maria, sicut et Joseph, de tribu Juda pro-
cessit. Unde in Apocalypsi habetur : Vicit
Apoc. V, 5. leo de tribu Juda. *In qua tribu nihil de
sacerdotibus Moyses locutus est,* scilicet,
ut aliquis de tribu Juda esset sacerdos le-
15 galis. *Et amplius,* id est alia ratione, *ad-
huc manifestum est* quod in præcedente
ratione ostensum est, scilicet quod sacer-
dotium Leviticum sit translatum : *si,* pro D
quia, *secundum similitudinem,* id est ri-
tum et ordinem, *Melchisedech exsurgat
alius sacerdos,* videlicet Christus, sicut
I Cor. XI, 23-25. Scriptura prædixit : qui sub speciebus
panis et vini corpus suum et sanguinem
Gen. XIV, 18. dedit discipulis, sicut Melchisedech panem
16 et vinum obtulit; *qui* Christus *non secun-
dum legem mandati carnalis,* id est non
secundum institutionem legis Mosaicæ car-
nalia præcipientis, *factus est* sacerdos :
non enim fuit de tribu Levi, nec legalia

sacrificia immolavit; *sed secundum virtu-
tem vitæ insolubilis,* id est potestate di-
vina, qua dat suis electis vitam insolu- *Joann.* X, 28.
bilem seu æternam. Divina enim virtute
ac ordinatione factus est Christus sacerdos.

Quod autem Christus sit sacerdos secun-
dum similitudinem Melchisedech, probat.
Contestatur enim David in Psalmo : *Quo-* 17
niam tu, Christe, *es sacerdos in æternum* *Ps.* CIX, 4.
secundum ordinem Melchisedech. Repro- 18
batio quidem fit præcedentis mandati, id
est, nunc tempore gratiæ vetus lex repro-
batur, seu evacuata docetur, ita ut non
liceat eam servari, *propter infirmitatem,*
id est propter imperfectionem quam ha-
buit quando stetit : non enim plene justi- *Rom.* III, 20.
ficavit, nec ad beatitudinem introduxit, eo
quod non continuit gratiam; *et* etiam pro-
pter *inutilitatem ejus* pro tempore gra-
tiæ. Jam enim ejus observantia nil con-
fert, nec ad gratiam præparat, sed potius
obest. *Nihil enim ad perfectionem addu-* 19
xit lex, id est, propria virtute nullum ad
perfectionem perduxit : imo nihil opera-
batur ad perfectionem internam, quia non
continuit gratiam. Non enim sacramenta
ejus gratiam continebant, quemadmodum
sacramenta novæ legis, quæ ratione suo-
rum sacramentorum dicitur gratiam con-
tinere atque præstare. Quamvis ergo lex
perfectionem præcepit per mandata mo-
ralia, non tamen virtutem implendi do-
navit. Idcirco sua virtute nullum perfecit.
Et quamvis multi in veteri lege erant per-
fecti, hoc tamen non fuit per legem, sed
per fidem et gratiam Christi tunc ventu-
ri. Elucescit itaque quod lex, etiam quoad
præcepta moralia, non adduxit ad perfe-
ctionem sua virtute. Propter quod dictum
est ad Galatas : Si data esset lex quæ pos- *Galat.* III, 21.
set vivificare, vere ex lege esset justitia.
Introductio vero melioris spei, id est ex-
hibitio spei nobis a Christo proposita, qua
non terrena, sed cœlestia bona exspecta-
mus, est *per quam,* id est cujus virtute,
proximamus ad Deum, id est, ad Deum
accedimus, acquirendo perfectionem gra-
tiæ in præsenti, et perfectionem gloriæ in

futuro. Hæc enim est vera atque formata
Rom. v, 5. spes, quæ non confundit, sed salvat.
Insuper probat Apostolus, sacerdotium
Christi firmius ac dignius esse sacerdotio
Levitico : quoniam Christus institutus est
sacerdos a Deo cum jurejurando ; sacer-
dotes vero legales, sine jurejurando seu
20 juramento divino. *Et quantum est,* id est
illud quod de sacerdotio Christi perhibe-
tur, *non sine jurejurando* factum est, nec
intelligendum sine eo. *Alii quidem,* puta
Levitici sacerdotes, non in perpetuum du-
raturi, *sine jurejurando,* id est sine con-
firmatione divini juramenti, *sacerdotes fa-
cti sunt.* Unde in Exodo ubi de ordinatione
sacerdotum legalium agitur, nullum in-
terponitur juramentum. Sic quippe Do-
Exod. xxviii, 1. minus ait ad Moysen : Applica fratrem
tuum cum filiis suis de medio filiorum
21 Israel, ut sacerdotio fungantur mihi. *Hic
autem,* videlicet Christus, sacerdos effectus
est secundum assumptam naturam, *cum
jurejurando per eum,* id est ab eo, puta
a Deo Patre, *qui dixit ad illum* in Psal-
Ps. cix, 4. mo : *Juravit Dominus,* haud dubium quin
per se ipsum, *et non pœnitebit eum* ju-
rasse. Nunquam enim pœnitet de eo quod
semel decretum est in suo æterno con-
silio, quamvis interdum pœniteat, id est,
per modum pœnitentis se habeat, mutan-
do factum seu variando sententiam. Unde
I Reg. xv, 29. in libro Regum legitur : Porro Triumpha-
tor in Israel non parcet, et pœnitudine
non flectetur ; neque enim homo est, ut
agat pœnitentiam. *Tu es sacerdos in æter-
num.* In quo patet invariabilitas sacerdotii
22 Christi. *In tantum,* id est tam multum,
sicut sacerdotium Christi præfulget sacer-
dotio legali, videlicet quod est æternum
et juramento firmatum, *melioris testamen-
ti,* id est perfectioris legis, *sponsor,* id est
assertor, *factus est Jesus.* Docuit enim
evangelicam legem seu novum testamen-
tum, quod veteri testamento vehementer
præfertur. Promittit namque bona æter-
na, gratiam continet, et ad felicitatem,
quæ finis est legis, introducit. Vel sic :
Melioris testamenti, id est præstantiorum

A bonorum, puta cœlestium, sponsor et pro-
missor factus est Jesus : qui in exordio
suæ prædicationis, Pœnitentiam, inquit, Matth. iv, 17.
agite, appropinquabit enim regnum cœlo-
rum. Nomine autem testamenti, interdum
exprimitur bonum quod per testamentum
præstatur. Vetus vero testamentum spon-
debat terrena.
Præterea agit Apostolus de unitate sa-
cerdotii Christi. *Et alii quidem* Levitici 23
generis *plures facti sunt sacerdotes* sum-
mi, sibi invicem succedentes, *secundum*
B *legem,* quæ præcepit filium succedere pa- Lev. vi, 22; xvi, 32.
tri in sacerdotio, *idcirco quod morte,* id
est per mortem, *prohiberentur permane-
re,* id est jugiter vivere ; *hic autem* Chri- 24
stus *eo quod maneat in æternum,* non
solum secundum divinitatem, sed et se-
cundum humanam naturam post resurre-
ctionem : unde Judæi dixerunt, Nos au- Joann. xii, 34.
divimus ex lege, quia Christus manet in
æternum ; *sempiternum habet sacerdoti-
um.* Ex his elicit Apostolus efficaciam sa-
cerdotii Christi. *Unde,* id est propter sem- 25
C piternitatem sacerdotii sui, *et salvare,* id
est salutem conferre, *in perpetuum potest,*
videlicet quamdiu est aliquis salvandus ;
vel, Salvare in perpetuum, id est perpe-
tuam beatitudinem dare ; *accedens* spiri-
tuali accessu, *per se ipsum,* id est in pro-
pria persona, secundum quod homo, non
per aliquem mediatorem seu aliam hosti-
am, *ad Deum* Patrem, tanquam advocatus I Joann. ii, 1.
noster ac mediator ; *semper vivens,* id est Apoc. i, 18.
vigorosus ac vivax exsistens : resurgens Rom. vi, 9
enim ex mortuis, jam non moritur ; *ad*
D *interpellandum pro nobis.* Quomodo au-
tem conveniat Christo interpellare, id est
orare, pro nobis, diligenter tractatum est
ad Romanos, ubi hæc eadem verba ponit Ibid. viii, 34.
Apostolus.
Quod vero Christus sit idoneus ad in-
terpellandum pro nobis, consequenter os-
tenditur. *Talis enim,* sicut subscribitur, 26
decebat ut nobis, id est ad nostram salu-
tem procurandam, *esset pontifex,* utpote
sanctus in anima per omnis culpæ caren-
tiam, *innocens* quantum ad alios, quia non

Is. LIII, 9. est inventus dolus in ore ejus, *impollutus*
corpore, *segregatus a peccatoribus*, id est
grege iniquorum remotus nunc loco et
opere. Verumtamen Christus in hac vita
non erat corporaliter a peccatoribus se-
gregatus, nec eos vitavit. Nam quum Pha-
Matth. IX, 11-13; *Luc.* V, 30, 31. risæi dixissent discipulis, Quare cum pu-
blicanis et peccatoribus manducat et bibit
magister vester? Christus respondit : Non
indigent, qui sani sunt, medico, sed qui
Luc. XIX, 10. male habent : venit enim Filius hominis
quærere et salvum facere quod perierat.
Opere tamen et consensu separatus fuit
Ephes. IV, 10. ab eis. *Et excelsior cœlis factus*. Ascen-
dit enim super omnes cœlos, et univer-
sis creaturis cœlestibus dignior est, quo-
Ps. VIII, 8; I *Cor.* XV, 26. niam Pater omnia subjecit sub pedibus
ejus.
27 *Qui* Christus *non habet quotidie necessi-
tatem, quemadmodum sacerdos* legalis ne-
Lev. XVI, 6. cessitatem habebat, *prius pro suis delictis
hostias offerre, deinde pro populo*, id est
populi delicto expiando. Hoc namque erat
imperfectionis in sacerdotibus veteris Te-
stamenti, quod prius pro propria recon-
ciliatione hostias immolabant. Sed Chri-
Is. LIII, 9. stus, qui peccatum non fecit, talis non
fuit; nec indiget quotidie offerre pro po-
pulo hostiam : *hoc enim fecit semel*, id
est, una vice obtulit hostiam pro populo,
se ipsum offerendo Deo Patri in ara crucis
pro nobis. Quæ hostia tantæ est dignita-
tis, ut pro omnium peccatis sufficientis-
sima fuerit : ideo non indiget iterari. Sed
sacrificia legis propter insufficientiam su-
am iterabantur quotidie. Ideo sequitur :
Lex enim Mosaica *homines* de semine 28
Aaron *constituit sacerdotes, infirmitatem*
peccandi ac moriendi *habentes*, qui et pec-
cabant sicut et ceteri : ideo pro se ipsis
indigebant offerre. *Sermo autem jurisju-
randi*, id est sermo Dei juramento firma-
tus, seu jusjurandum sermone prolatum,
qui sermo *post legem*, id est legislationem
in monte Sinai factam, *est* dictus per Da-
vid in Psalmo, ubi dicitur, Juravit Domi- *Ps.* CIX, 4.
nus et non pœnitebit eum ; *Filium* Dei
incarnatum constituit sacerdotem *perfe-
ctum*, id est plenum gratiæ et veritatis, *Joann.* I, 14.
in æternum. Christus enim secundum di-
vinam naturam est simpliciter perfectus,
quemadmodum Pater; secundum naturam
vero humanam, tantæ exstitit perfectio-
nis, quantam capere potest natura crea-
ta, quia non ad mensuram dat Deus Spi- *Ibid.* III, 34.
ritum homini Christo.

ARTICULUS VIII

DECLARATIO CAPITULI OCTAVI : CAPITULUM AUTEM SUPER EA QUÆ DICUNTUR.

MULTIS jam de dignitate sacerdotii Christi præmemoratis, nunc summarie breviterque perstringit Apostolus ea quæ materiam istam concernunt, ostendens etiam eminentiam sacerdotii Christi ratione sacerdotalis officii.

1 *Capitulum autem*, id est brevis multo-
rum complexio. Capitulum namque a capite nomen sortitur, quoniam sicut in capite omnes sensus vigent et continentur, sic capitulum totam summam breviter comprehendit. Itaque, Capitulum *super ea*, id est de his, *quæ dicuntur* de sacerdotio Christi, est hoc quod immediate subjungitur : ubi et capitulum incipit. *Talem habemus pontificem, qui consedit*, id est, simul cum Patre sedit ab hora ascensionis secundum humanitatem, secundum divinitatem vero a principio, *in dextera sedis*, id est throni, vel potius sedentis, *magnitudinis*, id est paternæ majestatis, seu Dei Patris, *in cœlis*, id est in

cœlo empyreo cœlique civibus. Quomodo A
autem conveniat Christo secundum utram-
que naturam sedere ad dexteram Patris,
Hebr. I, 3. in expositione primi capituli hujus episto-
2 læ dictum est plenius. *Sanctorum minister,*
id est sacrorum Dei donorum, videlicet
gratiæ in præsenti et gloriæ in futuro, mi-
nistrator seu dator instrumentalis secun-
dum quod homo. Ipsis etiam sanctis di-
scipulis suis Christus ministravit in terra,
Luc. XXII, 27. juxta illud : Ego in medio vestrum sum
sicut qui ministrat. Sanctis quoque in
patria ministrat vitam æternam, secun- B
Ibid. XII, 37. dum quod scriptum est : Præcinget se, et
transiens ministrabit eis. Hæc est servi-
tus dignationis, non subjectionis, qua et
Hebr. I, 14. angeli ministrant hominibus. *Et taberna-*
culi veri, id est Ecclesiæ militantis seu
triumphantis (de qua legitur in Apocaly-
Apoc. XXI, 3. psi : Ecce tabernaculum Dei cum homi-
nibus, et habitabit cum eis; item in Psal-
Ps. XIV, 1. mo : Domine, quis habitabit in tabernaculo
tuo?), quod aliud nihil est nisi electi et
sancti, quorum Christus minister est, se-
Matth. XX, 28. cundum sensum jam tactum : venit enim C
Filius hominis ministrare, non ministrari;
quod fixit, id est, gratia atque virtutibus
stabilivit, *Deus,* qui solus hoc potest, vi-
delicet mentes electorum per gratiam fi-
gere, *et non homo* purus.
Quod autem Christus sit Sanctorum mi-
3 nister, hinc patet : *Omnis enim pontifex*
legalis sive catholicus, *ad offerenda mu-*
nera spiritualia ac corporalia sui ipsius ac
proprii gregis, *et hostias* laudis pro se ip-
so ac subditis, *constituitur,* id est, pon-
tifex ordinatur : hoc est enim officium D
ejus, quum sit inter Deum et populum
medius. Unde quæ populi sunt, offert Deo;
et quæ Dei sunt, impetrat populo. *Unde*
necesse est et hunc sacerdotem, videlicet
Christum, *habere aliquid quod offerat,* non
pro se, sed pro suis, utpote carnem, quam
propter nos immolavit, quam et incessa-
Hebr. IX, 24. biliter pro nobis Patris conspectui præ-
sentat cum desiderio nostræ salutis.
4 *Si ergo esset super terram,* id est, si
sacrificium a Christo offerendum, esset
terrenum, legale aut transitorium, *nec es-*
set sacerdos, id est, tunc ipse Christus non
esset sacerdos secundum ordinem (ut di-
ctum est) Melchisedech. Nam sacerdotium
ejus superfluum esset, eo quod sacrifici-
um ejus offerri posset a sacerdotibus vete-
ris legis. Secundum quod subditur : *quum*
essent, id est, ex quo forent sacerdotes le-
gales, *qui offerrent secundum legem* scri-
ptam *munera* terrena et sacrificia similia
hujuscemodi sacrificio Christi. *Qui* sacer- 5
dotes legis *exemplari et umbræ deservi-*
unt cœlestium, id est, circa figuras et sa-
cramenta legalia occupantur : quæ sunt
exemplar cœlestium, quoniam ad eorum
cognitionem aliquo modo inducunt. Quia
tamen hoc faciunt multum obscure ac im-
perfecte, umbra cœlestium appellantur.
Umbra enim inter evidentem imaginem et
rem ipsam est media. Sunt ergo exemplar
cœlestium, id est a cœlestibus exempla-
ta. *Sicut responsum est Moysi* Dominum
consulenti, *quum* Moyses *consummaret,* id
est compleret, *tabernaculum* per manum
Beseleel. Deinde ponitur divina responsio.
Vide, inquit Dominus, *omnia* ad taberna- Exod. XXV, 40.
culum pertinentia *facito,* id est, fieri præ-
cipe, *secundum exemplar quod tibi osten-*
sum est in monte, id est secundum formam
tibi ab angelo demonstratam in monte Si-
nai. Angelus enim docuit Moysen de om-
nibus construendis et offerendis in taber-
naculo. — Differunt autem exemplum et
exemplar : quia exemplum est, quod fit
ad imitationem alterius, estque posterius
illo; exemplar vero vocatur, ad cujus imi-
tationem aliquid fit vel producitur, et est
prius illo. Ea itaque in quibus sacerdo-
tes legis deserviebant, absolute loquen-
do, erant exempla, respectu exemplaris in
monte monstrati, posterioraque illo; sed
per comparationem ad nos, dici possent
exemplaria, prout nostra cognitio tendit
ex illis ad cognitionem cœlestium.
Nunc autem melius sortitus est mini- 6
sterium, id est, Christus dignius sacerdo-
tium officiumque suscepit, quam fuit ob-
sequium sacerdotum legalium, *quanto et*

melioris testamenti, id est perfectioris le- A
gis, videlicet evangelicæ, quæ præfertur
legi Mosaicæ, *mediator,* id est medians
I Tim. II, 5. dator, *est :* nam inter Deum et homines
mediat, et ex parte Dei legem novam ho-
minibus contulit; *quod* testamentum no-
vum *in melioribus repromissionibus,* id
est divinis atque æternis promissis, *san-
citum,* id est confirmatum, *est.* Vetus quip-
pe testamentum promittebat abundantiam
temporalium, novum autem affluentiam
bonorum cœlestium. Sacramenta etiam no-
vam legem confirmantia, multo præstan- B
tiora censentur sacramentis legis antiquæ.
7 *Nam si illud prius,* id est vetus testa-
mentum, *a culpa vacasset,* id est, culpam
perfecte delevisset, suosque servatores per-
fecte mundasset; *non utique secundi,* id
est novi testamenti, *locus inquireretur,* id
est, necessaria non esset, nec exigeretur
lex nova, imo superflua esset.

Quod autem novum testamentum neces-
sarium sit, probat auctoritate scripturæ
quæ habetur apud Jeremiam : quam Apo-
stolus hic allegat secundum translationem C
8 Septuaginta interpretum. *Vituperans enim
eos,* id est Judæos tanquam per legem per-
Jer. XXXI, 31-34. fici non potentes, *dicit* Jeremias : *Ecce
dies* gratiæ et evangelicæ legis *veniunt,
dicit Dominus; et consummabo super do-
mum Israel et super domum Juda,* id est,
completive dabo populo Judæorum in duo
regna et duodecim tribus diviso, *testa-
mentum novum.* Hoc enim Christus in
propria persona Judæis proposuit in ser-
mone facto in monte, et in Cœna : de
Matth. XV, 24. quibus et dixit, Non sum missus nisi ad D
9 oves quæ perierunt domus Israel. *Non
secundum testamentum quod feci patri-
bus eorum,* id est, non tale testamentum,
puta in terrenis promissis et cærimonia-
libus jussis consistens, dabo istis, quale
dedi per Moysen patribus eorum, *in die
qua apprehendi manum illorum,* id est,
quum eos sic ducerem atque præcederem,
Deut. I, 31. sicut pater ducit parvulum filium, per se
ire non valentem et viæ ignarum, *ut edu-
cerem illos de terra Ægypti :* quod et fe-
ci. *Quoniam ipsi non permanserunt* per
obedientiam cordis *in testamento meo,* id
est in lege a me data, unum verum Deum
colendo, sicut lex jubet; sed statim fece- *Exod.* XXXII, 1-6.
runt vitulum aureum conflatilem, et ado-
raverunt eum; *et ego neglexi,* id est, obli-
vioni tradidi, *eos, dicit Dominus,* pietatis
meæ respectum eis subtrahendo, et mul- *Ibid.* 28.
tos eorum occidendo. Quomodo autem Deus
dicatur recordari vel negligere, dictum est
sæpius.

Quia hoc est testamentum novum *quod* 10
disponam, id est, ordinate proponam, *do-
mui Israel,* id est electis, præsertim Ju-
dæis : quibus primo prædicatum est Evan- *Act.* XIII, 46; *Rom.* I, 16.
gelium regni ; deinde omnibus gentibus
Deum per fidem speculantibus dispositum
est per Apostolos hoc testamentum ; *post
dies illos,* id est post tempus divinitus
præordinatum, videlicet consummato cur-
su veteris testamenti, quando advenit tem- *Galat.* IV, 4.
poris plenitudo. Disponam itaque testa-
mentum hoc eis, *dando leges meas in
mente eorum,* id est, intellectibus eorum
imprimam evangelica mandata, *et in cor-
de,* id est voluntate, *eorum superscribam
eas,* id est, promptum affectum obediendi
legibus meis dabo eis. Hoc modo datum
est primitivæ Ecclesiæ novum testamen-
tum a Christo, præsertim in die sancto
Pentecostes, quando Spiritus Sanctus per *Act.* II, 1 *et seq.*
inspirationem et supernaturalem illustra-
tionem impressit cordibus discipulorum
evangelicam legem. *Et ero eis in Deum,*
id est, pie et gratiose agam cum eis, *et
ipsi erunt mihi in populum,* id est, de-
vote et religiose me colent. *Et non doce-* 11
*bit unusquisque proximum suum et unus-
quisque fratrem suum, dicens : Cognosce
Dominum.* Secundum Augustinum et alios
plerosque, hæc intelligenda sunt pro sta-
tu patriæ, in qua unus non docebit alium,
quantum ad cognitionem Dei, et in quibus
beatitudo consistit : quamvis superiores
doceant inferiores, quantum ad quosdam
effectus divinæ providentiæ. Omnes nam-
que Beati Deum immediate conspiciunt.
Ideo subditur : *quoniam omnes scient me*

a minore usque ad majorem. Et ideo sci-
12 ent me in patria, *quia* nunc in via *propitius ero iniquitatibus eorum,* dando eis gratiam pœnitendi, *et peccatorum illorum jam non memorabor* ad puniendum ea in igne gehennæ. Alii exponunt hæc specialiter de primitiva Ecclesia, maxime de Apostolis, qui omnes immediate edocti fuerunt a Spiritu Sancto. Videtur autem generaliter posse intelligi de ipsa Ecclesia militanti, sic tamen ut sit distributio pro generibus singulorum, et locutio comparativa. Non enim loquitur Dominus de quacumque doctrina seu scientia, sed specialiter de cognitione sui : Quoniam omnes scient me, inquit. Quum ergo per orbem terrarum in Ecclesia militanti exstirpata sit idololatria, omnes scient me esse unum dumtaxat verum Deum. Tanta quoque est misericordia Dei hoc tempore, A ut dicatur tempus gratiæ. Vel dicuntur hæc comparative. In tantum quippe abundat cognitio Dei in mundo tempore evangelicæ legis magis quam ante, ut jam pene omnes videantur cognoscere Deum. Et juxta hunc sensum scriptum est : Repleta *Is.* XI, 9. est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes. In omnem enim terram *Ps.* XVIII, 5. exivit sonus Apostolorum.

Consequenter pandit Apostolus cessationem veteris testamenti. *Dicendo autem* 13
Dominus per Jeremiam, *novum,* id est, B testamentum Christi novum vocando, *veteravit,* id est, vetus esse declaravit, *prius* testamentum datum per Moysen. *Quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est,* id est, cito corrumpetur. Ideo testamentum illud evacuatur adveniente testamento Christi, quod usque in finem sæculi perseverabit.

ARTICULUS IX

EXPOSITIO CAPITULI NONI : HABUIT QUIDEM ET PRIUS JUSTIFICATIONES, ETC.

DENIQUE excellentiam sacerdotii Christi consequenter ostendit Apostolus ex
1 ritu et schemate tabernaculi. *Habuit quidem et prius,* id est præcedens et vetus testamentum, *justificationes culturæ,* id est observantias auferentes impedimenta quædam divini cultus. Quemadmodum enim sacramenta novæ legis virtute gratiæ in eis contentæ, purgant a vitiis interioribus, quibus fit homo simpliciter ineptus ad cultum divinum ; sic sacramenta veteris legis gratiam non continentia, emundabant a corporalibus immunditiis et irregularitatibus, propter quas prohibebantur Judæi a cultu divino, scilicet ab accessu
Lev. v, 2. templi et cœtus fidelium, sicut erant contactus mortui vel immundi. Hæ ergo observationes, per quas talia impedimenta tollebantur, dicuntur justificationes cul- C turæ. Habuit quoque *et sanctum sæculare,* id est exteriorem quamdam immunditiam hominibus apparentem. Quidam per sanctum sæculare, intelligunt templum materiale, quod Judæi sanctum putabant, et aliquo modo erat, quia ad cultum Dei fuerat ordinatum. Cui expositioni consonat littera sequens.

Tabernaculum enim factum est pri- 2
mum, id est, primum tabernaculum hu- *Exod.* XXVI, XXVII.
mano artificio fabricatum est. Per primum autem tabernaculum, designatur exterior D pars tabernaculi a Moyse facti, a qua erat ingressus. Per secundum vero tabernaculum, significatur interior pars ejusdem tabernaculi. Tabernaculum enim Moysis, habens triginta cubitos in longitudine, decem vero in latitudine, et decem in altitudine, quantum ad longitudinem divisum

Exod. xxvi, 33. erat in duas partes per cortinam seu ve- A
lum intermedium, quarum exterior habuit
viginti cubitos in longitudine. Et propter
suam venerationem, et significationem qua
significavit Ecclesiam militantem, diceba-
tur Sanctum vel Sancta. Interior vero pars
tabernaculi post cortinam, dicta est San-
cta vel Sanctum sanctorum, propter præ-
cipuam suam venerationem, et quoniam
figuravit Ecclesiam triumphantem. *In quo*
primo tabernaculo *erant candelabra,* id
Ibid. xxv, 31, 37. est unum candelabrum aureum, quod hic
pluraliter candelabra dicitur, quia habe-
bat septem lucernas. Hoc fuit in parte
Ibid. 23, 30. meridionali. *Et mensa* propositionis qua-
drata, facta de lignis setim, atque purissi-
mo auro vestita. Hæc fuit in parte aquilo-
nari. *Et propositio panum,* id est duodecim
Lev. xxiv, 8. panes, qui quolibet sabbato ponebantur
super mensam recentes. Erat quoque in
Exod. xxx, 1. hac parte tabernaculi altare incensi, de
quo tacet Apostolus. *Quod* primum taber-
naculum *dicitur Sancta,* sicut jam patuit.
3 *Post velamentum autem,* id est retro
velum seu post cortinam intermediam, C
erat *secundum tabernaculum,* id est se-
cunda pars totius tabernaculi, *quod* secun-
dum *dicitur Sancta sanctorum,* propter
4 rationem prædictam, *aureum habens thu-*
ribulum. De hoc non legitur in veteri Te-
stamento. Propter quod quidam per thu-
Lev. xvi, 12, 13. ribulum intelligunt incensorium, in quo
summus sacerdos Sanctum sanctorum in-
grediens, ponebat incensum, ut fumus in-
de consurgens, impediret eos qui erant
in alia parte tabernaculi, ne adspicerent
ea quæ fuerant in secunda parte taberna- D
culi. Alii opinantur quod tempore David
vel Salomonis, dum auctus est cultus di-
vinus, factum et illic locatum sit thuribu-
lum aureum. *Et arcam testamenti, circum-*
Exod. xxv, 10, 11. *tectam ex omni parte auro.* Erat namque
de imputribilibus lignis setim, intus et
extra aureis laminis cooperta. *In qua* arca
Ibid. xvi, 33, 34. erat *urna aurea habens manna* ad men-
suram gomor, in commemorationem mi-
raculi quo Deus pavit filios Israel man-
na annis quadraginta in deserto, *et virga*

Aaron quæ fronduerat intra unam no- *Num.* xvii, 10.
ctem, in signum quod Aaron divinitus
electus esset in sacerdotem, *et tabulæ te-* III *Reg.* viii, 9.
stamenti, id est duæ tabulæ in quibus
lex scripta fuit, puta Decalogus. *Super-* 5
que eam, id est super arcam, *erant* duo *Exod.* xxv, 18-22.
Cherubim gloriæ, id est gloriose ac splen-
dide facta ad instar angelorum, vel gloriæ
Dei figurativa, *obumbrantia,* id est, alis
suis extensis, invicemque connexis, tegen-
tia *propitiatorium,* id est tabulam auream
quæ erat super arcam : quæ ideo dicta
B est propitiatorium, quoniam inde dedit
Deus responsum Moysi pro multitudine
exoranti. *De quibus non est modo dicen-*
dum per singula. Pauciora namque suf-
ficiunt.

Apostolus autem prosequitur hæc bre-
viter et allegorice tantum. *His vero ita* 6
compositis, id est, duabus partibus taber-
naculi prædicto modo dispositis : *in prio-*
ri quidem tabernaculo, quod dicitur San-
cta, *semper,* id est quotidie bis, *intrabant*
sacerdotes, videlicet hora sacrificii matu-
tini ac vespertini : utraque enim hac hora *Num.* xxviii, 3, 4.
immolabatur agnus; *sacrificiorum officia*
consummantes, id est, complentes ea quæ
ad ritum sacrificiorum spectabant. Immo-
latio enim sacrificiorum fiebat extra ta-
bernaculum sub dio in atrio in altari ho- *Lev.* xvi, 7, 11-13.
locaustorum : ubi accenso igne, sumpsit
sacerdos in thuribulo prunas, sicque pro-
cedebat ad altare incensi, intra taberna-
culum primum situm; positoque in thuri-
bulo thure, dimisit super altare incensi, et
ita sacrificium consummabatur. *In secun-* 7
do autem tabernaculo, videlicet in Sanctis
sanctorum, *semel in anno solus pontifex* *Ibid.* 2, 29.
introivit, videlicet in festo Expiationis,
non sine sanguine. Tulit enim secum de
sanguine hostiæ immolatæ, ad offerendum
illum coram propitiatorio. Ideo sequitur :
quem sanguinem *offerret pro sua et po-*
puli ignorantia, id est pro remissione
propriorum ac populi sui peccatorum ex
ignorantia commissorum. Secundum Glos-
sam, pontifex sæpe intrabat Sancta san-
ctorum sine sanguine, sed non nisi semel

cum sanguine. — Consequenter ostendit A
Apostolus mysticam significationem isto-
8 rum. *Hoc significante* figuraliter *Spiritu*
Sancto per dispositionem tabernaculi Moy-
sis, *nondum propalatam esse Sanctorum*
viam, id est nondum patefactum esse in-
gressum regni cœlestis, vel ipsum Chri-
Joann. xiv, 6. stum, qui est via qua itur ad patriam,
adhuc priore tabernaculo, id est prima
parte tabernaculi quæ dicitur Sancta, *ha-*
bente statum, id est prohibitionem ingre-
diendi secundum tabernaculum, scilicet
Sancta sanctorum. Per velum namque in- B
ter partes tabernaculi positum, significa-
batur clausam esse viam regni cœlestis,
quod significabatur per Sancta sanctorum.
9 *Quæ* res, videlicet dispositio cultus et
ritus tabernaculi, *parabola,* id est simili-
tudo vel figura, *est temporis instantis,* sci-
licet temporis gratiæ, id est eorum quæ
in novo testamento geruntur sub tempo-
I Cor. x, 11. re gratiæ. Omnia enim in figura contin-
gebant eis. Et vetus testamentum erat fi-
gura novi. *Juxta quam* parabolam, id est
legalem et figurativam observantiam, *mu-* C
nera de rebus inanimatis, *et hostiæ* de
carnibus animalium, *offeruntur* a sacer-
dotibus Leviticæ stirpis pro tempore ve-
teris testamenti. *Quæ* hostiæ et munera
non possunt juxta conscientiam, id est
secundum dictamen rectæ conscientiæ, vel
intus in conscientia, *perfectum,* id est a
vitiis purum et gratia decoratum, *facere*
servientem, id est eum qui servit Deo,
solummodo in cibis et potibus, id est in
esu et abstinentia quorumdam alimento-
Lev. xi. rum secundum legis præcepta, quæ quos- D
10 dam cibos prohibuit, *et variis baptismati-*
bus, id est lotionibus corporis seu membri
alicujus in aqua propter contactum mor-
tui seu leprosi, *et justitiis carnis,* id est
observantiis corporalem immunditiam seu
irregularitatem tollentibus, *usque ad tem-*
pus correctionis impositis, id est jussis
atque durantibus usque ad tempus evan-
gelicæ legis, quæ legem Mosaicam per-
ficit, et observatorum illius vitia corrigit
et emendat. Ex divino enim imperio ser-
vanda erant usque ad Evangelii publi-
cationem. Itaque præinducta legalia non
poterant perfectum facere servientem.

Deinde ostendit Apostolus, quid figu-
rabatur per hoc quod summus sacerdos
seu pontifex in lege, introivit in Sancta
sanctorum cum sanguine, semel in anno,
ad deprecandum pro se et pro aliis. Per
pontificem enim figuratus est Christus ;
per Sancta sanctorum, cœlum. *Christus* 11
autem adsistens Deo Patri ad interpel- Rom. viii, 24; Hebr. vii, 25.
landum pro nobis, adsistens quoque seu
paratus succurrere nobis, *pontifex,* id est
summus ac sacerdotalis minister, prout
homo ; vel, Pontifex, id est suo pontifi-
catu collator ; *futurorum,* id est cœlesti-
um, *bonorum :* de quibus legitur in Psal-
mo, Credo videre bona Domini in terra Ps. xxvi, 13.
viventium ; *per amplius,* id est multo ma-
jus atque capacius, *et perfectius taberna-*
culum, utputa cœlum, *non manufactum,*
id est non hominum manibus fabrica-
tum, *id est non hujus creationis,* hoc est
non humanæ industriæ ; vel, Non hujus
creationis, id est non exsistens de natura
inferiorum creaturarum, quæ corruptibi-
les sunt : illud enim incorruptibile est ;
neque per sanguinem hircorum aut vitu- 12
lorum, ut pontifex legalis ; *sed per pro-* Lev. xvi, 14, 15, etc.
prium sanguinem, id est cum prævia
proprii sanguinis effusione, *introivit se-*
mel, videlicet in die ascensionis, *in San-* Marc. xvi, 19.
cta, id est in cœleste tabernaculum præ-
figuratum per Sancta sanctorum, *æterna*
redemptione inventa, id est vera beatitudi-
ne nobis recuperata, atque a nobis com-
perta.

Quod autem sanguis Christi idoneus fu-
erit ad salvandum, demonstrat Apostolus.
Si enim sanguis hircorum et taurorum, et 13
cinis vitulæ combustæ mixtus aqua, *ad-* Lev. xvi, 16; Num. xix, 9.
spersus cum aqua super immundos, *in-*
quinatos macula exterioris hominis, *san-*
ctificat, id est, purgat a macula tali, *ad*
emundationem carnis, id est ad acquiren-
dam munditiam corporalem. Talia enim,
peccata auferre non poterant, sed ab ex-
teriori impuritate mundabant. *Quanto ma-* 14

gis sanguis Christi, qui per Spiritum
Sanctum, id est cooperante ac inspirante
Spiritu Sancto, *semetipsum* ratione naturæ
assumptæ, *obtulit* in cruce *immaculatum*
Deo Patri pro nobis, *emundabit conscien-*
tiam nostram in Baptismo vel Pœniten-
tia, seu aliis sacramentis, per quæ virtus
seu meritum ejus nobis applicatur, *ab*
operibus mortuis, id est peccatis, *ad ser-*
viendum, id est, ut a peccatis mundati
Luc. I, 74, 75. serviamus, *Deo viventi,* omnis vitæ fon-
tali principio, in sanctitate et justitia ju-
giter coram ipso?
15 *Et ideo,* id est, quoniam Christus ob-
tulit se pro nobis, idcirco *novi testamenti*
I Tim. II, 5. *mediator,* id est medius dator, *est,* inter
Deum et homines medians, et novam le-
gem proponens; *ut morte intercedente,* id
est merito passionis Christi pro nobis in-
terveniente, *in redemptionem earum præ-*
varicationum, id est ad obtinendam indul-
gentiam transgressionum, *quæ erant sub*
priori testamento, id est, tempore veteris
Rom. III, 20. testamenti vigebant, nec per legem au-
ferri valebant, *repromissionem accipiant,*
id est, bonum promissum consequantur,
qui vocati sunt vocatione æternæ præde-
stinationis (de qua ad Romanos dicitur,
Ibid. VIII, 30. Quos prædestinavit, hos et vocavit), *æternæ*
hereditatis, id est ipsam æternam here-
ditatem seu felicitatem hominibus pro-
missam. Christi enim morte aperta est
janua patriæ, et merito passionis domi-
nicæ omnes electi salvantur. Porro vocatio
duplex est, scilicet : æternæ prædestina-
tionis, sicque vocati sunt electi; alia est
vocatio præsentis justificationis, de qua
Matth. XX, 16; XXII, 14. in Evangelio legitur, Multi sunt vocati,
pauci vero electi.
Quod autem testamentum novum confir-
matum sit per Christi passionem, probat
Apostolus primo per consuetudinem hu-
16 manam. *Ubi enim testamentum est, mors*
necesse est intercedat testatoris, id est, ad
valorem ac robur testamenti hominis re-
quiritur, ut mors testatoris interveniat seu
mediet inter testamenti dispositionem et
17 ejus confirmationem. *Testamentum enim*

A *in mortuis,* id est per mortem testatorum,
confirmatum est : alioqui nondum valet,
id est, nondum efficaciam habet testamen-
tum, *dum vivit qui testatus est,* id est,
qui testamentum condidit. Hoc ita est se-
cundum leges civiles atque canonicas.
Nam ante mortem potest mutari, quum
sit ultima voluntas testatoris. Simili mo-
do novum testamentum, quod est promis-
sio vitæ æternæ evangelicaque doctrina,
in morte Christi firmatum est. Unde in
cruce dicebat : Consummatum est. In as- Joann. XIX, 30.
B sertionem enim promissionis ac doctrinæ
suæ mori voluit Christus.
Consequenter probat Apostolus idem au-
ctoritate divina. *Unde nec primum qui-* 18
dem, id est in principio legis datæ; vel,
Primum, id est vetus testamentum, *sine*
sanguine dedicatum, id est roboratum,
est, ad figurandum quod novum testa-
mentum Christi sanguine firmaretur. *Le-* 19
cto enim omni mandato legis morali, cæ- Exod. XXIV, 7, 8.
rimoniali, ac judiciali *a Moyse universo*
populo Israel, *accipiens* Moyses *sangui-*
C *nem vitulorum et hircorum* oblatorum,
cum aqua, id est aqua admixtum : quod
præfiguravit mundationem quæ fit in aqua
Baptismi virtute sanguinis Christi, de cu-
jus latere exivit sanguis et aqua, quorum Joann. XIX, 34.
virtute omnia sacramenta efficaciam sor-
tiuntur; *et lana coccinea et hyssopo.* De
his duobus fecit adspersorium ad sangui-
nem adspergendum. Verumtamen in Exo- Exod. XXIV, 5.
do non fit mentio nisi de sanguine vitu-
lorum; sed credendum est Apostolo, quod
alia nunc expressa, tunc aderant. *Ipsum*
D *quoque librum* legis, *et omnem populum*
cui lex conferebatur, *adspersit.* Fortassis
ponit partem pro toto. Non enim viden-
tur tot millia sanguine a Moyse adspersa.
Adspersit ergo eos, *dicens : Hic sanguis* 20
testamenti est, id est roborativus testa-
menti, *quod mandavit ad vos Deus,* id
est, per me vobis misit ac jussit. *Etiam* 21
tabernaculum et omnia vasa ministerii,
id est, in quibus ministrabant Levitæ ac
sacerdotes in tabernaculo Moysis, *sangui-*
ne similiter adspersit, non tunc quando

librum adspersit et populum : nondum A
enim factum erat tabernaculum et vasa
Num. vii, 1. ipsius ; sed ista adspersio facta est in die
consecrationis tabernaculi atque vasorum.
22 *Et omnia pene in sanguine,* id est sanguinis adspersione seu effusione, *mundantur* ab exteriori immunditia vel ineptitudine, *secundum legem.* Dicit, Pene,
Ibid. xxxi, 23. quoniam aliqua mundabantur per ignem,
videlicet quæ ignem poterant sustinere, et aliqua vasa mundabantur per aquam. *Et sine sanguinis effusione* facta in aliquo sacrificio, *non fit remissio,* id est, non B
fiebat expiatio culpæ, nisi necessitas impediret oblationem. Tunc enim sufficiebat bonum propositum. Hoc fuit figu-
I Joann. i, 7. ra quod per effusionem sanguinis Christi
fit remissio peccatorum. In nobis quippe nihil mundatur interius sine sanguine Christi.
23 *Necesse est ergo exemplaria quidem,* id est figuras, *cœlestium,* id est Ecclesiæ mi-
Philipp. iii, 20. litantis, cujus conversatio est in cœlis,
his mundari, videlicet sanguine sacrificiorum. Exemplaria dicit ea quæ erant C
in veteri testamento, et figurabant ea quæ in Ecclesia fiunt. *Ipsa autem cœlestia,* id est personas ecclesiasticas ad cœlum tendentes, necesse est mundari *melioribus hostiis quam istis* legalibus, utputa corpore et sanguine Christi : aliter non ingrederentur regnum cœleste. Sed ingrediuntur post mortem in illud, sequendo
Ephes. i, 22. caput suum, videlicet Christum. Ideo subditur :
24 *Non enim in manufacta Sancta,* id est in tabernacula terrena hominum artificio D
fabricata, ut erat tabernaculum Moysis, *Jesus introivit* finaliter, scilicet in ascensione, quamvis ante passionem ingressus
Joann. xviii, 20. sit templum et synagogas, *exemplaria,* id
est figuras, *verorum,* id est cœlestium.
Luc. xvi, 9. Sunt enim æterna tabernacula de quibus
in Evangelio legitur, quorum figuræ sunt manufacta Sancta vitæ præsentis. *Sed in*
Marc. xvi, 19. *ipsum cœlum* empyreum introivit Jesus
in ascensione, *ut appareat nunc vultui Dei pro nobis,* id est, Patri se ipsum præsentet ad interpellandum pro nobis. Hæc Rom. viii, 34.
est una causa ascensionis Christi.
Neque ut sæpe offerat semetipsum, id 25
est, non ideo Christus intravit in cœlum, et Patri pro nobis apparet, ut frequenter pro nostra salute patiatur, *quemadmodum pontifex* legis *intrat,* id est, intravit, sub Lev. xvi, 2, 14.
veteri testamento, *in Sancta* sanctorum *per singulos annos,* id est unoquoque anno semel, *in sanguine alieno,* id est cum sanguine hircorum ac vitulorum quem offert. Propter insufficientiam enim hostiarum legalium, necesse erat eas sæpius iterari. Nec pontifex ingreditur Sancta sanctorum per proprium sanguinem. Hostia vero quam obtulit Christus, ob suæ dignitatis efficaciam sufficientissima est omnium auferre peccata : ideo non oportet eam reiterari, seu Christum denuo pati. *Alioqui,* id est, si ita non esset, sed 26
oporteret eam iterari, sequitur quod *oportebat eum,* videlicet Christum, *frequenter pati ab origine mundi* usque in præsens, imo et usque in finem sæculi hujus. Ab origine namque mundi usque ad finem continuantur, multiplicantur, et vigent scelera hominum. Verumtamen Joannes in Apocalypsi : Agnus, inquit, qui occisus Apoc. xiii, 8.
est ab origine mundi. Sed hoc intelligendum est, quod passio Christi profuit futura, sicut et facta. *Nunc autem,* id est in principio temporis gratiæ, *semel,* puta in die Parasceves, *in consummatione sæculorum,* id est in fine seu ultima mundi ætate (nos enim sumus in quos fines sæculorum I Cor. x, 11.
devenerunt : unde Joannes testatur, Novissima hora est), *ad destructionem peccati,* id I Joann. ii, 18.
est propter tollenda peccata, *per hostiam suam apparuit,* id est, per sui ipsius oblationem omnibus in cruce præsentatus est.
Præterea probat Apostolus, quod Christus non debuit nisi semel pro hominibus pati, per simile seu exemplum. *Et quem-* 27
admodum statutum, id est a divina sapientia ac justitia determinatum seu præfixum, *est hominibus semel mori* in pœnam originalis peccati, *post hoc autem,* id est post mortem, fit eis *judicium* particulare

sigillatim statim dum moriuntur, et uni-
28 versale in fine mundi ; *sic et Christus*
Rom. v, 9; *I Tim.* ii, 6. *semel oblatus est* in cruce *ad multorum exhaurienda,* id est extrahenda ac dirimenda, *peccata.* Ad omnium enim exhaurienda peccata oblatus est secundum sufficientiam, sed ad electorum tollenda peccata oblatus dumtaxat est secundum efficientiam. Hoc dictum est sæpius. *Secundo* au-
A tem, id est post hæc, nempe in secundo suo adventu, *sine peccato apparebit,* id est, sine similitudine peccati videbitur :
non in carne passibili, quæ est similitudo *Rom.* viii, 3.
carnis peccati, sed in glorioso corpore, cujus puritas erit omnibus conspicua ; *expectantibus se* longanimiter. Apparebit autem eis *in salutem,* id est ad æternam felicitatem eis tunc largiendam.

ARTICULUS X

EXPOSITIO CAPITULI DECIMI : UMBRAM ENIM HABENS LEX FUTURORUM BONORUM, ETC.

QUONIAM in præcedenti capitulo di-
Hebr. ix, 9, 10, 28. ctum est, quod per sacrificia legis non auferebantur peccata, sed quod Christus unica sui ipsius oblatione abstersit omnium vitia, quantum in ipso est, ideo nunc declarat Apostolus hoc ipsum luci-
1 dius. *Umbram enim,* id est obscuram et remotam similitudinem, *habens lex* Moysis *futurorum bonorum,* id est cœlestium præmiorum, *non ipsam imaginem rerum,* id est non expressam et propinquam similitudinem eorumdem. Ut enim Dionysius protestatur, status evangelicæ legis, medius est inter statum Synagogæ seu veteris Testamenti ac patriæ : ideo sacramenta et cærimonialia novæ legis habent imaginem, id est perfectam similitudinem bonorum cœlestium. Aperte enim ea promittunt, significant, et ad ea immediate introducunt. Sacramenta vero et cærimoniæ veteris legis umbram eorum habuerunt. Non enim promittebant nec figurabant bona ista futura in lege, nisi sub velamine et confuse. *Per singulos annos eisdem ipsis hostiis,* id est eisdem sacrificiis, *quas offerunt* sacerdotes *indesinen-*
Ibid. 6, 7. *ter,* videlicet bis omni die in Sancta, et semel in anno pontifex in Sancta sanctorum, *nunquam potest accedentes,* id est, lex per hostias istas nunquam valet po-
B pulum pro quo offertur, vel sacerdotem qui hostiam offert, *perfectos facere,* id est
a vitiis expurgare et gratia decorare. *Alio-* 2
qui, id est, si possent perficere sacerdotes, *cessassent* hostiæ istæ Deo *offerri, ideo quod nullam haberent ultra,* videlicet post hostiam immolatam, *conscientiam peccati cultores,* id est legis observatores, *semel mundati* intus a vitiis propter hostiæ
oblationem semel factam ; *sed in ipsis ho-* 3
stiarum oblationibus commemoratio peccatorum per singulos annos fit, quoties
C hostia pro peccato iteratur. Non ergo ablata erant peccata omnia per hostiam primam.

Impossibile enim est sanguine hirco- 4
rum et taurorum, vel similium holocaustorum, *auferri peccata :* quia nec virtute propria habent vim purgativam peccati, quum sit quid corporeum, non attingens nec agens in animam ; nec ex influxu divinæ virtutis, quemadmodum sacramenta
novæ legis, quamvis sint corporalia. Mul- *Lev.* iv, 26,
toties tamen Moyses dicit, quod qui ob- 31; v, 10, etc.
tulerit illud vel illud pro peccato tali vel
D tali, dimittetur ei. Sed illa remissio non fiebat virtute sacrificii, sed fide et devotione offerentis, et propter orationem sacerdotis.

Ideo Christus Filius Dei *ingrediens mun-* 5
dum, id est humanam naturam assumens,

Ps. xxxix, 7-9. *dicit* in Psalmo ad Patrem : *Hostiam* de A
rebus animatis *et oblationem* de inanima-
tis *noluisti,* o Pater, id est, non acceptasti
quasi per se idonea ad auferenda pecca-
ta, et tempore gratiæ nullo modo ea ac-
ceptas ; *corpus autem aptasti mihi,* id
est, corpus conveniens ad redimendum ge-
nus humanum animæ meæ seu Divinitati
unisti, videlicet corpus passibile et im-
maculatum, atque per omnia rationi obe-
dientissimum. Nostra translatio habet :
Aures autem perfecisti mihi. Et redit in
idem, quoniam sensus est : Aures obe- B
dientes ad sustinendum crucis tormentum
6 mihi donasti. *Holocautomata,* id est sa-
crificia quæ totaliter incendebantur ad di-
vinæ majestatis honorem, et erant ceteris
digniora, *et pro peccato,* id est sacrificia
pro remissione peccati oblata, *non tibi
placuerunt* per se seu propria efficacia,
sed ex devotione offerentis. Non enim po-
terant justificare. Tempore autem novæ
legis nullatenus placent Deo. Ideo scri-
Mich. vi, 6, 7. ptum est apud Prophetam : Quid dignum
offeram Domino ? Numquid offeram ei C
holocautomata ? Numquid placari potest
Deus in millibus arietum, aut in multis
millibus hircorum pinguium? Et apud ali-
Jer. xi, 15. um : Numquid carnes sanctæ auferent a
te malitias tuas? Et Dominus quoque ait
Ps. xlix, 9. in Psalmo : Non accipiam de domo tua
vitulos, neque de gregibus tuis hircos.
7 *Tunc,* quando videlicet vidi tibi omnia
illa displicere, et mihi corpus aptum ad-
esse, *dixi : Ecce venio* paratus ad pas-
sionem, ut me ipsum tibi pro hominibus
offeram. *In capite libri,* id est in prin- D
cipio totius sacræ Scripturæ. Vel, In ca-
pite libri, id est in primo psalmo, qui est
caput libri Psalmorum : in quo psalmo
Ps. i, 2. habetur, In lege Domini voluntas ejus.
Vel, In capite libri, id est in notitia præ-
destinationis æternæ, quæ potissimum me-
am humanitatem concernit, per quam om-
nes electi salvantur. Ideo dicitur, In capite,
quasi in principali hujus notitia. *Scriptum
est de me, ut faciam voluntatem tuam,*
o *Deus* Pater.

Insuper præinductam scripturam ad pro-
positum applicans, et quasi exponens Apo-
stolus, subdit : *Superius,* id est paulo 8
ante, *dicens* Christus ad Patrem : *Quia
hostias et oblationes et holocautomata et
pro peccato noluisti :* quæ jam exposita
sunt ; *nec placita sunt tibi* sacrificia ex-
teriora, *quæ secundum legem offeruntur :*
juxta intellectum præmemoratum. Hoc ta-
men supra dictum non est formaliter, sed
virtualiter, quia ex dictis infertur. *Tunc* 9
*dixi : Ecce venio, ut faciam, Deus, vo-
luntatem tuam.* Hoc jam dictum est atque
expositum. *Aufert primum,* id est legale
sacrificium, et per consequens vetus te-
stamentum, tanquam inutile, *ut sequens
statuat,* id est, novæ legis sacrificium, sci-
licet Christi sacramentum, stabiliat, ju-
giterque frequentandum affirmet. Unde
per Danielem inducitur : In dimidio heb- Dan. ix, 27.
domadæ deficiet hostia et sacrificium. De Is. i.
hoc in Isaia multa habentur. *In qua vo-* 10
luntate Dei, id est Deo clementer volente,
seu voluntate ejus qua voluit Christum
pati, *sanctificati sumus* effective ac prin-
cipaliter, suscipiendo remissionem culpæ
infusionemque gratiæ, *per oblationem cor-
poris Jesu Christi semel* factam in crucis
patibulo, tanquam per causam meritoriam
ac instrumentalem.

Ex his infert Apostolus differentiam in-
ter sacerdotem legalem, et Christum sa-
cerdotem nostrum. *Et omnis quidem sa-* 11
cerdos legalis *præsto est,* id est paratus.
Loquitur autem Paulus in istis capitulis
de præterito per modum præsentis. *Quo-
tidie ministrans* in prima parte taberna-
culi, *et easdem* specie *sæpe offerens ho-
stias,* id est frequenter immolans agnum
vel aliud simile, *quæ nunquam possunt
auferre peccata :* ut dictum est sæpius.
Quotidie namque fiebat juge sacrificium, Exod. xxix,
id est duorum agnorum oblatio, unius 38, 39; Num. xxviii, 3-6.
de mane, alteriusque de vespere, in pri-
ma parte tabernaculi. *Hic autem* Christus 12
unam pro peccatis omnibus *offerens ho-
stiam,* utique semetipsum, *in sempiter-
num sedet,* id est, sine fine jam requiescit,

in dextera Dei Patris, id est in potioribus A
13 bonis, seu ad æqualitatem ipsius ; *de ce-*
tero, id est pro tempore restante, *exspe-*
ctans impletionem ordinationis divinæ de
Ps. cix, 1. hominum justa præmiatione, *donec po-*
nantur inimici ejus, id est perversi ac
reprobi, *scabellum pedum ejus,* id est, suæ
potestati perfecte subjiciantur, quantum
ad exsecutionem et manifestationem, ut
sæpius dictum recordor, hoc est, usque
Is. xlv, 25. in diem judicii, in quo venient ad eum
et confundentur omnes qui repugnant ei.
14 *Una enim oblatione,* id est merito suæ B
unicæ passionis, seu immolationis in cru-
ce, *consummavit,* id est, plene redemit, et
quantum in se est, ad perfectionem ad-
duxit, *in sempiternum sanctificatos,* id est
electos, seu omnes qui in hoc sæculo per
gratiam sanctificantur. Æternam enim bea-
titudinem eis promeruit, imo gratiam in
præsenti, et gloriam in futuro.

Præterea hanc efficientiam oblationis
seu passionis Christi semel factæ, probat
Apostolus auctoritate Jeremiæ superius
15 allegata. *Contestatur autem nos,* id est, C
testimonium nostræ assertioni seu omni-
bus nobis exhibet et affirmat, *et Spiritus*
Sanctus per Jeremiam. *Postquam enim di-*
16 *xit* hoc loco Spiritus Sanctus, *Hoc autem*
Jer. xxxi, 33. *testamentum quod testabor ad illos post*
dies illos, dicit Dominus Christus, in cu-
jus persona hæc proprie asseruntur, *dabo*
leges meas in cordibus eorum, et in men-
17 *tibus eorum superscribam eas ; et pecca-*
torum et iniquitatum eorum jam non re-
cordabor amplius. Hæc Jeremiæ auctoritas
Hebr. viii, 10. superius jam inducta est et explanata : D
idcirco hoc ipsum prætereo. Deinde con-
18 cludit intentum suum Apostolus. *Ubi au-*
tem horum remissio, id est in populo Dei,
cui peccata remissa sunt merito Christi,
jam non est oblatio pro peccato, id est,
non requiritur iterata Christi passio seu
legalis oblatio pro remissione peccati. Una
namque Christi oblatio facta in cruce, suf-
ficiens est. Propter quod omnia sacrificia
legis cessare debent.

Consequenter ponit Apostolus instructi-
onem moralem. *Habentes itaque,* scilicet, 19
quia per unam oblationem Christi redem-
pti sumus, o *fratres,* idcirco habentes *fi-*
duciam in introitu Sanctorum, id est de
ingressu cœlestium mansionum seu pa-
triæ quam Sancti introeunt, *in sanguine*
Christi, id est virtute et merito domini-
cæ passionis, quia per sanguinem Christi
aperta est janua vitæ ; *qui* Christus *ini-* 20
tiavit, id est, primo paravit ac demon-
stravit, *nobis viam novam et viventem,* id
est ingressum ad patriam : qui dicitur via
nova, quoniam primo a Christo inventa ;
et vivens, quia ad vitam ducit æternam.
Initiavit autem seu inchoavit nobis Chri-
stus hanc viam *per velamen, id est carnem*
suam, id est per corporis sui occisionem
et ascensionem : quod appellatur velamen,
quoniam erat divinæ naturæ seu Verbi
vestimentum atque latibulum. De quo
apud Isaiam angeli dicunt : Quare ergo Is. lxiii, 2.
rubrum est indumentum tuum ? Habentes
quoque *et sacerdotem magnum super do-* 21
mum Dei, id est Jesum principem pasto- I Petr. v, 4.
rum, et summum pontificem toti Ecclesiæ
militanti ac triumphanti præsidentem, *ac-* 22
cedamus ad Deum, orando, laudando, con-
templando, bene vivendo : non cum cor-
poris motu, sed *cum corde vero,* id est
recto et justo, non ficto, *in plenitudine*
fidei, id est fide plenissima, nihil hæsi- Jacob. i, 6.
tantes, *adspersi corda,* id est quantum ad
animas, seu intus in mentibus nostris spi-
ritualiter perfusi gratia, eruente nos *a con-*
scientia mala, id est a remorsu peccati,
ut nihil nobis conscii simus, *et abluti*
corpus, id est corpore loti ac emundati,
aqua munda, id est unda Baptismatis.

Tales itaque Christo operante effecti,
teneamus perseveranter inter prospera et 23
adversa, *spei nostræ confessionem,* id est
confessionem eorum quæ speramus a Deo
obtinere : quæ confessio procedit ex spe
nobis infusa ; *indeclinabilem,* id est regia
via ad cœlos tendentem, ita ut nec ad Deut. v, 32, 33.
dexteram neque ad sinistram declinet. *Fi-*
delis enim est Deus *qui repromisit,* id est, Ibid. xxxii, 4.
frequenter promisit nobis futura bona in

24 patria. *Et consideremus invicem,* id est,
nos mutuo adspiciamus, pensando quid
singuli quique habeant dignum imitatione
vel increpatione, *in provocationem cari-*
tatis et bonorum operum, id est ad hunc
finem ut in caritate Dei ac proximi ac-
cendamur, atque in bonis operibus exci-
temur, dum quisque bonum alterius imita-
tur, ejusque defectum caritative redarguit:
quæ omnia sunt caritatis effectus, eamque
accendunt. Non tamen esse debemus cu-
riosi scrutatores vel observatores aliorum,
sed moderate, prout caritas postulat, unus-
quisque alium admonere debet sive cor-
25 ripere. *Non deserentes collectionem no-*
stram, id est congregationem fratrum seu
cœtum fidelium, inter quos habitamus;
sicut est consuetudinis quibusdam, qui
tempore persecutionis, vel ex præsumpti-
one, levitate aut impatientia recedere quæ-
Prov. xxvii, 8. runt. Unde Sapiens : Sicut avis, inquit,
transmigrans de nido suo, sic vir qui
relinquit locum suum. *Sed consolantes* col-
lectionem, id est fratres nostros, animan-
do eos ad patientiam et inseparabilem
unionem. *Et tanto magis* hoc facite, *quan-*
to amplius *videritis* oculo cordis *appro-*
pinquantem diem mortis atque judicii
particularis. Qui dies quia quotidie ap-
propinquat, debemus quotidie magis ac
magis invite collectionem nostram dese-
Ps. cxxxii, 1. rere. Scriptum est enim : Ecce quam bo-
num et quam jucundum habitare fratres
in unum.

Hæc ergo bona agenda et mala vitanda
26 sunt. *Voluntarie enim,* id est ex habitu,
electione, certa malitia seu deliberatione,
peccantibus nobis post acceptam notitiam
veritatis, id est post cognitionem christi-
anæ doctrinæ, in qua pœnæ impiorum
gaudiaque justorum describuntur, *jam*
non relinquitur pro peccatis hostia, id
est, talibus non restat sacrificium pro pec-
catis eorum immolandum aliud a sacrifi-
cio seu hostia quam pro nobis obtulit
Christus. Et per consequens nulla hostia
pro peccatis relinquitur eis, sicut in lege.
Christus enim non rursus offeretur pro

A eis in cruce : imo passio ejus eis non
proderit, quum perseverent in malis. *Ter-* 27
ribilis autem quædam exspectatio judicii,
id est metuendum ipsum Dei judicium,
et sollicite exspectandum, *et ignis æmu-*
latio, id est pœna seu infestatio ignis ge-
hennalis, seu ejus qui præcedet faciem
Judicis, de quo legitur : Ignis ante ipsum Ps. xcvi, 3.
præcedet, et inflammabit in circuitu ini-
micos ejus; *quæ* pœna seu æmulatio *con-*
sumptura, non annihilatura seu corruptu-
ra, sed æternaliter afflictura, et quantum
B ad bene esse consumptura, *est adversa-*
rios veritatis, id est æmulos Christi seu
reprobos. Quod ostenditur per locum a
minori :

Irritam enim, id est vacuam, *quis faci-* 28
ens, id est transgrediens quis, *legem Moy-*
sis, sine ulla miseratione judicis, *duobus*
vel tribus testibus moritur, id est, ad te-
stimonium tot testium occiditur, secun- Deut. xvii, 6.
dum legis præceptum : si tamen peccati
magnitudo id exigat. *Quanto magis puta-* 29
tis deteriora, id est graviora, *mereri sup-*
C *plicia,* eum *qui Filium Dei conculcave-*
rit, eum inhonorando, ejusque mandata
spernendo, *et sanguinem testamenti pol-*
lutum duxerit, id est, sanguinem Christi
quo confirmatum est novum testamentum,
parvi penderit, et quasi insufficientem pu-
taverit ad auferenda peccata, ob hoc as-
serens legalia simul cum Evangelio ob-
servanda, *in quo* sanguine, id est cujus
effusione, *sanctificatus est,* id est a vitiis
expurgatus et gratia decoratus, primum
in Baptismo, deinde in Pœnitentia, *et spi-*
D *ritui gratiæ contumeliam fecerit,* id est,
gratiam Spiritus Sancti contempserit, seu
Spiritum Sanctum, omnis gratiæ collato-
rem, a se repulerit, ejusque effectum, vi-
delicet peccatorum remissionem, non ei,
sed observantiis legis adscripserit? Talis
graviter punietur.

Scimus enim qui dixit, id est, veracem 30
esse cognoscimus Deum, qui ait : *Mihi*
reservate *vindictam,* id est, mihi vel vi-
cariis meis, puta judicibus, *et ego retri-*
buam justam ultionem per me vel meos

ministros. Hoc Dominus, quantum ad sen- A
Deut. xxxii, 35. sum, loquitur in Deuteronomio : Mea est
ultio, et ego retribuam eis in tempore.
Ezech. ix. Secundum quosdam, habetur in propria
forma apud Ezechielem, secundum translationem Septuaginta interpretum. *Et iterum*
Deut. xxxii, 36; Ps. cxxxiv, 14. *rum* dicit Scriptura : *Quia judicabit Dominus populum suum,* bonos ab impiis
31 liberando. *Horrendum est incidere in manus,* id est in judiciariam potestatem et justum rigorem, *Dei viventis,* præsertim post vitam præsentem. Tamen in hac vita melius est incidere in manus Dei quam
II Reg. xxiv, 14. hominum. Propter quod David ait : Melius est mihi incidere in manus Domini (multæ enim sunt miserationes ejus), quam in manus hominum. Melius itaque nobis est, in hac vita a superioribus nostris ac fratribus increpari et corripi, quam in futuro a Deo redargui.

Consequenter Apostolus instruit eos, commemorando præterita bona eorum, ut
32 sic provocentur ad meliora. *Rememoramini autem pristinos dies,* id est, ad memoriam revocate conversationem vestram quam in principio conversionis vestræ habuistis, *in quibus* diebus *illuminati* a Spiritu Sancto, *magnum certamen sustinuistis passionum,* id est validam impu-
33 gnationem persecutionum. *Et in altero quidem,* id est in uno genere impugnationis, *opprobriis et tribulationibus,* id est convitia et tribulationes patiendo in propria persona, *spectaculum hominum facti,* qui vos cum admiratione inspexerunt propter magnitudinem calamitatis afflictionisque vestræ. *In altero autem,* id est in alio genere tribulationis, *socii taliter conversantium,* id est adversa patientium, estis *effecti,* condolendo afflictis, eorum miseriam quasi propriam æstimantes. Id-
34 eo subditur : *Nam et vinctis compassi estis* corde, et opere eis subvenistis, *et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis,* id est, hilari animo tolerastis quod vestra vobis violenter ablata sunt. Infideles namque Judæi rapuerunt bona primitivæ Ecclesiæ in Jerusalem et Judæa collectæ. Ideo autem fecistis ista ac sustinuistis, quia eratis *cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam,* id est cœlestes divitias, quas nec oculus Is. lxiv, 4; I Cor. ii, 9.
vidit, nec auris audivit. Hæc modo habetur in spe, et si propter eam temporalia contemnantur, acquiretur cito in re.

Nolite itaque amittere confidentiam vestram, id est, non cessetis in Deo confidere, in quo hucusque confisi estis inter tot adversa et aspera, *quæ* confidentia *magnam habet,* id est meretur, *remunerationem* gratiæ et consolationis in præsenti, 35
B et gloriæ in futuro. Unde Isaias testatur :
Deus judicii Dominus ; beati omnes qui Is. xxx, 18.
exspectant eum. *Patientia enim,* quæ est 36
virtus moralis passionem tristitiæ reprimens, estque æquanimis tolerantia adversitatum, *vobis necessaria est.* Hæc virtus præcipue necessaria est Christiano volenti pacem cordis habere, et Deo tranquilla mente servire. Ideo dicit Salvator : In Luc. xxi, 19.
patientia vestra possidebitis animas vestras ; et Judith, Illi qui tentationes non Judith viii, 24, 25.
C susceperunt in timore Domini et in patientia sua, exterminati sunt. Denique, ut Salomon profitetur, Qui impatiens est, Prov. xiv, 17, 29.
operatur stultitiam ; et, Melior est patiens Ibid. xvi, 32.
viro forti. *Ut voluntatem Dei,* id est divina præcepta, *facientes,* non cessando a bonis operibus propter quæcumque adversa, *reportetis,* id est, pro vestro labore recipiatis ac referatis in futuro, quum dimissi fueritis a tribunali Christi, *promissionem,* id est promissam felicitatem : juxta illud, Venientes autem venient cum exsul- Ps. cxxv, 6.
D tatione, portantes manipulos suos. Unde dicit Petrus : Videntes Jesum, exsultabitis I Petr. i, 8, 9.
lætitia inenarrabili, reportantes finem fidei vestræ salutem animarum vestrarum.

Merito autem servanda est patientia. *Adhuc enim modicum aliquantulum,* id est, 37
valde breve restat spatium, et *qui venturus est* Christus, *veniet,* vel in die finalis judicii per localem descensum a cœlo super vallem Josaphat, vel in morte cujuslibet per judicii exhibitionem. Dicitur enim Deus ad aliquem venire, quando visitat

eum per pœnam vel gloriam, prout ipse
Apoc. III, 3. loquitur : Si non vigilaveris, veniam ad te
tanquam fur. *Et non tardabit.* Vita enim
nostra brevissima est. Et quamvis tempus
præsens usque ad diem judicii longum
videatur, tamen comparatione æternitatis
sequentis, brevissimum est, sicut ait Psal-
Ps. LXXXIX, 4. mista : Quoniam mille anni ante oculos
tuos, tanquam dies hesterna quæ præter-
Jacob. V, 7-9. iit. Hinc scriptum est : Patientes estote
usque ad adventum Domini, et confirmate
corda vestra, quoniam adventus Domini
appropinquabit; ecce judex ante januam
adsistit.
38 *Justus autem meus,* id est homo justus
Habac. II, 4; *Rom.* I, 17. mihi acceptus atque electus, *ex fide,* id
est per fidem et meritum ejus, tanquam
per fundamentum virtutum, *vivit* vita gra-
tiæ : loquendo de fide formata, de qua
I *Joann.* V, 4. ait Joannes, Hæc est victoria nostra quæ
Is. XXI, 2. vincit mundum, fides nostra. Qui enim
incredulus est, infideliter agit. *Quod si*
subtraxerit se, id est, a fide et æquitate
recesserit, *non placebit animæ meæ,* id
est voluntati meæ. Anima enim non con-
venit Deo secundum divinitatis naturam,
nisi metaphorice. Sine fide autem impossi- *Hebr.* XI, 6.
bile est Deo placere, ut infra habetur. Hæc
verba habentur apud prophetam Haba-
cuc, secundum translationem Septuaginta
interpretum. Nostra vero translatio talis
est : Ecce qui incredulus est, non erit
recta anima ejus in semetipso; justus au-
tem ex sua fide vivet. *Nos autem non su-* 39
mus subtractionis, id est aversionis a Deo,
filii, id est, huic vitio non sumus subjecti
vel dediti, sicut patri subjicitur filius, *in
perditionem,* id est ad acquirendam dam-
nationem æternam quam meretur ista sub-
tractio; *sed* sumus filii *fidei* Dei adoptivi,
per fidem formatam, *in acquisitionem,* id
est ad obtinendum salvationem, *animæ*
nostræ, quia per fidem venitur ad beati-
ficam Dei visionem.

ARTICULUS XI

EXPOSITIO CAPITULI UNDECIMI : EST AUTEM FIDES SPERANDARUM SUBSTANTIA RERUM, ARGUMENTUM NON APPARENTIUM.

QUONIAM in fine præcedentis capituli dixit Apostolus, spiritualem vitam justi dependere ex fide tanquam ex fundamento; idcirco jam pandit præconia fidei, primo eam definiens, deinde efficaciam ejus per diversa exempla exponens. Sic
1 ergo eam definit : *Est autem fides sperandarum substantia rerum,* id est habitus de rebus sperandis, videlicet de bonis futuris in patria, *argumentum,* id est adhæsio, *non apparentium,* id est supernaturalium veritatum, quæ per rationem comprehendi nequeunt vel videri. Sumitur itaque hoc loco substantia, non prout condistinguitur accidenti, sed pro quacumque entitate ; et argumentum accipitur pro effectu argumenti, scilicet pro adhæsione. Fides ergo vocatur substantia rerum sperandarum, id est prima inchoatio per quam res sperandæ nobis insunt. Apostolus vero non ponit definitionem fidei in propria forma, sed sic rediguntur verba ejus in definitionem fidei : Fides est habitus intellectus, quo inchoatur vita æterna in nobis, per quem consentit ratio non apparentibus seu supernaturalibus veritatibus. Cui definitioni concordat descriptio fidei quam capitulo 7 de Divinis nominibus Dionysius tradit, dicendo : Fides est manens credentium fundamentum, collocans eos in veritate, et veritatem in ipsis. Augustinus quoque : Fides, inquit, est

virtus qua creduntur quæ non videntur.
Et Damascenus : Fides est non inquisitus
consensus.
Denique, quod fides sit substantia, id est
inchoatio per quam insunt nobis speran-
da, id est beatitudo æterna, et ea per quæ
ad eam pertingimus, quæ jam in nobis
sunt per quamdam inchoationem, decla-
2 rat Apostolus. *In hac enim* fide formata,
quæ est virtus theologica, id est per fi-
dem, vel potius per interiorem et exterio-
rem actum ejus, *testimonium,* id est at-
testationem justitiæ a Deo, *consecuti sunt*
senes, id est patres antiqui. Perhibuit nam-
que eis testimonium Deus, quod justi es-
sent propter fidem ipsorum.
3 *Fide,* quæ est supernaturale lumen men-
tis, *intelligimus aptata,* id est ordinate
producta ac sapienter disposita, *esse sæ-*
cula, id est entia universi, *verbo Dei,* id
Joann. I, 3. est per Filium, de quo dicitur : Omnia
per ipsum facta sunt. Vel, Verbo Dei, id
Ps. XXXII, 9. est divino præcepto, juxta illud : Ipse
mandavit, et creata sunt. *Ut ex invisibi-*
libus, id est informibus elementis : unde
Gen. I, 2. in Genesi, ubi habemus, Terra erat inanis
et vacua, translatio qua utitur Origenes
sic habet : Terra erat invisibilis; *visibi-*
lia, id est mixta vel ipsa elementa formata
et visu perceptibilia, *fierent* ex invisibi-
libus, id est, post creationem spiritualium
substantiarum visibilia fierent, non po-
sterioritate temporis, sed dignitatis. Vel,
Ex invisibilibus, id est æternis ideis in
mente divina splendentibus, quasi ex for-
mis exemplaribus, visibilia fierent. Omnia
enim condidit Deus secundum ideas seu
exemplares suæ sapientiæ rationes, quem-
admodum ait Boetius :

O qui perpetua mundum ratione gubernas !

Et post pauca :

Tu cuncta superno
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, simili quoque imagine
[formans.

4 *Fide,* id est ex fide divinæ providentiæ
ac remunerationis futuræ, *plurimam,* id
A est pretiosiorem, *hostiam Abel quam Cain*
frater ejus obtulit Deo. Obtulit enim Cain Gen. IV, 3, 4.
de fructibus terræ, Abel vero de primo-
genitis gregis sui et de adipibus eorum.
Per quam fidem seu plurimam hostiam,
testimonium consecutus est a Deo *esse ju-*
stus, id est, Deus testatus est eum esse
justum. Ideo subditur : *testimonium per-*
hibente muneribus ejus Deo. Testimonium
nempe perhibuit Deus muneribus seu ho-
stiis Abel, quod sibi accepta essent, tam
verbo quam facto : verbo, quum dixit per
B Moysen, Respexit Deus ad Abel et ad mu- Ibid. 4.
nera ejus; facto, quoniam ignis de cœlo
descendens super hostiam, eam consum-
psit. Unde translatio Theodotionis sic ha-
bet : Inflammavit Dominus super Abel et
super munera ejus. *Et per illam* fidem
atque fidelem oblationem, *defunctus,* id
est a fratre occisus, *adhuc loquitur,* id Ibid. 8.
est, merito suæ justitiæ justam vindictam
exquirit de innocenti sua occisione, prout
Dominus aiebat ad Cain : Vox sanguinis Ibid. 10.
fratris tui clamat ad me de terra. Vel, De-
C functus adhuc loquitur, id est, loquendi
materiam nobis ministrat. Nam fides et
opus ejus reddunt eum tam commenda-
bilem ac imitabilem, ut semper comme-
moranda sint nobis, nec deficiat laus ejus Judith XIII, 25.
de ore hominum usque in ævum.
Fide, id est merito fidei, *Enoch trans-* 5
latus est in paradisum terrestrem angelico Gen. V, 24.
obsequio, *ne videret,* id est, ne experi-
retur, *mortem* naturalem et corporalem
in se ipso. Tamen in fine mundi morie-
tur, sicut Elias : occidentur enim ab An-
D tichristo. Vel, Ne videret mortem aliorum,
præsertim tempore diluvii, quam videre
miserabile erat. *Et non inveniebatur* ab
hominibus eum quærentibus, *quia trans-*
tulit illum Deus in paradisum terrestrem.
Hoc est quod legitur in Genesi : Enoch Ibidem.
ambulavit cum Deo, et non apparuit, quia
transtulit illum Dominus. *Ante translati-*
onem enim testimonium habebat placuisse
Deo : quoniam Deus testabatur ad aliquos
quod Enoch sibi placeret, et multi justi
testimonium perhibebant justitiæ ejus an-

tequam transferretur in paradisum. De A
hoc Enoch scriptum est per Sapientem :
Sap. IV, 10, 11. Placens Deo factus est dilectus, et vivens
inter peccatores translatus est ; raptus est,
ne malitia mutaret intellectum ejus.
6 *Sine fide autem impossibile est placere*
Deo. Oportet namque habere habitum fi-
dei et interiorem actum ejus, ad hoc ut
opus sit meritorium, quoniam fides dirigit
intellectum ad finem supernaturalem. Un-
Rom. XIV, 23. de Romanis dixit Apostolus : Quidquid
non est ex fide, peccatum est. *Credere*
enim oportet accedentem ad Deum, id est B
colentem seu exorantem ipsum Deum, *quia*
est, id est, quod Deus vere sit, puta quod
sit unus verus Deus, cui maxime convenit
esse. Hoc tamen per naturalem rationem
cognosci potest, et multis philosophis ex
proprii ingenii studio patuit. Nihilo minus
credendum proponitur, quia communitas
hominum cui providet Deus, non vacat
hujusmodi naturalibus considerationibus
de Deo. Credere quoque oportet, quod *et*
inquirentibus se remunerator sit, id est,
quod Deus cultoribus suis mercedem im- C
pendat. Sine horum duorum fide nemo
adultus unquam salvari potuit. Nec suf-
ficit fides ista, sed alia multa credere est
necesse. Forsitan tamen suffecit ante le-
gem scriptam, et item sub lege, quantum
ad gentiles, quibus sola lex naturalis data
erat, nec obligabantur ad legem Mosaicam,
dummodo implicitam habuerint fidem de
adventu incarnationeque Christi. Qui enim
credit quod Deus remunerator est, credit
providentiam Dei, et per consequens cre-
dit modum humanæ salvationis, saltem D
implicite. Nunquam vero potuit aliquis
salvari ex puris naturalibus, quum et fi-
Ibid. VI, 23. des sit supernaturale donum, et gratia Dei
vita æterna.
7 *Fide Noe responso accepto* divinitus *de*
Gen. VI, 1 et seq. *his quæ adhuc non videbantur,* id est de
futuro diluvio et hominum generali inte-
ritu : de quibus ei oranti pro hominum
Ibid. 13. emendatione, Deus respondit, Finis uni-
versæ carnis venit coram me, etc. ; *me-*
tuens aptavit, id est, convenienter fecit
et distinxit, *arcam* de lignis lævigatis pro
receptione animalium, *in salutem domus*
suæ, id est ad præservandum se ipsum et
filios suos, suamque ac filiorum uxores
a morte diluvii, *per quam* arcam seu fi-
dem, *damnavit mundum,* id est, homines
mundanos ostendit damnabiles, qui sibi
arcam fabricanti credere noluerunt de fu-
turo diluvio, neque pœnitentiam agere,
sicut et Petrus in sua testatur epistola :
Qui increduli fuerunt aliquando, sicut in I Petr. III, 20.
diebus Noe quum fabricaretur arca ; *et ju-*
stitiæ quæ per fidem est, id est, quæ ex
fide procedit, *heres,* id est perpetuus pos-
sessor seu patrum suorum dignus succes-
sor, *est institutus* per gratiam Dei. Ceteris
enim pereuntibus, in eo et domo sua dum-
taxat fides permansit.
Insuper ponit Apostolus exempla de pa-
tribus Judæorum, ostendens quod per fi-
dem justificati sunt. *Fide, qui vocatur* 8
Abraham, quod interpretatur pater multa- Gen. XVII, 5.
rum gentium, qui ante vocatus est Abram,
id est pater excelsus, *obedivit* Deo juben-
ti : Egredere de terra tua et de cognatione Ibid. XII, 1.
tua. Obedivit ergo *in locum exire,* vide-
licet in terram Chanaan, *quem accepturus*
erat a Deo *in hereditatem :* non utique
in se, nec pro se, sed pro semine suo lon-
go post tempore. Ait enim Stephanus in
Actibus : Non dedit Dominus ei in ea he- Act. VII, 5.
reditatem, nec passum pedis. *Et exiit* de
terra propria, *nesciens quo iret,* donec
Deus ei viam et terram monstravit. Unde
fuerat quasi vagabundus. *Fide demoratus* 9
est in terra repromissionis, tanquam in
aliena, quia in ea hereditatem non ha-
buit ; *in casulis,* id est parvis tabernaculis
seu tentoriis de loco ad locum portabili-
bus, *habitando cum Isaac et Jacob cohe-*
redibus repromissionis ejusdem, quibus
promissa est terra hæc, sicut et Abrahæ.
Dicit Glossa hoc loco, quod non eodem
tempore inhabitaverunt in terra hac. Ve-
rumtamen si littera Genesis diligentius at-
tendatur, invenimus Abraham vixisse post
nativitatem Jacob : quod etiam Lyra satis
declarat. Idcirco dimitto. Eodem ergo tem-

pore habitaverunt in terra præfata, ut alii A
dicunt. Ideo vero morari non horruit in
10 terra aliena : *Exspectabat enim funda-*
menta habentem civitatem, id est, firmiter
speravit tandem ingredi cœlestem patri-
am in æternum fundatam, seu immobili-
ter stabilitam, *cujus artifex et conditor*
est *Deus,* non homo.
11 *Fide,* id est merito fidei Abrahæ, vel
propria fide, *et ipsa Sara sterilis* per na-
turam, *virtutem,* id est fecunditatem, *in*
conceptionem seminis, id est ad concipi-
endum ex semine viri, *accepit, etiam præ-* B
Gen. xvii, 17; xviii, 11. *ter tempus ætatis,* quoniam nonagenaria
erat, desierantque ei fieri muliebria, *quo-*
niam fidelem, id est in promissis vera-
cem, *credidit esse eum qui repromiserat*
quod Isaac nasceretur ex Sara. Dicunt qui-
dam, hoc non posse exponi de Sara, quia
Ibid. xviii, 12-15. ex infidelitate risit, propter quod angelus
Ibid. xvii, 17. eam redarguit, sed de Abraham, qui licet
riserit, non tamen ex dubitatione, sed ad-
miratione et gaudio. Alii vero exponunt
de Sara, dicentes eam post increpationem
12 iteratæ promissioni angeli credidisse. *Pro-* C
pter quod, id est propter hanc fidem Abra-
hæ vel Saræ, *et ab uno* patriarcha Abra-
ham *orti sunt* Judæi, *et hoc emortuo,* id
est ab ipso Abraham vetustate confecto, ac
infecundo quantum ad Saram seu quam-
libet vetulam. Unde ad Romanos dictum
Rom. iv, 19. est, quod non consideravit corpus suum
emortuum. Postmodum tamen plurimos
Gen. xxv, 1, 2. generavit filios de Cetura femina juniore.
Senex namque de juvencula generare po-
test. Vel, Ab uno, utero Saræ, et hoc emor-
tuo, id est naturali calore destituto. Orti D
ergo sunt de uno filii, *tanquam sidera*
cœli in multitudine, et sicut arena quæ
est ad oram, id est ad littus, *maris, in-*
numerabilis. Propter multitudinem enim
comparati sunt stellis cœli et arenæ ma-
ris, secundum quod Dominus locutus est
Ibid. xv, 5. Abrahæ : Suspice cœlum, et numera stel-
las, si potes : sic erit semen tuum. Quo-
niam tamen in populo isto ex Abraham et
Sara nato, fuerunt quidam electi, et alii
reprobi, per stellas intelligi possunt ele-
cti, per arenam innumerabilem reprobi.
Juxta fidem, id est in fide, seu fidei 13
adhærendo, *defuncti sunt omnes isti* qui
post diluvium fuerunt, vel omnes præter
Enoch translatum, *non acceptis repromis-*
sionibus, id est non adeptis cœlestibus bo-
nis eis promissis, *sed a longe,* id est de
terra et valle hac lacrimarum, seu fidei
obscuritate, *eas adspicientes* oculo fidei :
contemplabantur enim promissa cœlestia ;
et salutantes, id est affectuose ad eas su-
spirantes seu hilariter eis applaudentes,
quemadmodum nautæ civitatem ad quam
navigant intuentes, salutant eamdem ; *et*
confitentes quia peregrini et hospites sunt
super terram. Hic enim quasi in exsilio
habitaverunt, juxta illud in Psalmo : Ne *Ps.* xxxviii, 13.
sileas, quoniam advena ego sum apud te
et peregrinus, sicut omnes patres mei.
Qui enim hæc dicunt, id est, qui se in 14
hac vita hospites et peregrinos esse vera-
citer asserunt, *significant,* id est, verbo
et facto ostendunt, *se patriam inquirere,*
non terrenam, sed cœlestem, sicut sub-
jungitur : *Et si quidem illius* patriæ *me-* 15
minissent [*de qua exierunt*], id est, si
Chaldææ ac Mesopotamiæ recordati fuis-
sent cum affectu redeundi, *habebant uti-*
que tempus revertendi ad patriam illam.
Nunc autem meliorem appetunt, id est, 16
modo sic est, quod suo tempore meliorem
patriam optaverunt, *id est cœlestem,* re-
spectu cujus peregrinos se esse professi
sunt. Jacob tamen rediit in Mesopotami- *Gen.* xxviii, 5; xxxi, 18.
am, sed non ad perseverandum in ea. *Ideo*
non confunditur, id est, indignum vel in-
decens non arbitratur, *Deus* omnipotens,
qui est omnium Deus, *vocari Deus eorum* *Act.* x, 36.
specialiter, eo quod ei specialiter adhæ-
reant, eumque honorent in omnibus, et ip-
se singulariter providet eis. Propter quod
Dominus ait ad Moysen : Hæc dices filiis *Exod.* iii, 15.
Israel : Deus patrum vestrorum, Deus Abra-
ham, Deus Isaac, et Deus Jacob, misit me
ad vos : hoc nomen mihi est in æternum,
et hoc est memoriale meum in generatio-
nem et generationem. [*Paravit enim illis*
civitatem.]

17 *Fide obtulit,* id est, offerre paratus fuit, A
Gen. xxii, 1 et seq. *Abraham Isaac* filium suum, *quum ten-*
taretur ipse Abraham a Deo : qui tentat,
non ut fallat aut sciat, sed ut occasionem
promerendi ministret, et alios scire quid
faciat ; *et unigenitum offerebat.* Non quod
solum Isaac pro tunc habebat in filium :
Ibid. xxv, 1, 2. habuit namque et alios multos de Cetu-
Ibid. xxi, 10, 12; Galat. iv, 30. ra ; sed solus Isaac fuit heres, et natus de
libera. *Qui* Abraham *susceperat repromis-*
siones, id est iteratas promissiones im-
plendas per Isaac, scilicet, quod multos
filios procrearet, et terram Chanaan pos-
18 sideret in semine Isaac ; *ad quem* Abra-
Gen. xxi, 12; Rom. ix, 7. ham *dictum est* a Deo : *Quia in Isaac*
vocabitur tibi semen, id est, nati ex Isaac,
vocabuntur filii tui, et bona tibi promissa
consequentur. Huic autem promissioni re-
pugnare videbatur oblatio Isaac, qui tem-
pore illo nondum genuit prolem ; sed
Abraham non dubitavit de veritate pro-
missionis divinæ. Cujus ratio subditur :
19 *arbitrans,* scilicet Abraham, *quia et a mor-*
I Reg. ii, 6. *tuis suscitare potens est Deus,* non solum
Isaac filium suum, sed omnem defunctum. C
Non enim videbatur alius modus quo pos-
set impleri divina promissio de multipli-
catione filiorum ab Isaac, si Isaac oblatus
fuisset, nisi resuscitaretur. Et quoniam
Abraham scivit Deum hoc posse, non du-
bitavit in fide. *Unde et* Abraham *eum,*
videlicet Isaac, *in parabolam,* id est ty-
picam significationem, *accepit.* Intellexit
namque per Isaac significari Christum, et
per immolationem Isaac, Christi passio-
nem. Per hoc tamen quod non Isaac, sed
aries immolatus est, præfigurabatur quod D
Christus secundum divinitatem suam im-
passibilis fuit, secundum humanitatem ve-
ro occisus est.
20 *Fide et de futuris,* id est de futurorum
Gen. xxvii, 27-29, 39, 40. bonorum collatione, *benedixit Isaac* pa-
triarcha *Jacob et Esau* filiis suis. Benedi-
ctio namque eorum fuit de bonis futuris,
quia impleta non fuit in illis duobus filiis
Isaac : non enim Esau servivit Jacob. Sed
II Reg. viii, 14. impleta fuit in populis natis ex illis. Nam
tempore David et Salomonis Idumæi orti
ex Esau, servierunt Judæis filiis Jacob.
Per hoc autem quod Jacob ante Esau be-
nedictionem sortitus est, mystice signa-
batur quod populus christianus junior
consequeretur benedictionem Judæorum.
Fide Jacob moriens, id est morti pro- 21
pinquans, *singulos filiorum Joseph benedi-* Gen. xlviii, 1 et seq.
xit, videlicet Ephraim et Manassen, præpo-
nens Ephraim juniorem Manassæ seniori :
quoniam Deo revelante prævidit regnum
decem tribuum transferendum ad filios
Ephraim, quod in Jeroboam cœpit im- III Reg. xi,
B pleri ; et quoniam novit tribum Ephraim 26; xii, 20.
majorem futuram. *Et adoravit fastigium*
virgæ ejus, id est, ipse Jacob post bene-
dictionem filiorum Joseph, et juramentum
quo Joseph juravit quod sepeliret patrem Gen. xlvii,
suum in terra Chanaan in spelunca du- 29-31.
plici, tunc ipse Jacob adoravit Deum, in-
nixus, erectus vel incumbens super fasti-
gium, id est cacumen, virgæ ejus, id est
baculi sui, quem propter senectutem te-
nebat in manibus ; vel, Virgæ ejus, id est
sceptri quod Joseph portavit in signum
traditæ sibi potestatis super Ægyptum,
quod Jacob accepit in manibus suis quan-
do Joseph juravit. Quo juramento com-
pleto, Jacob innitens sceptri fastigio ado-
ravit, conversus ad caput lectuli, ut nostra Ibid. 31.
habet translatio. Loco cujus translatio Sep-
tuaginta interpretum continet, Adoravit
fastigium virgæ ejus, sicut hic allegatur.
Fide Joseph moriens, de profectione fi- 22
liorum Israel memoratus est, id est, egres- Ibid. l, 23.
sum eorum ex Ægypto prædixit ; *et de os-*
sibus suis mandavit, id est, filiis Israel
præcepit ut tollerent secum ossa sua, se- Ibid. 24.
pelirentque ea in spelunca duplici, secun-
dum quod dicitur, in qua sepulti sunt
Adam et Eva, Abraham et Sara, Isaac, Ja-
cob et Lia. Unde dixit Joseph : Deus vi- Ibid. 23, 24.
sitabit vos, efferte ossa mea vobiscum. In
hac quippe terra sepeliri volebant sancti
Patriarchæ, secundum Hieronymum, quia
noverant in ea Christum nasciturum atque
passurum, ut simul cum eo resurgerent,
cum quo scimus multorum Sanctorum qui Matth.
dormierant, corpora resurrexisse. xxvii, 52.

23 *Exod.* II, 2, 3. *Fide Moyses natus, occultatus est mensibus tribus a parentibus suis,* ex fide parentum. Diutius autem eum celare non poterant. Occultaverunt vero eum, *eo quod vidissent elegantem infantem,* id est præter solitum venustate et gratia magis decoratum : propter quod speraverunt Deum aliquid magni operaturum per illum infantem ; *et non timuerunt* timore completo, quamvis aliqualiter timuerint, *regis edictum,* id est Pharaonis præceptum, qui
Ibid. I, 22. jussit omnes masculos Hebræorum neca-
24 ri, et in flumen jactari. — *Fide Moyses grandis factus* mente et corpore, id est virtuosus atque adultus, *negavit* operibus,
Ibid. II, 11-15. quamvis non verbis, videlicet occidendo Ægyptium et fugiendo regis palatium, *se esse filium* adoptivum *filiæ Pharaonis,*
Ibid. 10. quæ eum adoptavit in filium ; *magis eli-*
25 *gens affligi cum populo Dei,* id est cum filiis Israel, qui tunc vehementer ab Ægyptiis opprimebantur, *quam temporalis peccati habere jucunditatem,* id est, quam esse in regis palatio, atque corporalibus
26 transitoriisque frui deliciis ; *majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi,* id est, persecutionem et tribulationem figurativam passionis Christi, utiliorem et fructuosiorem judicans universis Ægypti deliciis. *Adspiciebat enim in remunerationem,* id est, justum Dei judicium et universorum debitam retri-
II *Cor.* IV, 17. butionem pensavit, quam scilicet momentaneum et leve tribulationis præsentis, æternum gloriæ pondus operetur in no-
Ps. CXVIII, 112. bis. Unde Psalmista : Inclinavi, inquit, cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem. Verumtamen magis convertendus est oculus mentis ad Dei honorem, quam ad propriam mercedem ; potiusque induci debemus ad bene agendum ac patiendum ex divino amore, quam remunerationis desiderio : aliter essemus mercenarii, non servi fideles neque amici.
27 *Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem regis,* id est superbiam Pha-
Exod. II, 15. raonis. Hoc quidam intelligunt de fuga

A Moysis ab Ægypto statim percusso Ægyptio. Unde Chrysostomus dicit : Quod Moyses primo fugit in terram Madian, non fuit metus, sed fides, quia credebat se liberari a Deo. Noluit in Ægypto manere, ne esset causa jactantiæ si se in apertum præcipitaret periculum. Verumtamen in Exodo manifeste habetur, quod Moy- *Exod.* II, 14.
ses timuit quum audisset patefactum esse homicidium quo occidit Ægyptium, et fugit a facie Pharaonis. Ideo alii exponunt hæc de egressu Moysis ex Ægy-
B pto simul cum filiis Israel. Quibus obviare videtur quod subditur de celebratione Paschæ, quæ præcessit egressum prædictum : nisi dicatur, quod non servatur hoc loco ordo rei gestæ. *Invisibilem enim Deum tanquam videns sustinuit,* id est, tam fiducialiter exspectavit, et in ejus auxilio confidebat, ac si eum vidisset.
Fide celebravit Moyses *Pascha,* id est 28
agni paschalis immolationem, esum ac ri- *Ibid.* XII, 1-28.
tum, credens populum hoc modo salvandum ; *et sanguinis* agni illius *effusionem*
C celebravit, liniendo postes et superliminaria domorum sanguine agni, secundum imperium Domini ; *ne qui vastabat primitiva,* id est, ne angelus occidens primogenita hominum et jumentorum in tota Ægypto, *tangeret eos,* id est, Hebræos vastaret. Jusserat enim Dominus Moysi, ut filii Israel sanguine agni postes et superliminaria domorum suarum linirent, quatenus angelus cernens domos ita linitas, transiliret, nec tangeret habitatores. Quo figurabatur, quod signati sanguine Chri-
D sti, non opprimuntur a tentatore.
Fide filii Israel *transierunt mare Ru-* 29
brum, id est per alveum exsiccatum, in *Ibid.* XIV, 22.
quo paulo ante aqua maris fluebat, *tanquam per aridam terram,* aqua maris divina virtute divisa, et exsistente ea filiis Israel pro muro a dextris et a sinistris ;
quod iter *experti,* id est attentantes, *Ægy-* *Ibid.* 23, 27, 28.
ptii sequentes filios Israel per viam maris Rubri, *devorati sunt,* id est submersi, occurrentibus eis aquis, et Domino eos involvente in mediis fluctibus. *Fide,* id est 30

merito fidei Israelitarum credentium Deo, A
Josue VI, 16, 20. *muri Jericho corruerunt* miraculose, virtute divina, *circuitu dierum septem,* id
est completo circuitu qui per septem dies
factus est semel unoquoque die a toto
31 populo Israel. *Fide,* id est propter fidem,
Ibid. 25. *Rahab meretrix non periit,* id est, occisa
non est, *cum incredulis* Chananæis, quo-
Ibid. II, 11. niam credidit Deum esse verum ac omnipotentem, ita ut daret filiis Israel terram
Chanaan, sicut promisit, *excipiens exploratores* duos viros missos a Josue, *cum*
Ibid. 6, 15. *pace.* Nam occultavit eos, atque pacifice B
dimisit eosdem.
32 *Et quid adhuc dicam?* id est, totum
quod præsentem concernit materiam, explicare non possum. *Deficiet enim me tempus enarrantem,* id est, spatium vitæ vel
conscriptionis hujus epistolæ mihi nimis
breve erit ad eloquendum : *de Gedeon,*
Judic. VI, 12; VII, 7 *et seq.* cui angelus dixit : Dominus tecum, virorum fortissime ; qui cum viris trecentis
debellavit numerosissimum exercitum Ma-
Ibid. IV, 6 *et seq.* dianitarum ; *Barac* filio Abinoem, qui
cum decem millibus pugnatorum occidit C
Ibid. XVI, 30. centum millia adversariorum ; *Samson,* id
est de Samsone filio Manue ex tribu Dan,
Ibid. XI, 32. qui Philistæos oppressit ; *Jephthe* Galaadite, qui filios Ammon dejecit ; *David*
I *Reg.* XVII, 35, 36, 49. *rege,* qui adhuc adolescens, leonem, ursum, atque gigantem exstinxit : *Samuel*
Ibid. VII, 15-17. filio Elcanæ, qui post Heli judicavit Israelem ; *et aliis Prophetis* veteris Testamenti. Ex his constat, quod omnes jam
nominati, sancti fuerunt, quia in Sanctorum ponuntur catalogo. Unde si aliqua
illicita commiserunt, pœnitentiam fecisse D
creduntur : ut Gedeon, de hoc quod con-
Judic. VIII, 27. tra legem fecit sibi ephod, seu vestem
sacerdotalem ; et Jephthe, de hoc quod
Ibid. XI, 39. propriam obtulit filiam : nisi dicatur hoc
fecisse ex occulto Spiritus Sancti instinctu.
Ibid. XVI, 30. Ex quo motus est et Samson ad occidendum se ipsum cum hostibus suis. Ideo de
sanctitate Samsonis dubitandum non est.
33 *Qui* jam præfati *per fidem vicerunt regna* Madian, Ammonitarum, Philistinorum,
Syrorum, etc. Quæ omnia in libro Judi-
cum plenius continentur. *Operati sunt justitiam.* Justus enim ex fide vivit, et *Habac.* II, 4; *Rom.* I, 17.
prædicti judices justa exercuerunt judicia. *Adepti sunt repromissiones,* id est
bona eis promissa. Aliqua enim promissa
in præsenti sortiti sunt vita, puta victorias, principatum et pacem ; aliqua vero,
post vitam hanc, maxime post Christi adventum, videlicet bona cœlestia. Quod autem supra dictum est, Juxta fidem hi *vers.* 13.
omnes defuncti sunt, non acceptis promissionibus, intelligitur de promissionibus
patriæ. *Obturaverunt,* id est, occidendo, I *Reg.* XVII, 35 ; *Judic.* XIV, 6; *Dan.* VI, 22; XIV, 39.
vel a devoratione prohibendo, clauserunt,
ora leonum, ut David, Samson et Daniel ;
exstinxerunt impetum ignis, ut Aaron, et 34
tres pueri in camino; *effugaverunt,* id est, *Num.* XVI, 47, 48; *Dan.* III, 50.
in fugam verterunt, *aciem gladii,* id est
exercitum gladiis cinctum : sicut in libris
Judicum, Regum et Paralipomenon sæpissime recitatur ; *convaluerunt* miraculose
de infirmitate letali, ut Ezechias et Job ; IV *Reg.* XX, 7; *Job* XLII, 10.
fortes facti sunt in bello corporali contra
hostes visibiles, et spirituali contra invisibiles, ut patet de David, et Machabæo
et fratribus ejus ; *castra verterunt,* id est
destruxerunt, *exterorum,* id est alienigenarum ; *acceperunt mulieres,* videlicet mu- 35
lier Sunamitis et vidua Sidonia, *de resurrectione,* id est mediante resurrectione, seu
per resuscitationem ex mortuis, *mortuos*
suos, id est filios suos defunctos. Elias III *Reg.* XVII, 22; IV *Reg.* IV, 35.
namque resuscitavit filium viduæ Sidoniæ, Eliseus filium mulieris Sunamitis.
Alii autem Sanctorum pro fide *distenti*
sunt, id est in tormentis extenti, ut legitur de septem fratribus Machabæis et aliis II *Mach.* VII.
quibusdam, *non suscipientes redemptionem,* id est præsentium pœnarum evasionem, *ut meliorem invenirent resurrectionem* in die novissimo (quam inventuri
non erant, si præsentes pœnas curassent
evadere), id est, quatenus beatam immutationem atque felicem suscitationem in die
judicii consequi mererentur. De qua secundo Machabæorum unus fratrum illorum dicebat : Rex mundi Deus, defunctos *Ibid.* 9.
nos pro suis legibus in æternæ vitæ re-

36 surrectione suscitabit. *Alii vero ludibria,*
id est irrisiones, contumeliasque verbo-
rum, *et verbera experti, insuper et vincula*
Jer. xxxvii, 14; Judic. xvi, 21; III Reg. xxii, 27. *et carceres,* id est incarcerationes. In eo
quod ait, Insuper, notat hæc in eisdem
facta personis, videlicet in Jeremia, Sam-
37 sone, Michæa. *Lapidati sunt,* ut Jeremias
II Par. xxiv, 20-22. in Ægypto, Zacharias filius Joiadæ pon-
tificis inter templum et altare; *secti sunt,*
ut Isaias a Manasse; *tentati sunt* adversi-
Tob. II. tatibus, ut Tobias, vel blandis promissio-
I Mach. II, 17, 18; II nibus ut averterentur a Deo, ut Mathathias
Mach. VI, 21, 22. et Eleazarus; *in occisione gladii,* id est
IV Reg. XXI, 16. gladio facta, *mortui sunt:* nam et Ma-
nasses implevit Jerusalem sanguine inno-
centium usque ad os. *Circuierunt* varia
mundi loca *in melotis,* id est in vestibus
Matth. III, 4. factis de pilis camelorum, sicut Joannes
Baptista. Vel, melota est pellis hispida
animalis quod dicitur melus. *In pellibus*
IV Reg. I, 8. *caprinis,* ut Elias. *Egentes* victu atque
amictu, *angustiati,* id est diversis animi
afflictionibus pressi, *afflicti* in corpore.
38 *Quibus dignus non erat mundus,* id est
mundanorum hominum cœtus: quia et
ipsi ea quæ mundi sunt vilipenderunt, et
mundus propter suam impietatem dignus
non fuit conversatione ipsorum. *In soli-*
tudinibus, id est locis desertis, *errantes*
I Reg. XXI-XXX; I Mach. II, 28; II Mach. V, 27. per devia, ut David cum suis tempore
Saulis, et Mathathias cum suis tempore
Antiochi Illustris; *in montibus, et in spe-*
luncis, et in cavernis terræ commorantes,
ut legitur de Elia et filiis Prophetarum, III Reg. XVIII, 4; XIX, 9.
quos abscondit Abdias tempore Jezabel.
Unde et David: Ecce, inquit, elongavi Ps. LIV, 8.
fugiens, et mansi in solitudine. Fugerunt
enim hominum adspectus ac strepitus, ut
Deo vacarent liberius.

Et hi omnes testimonio fidei, id est ac- 39
tione procedente ex fide, vel passione pro-
pter fidem suscepta, dante testimonium
eis quod vere fideles fuerunt, *probati,* id
est divinitus approbati, commendabiles-
que effecti, *non acceperunt repromissio-*
nem, id est cœlestem hereditatem pro-
missam, ante Christi passionem; *Deo pro* 40
nobis, id est pro nostra utilitate, *melius ali-*
quid providente, videlicet, *ut non sine no-*
bis consummarentur, id est, ne ante mini-
stros novi testamenti æterna beatitudine
perfruerentur. Detinebantur enim in limbo
usque ad Christi passionem: ante quam
decollatus est Joannes Baptista, novi te- Matth. XIV, 10.
stamenti minister et præco. Sicque pro-
pter majus gaudium procurandum simul
beatificati sunt Sancti antiqui, et aliqui
qui erant tempore Christi. Vel sic: Non
acceperunt repromissionem, id est corpo-
ris stolam seu glorificationem, Deo pro
nobis aliquid melius providente, ut non
sine nobis consummarentur, id est, ne
ante diem judicii hanc gloriam conseque-
rentur, sed tunc omnes simul suscitemur
et conglorificemur, atque de beatitudine
tanta mutuo congratulemur.

ARTICULUS XII

ELUCIDATIO CAPITULI DUODECIMI: IDEOQUE ET NOS TANTAM HABENTES IMPOSITAM NUBEM, ETC.

FACTA in præcedenti capitulo exhor-
tatione ad fidei stabilitatem, nunc in-
troducitur admonitio ad pacem ac patien-
1 tiam. *Ideoque,* videlicet propter rationes
in superiori capitulo tactas, *et nos tan-*
tam, id est tam copiosam seu numerosam,
habentes impositam, id est exemplariter
propositam nobis, *nubem testium,* id est
multitudinem Sanctorum: qui ad simili-
tudinem nubium alti sunt contemplatio-
ne, splendidi cordis puritate, spiritualiter
pluentes influendo stillicidia sapientiæ et
refrigeria concupiscentiæ; de quibus Pro-
pheta: Qui sunt isti qui ut nubes volant? Is. LX, 8.

Hi quoque sunt testes Dei, quoniam ver- A
bo et facto ostendunt vera esse divina
eloquia, dum ipsum Deum in cunctis glo-
rificant. *Deponentes omne pondus,* id est
inclinationem ad vitia pertrahentem, quem-
admodum gravitas trahit deorsum : quod
enim in corporalibus facit pondus, hoc in
spiritualibus efficit amor ; trahit etiam
quemque sua voluptas ; *et circumstans,* id
est ex omni parte imminens et impu-
gnans, *nos peccatum :* quia in prosperis
impugnat vana gloria, in adversis inordi-
nata tristitia. *Per patientiam,* id est omnia B
obstacula atque adversa fortiter transilien-
do et sustinendo, nec propter ea a bonis
cessando, *curramus* animo prompto et cor-
de spontaneo, et si opus est, etiam motu
corporeo, *ad propositum nobis certamen,*
id est ad prælium nobis injunctum contra
diabolum, carnem ac mundum, vel ad mar-
tyrium seu justitiæ defensionem. Unde in
Eccli. IV, 33. Ecclesiastico legitur : Pro justitia agonizare
pro anima tua, et usque ad mortem certa
pro justitia, et Deus expugnabit pro te.
2 *Adspicientes,* id est oculum mentis pro- C
jicientes, *in auctorem fidei et consumma-*
torem Jesum, id est in Dominum Salva-
torem : qui dicitur auctor fidei, quia ut
Deus eam infundit, atque ut homo eam
potissimum prædicavit ac docuit. Dicitur
quoque fidei consummator, quoniam eam
miraculis confirmavit, et fideles a fide
transfert ad speciem, faciens fidei suc-
cedere beatificam visionem, quæ est con-
summatio sive perfectio fidei. *Qui propo-*
sito sibi gaudio, id est gloria regni sibi
Joann. VI, 15. oblata, quando Judæi voluerunt eum con- D
Matth. XXI, 8, 9. stituere regem, et in die Palmarum ho-
norifice eum prosequebantur ; vel, Propo-
sito sibi gaudio, id est præmio accidentali
ad quod patiendo pervenit ; vel, Proposi-
to sibi gaudio, quia in superiori parte
animæ plenus semper erat gaudio beatæ
fruitionis ; *sustinuit crucem,* id est cru-
cifixionem, sponte, ex ardentissima cari-
Is. LIII, 7. tate : oblatus est enim quia voluit ; *confu-*
sione contempta, id est, tam ignominiosam
passionem non reputans fugiendam, sed
suam confusionem pro nihilo reputans,
seu æquanimiter sustinens, dummodo nos
per eam ad cœlestis paradisi honorem re-
duceret. *Atque in dextera sedis Dei sedet,*
id est, ad æqualitatem Dei Patris in thro-
no gloriæ residentis quiescit.
Recogitate eum, id est, repetitis vici- 3
bus seu frequenter memores estote ejus,
videlicet Christi, *qui talem sustinuit a*
peccatoribus perversis Judæis *adversus se-*
metipsum contradictionem, id est blasphe-
miam, negationem, et impiissimam impu-
gnationem in verbis et factis. Dixerunt
namque, Evangelistis testantibus : Non est *Joann.* IX, 16.
hic homo a Deo ; et, Nos scimus quia hic *Ibid.* 24.
homo peccator est ; et, Nunc scimus quia *Ibid.* VIII, 52.
dæmonium habes. In passione quoque di-
xerunt : Hunc invenimus subvertentem *Luc.* XXIII, 2.
gentem nostram. *Ut non fatigemini,* pro-
pter tribulationes et labores vitæ præsen-
tis, *animis,* id est cordibus seu spiritibus,
vestris deficientes, id est a bono cessantes,
et adversitatibus seu tentationibus suc-
cumbentes. Christus enim omnibus nobis
in exemplum proponitur, semperque a no- I *Petr.* II, 21.
bis adspiciendus est, quatenus ejus ve-
stigia imitemur. Idcirco, exemplo Christi
cuncta adversa læto animo sustinere de-
bemus, quoniam non est servus major *Joann.* XIII, 16.
domino suo. Merito denique non debetis
deficere : *Nondum enim usque ad san-* 4
guinem, id est sanguinis effusionem seu
martyrium, *restitistis* adversariis verita-
tis, *adversus peccatum repugnantes,* id
est infidelitati et ceteris vitiis reluctantes.
Consequenter increpat Apostolus eos,
quod non attenderunt sacram Scripturam,
ad patientiam invictissimam dulciter ex-
citantem. *Et obliti estis consolationis,* id 5
est Scripturæ consolatoriæ, *quæ vobis tan-*
quam filiis Dei adoptivis *loquitur, dicens*
in persona Sapientis : *Fili mi, noli ne-* *Prov.* III, 11.
gligere, id est despicere, non advertere
seu refutare, *disciplinam Domini,* id est
pœnam vel tribulationem a Deo inflictam ;
neque fatigeris per impatientiam aut pu-
sillanimitatem, *dum ab eo argueris* per
justam increpationem verborum seu ver-

berum, mediate vel immediate. Ideo le- A
Job v, 17. gitur apud Job : Beatus homo qui corripi-
tur a Domino : increpationem ergo Domini
Jer. x, 24. ne reprobes. Et Jeremias precatur : Cor-
ripe me, Domine ; verumtamen in judi-
6 cio, et non in furore. *Quem enim diligit,*
id est, cui bonum gratiæ in præsenti et
bonum gloriæ in futuro vult, *Dominus*
castigat, id est, paterne corrigit in præ-
senti, ne postea durius crucietur. *Flagel-*
lat autem omnem filium quem recipit ad
numerum Beatorum, et quem habet ac-
Rom. viii, 32. ceptum : nam et proprio naturalique Filio B
non pepercit. Hoc est quod in Apocalypsi
Apoc. iii, 19. protestatur : Ego quos amo, arguo et ca-
stigo. Imo periculosissimum est, et maxi-
mum divini odii reprobationisque signum,
non castigari nec argui a Deo in sæculo
isto, prout per Ezechielem Dominus ait
Ezech. xvi, 42. populo reprobo : Zelus meus recessit a te,
non irascar tibi amplius; itemque in Psal-
Ps. lxxx, 13. mo : Dimisi eos secundum desideria cor-
dis eorum; ibunt in adinventionibus suis.
Ex præinducta insuper auctoritate infert
7 Apostolus instructionem moralem. *In di-* C
sciplina, id est correctione juste illata,
perseverate, usque in finem eam æquani-
miter sustinendo, dicentes singuli illud
Job xxxiii, 27. Job : Peccavi et vere deliqui, et ut eram
dignus, non recepi. Hinc enim scriptum
Prov. xiii, 18. est : Egestas et ignominia ei qui deserit
disciplinam ; qui autem acquiescit argu-
enti, glorificabitur. Alio quoque loco Sa-
Ibid. xv, 32. lomon loquitur : Qui abjicit disciplinam,
despicit animam suam ; qui autem acqui-
escit increpationibus, possessor est cordis.
Cur autem in disciplina perseverandum D
sit, subditur : *Tanquam filiis offert se vo-*
bis Deus, id est, tam clementer et provi-
dentialiter se habet ad vos, sicut decet
patrem se habere ad filios : ideo corripit.
Quis enim filius quem non corripit pater
si peccaverit? tanquam dicat, Nullus. Scri-
Ibid. xiii, 24. ptum est enim : Qui parcit virgæ, odit
filium suum ; qui autem diligit illum, in-
Eccli. xxx, 1. stanter erudit. Et alibi : Qui diligit filium
suum, assiduat illi flagella, ut lætetur in
8 novissimo. *Quod si extra disciplinam es-*

tis, ita quod virga Dei non est super vos, Job xxi, 9.
sicut de impiis legitur, *cujus disciplinæ*
participes facti sunt omnes filii et electi,
eam experiendo; *ergo adulteri,* id est non
spiritualiter a Deo geniti, sed filii adul-
terini, filii utique hujus sæculi atque dia-
boli,* *estis :* prout apud Joannem scribitur * [et non filii]
de quibusdam : Vos ex patre diabolo estis. Joann. viii, 44.
Deinde probat Apostolus per locum a
majori, et per exemplum in naturalibus,
quod obediendum sit Deo, recipiendo di-
sciplinam patienter ab eo. *Deinde,* id est, 9
ex sequentibus idem patescit, *patres qui-*
dem carnis nostræ, id est patres nostros
carnales, a quibus corpus, non animam,
sortiti sumus, *eruditores habuimus,* præ-
sertim tempore nostræ juventutis. Pater
enim debet filio nutrimentum ac docu-
mentum. *Et reverebamur eos,* id est, ho-
norem cum timore eis impendebamus.
Non multo magis obtemperabimus, id est
obediemus, *Patri spirituum,* id est Deo
creatori animarum, *et vivemus* vita gra-
tiæ? quasi dicat : Hoc multo rationabilius
est, sicut et anima corpore est nobilior.
Quanto enim plura ac potiora a Deo bona
suscepimus, tanto amplius ei parere tene-
mur. *Et illi quidem* patres nostri carna- 10
les, *in tempore paucorum dierum,* videli-
cet durante adolescentia nostra, *secundum*
voluntatem suam erudiebant nos, id est
in his quæ eis bona apparuerunt, videlicet
in honestate humana et traditionibus sæ-
cularibus ; *hic autem* Pater spirituum eru-
dit nos per inspirationem internam et
sacræ Scripturæ lectionem seu prædicati-
onem, *ad id quod utile est,* id est ad bona
gratiæ et beatitudinem gloriæ, ut ea as-
sequamur, *in recipiendo sanctificationem*
ejus, id est cordis expurgationem a vi-
tiis, et puritatem divinæ illustrationis. Hæc I Thess. iv, 3.
est enim voluntas Dei, sanctificatio nostra.
Præterea, admonet in disciplina persi-
stendum, propter copiosissimum fructum
ex ea sequentem. *Omnis autem discipli-* 11
na, id est correptio pro peccatis inflicta,
in præsenti quidem sæculo ; vel, In præ-
senti, id est ea durante ; *videtur non esse*

gaudii, sed mœroris, id est non dele- A
ctabilis, sed molesta. Talis enim videtur
carnalibus, quamvis spirituales eam dele-
ctabiliter patiantur propter utilitatem ip-
sius, quemadmodum æger libenter recipit
potionem amaram propter spem sanita-
tis. Vere tamen disciplina ista est in se
molesta, quum sit quædam pœna. Disci-
plina vero quæ a discendo nomen acce-
pit, quæ et scientia dicitur, in sua natura
jucunda et dulcis est. *Postea autem,* id
est in vita futura, *fructum pacatissimum*
exercitatis per eam reddet justitiæ, id est, B
in patria reddet, id est, dari faciet, per
modum causæ meritoriæ, fructum paca-
tissimum justitiæ, id est quietissimam
mercedem, seu beatitudinem desiderium
quietantem : qui fructus ex justitia oritur,
et juste confertur exercitatis, id est in ac-
tibus virtuosis habituatis per eam disci-
Rom. VIII, 18. plinam. Ideo dictum est alio loco : Non
sunt condignæ passiones hujus temporis
ad futuram gloriam quæ revelabitur in
II *Cor.* IV, 17. nobis. Et rursus : Id quod in præsenti est
momentaneum et leve tribulationis no- C
stræ, supra modum æternum gloriæ pon-
dus operatur in nobis.

12 *Propter quod remissas manus,* id est
Is. XXXV, 3. pigras et tepidas affectiones, *et soluta ge-*
nua, id est fortitudinem qua ante steti-
stis, nunc debilitatam, *erigite* ad Deum,
id est, perficite ut caritatis affectus in
vobis flammescant, et ad cœlos vos suble-
vent. Fortitudo quoque animæ corrobo-
retur in vobis. Corporis etiam manus ac
genua debemus ad Deum levare, stando
erecti ad eum in oratione ac contempla- D
Thren. III, 41. tione, juxta illud : Levemus corda nostra
13 cum manibus ad Deum in cœlos. *Et gres-*
sus rectos, id est opera justa, *facite pedi-*
bus vestris, id est ex interioribus virtuti-
bus animæ, quibus itur ad Deum, videlicet
ex fide, spe et caritate, sine quibus nul-
la actio meritoria est ; *ut non claudicans,*
id est instabilis, vagus et in via Domini
nutans, *quis* vestrum *erret* ab ultimo fi-
ne, *magis autem sanetur* a vulneribus
animæ, id est peccatis.

Pacem, id est tranquillitatem sive con- 14
cordiam, *sequimini,* id est, servare curate,
cum omnibus proximis, amicis ac æmu-
lis. Quod intelligendum est de vera spi-
ritualique pace. Propter quod et Romanis
dictum est : Si fieri potest, cum omnibus *Rom.* XII, 18.
hominibus pacem habentes. *Et sanctimo-*
niam, id est cordis munditiam, juxta il-
lud : Omni custodia custodi cor tuum. *Si-* *Prov.* IV, 23.
ne qua pace et sanctimonia *nemo videbit*
Deum in patria. Beati enim pacifici, quo- *Matth.* V, 9.
niam filii Dei vocabuntur. Beati quoque *Ibid.* 8.
mundo corde, quoniam ipsi Deum vide-
bunt. *Contemplantes,* id est sollicite præ- 15
caventes, *ne quis desit gratiæ Dei,* id est,
ne aliquis vestrum elongetur ac separetur
a gratia Dei, quæ omnibus præsto est,
dummodo fecerint quod in se est ; vel, Ne
quis desit gratiæ Dei, id est, ne gratia
Dei in vobis imperfecta sit propter negli-
gentiam vestram. Sed potius in ea profi-
cite, *ne qua radix amaritudinis,* id est,
ne aliqua passio vitiosa, pœnalis, seu pœ-
nam promerens, *sursum germinans,* id
est in consensum vel opus prorumpens,
impediat gratiam et salutem, *et per illam*
amaritudinem *inquinentur,* id est, scan-
dalizentur seu perturbentur, *multi* ex im-
patientia. Unde in lege præcipitur : Non *Deut.* XXIX, 18.
sit inter vos radix germinans fel et ama-
ritudinem ; et Sapiens, Non est sensus ubi *Eccli.* XXI, 15.
abundat amaritudo.

Ne quis sit *fornicator* spiritualis, re- 16
cedendo a fide. Est enim spiritualis for-
nicatio, qua Deus relinquitur. De qua Pro-
pheta : Fornicati sunt a Deo ; et in Psalmo, *Osee* IV, 12.
Fornicati sunt in adinventionibus suis. *Ps.* CV, 39.
Vel, Ne quis sit fornicator corporalis,
illicitum concubitum committendo. *Aut*
profanus, id est penitus irreligiosus, tan-
quam procul a fano, id est remotus a
templo, serviens suo ventri magis quam *Rom.* XVI, 18.
Deo, ut gulosi ; *ut Esau, qui propter unam*
escam, puta lenticulam a Jacob paratam,
vendidit ipsi Jacob *primitiva sua,* id est
primogenita, scilicet dignitatem primoge-
nitorum, hoc est honorem sacerdotii, pro- *Gen.* XXV, 29-34.
ut in Genesi narratur. Primogeniti autem

in lege naturæ erant sacerdotes, et spe- A
ciales vestes habebant, quibus tempore
sacerdotii utebantur; habebantque dupli-
cem portionem in hereditate. Jus autem
primogenituræ et dignitas sacerdotii, spi-
rituale sunt bonum. Ideo Esau id venden-
do, incidit simoniam : non tamen Jacob,
quoniam proprie non emit ea; sed sui
vexationem redemit, quoniam ex ordina-
tione divina ei debebantur primogenita.
Itaque non sit aliquis vestrum fornica-
17 tor aut profanus ut Esau : *Scitote enim*
Gen. xxvii, 30-37. *quoniam et postea* reversus de agro, et B
Jacob jam benedicto, *cupiens* Esau *here-*
ditare, id est hereditarie possidere vel
sumere, *benedictionem* Isaac, *reprobatus*
est a Deo, et ab impetratione benedictionis
prohibitus. Verumtamen in Genesi legitur
Ibid. 39, 40. Isaac benedixisse Esau filio suo, sed non
benedictione primogenituræ, quam Esau
primo et principaliter postulavit. *Non*
enim invenit pœnitentiæ locum ad recu-
perandum amissam benedictionem, *quan-*
quam cum lacrimis inquisisset eam, id
est pœnitentiæ veniam seu benedictionem. C
Non enim ex amore justitiæ vel vera con-
tritione profluxerunt lacrimæ illæ, sed ex
temporalis damni mœrore, vel indignati-
one sive rancore. Simili modo de Antio-
II Mach. ix, 13. cho scribitur : Orabat scelestus Dominum,
a quo non esset misericordiam consecu-
turus. Neminem tamen Deus repellit, si
Eccli. ii, 12. recta intentione convertatur ad eum. Quis
enim invocavit Deum, et despexit eum ?
Deinde assignat Apostolus rationem, cur
nullus deesse debet gratiæ Dei : eo quod
nova lex sit lex pietatis, amoris et gratiæ; D
vetus autem lex, erat lex timoris, rigoris
18 et mortis. *Non enim accessistis ad tracta-*
bilem, id est palpabilem, *et accessibilem*
motu corporeo, *ignem,* qualis fuit ignis
ardens in monte Sinai tempore dationis
legis antiquæ. Nec accessistis *et* ad *tur-*
binem, id est ventum vehementem qui
fit cum grandine et pluvia, *et caligi-*
nem, id est ignis tenebrositatem, *et pro-*
19 *cellam,* id est ingentem tempestatem, *et*
tubæ sonitum, qualis audiebatur in mon-

te Sinai, *et vocem verborum,* id est vo-
cem angeli loquentis cum Moyse. De his
namque legitur : Cœperunt audiri toni- *Exod.* xix, 16, 18.
trua, et micare fulgura, et nubes den-
sissima operuit montem; clangor quoque
buccinæ vehementius perstrepebat, totus-
que mons Sinai fumigabat. In his quippe
terribilibus data est lex, ad significan-
dum ejus rigorem. *Quam* procellam et
vocem *qui audierunt,* videlicet filii Israel
perterriti, *excusaverunt se,* suam infirmi-
tatem allegando, *ne eis fieret verbum* im-
mediate ab angelo loquente in persona
Dei, sed a Moyse, dicentes : Loquere tu *Ibid.* xx, 19.
nobis, et audiemus; non loquatur nobis
Dominus, ne forte moriamur. Quid enim *Deut.* v, 26.
est omnis caro, ut audiat vocem Dei lo-
quentis de medio ignis? Ideo subditur :
Non enim portabant, id est, sustinere et 20
audire non poterant, *quod dicebatur,* id
est verbum angeli cum Moyse terribiliter
loquentis. *Et si bestia tetigerit montem,*
lapidabitur, id est, hoc quoque dictum
fuit a Deo per angelum et per Moysen ad
populum, quod si bestia tetigerit montem *Exod.* xix, 12, 13, 21.
Sinai, transeundo ultra terminum præfi-
xum, lapidibus obrueretur. Hoc dictum
fuit etiam de hominibus. *Et ita terribile* 21
erat quod videbatur in monte Sinai. *Moy-*
ses dixit : Exterritus sum corde, *et tre-*
mebundus in corpore. Multo magis alii
formidabant. Hoc Moyses non legitur di-
xisse in datione legis; sed in visione rubi
ardentis ostendit se territum, absconden- *Ibid.* iii, 6.
do faciem suam, quoniam non audebat
respicere contra Dominum.
Per ista ostendit Apostolus, quod non
sumus sub lege timoris, sed amoris et
gratiæ : ideo gratia nobis parata est. Unde
subjungitur : *Sed accessistis* per Bapti- 22
smatis susceptionem, *ad Sion montem,* id
est Ecclesiam militantem, Deum in alto
contemplantem. Sion enim interpretatur
speculatio. Ecclesia vero mons dicitur,
propter vitæ et gratiæ eminentiam. Ac-
cessistis quoque per spem *et* ad *civita-*
tem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, id
est Ecclesiam triumphantem, *et multorum*

millium angelorum frequentiam, id est
frequentem multitudinem. Nunc enim spe-
ratis pertingere ad societatem angelorum,
qui pene innumerabiles sunt, juxta illud :
Dan. VII, 10. Millia millium ministrabant ei, et decies
millies centena millia adsistebant ei ; et
Job XXV, 3. in Job : Numquid est numerus militum
ejus ? et super quem non surgit lumen
23 ipsius? *Et* ad *ecclesiam primitivorum,* id
est congregationem et societatem Aposto-
lorum, et aliorum qui primo crediderunt
in Christum, *qui conscripti sunt in cœlis,*
id est in libro vitæ, quatenus ad cœle-
stem gloriam perducantur, quemadmodum
Luc. X, 20. dixit eis Salvator : Gaudete et exsulta-
te, quia nomina vestra scripta sunt in
cœlis.

Accessistis quoque per fidem et carita-
tem *et* ad *judicem omnium Deum,* id est
ad Deum Patrem, cui ex propria auctori-
tate primarie competit judicare. Unde ait
Joann. VIII, 15, 50. Salvator : Ego non judico quemquam ; est
qui quærat et judicet. Tamen prosecutio
judicii collata est Christo homini. *Et spi-
ritum justorum perfectorum,* id est ad
Spiritum Sanctum, qui facit atque inhabi-
tat justos et perfectos, tanquam familiaris
24 cum eis ; *et testamenti novi mediatorem
Jesum,* id est ad Christum Filium Dei, qui
est medius dator evangelicæ legis, inter
Ephes. II, 14-16. Deum Trinitatem et homines medians, pa-
cemque faciens, *et sanguinis adspersio-
nem,* id est ad participationem efficaciæ
seu fructus ac meriti sanguinis Christi,
per quem mundamur a pœna et culpa in
Baptismo, in quo adspergimur merito san-
guinis Christi, id est infusione gratiæ :
adspersionem, inquam, *melius loquentem
quam* loquitur effusio sanguinis *Abel.* San-
guis enim Christi clamat et efficit pacem
Gen. IV, 10. ac veniam ; sanguis vero Abel, vindictam
et damnationem.

25 *Videte ne recusetis loquentem,* id est, ne
Christum in Evangelio vos exhortantem
audire spernatis. *Si enim,* id est quia, *il-
li* rebelles Judæi *non effugerunt* debitam
pœnam, *recusantes,* id est audire contem-
nentes, *eum qui super terram loquebatur*
A eis, id est Moysen vel angelum loquentem
in monte Sinai ; *multo magis nos, qui de
cœlis loquentem nobis,* id est Christum in
cœlo jam residentem et nobis in Evange-
lio loquentem, *avertimus,* id est, per in-
obedientiam a cordibus nostris repellimus,
non evademus pœnas condignas. *Cujus* 26
Christi *vox,* id est potestas et sermo, *movit
terram,* id est montem Sinai, qui tremere *Exod.* XIX,
videbatur, *tunc,* quum lex dabatur. Vox 16, 18.
enim angeli moventis tunc terram, dicitur
vox Christi, quoniam in persona Dei, et
B per consequens in persona Christi loque-
batur, quum ipse sit verus Deus. Unde et
ipse ait : Creditis in Deum, et in me cre- *Joann.* XIV,
dite. *Nunc autem,* id est pro tempore novi 1.
testamenti, Christus *repromittit, dicens* :
Adhuc semel, præter id scilicet quod ante
feci in monte Sinai, hoc est in primo meo
adventu ; *et ego movebo non solum ter-* *Agg.* II, 7.
ram, quæ mota est tempore passionis, *sed* *Matth.*
et cœlum aerium, quod insolito more mo- XXVII, 51.
tum est, angelis tempore nativitatis Chri- *Luc.* II, 13;
sti apparentibus, et novo sidere radiante *Matth.* II, 2; *Act.* I, 9.
C de cœlo, Christo quoque cum Sanctis innu-
merabilibus ascendente in cœlum. Quem-
admodum autem per motum terræ intelligi
potest motio et admiratio hominum : sic
per motum cœli intelligi potest ascensus
atque descensus et admiratio angelorum,
qui in primo Christi adventu frequenter
apparuerunt, et vehementer mirati sunt de
mysteriis Christi, dicentes in ascensione :
Quis est iste qui venit de Edom ? et, Quis *Is.* LXIII, 1.
est iste Rex gloriæ? *Ps.* XXIII, 8, 10.

Consequenter exponit quædam verba au-
D ctoritatis inductæ. *Quod autem, Adhuc se-* 27
mel, dicit, id est, per hoc quod Propheta
hæc duo connectit, Adhuc, et, Semel, *de-
clarat mobilium,* id est variabilium rerum,
scilicet elementorum et orbium, *transla-
tionem,* id est corruptionem, quantum ad
statum et formas quasdam accidentales,
seu transmutationem in meliorem statum,
tanquam factorum, id est a Deo creato-
rum. Idcirco, quum sint a Deo creata, pos-
sunt ab eo transferri in alium statum.
Quod erit in die judicii. *Ut maneant ea*

quæ sunt, immobilia, id est, hæc eadem in melius transmutata, in æternum perseverent : quia post diem judicii cessabit generatio et corruptio in rebus corporeis. Vel sic : Quod autem, Adhuc semel, dicit, id est, per hoc quod de tempore gratiæ loquitur, declarat mobilium translationem, id est cærimonialium veteris legis cessationem, tanquam factorum, id est quasi ad tempus institutorum a Deo, non ut semper durarent; ut maneant ea quæ sunt, immobilia, id est, status, ritus, et sacramenta novæ legis usque ad finem sæculi perseverent.

28 *Itaque regnum immobile,* id est cœleste, *suscipientes,* modo in spe, suscepturi illud in re, *habemus gratiam* gratum facientem, *per quam serviamus,* observando præcepta, *placentes Deo,* id est opera meritoria perpetrantes : serviamus, inquam, *cum metu,* in quantum est Dominus, *et reverentia,* id est veneratione amorosa, in quantum est pater noster. Unde conqueritur apud Malachiam : Filius honorat patrem, et servus timet dominum suum : si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? et si dominus ego sum, ubi est timor meus? Sic ergo servire debemus. Cujus ratio subinfertur : *Etenim* 29
Deus noster ignis consumens est, id est similis igni devoranti. Deus enim peccatores consumit et cruciat, electos vero calore amoris incendit, atque a fæcibus criminum purgat. Hoc est quod in Deuteronomio inducitur : Cave ne obliviscaris pacti Domini Dei tui, quoniam Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus æmulator. Ex quo innotescit, quod ad litteram loquitur de consumptione impiorum per pœnas, quemadmodum in propheta Isaia scribitur : Ardens furor ejus, et gravis ad portandum.

Malach. I, 6. — *Deut. IV, 23, 24.* — *Is. XXX, 27.*

ARTICULUS XIII

EXPOSITIO CAPITULI TERTIIDECIMI : CARITAS FRATERNITATIS MANEAT IN VOBIS.

Ex hoc loco usque ad finem epistolæ ponit Apostolus moralia documenta.
1 *Caritas fraternitatis,* id est fraterna seu proximorum dilectio, *maneat in vobis.* Qui enim diligit proximum, legem implevit. Unde et Petrus jubet : Ante omnia mutuam caritatem in vobis continuam habentes, quoniam caritas operit multitudi-
2 nem peccatorum. *Et hospitalitatem nolite oblivisci,* sed eam pro viribus exercete (sicut et Petrus hortatur : Hospitales invicem sine murmuratione), ne Christus in die judicii vobis improperet : Hospes fui, et non collegistis me. *Per hanc enim* hospitalitatem, quæ est actus caritatis et misericordiæ, *placuerunt* Deo *quidam,* videlicet Abraham et Lot, *angelis hospitio receptis,* ut fertur in Genesi. Angeli namque in specie hominum eis apparuerunt. Unde et primo putabant eos homines esse : quod patet, quoniam corporalem refectionem paraverant eis. Ex quibusdam tamen indiciis videbantur eis esse homines sancti, in quibus Deus honoraretur : propter quod adoraverunt eos. Postmodum vero cognoverunt quod angeli es-
3 sent. *Mementote vinctorum,* id est, captis succurrite, necessaria ministrando, consolationem seu liberationem impendendo, *tanquam simul vincti,* id est in carcere corporis hujus detenti; vel, Tanquam simul vincti, id est sic ac si essetis vincti cum eis, et sicut vobis fieri velletis, si vincti essetis. Mementote quoque *et laborantium,* id est pauperum et infirmorum, infirmitatibus et laboribus fatigatorum, ut

Rom. XIII, 8. — *I Petr. IV, 8.* — *Ibid. 9.* — *Matth. XXV, 43.* — *Gen. XVIII, 2 et seq.; XIX, 1 et seq.*

eos repausetis, *tanquam et ipsi in corpore* A
morantes, id est, corporales necessitates
quotidie sentientes, per quod experti estis
quid illis necessarium sit.
4 *Honorabile connubium,* id est honestum
matrimonium, sit *in omnibus* vobis con-
jugatis : ut tria bona matrimonii inveni-
antur in vobis, videlicet fides, proles et
sacramentum ; *et torus immaculatus,* id
est, non nisi legitime copulati condormi-
ant. *Fornicatores enim* simplici fornicati-
one, *et adulteros,* nisi pœniteant, *judica-*
bit Deus judicio reprobationis æternæ. Ex B
quibus constat, quod actus matrimonialis
possit esse sine peccato, et quod fornica-
5 tio simplex sit peccatum mortale. *Sint*
mores, id est actus et vita vestra, *sine ava-*
Eccli. x, 9. *ritia.* Avaro enim nihil est scelestius; et
I *Tim.* VI, 10. radix omnium malorum est cupiditas. *Con-*
tenti præsentibus, id est bonis jam habi-
tis, ut non studeatis cumulare superflua;
Ibid. 8. sed habentes victum, et quibus tegamur,
contenti simus. *Ipse enim* Dominus *dixit*
in libro Josue (quod ad litteram dicitur
ipsi Josue, moraliter autem unicuique in C
Josue I, 5. Deo speranti) : *Non te deseram* quin tibi
necessaria tribuam, *neque derelinquam* in
adversis. Hoc et Christus in Evangelio ait:
Matth. VI, 32, 33. Scit Pater vester quia his omnibus indi-
getis. Quærite ergo primum regnum Dei,
et hæc omnia adjicientur vobis.
6 *Ita ut confidenter dicamus* singuli illud
Ps. CXVII, 6. Psalmistæ : *Dominus mihi adjutor* est,
non timebo quid faciat mihi homo, quam-
Rom. VIII, 31. vis rapiat mea. Si enim Deus pro nobis,
quis contra nos? Nam etsi permittat nos
tribulari, exspoliari sive occidi, hoc facit D
propter majus commodum nostrum et glo-
riam ampliorem. Idcirco debemus nos ejus
7 dispositioni confidenter committere. *Me-*
mentote præpositorum vestrorum, Aposto-
lorum et discipulorum, seu successorum
eorum, *qui vobis locuti sunt verbum Dei ;*
quorum intuentes, id est considerantes,
exitum conversationis, id est finem et pas-
sionem quæ vitam hanc terminaverunt ;
vel, Exitum conversationis, id est conver-
sationem ad alios ; *imitamini fidem,* ut
sitis parati mori pro fide, tanquam fide-
liter agatis ut ipsi. Sic autem in Christo
sperandum est : nam *Jesus Christus heri* 8
et hodie, ipse et in sæcula, id est, Christus
qui fuit adjutor præcedentium Sanctorum,
est adjutor et posterorum, omniumque qui
usque ad finem mundi in ipso sperabunt.
Vel, per has differentias temporis desi-
gnatur æternitas Christi secundum divi-
nitatem, quemadmodum et alibi dicitur :
Gratia vobis ab eo qui est, et qui erat, et *Apoc.* I, 4.
qui venturus est.
Consequenter docet vitare magistros fal-
laces, in cathedra pestilentiæ sedentes. *Do-* *Ps.* I, 1
ctrinis variis, id est a sacra Scriptura di- 9
versis ac dissonis, *et peregrinis,* id est
extraneis, *nolite abduci* a fide catholica,
ne quis vos decipiat per inanem philoso- *Coloss.* II, 8.
phiam, aut falsam Scripturarum interpre-
tationem, vel simili modo. *Optimum est*
enim gratia, id est per gratiam gratifican-
tem, *stabiliri cor,* id est animam confir-
mari a Deo : quoniam gratia ista est om-
nium operum meritoriorum principium,
sicut natura principium est operationum
naturalium. Idcirco per gratiam vitantur
errores ac hæreses : et tanto perfectius
bona aguntur ac mala vitantur, quanto
amplius cor in gratia stabilitur. Optimum
ergo est gratia stabiliri cor, *non escis,* id
est non superfluitate ciborum, vel non
discretione escarum secundum legem, quo-
niam escæ secundum legem licitæ, non
magis conferunt gratiam quam illicitæ.
Ideo subditur : *quæ* escæ *non profuerunt*
spiritualiter *ambulantibus in eis,* id est
gulosis, vel observatoribus legis, quantum
ad esum quarumdam escarum, et alia-
rum evitationem. Talia enim cærimonialia
tempore novi Testamenti, mortifera sunt;
nec propria virtute gratiam conferebant,
etiam tempore veteris legis.
Habemus enim *altare de quo edere non* 10
habent potestatem qui tabernaculo deser-
viunt. Altare istud intelligi potest corpus
Christi, vel crux in qua Christus oblatus
est, vel materiale altare ecclesiæ. De cor-
pore autem Christi, vel de altari et cruce,

id est de sacrificio oblato in altari mate- A riali in quo Christus quotidie immolatur, vel in cruce in qua oblatus est semel, non habent potestatem, id est licentiam, manducandi, qui tabernaculo deserviunt, id est, cultui veteris Testamenti, seu observationibus legalibus quæ fiebant in tabernaculo, dediti sunt, volentes observare legalia simul cum Evangelio. Tales enim censentur hæretici : ideo sacramentum corporis Christi manducare non possunt. Unde constat quod escæ legales non prosunt, sed optimum sit gratia stabiliri cor : quod B fit in participatione corporis Christi. Quod deinde probat Apostolus per allegoriam veteris Testamenti, seu figuram hujus rei significativam.

11 *Quorum enim animalium,* scilicet hirci
Lev. XVI, 11-15. et vituli, qui in die Expiationis offerebantur solenniter intra castra, *infertur sanguis pro peccato in Sancta per pontificem.* Horum quippe animalium sanguinem intulit summus sacerdos in Sancta sanctorum. *Horum* quoque animalium *corpo-*
Ibid. 27. *ra,* id est carnes oblatæ, *cremantur extra* C *castra.* Non enim licuit alicui his carnibus vesci, quoniam pro peccato pontificis erant animalia ista oblata : propter quod carnes eorum comburebantur omnino extra castra. — Porro hircus et vitulus præfiguraverunt Christum pro nostris pecca-
Rom. VIII, 3. tis oblatum, et similitudine carnis peccati indutum. Quod vero pontifex tulit sanguinem illorum animalium intra Sancta sanctorum, signavit quod per sanguinem Christi patefactus est aditus regni cœlorum. Combustio autem corporum, præfiguravit D quod Christus extra portam pateretur. Sed quod sacerdotes vesci non poterant carnibus illis, significavit quod Judæi legalibus inhærentes et tabernaculo deservientes, non habent potestatem edendi de altari nostro, videlicet participando corpus et sanguinem Christi : propter quod declarandum introduxit Apostolus hanc fi-
12 guram legalem. *Propter quod,* id est, quia corpora animalium illorum cremabantur extra castra, idcirco ut figuratum corresponderet figuræ, *et Jesus, ut sanctificaret,* id est, a peccato purgaret gratiamque conferret, *per suum sanguinem,* id est pretio sanguinis sui, *populum,* id est genus humanum, *extra portam* Jerusalem
passus est, scilicet in loco Calvariæ. Nunc *Matth.* XXVII, 33.
tamen locus ille intra Jerusalem reædificatam includitur.

Exeamus ergo gressibus mentis, vide- 13
licet credendo ac diligendo, *ad eum extra castra,* id est extra propria corpora, ea spiritualiter mortificando. Qui enim sunt *Galat.* V, 24.
Christi, ait Apostolus ad Galatas, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Et : Qui in carne sunt, Deo place- *Rom.* VIII, 8.
re non possunt. *Improperium ejus portantes,* id est, passioni ejus nos conformantes, et crucem nostram quotidie post ipsum *Luc.* IX, 23.
bajulantes, patiendo libenter pro Christi amore omnia dura atque adversa. *Non* 14
enim habemus hic, id est in sæculo vel corpore isto mortali, *manentem civitatem,* id est stabilem mansionem. Velox nam- II *Petr.* I, 14.
que est depositio tabernaculi nostri ; et nec diem scimus nec horam, quemadmo- *Matth.* XXV, 13.
dum scriptum est : Nescio quamdiu sub- *Job* XXXII, 22.
sistam, et si post modicum tollat me factor meus. Et rursus alibi : Dies nostri I *Par.* XXIX, 15.
quasi umbra super terram, et nulla est mora. *Sed futuram,* id est cœlestem civitatem ac patriam Beatorum, *inquirimus.*
De qua in Apocalypsi legitur : Civitas *Apoc.* XXI, 23.
non eget sole neque luna : nam claritas Dei illuminabit eam, et lucerna ejus est Agnus. *Per ipsum ergo,* id est, quatenus 15
ad hanc civitatem futuram perducamur, per ipsum Christum mediatorem, advocatum atque pontificem nostrum, *offeramus hostiam laudis,* id est orationem devotam, obedientiam promptam, et divini nominis laudationem, *semper,* id est omni hora convenienti ac debita, *Deo* Trinitati, qui ait in Psalmo : Sacrificium laudis hono- *Ps.* XLIX, 23.
rificabit me. De tali sacrificio scriptum est et alibi : Salutare sacrificium est, at- *Eccli.* XXXV, 2.
tendere mandatis, et discedere ab omni iniquitate. Quid autem dicat hostiam laudis, declarat : *id est fructum,* hoc est ser-

monem, nostrorum *labiorum confitentium* A
nomini ejus, id est laudantium Deum,
Osee XIV, 3. quemadmodum in Propheta legitur : Tolli-
te vobiscum verba, et dicite ei, Reddemus
vitulos labiorum nostrorum. Et in Psalmo:
Ps. CVIII, 30. Confitebor Domino nimis in ore meo.
16 *Beneficentiæ autem*, id est liberalitatis
et bonæ operationis in alios, *et commu-
nionis*, id est caritativæ communicationis
bonorum vestrorum spiritualium, *nolite
oblivisci*, sed opere exercete. *Talibus enim
hostiis*, id est operibus ad Dei honorem
exhibitis, *promeretur*, id est, pro præmio B
acquiritur, *Deus*, quum sint opera meri-
17 toria vitæ æternæ. *Obedite præpositis*, id
est prælatis ac superioribus *vestris*, Chri-
sti vicariis, eorum præcepta servando, *et
subjacete illis*, reverentiam exhibendo. Ait
Luc. X, 16. enim Salvator suis vicariis : Qui vos au-
dit, me audit; et qui vos spernit, me sper-
nit. *Ipsi enim pervigilant*, id est, de ve-
stra salute solliciti sunt, *quasi rationem
pro animabus vestris reddituri* Christo.
Ut cum gaudio hoc faciant, id est, læ-
tanter pro vobis pervigilent, adspicientes C
se non inaniter desudare pro vobis, sed
de vestro profectu gratulentur. Maxima
quippe consolatio boni prælati, est digna
conversatio subditorum, prout Joannes in
III Joann. 4. tertia sua testatur Canonica : Majorem ho-
rum gratiam non habeo, quam ut audi-
am filios meos in veritate ambulare. Cum
gaudio ergo hoc faciant, *et non gemen-
tes*, id est non desolati propter rebellio-
nem et ingratitudinem vestram. *Hoc enim
expedit vobis*, id est, in hac obedientia et
I Reg. XV, 22, 23. subjectione salus vestra consistit. Melior D
namque est obedientia quam victimæ, et
auscultare magis quam offerre adipem ari-
etum : quoniam quasi peccatum ariolandi
est repugnare, et quasi scelus idololatriæ,
nolle acquiescere.
18 *Orate pro nobis*. Ecce Paulus confirma-
tus in gratia, petit ab inferioribus oratio-
nis suffragium. Nemo ergo adeo magnus
aut sanctus sit in propriis oculis, ut sper-
nat aut negligat petere orationis auxilium
a proximis seu subjectis. Insuper mani-
festat Apostolus se esse capacem effectus
orationis aliorum. *Confidimus enim* in Do-
mino, *quia*, id est quod, *bonam conscien-
tiam habemus*, id est, de nullo peccato,
præsertim mortali, nobis conscii sumus,
in omnibus locis, horis et causis, *bene
volentes conversari*, id est laudabiliter vi-
vere, neminem decipiendo. *Amplius au-* 19
tem deprecor vos hoc facere, id est pro
nobis orare, *quo celerius restituar vobis*,
id est, ut cito permittar redire ad vos, ad
vestram utilitatem.
Deus autem pacis amator ac dator, *qui* 20
eduxit de mortuis, id est, de morte susci-
tavit, *pastorem magnum ovium*, id est
Christum, summum principemque pasto- I Petr. V, 4.
rum hominum humilium, innocentium et
electorum (de quibus ait, Animam meam Joann. X, 15.
pono pro ovibus meis; et ad Petrum, Pa- Ibid. XXI,
sce, inquit, oves meas), qui facti sunt oves 17.
in sanguine testamenti æterni, id est per
meritum effusionis sanguinis Christi : quo
sanguine confirmatum est novum testa-
mentum : quod appellatur æternum, quo-
niam aliud ei non succedit, et quia æterna
bona promittit; *Dominum nostrum Jesum
Christum; aptet*, id est, per gratiam ex- 21
peditos *vos* faciat, *in omni bono*, id est
in cogitatione pura, locutione vera, ope-
ratione et passione sancta et recta, [*ut fa-
ciatis ejus voluntatem*,] *faciens in vobis*,
id est dans vobis gratiam agendi, id *quod
placeat coram se*, id est, suæ justitiæ sit
acceptum. Ipse enim operatur in nobis Philipp. II, 13.
et velle et perficere; et omnia opera no- Is. XXVI, 12.
stra operatur in nobis. Faciatque hoc *per
Christum Jesum*, id est merito Christi,
per quem omnia divina nobis charismata
conferuntur, *cui est gloria in sæcula sæ-
culorum*, id est sine fine. *Amen*.
Rogo autem vos, fratres, ut sufferatis, 22
id est, ut gratanter ac patienter audia-
tis, *verbum solatii*, id est epistolam hanc
solatiosam et consolatoriam. *Etenim per-
paucis*, id est valde brevi sermone, *scripsi
vobis*, respectu sententiarum quæ in hac
continentur epistola. *Cognoscite fratrem* 23
nostrum Timotheum dimissum a carcere,

in quo dudum vinctus jacebat; *cum quo,* A
si celerius, id est festinanter, *venerit* ad
me, *videbo vos,* visitando vos cum eo, si
24 Deus sic dederit. *Salutate omnes præpo-*
sitos, id est prælatos *vestros, et omnes*
sanctos, id est viros perfectos inter vos
exsistentes. Ex hoc elicitur, quod præsen-
tem epistolam scripsit communitati seu
inferioribus, non rectoribus, quia fortas-
sis non indigebant. *Salutant vos,* id est,
beatitudinem vobis dicunt et optant, om-
nes *fratres,* id est Christiani, *de Italia :*
cujus metropolis est Roma. Ex quo patet
ex Roma hanc scriptam esse epistolam.
Gratia gratum faciens finalis et consum- 25
mata, sit *cum omnibus vobis. Amen.* Ipsa
enim est donum supernaturale, ad super-
naturalem finem perducens, quam solus
Creator infundit, qui est super omnia Deus
sublimis et benedictus. Amen.

FINIS COMMENTARIORUM IN EPISTOLAS B. PAULI

ENARRATIONES

IN SEPTEM EPISTOLAS CANONICAS

IN ACTUS APOSTOLORUM ET APOCALYPSIM

D. DIONYSII

CARTUSIANI

ENARRATIONES PIÆ AC ERUDITÆ

IN SEPTEM EPISTOLAS CANONICAS

HOC EST

B. JACOBI; B. PETRI I, II; B. JOANNIS I, II, III;

B. JUDÆ

IN ACTUS APOSTOLORUM ET APOCALYPSIM

AD QUAS ADJECIMUS VELUTI QUODDAM COMPLEMENTUM

TRIA AUCTORIS NOSTRI OPUSCULA :

ENARRATIONES SUPER SEPTEM PSALMOS PŒNITENTIALES,

MONOPANTON, EPITOME TOTIUS BIBLIÆ

EX EDITIONIBUS COLONIÆ

(S. T. N.) MDXXX; PETRI QUENTEL, MDXXXIII; ITEM MDXXXVI; ITEM MDXLV;

HEREDUM JOANNIS QUENTEL CUM GERVINO CALENIO, MDLXV.

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI, OPTIMOQUE CHRISTIANÆ FIDEI ET RELIGIONIS ASSERTORI, CAROLO, GELDRIÆ ET JULIÆ DUCI, ZUTPHANIÆ COMITI, GRONINGI, FRISIÆQUE GRONINGENSIS, COVORDIÆ, DRENTHIÆQUE DOMINO, LAMPERTUS PASCUALIS CARTUSIANORUM APUD CONFLUENTIAM RECTOR, S. D.

EQUIDEM Patrum nostrorum publico nomine suscepti jampridem negotii hujus, quo Dionysii nostri doctissimi amplissimique theologi primam paramus editionem, plurimum feliciter me præstitisse arbitror, illustrissime Princeps, quod mea illud recommendatione præcipue factum esse videtur, ut eum benigno animo, nedum in suum patrocinium susceperit Clementia tua, sed et auctoritatis suæ diligentia statim adhibita sedulo curare inceperit, ut theologorum Coloniensium lima et examinatione correctus, quam emendatissimus prodiret in lucem : in hoc scilicet functa veri et diligentis officio patroni, qui clientum suorum fortunas defendere, injurias ubique propulsare, et honori consulere pro viribus solet. Nam et Dionysius ipse hactenus tuæ Clementiæ non satis cognitus quamvis esset, tamen ad primum recommendationis nostræ indicium, visus tibi est, jure quodam suo, patrocinii tui officium istud sibi veluti debitum exigere potius quam implorare : utpote qui sub tua celebri ista ditione, sacra religionis nostræ instituta professus, tanquam stella quædam lucidissima, inter ceteros vitæ sanctimonia et sacrarum litterarum doctrina effulgens, tam multa bene scribendi facultatem divini Numinis benignitate assecutus est, ut post edita ejus opera, tibi ditionique omni tuæ non parum inde splendoris ac gloriæ accessurum esse speres, imo non dubites. Quandoquidem ex eorum lectione, et veritas Evangelii plurimum elucidabitur, et christianæ Religionis nervi (jam miserum in modum et vehementer effeminati) suum robur et firmamentum recipere magna ex parte possint. Ex qua tam sancta vereque christiana spe fiduciaque tua, quid aliud nobis existimare licet, quam eam opinionem esse verissimam, quæ de tua Clementia jamdudum apud omnes bonos habetur, si quemquam alium, te scilicet esse Principem reipublicæ christianæ bono natum, et divina quadam providentia, ex tam multis magnisque periculis ereptum, conservatumque hactenus, velut alterum David? qui quum ab omnipotenti Deo ad hoc destinatus esset ut erigeret gloriam domus Israel, et eriperet eos de manu Philistinorum ceterorumque hostium omnium, ab ipsa adolescentia per omnes virtutum gradus, mirabili rerum eventu jactatus, aspera multa pertulit, adversis rerum immersabilis undis, omnia fortissimo ferens animo, se ipso semper major ac melior evasit. Nam quum esset filius

Isai, privati cujusdam viri Bethlehemitæ, et minimus natu, et parvulus adhuc, propter innatas ac inditas sibi virtutes, a Domino Deo electus in regem, et per
I Reg. xvi, 7. Samuelem prophetam in medio fratrum suorum inunctus est. Ne respicias (ait Dominus ad Samuelem) vultum ejus et altitudinem staturæ ejus, quoniam abjeci eum : nec enim juxta intuitum hominis ego judico. Homo videt ea quæ apparent, Deus autem intuetur cor. Et tu, Princeps clementissime, licet ab antiquissimo generosissimoque regum stemmate tam paternam quam maternam habeas originem, nonne tamen in ipso statim vivendi primordio, id est pueritia tua, ita suppeditatus, ita humiliatus, et veluti abjectus fuisti, ut nulla major dominandi aliquando et recipiendæ hereditatis ditionisque paternæ spes reliqua superesset tibi publice nato Principi, quam ipsi David homini privato erat regnum illud suum possidendi? Divino videlicet Numine sic disponente, ut ad fortissimi sanctissimique regis exemplum ab ipsis fere incunabulis mox efformareris, tu cujus vita quamdam ubique imaginem ejus præ se latura esset. Nam si paulo propius introspicere velimus ea quæ per omnem vitæ cursum, et ante et post receptam ditionis paternæ potestatem, vel egeris, vel sustinueris, videbuntur quemdam veluti renatum David referre. Omnia enim periculis, ærumnis, persecutionibus, horrida scatent; omnia rursus subitam quamdam et desperatam, vel victoriam vel salutem habent; et quum in tranquillo jam sæpe res esse videtur, subita quædam tempestas exorta, conturbat omnia : in qua tu licet huc illucque jactatus, inconcussum animi robur tamen fortissime servans, David te prudentissimum, et rebus labantibus ubique præsentem, continuo atque indefesso fortitudinis officio præstitisti. Et quum pacem optares, pacem quæreres semper, bellum tamen sæpe coactus es suscipere, ut verissimum hoc esse in te appareat quod quidam cecinit :

Pax odium virtutis habet, nam pace tabescit
Virtus amans bellum, vitiis infesta malignis.

Divina siquidem dispositione sic factum est, ad exercendum quod indiderat incredibile hoc et solidum fortitudinis semperque invictum robur, ut sic virtutum tuarum nervos vel coactus intenderes, et in publica luce, ante omnium oculos, spectacula quædam egregia fortissimorum facinorum omnibus Principibus in exemplum, non personatus, sed tua ipsius facie notissimus, ageres potius quam ederes, ut recte aptissimeque de tua Clementia dicere possim illud, quod de David
Ibid. 18. sacra commemorat Historia : Vidi filium Isai, fortissimum robore, virum bellicosum, prudentem verbis, pulchrum adspectu ; et Dominus est cum eo. Ex omnibus enim istis veluti naufragiis, per varios casus, per infinita pene rerum discrimina, admirabili quadam animi prudentia et fortitudine, enatasti, emersisti ad hanc justam ditionis tibi debitæ potentiam, cujus robur et vires ad Ecclesiæ sanctæ christianæ defensionem, cærimoniarumque ejus optime institutarum conservationem, tam diligenter adhibes, tam acriter exerces, ut nusquam minus noceant, nusquam minus audeant, quam in tua ditione, pessimi isti omnis honestæ, religiosæ ac christianæ vitæ perversores, hæretici Lutherani. Nam majorum tuorum christianissimorum semper Principum vestigiis insistens, ab ipsis mox exordiis persequi eos acriter et propulsare cœpisti, atque ita hactenus compescuisti, ut

instar sacræ cujusdam ancoræ, nobis fuerit constantia ista vere sancta : ad quam apud inferiores potissimum Germanos, beati Petri navicula, atque adeo omnis christiana Religio, in procelloso hoc simultatum factiosarumque opinionum pelago fluitans, stabilita sit. Optimo igitur jure vehementer gratulandum est Dionysio nostro, quod ei contigit sub tanti Principis nomine, primam suam experiri editionem. Videtur enim hactenus delituisse intra domesticos parietes, non ausus sine celebri aliquo patrono in publicum prodire, hoc præsertim iniquissimo sæculo, quo optima quæque malignis hæreticorum dentibus lacerantur. Non enim veterum doctissimorum sanctissimorumque scriptis hodie parcitur, quantumcumque licet ab Ecclesia orthodoxa recepti et approbati fuerint. Nunc vero patrocinii tui illustrissimi auspicio et auctoritate in lucem exiens, omnibus se conspiciendum, omnibus examinandum, securo atque intrepido exhibet animo, nullas æmulorum veritus obtrectationes, sed efficaci tuo fidelique patrocinio confidens, non dubitat causam suam superiorem fore apud omnes fidei christianæ cultores et præsides, qui facile ex ejus lectione intellecturi sunt quanta in eo cœlestis gratiæ et divini Spiritus fuerint dona, quibus potuit quæ pauci admodum et doctissimi sanctissimique vix assequuntur viri. Nam quum se totum Deo dediderat, solitariam hanc vitam ad institutionis nostræ consuetudinem ducens, vitiis omnibus ita dominatus est, ut nunquam suo indulgens appetitui, pravis vinceretur affectibus, neque cogitationes suæ servirent vanitatibus, sed haberet constantem et superantem omnia mentem. Dei timorem præponens semper affectibus, omnem suam cogitationem actionemque dirigens ad normam legis divinæ, liberamque servans mentem, non permisit voluptatis dominium quidquam in animo suo potestatis habere. Quam enim moderato sit usus indumento, et quam frugali mensa, norunt hi quos socios habuit et colluctatores in ipso virtutum certamine. Certe talis ejus cibus, talis sæpe potus fuit, ut mirarentur eum illis vitam sustinere posse. Porro, si quis vitam ejus diligenter consideret, et ex tanto operum ejus acervo, quem in omnes et singulos sacri veteris et novi Testamenti libros divino quodam spiritu et ingenio clarissime scripsit et congessit, æstimare velit actiones ejus quotidianas et expendere, videbit clare eum cum Prophetis et Apostolis consuetudinem habuisse continuam, transivisse sine mora a Moyse quidem ad Isaiam, ab hoc vero ad David, et ab eo rursus ad Joannem, ad Paulum ceterosque omnes sacrarum Litterarum scriptores. Atque ita solitariam ducens vitam, nunquam tamen solus fuit, omnem suum animum componens consiliumque dirigens ad mores Apostolorum et Prophetarum, ut mirum non sit eum in Dei cultu assiduo, sic orando, legendo, scribendo, semper occupatum, velut alterum Paulum in terris cœlestibus perfruentem bonis, cum angelis sæpe colloquium habuisse : id quod de eo non dubiis sed manifestis sæpe argumentis verissimum esse compertum est. Qua ratione factum est, ut cognominem sibi divinum illum Dionysium Areopagitam ubique scriptis et vita expresserit. Nec enim humilius quidquam, aut divine minus de angelorum hierarchiis, ceterisque cœlestibus sensit ac scripsit. Quanquam Dionysius noster, vel potius tuus, quantus et quam mirabilis ingenii, doctrinæ et sanctitatis fuerit, ex eo vel clarissimum esse poterit, quod summus ille, et philosophus, et theologus, reverendissimus Pater Nicolaus de Cusa cardinalis, quum legatum ageret per

Germaniam, et in Dionysii colloquium familiariter se insinuasset, provocatus scilicet fama ejus, ita eum admirari, ita colere mox cœpit, ut ea consuetudine quam plurimos cum eo dies in Ruræmunda habuerit, non satiatus, invitum licet et reluctantem, ex monasterio veluti abreptum, aliquot menses secum duceret comitem. Quæ fuerint interim, et quam docta, quam sancta inter eos colloquia, quamque omnium virtutum, doctrinarum, christianæque probitatis, et philosophiæ colluctatio pene divina, ex ipsis eorum scriptis et vita facile licebit existimare. Ergo talis ac tantus quum sit recens iste ac novus cliens tuus, Dionysius noster, spero fore ut sanctam istam et vere christianam, quam in eo posuisti, spem et fiduciam optime tueatur, juvetque mirabili quadam efficacia et promoveat tuum hoc sanctissimum ac vere necessarium defendendæ conservandæque Religionis propositum. In quo Clementiam tuam illustrissimam, cum omni victoria et triumpho sanam, alacrem et longævam in hoc mundo regere, et post hujus vitæ cursum feliciter peractum, cum angelis suis et Sanctis gaudentem in cœlis, et beatam perpetuo vivere faciat omnipotens Dominus. Ex Cartusia divi Beati apud Confluentiam, die mensis Decembris vicesima septima, anno salutis nostræ MDXXIX.

PROŒMIUM

COMEDITE, amici, et bibite ; et inebriamini, carissimi. Cant. v, 1.

Deus omnipotens et æternus, qui cives supercœlestis Jerusalem sui ipsius
clara per speciem cognitione alit et satiat, cives hujus in terra peregrinan-
tis Jerusalem, militantis Ecclesiæ, non relinquit impastos : imo multiplici cibo
ac potu eos recreat et confortat, atque interim etiam gratiose inebriat in præsenti,
nempe sacramentali corporis et sanguinis Christi refectione, cibo bonæ operatio-
nis, pane lacrimarum, pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris. Deni- *Ps.* LXXIX,
que, inter spirituales cibos et potus quibus cœlitus pascimur in hac vita, locum 6; *Eccli.* XV, 3.
habet sublimem sacra Scriptura, quæ hoc facit in anima quod materialis cibus
et potus agunt in corpore.

Corporalis etenim cibus et potus primo conservant hominem in esse naturæ, ne
per consumptionem humidi radicalis a calore naturali, protinus moriatur. Sic sa-
cra Scriptura, sui lectione, auditione, meditatione, informatione, conservat ho-
minem in esse gratiæ ac virtutum, ne per consumptionem roris supernaturalis,
videlicet sanctæ ac meritoriæ compunctionis, lacrimosæ devotionis, caritativæ et
piæ affectionis (de quo rore loquitur Isaias : Ros tuus, Deus, ros dulcis), a calore *Is.* XXVI, 19.
concupiscentiæ sensualis et passionum fervore, anima spiritualiter moriatur, pec-
catis succumbens. Hinc quippe, Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud. *Luc.* XI, 28.
Quia non superantur impetu passionum, nec vitiorum dejiciuntur impulsu, idcir-
co in spe, inchoatione, et merito sunt beati. Justitia namque elevat gentem ; miseros *Prov.* XIV,
vero populos facit peccatum. 34.

Secundo, materiales cibi ac potus perducunt hominem ad debitam quantitatem
in longum, latum, atque profundum. Sic divina Scriptura facit hominem spiri-
tualiter in altum crescere, per contemplationem divinorum et spem cœlestium
præmiorum ; et in latum, per caritatis affectum, quæ undique se extendit, et us-
que ad inimicorum amplexum diffunditur. Propter quod Deo dixit Propheta :
Latum mandatum tuum nimis ; et Apostolus, Cor (inquit) nostrum dilatatum *Ps.* CXVIII,
est. Dilatatur siquidem cor humanum, dum caritatis fervore perfunditur, omnium- 96. II *Cor.* VI,
que cupit salutem. Et tunc virtutum insistit operibus mente promptissima, sicut 11.
hoc ipsum expertus dixit vir sanctus : Viam mandatorum tuorum cucurri, quum *Ps.* CXVIII,
dilatasti cor meum. Facit quoque Scriptura animam crescere in profundum, quia 32.
ad spiritualem soliditatem eam perducit, ita ut constans fiat, stabilis ac matura

in moribus, omnium vanitatum ac simulationum vacuitatem ac levitatem dete-
I Cor. xv, stans, quemadmodum Paulus hortatur : Stabiles estote et immobiles, abundantes
58. Ps. i, 4. in opere Domini semper. Hinc impii sunt tanquam pulvis ante faciem venti : quo-
niam omni tentationum, passionum, vitiorum agitatione hinc inde moventur; nec
Prov. x, 25. mente in Deo quiescunt, sed inquieti sunt jugiter. Justus vero quasi fundamen-
tum æternum. Porro, quum homo hoc modo per eruditionem Scripturæ in spi-
ritualem altitudinem, caritativam latitudinem, virtuosam profunditatem excre-
vit, perfectus censetur, et spiritualiter plenus ac solidus est. Quod consideravit
Ambrosius : Plenitudinem, inquiens, vita justi habet, inanes vero sunt dies im-
piorum. Idcirco nil vanæ gloriæ, nil sinistræ intentionis, nihil detestandæ hypo-
crisis in corde resideat Christiani, sed recti et sinceri simus in omnibus.

Tertio, materiales cibus et potus ad naturalem ac debitam qualitatem, puta
corpoream fortitudinem, perducunt ac provehunt hominem. Sic Pagina sancta ani-
mam in Deo confortat, spiritualiter armat, victoriosamque efficit, in tantum ut viti-
orum dejiciat aciem, et dæmonum turbam prosternat, imo et pro Creatore, pro fide,
pro justitia parata sit mori. Et hæc omnia facit Scriptura : nunc cœlestia præmia
Matth. v, pollicendo, ut dum ait Salvator : Gaudete in illa hora (quando videlicet adversa
12; Luc. vi, 23. multa ac magna patimini), et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœ-
lo. Nunc infernalia supplicia comminando, sicut dum rursus loquitur Christus :
Matth. x, Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere; sed
28. eum timete qui habet potestatem et corpus et animam perdere in gehennam. Nunc
Rom. viii, animam in Dei amore inflammando, ita ut dicat : Quis nos separabit a caritate
35. Christi? Nunc Christum et ceteros Sanctos in exemplum hominibus proponendo,
I Joann. ii, sicut dum ait : Qui se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse
6. I Petr. ii, ambulare; item, Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut
21. sequamini vestigia ejus. Nunc ad aliarum virtutum exercitia inducendo, atque ad
II Tim. ii, 5. spiritualia prælia animando, sicut dum ait : Non coronatur nisi qui legitime cer-
Jacob. iv, 7. taverit; et denuo, Resistite diabolo, et fugiet a vobis. Denique ut ait Apostolus :
II Tim. iii, Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad corripiendum, ad
16, 17. arguendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo, ad omne opus bo-
num paratus.

Insuper, materiales cibus ac potus alios habent diversos effectus in corpore. Nam
vires reparant, tristitiam pellunt, jucunditatem adducunt, floridam faciunt dispositio-
nem in vultu ac membris. Sic plane Scriptura virtutes per negligentiam debilitatas
ad pristinum reducit vigorem, mœrorem inordinatum ac tædium fugat, mentem
Ps. cii, 5. exhilarat, et renovationem facit internam, ut renovetur quasi aquilæ juventus ani-
mæ. Propterea ait Hieronymus : Pinguissimus est sermo divinus, omnes in se
habet delicias ; quidquid volueris, ex divino sermone nascitur, quemadmodum
Sap. xvi, manna secundum uniuscujusque sapuit voluntatem. Gregorius quoque testatur :
20, 21. Scriptura sacra aliquando nobis cibus est, aliquando potus : cibus est in locis
obscurioribus, in quibus per expositionem quodammodo frangitur, ut masticando
deglutiatur ; potus vero est in locis apertioribus, quia ibi sorbetur ut invenitur.
Sed et Hugo de S. Victore disseruit : Nihil, inquiens, in hac vita dulcius sentitur,
nihil avidius sumitur, nihil mentem a mundi amore sic separat, nihil sic animam

contra tentationes confortat, nihil hominem ad omne opus bonum et sanctum laborem sic excitat et inflammat, ut studium sacræ Scripturæ. Hinc in Scripturis libentissime exerceri debemus, et ejus intellectui est diligentissime insistendum.

Præterea, universos effectus prætactos, Scriptura seu liber septem epistolarum canonicarum jam exponendarum, sublimiter parit in anima. Sunt enim epistolæ istæ mirabiliter sententiosæ, compendiosæ et inflammativæ, a quarum condigno præconio deficit mens humana. Unde in Prologo totius Scripturæ sanctus fatetur Hieronymus : Jacobus, Petrus, Joannes et Judas septem epistolas ediderunt mysticas et succinctas, breves simul et longas, breves in verbis, longas in sententiis : ut rarus sit qui in earum non cæcutiat lectione, hoc est, a claro et pleno earum intellectu non deficiat et succumbat. Sic et S. Dionysius in libro de Mystica theologia, allegat beatissimum Bartholomæum apostolum (quem ibidem vocat divinum) dixisse, quod Evangelium correptum sit et productum : quod tamen gloriosus Dionysius ibi valde alte exponit.

Præterea, istæ septem epistolæ merito appellantur canonicæ, tanquam ad Scripturam canonicam veraciter pertinentes, et propter dignitatem auctorum earum, qui omnes fuerunt sancti ac divini Apostoli. Qui in suis scriptis a Spiritu Sancto infallibiliter dirigebantur : propter quod eorum scripta ad canonicam spectant Scripturam. Dicuntur quoque canonicæ, id est regulares, quia in eis revera sunt saluberrimæ atque certissimæ regulæ credendorum et agendorum. Et quamvis propter has rationes etiam Pauli Apostoli epistolæ possent dici canonicæ, convenientius tamen nomen istud reservatum est istis epistolis, eo quod a diversis auctoribus sint conscriptæ, et ita ab uno eorum commune nomen sortiri nequibant. Idcirco commune aliquod nomen fuit eis attribuendum, nomen utique venerabile et condignum. Epistolæ autem Pauli ab uno suo auctore et conscriptore rite denominantur.

Harum itaque septem epistolarum expositioni nunc intendendum est diligenter, quantum Spiritus veritatis, supersuavissimus et adorandus Paracletus, præstare dignabitur.

ENARRATIO
IN EPISTOLAM CATHOLICAM
BEATI JACOBI

ENARRATIO

IN EPISTOLAM CATHOLICAM

BEATI JACOBI

ARTICULUS PRIMUS

EXPOSITIO PRIMI CAPITULI : JACOBUS, DEI ET DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI SERVUS.

1 *JACOBUS, Dei et Domini nostri Jesu Christi servus.* Iste Jacobus est, respectu alterius Jacobi apostoli, Minor vocatus : Minor, inquam, vocatione ad apostolatum, non sanctitate et perfectione virtutum. De hujus enim Jacobi miranda atque præcipua sanctitate, in ejus Legenda multa leguntur, et de eo in Actibus Apostolorum frequenter fit mentio. [*Act.* xii, 17; xv, 13; xxi, 18.] Erat siquidem primus Jerosolymitarum Christianorum episcopus. Eratque excellentiæ tantæ, ut Paulus dicat apostolus : [*Galat.* ii, 9.] Jacobus, Cephas (qui et Petrus) et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi et Barnabæ societatis, ut nos in gentibus, ipsi autem in circumcisione evangelizarent.

Itaque Jacobus iste sanctissimus, Judæorum conversioni ac gubernationi specialiter deputatus, hanc Judæis scripsit epistolam. Et in hoc sua patet profunda humilitas, quod scilicet quum esset famosissimæ æstimationis et consanguineus Christi (utpote qui filius erat sororis virginis Mariæ Christiferæ, et primus, ut dictum est, Jerosolymitarum præsul), non tamen Christi apostolum se appellat, sed servum : servum utique, non servitute

[A] servilis, sed filialis timoris. Cui servo in Evangelio dicitur : Euge, serve bone et fidelis, etc. [*Matth.* xxv, 21, 23.] Sic quippe et Christus, quem replevit Spiritus timoris Domini, [*Is.* xi, 3.] servus Dei secundum assumptam naturam vocatur, juxta illud : In scientia sua justificabit ipse servus meus plurimos, et peccatum eorum portabit. [*Ibid.* liii, 11.] Denique Jacobus opportune vocat se servum Christi, non apostolum, quoniam scripsit Judæis, qui ad superbiam proni erant, et contempserunt gentiles, atque ex gentilitate conversis

[B] se præferebant, ut in Actibus Apostolorum [*Act.* x, 28.] et epistolis Pauli, pluribus patet locis. Illos ergo volens suo exemplo ad humilitatem inducere, Christi se nominat servum, potius quam apostolum. Sic et excellentissima atque humillima virgo Maria in suis ad S. Ignatium epistolis, non genitricem seu matrem, sed ancillam Christi se nuncupat. Quibus exemplis percutitur et damnatur superbia nostra. Quia si aliquid sublimitatis competit nobis, hoc proni sumus manifestare directe aut in-

[C] directe, explicite sive implicite ; quod vero imperfectionis, vitii aut vilitatis nostræ est, subticemus.

Porro quod ait, Dei et Domini nostri Jesu Christi, potest exponi dupliciter, scilicet transitive, et intransitive. Potest enim ad eamdem referri personam, ut sit sensus : Jacobus servus Jesu Christi, qui est Deus et Dominus noster : de quo in Joanne legitur, Hic est verus Deus et vita æterna; (I *Joann.* v, 20.) et alibi, Vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis. (*Is.* ix, 6.) Potest quoque ad distinctas personas referri, eritque sensus : Jacobus servus Christi Domini nostri, et Dei, id est Patris æterni, cujus Christus est Filius; cujus et Christus in Scripturis vocatur, prout homo, in quantum plenitudine gratiæ unctus est ab eo, juxta illud in Psalmo : Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ. (*Ps.* xliv, 8.) Unde et ait sacratissimus princeps Apostolorum : Jesum unxit Deus Spiritu Sancto et virtute. (*Act.* x, 38.) Et apud Lucam habetur : Responsum accepit Simeon a Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. (*Luc.* ii, 26.) Et rursus, ubi recitatur Christus interrogasse Apostolos, Quem me dicunt homines esse? Petrus legitur respondisse : Christum Dei. (*Ibid.* ix, 18, 20.) Insuper non solum a Patre unctus est Christus ut homo, sed item a Spiritu Sancto, secundum quod ipsemet protestatur : Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me. (*Is.* lxi, 1.) Imo, quum opera superbenedictæ Trinitatis ad extra sint indivisa, Christus homo a se ipso, prout Deus est, unctus est. Idcirco, dum ipse vocatur Christus Dei, nomine Dei intelligi potest non solum persona Patris, sed et Deus Trinitas, ac quælibet increata Persona : quamvis usitatius et magis proprie dicatur Christus Patris, quam Personæ alterius. — Si exponatur primo modo, tunc per verba ista destruitur hæresis impiissimi Arii, deitatem Christi negantis. Si secundo modo, per ea destruitur perfidia condemnati Sabellii, qui Patris et Filii unam dixit esse personam.

Itaque, Jacobus Christi servus, non servitute (ut tactum est) servilis timoris : de cujusmodi servo ait Salvator, Servus non manet in domo in æternum. (*Joann.* viii, 35.) Hic Jacobus

A scribit ac mandat, imprecatur et optat *duodecim tribubus quæ sunt in dispersione, salutem.* Ante Babylonicam captivitatem, captæ erant decem tribus Israel ab Assyriis, nec interim sunt reductæ. (IV *Reg.* xvii, 6.) Post captivitatem autem Babylonicam, tribus Juda ac Benjamin redierunt in propria, et cum eis tribus Levitica, ut patet in Esdra. (I *Esdr.* i, 5.) Quomodo ergo Jacobus scribere potuit duodecim tribubus Israel dispersis, quum aliquæ earum essent reductæ? Certumque est quod non scripsit decem tribubus re-

B mote a Judæa translatis, incredulis, et ultra montes Caspios constitutis. Et respondendum, quod ex decem tribubus aliqui remanserunt in Judæa, et crediderunt in Christum. Similiter ex tribu Juda et Levi ac Benjamin multa millia fuerunt ad Christum conversa, ut patet in Actibus : ubi et Lucas evangelista testatur, quod etiam multa sacerdotum turba obediebat fidei; (*Act.* ii, 41; iv, 4; v, 14. *Ibid.* vi, 7.) et quod erant in Jerusalem habitantes Judæi, viri religiosi, ex omni natione quæ sub cœlo est. (*Ibid.* ii, 5.) Ex quibus plurimi sunt con-

C versi : qui et paulo post, Stephano protomartyre lapidato, sunt ab obstinatis incredulisque Judæis ab Jerusalem pulsi, et per regiones Judææ atque Samariæ, et per alia loca diversa dispersi. Ex qua dispersione non minorata, sed aucta fuit evangelica fides, quia dispersi undique prædicabant. Hinc in Actibus habetur : Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia quæ erat Jerosolymis, et omnes dispersi sunt per regiones Judææ et Samariæ, præter Apostolos; (*Ibid.* viii, 1, 4.) et qui dispersi

D erant, pertransibant evangelizantes verbum Dei.

Ex præinductis constat, ineptam esse expositionem dicentis, quod Jacobus scripsit dispersis extra terminum Judææ, ita ut eis non scripserit qui intra Judæam erant dispersi, eo quod illos potuit verbo docere. Imo dicendum, quod non potuit illos verbo docere, qui per tam diversas urbes, regiones et distantias dispersi fuerunt. Nec Jacobus iste legitur passim extra Jerusalem ivisse ad prædicandum. Nec

sequitur : Potuit eos verbo informare, ergo non docuit eos scripto : quoniam etsi informatio per verba vocalia efficacior sit quam per verba scripta, tamen instructio per scripta perseverantior perhibetur, atque ad posteriorum quoque magis manet memoriam. Unde Paulus apostolus multos instruxit per epistolas, quos et ante et postea docuit verbis. Joannes quoque apostolus ab exsilio Patmos reversus, scripsit Evangelium iis quos et quotidianis instru-
Act. I, 1. xit sermonibus. Sic et Lucas in exordio Actuum Apostolorum, insinuat se ei Actus Apostolorum Evangeliumque scripsisse, puta Theophilo, quem et verbis edocuit. Insuper Marcus scripsit Evangelium suum Romæ, rogatus a fidelibus ibi, qui non solum a Marco, sed etiam a principe Apostolorum Petro quotidie edocebantur vocaliter. Matthæus etiam Nubianos verbo instruxit ac scripto.

Itaque, dispersis tribubus mandavit Jacobus iste salutem, videlicet beatitudinem viæ ac patriæ, hoc est meritum et profectum gratiæ ac virtutum, et gloriam patriæ. Et quia in dispersione et tribulatione fuerunt, informationem eorum a patientia incipit. Dispersi namque et afflicti, tali in-
2 structione consolationeque indigent. *Omne gaudium existimate, fratres mei, quum in tentationes varias incideritis.* Ecce quam caritativa et sapientialis consolatio, quam dulcis et pia, quam compendiosa efficaxque instructio ! Spirituales filios suos ac subditos vocat humiliter fratres suos. Per quod quorumdam, in oculis suis magnorum, animositas reprobatur, qui subditos suos, aut inferiores, aut certe æquales, nesciunt quasi fratres apprehendere, et humili appellatione exprimere, illud Ec-
Eccli. XXXII, 1, 2. clesiastici non advertentes : Rectorem te posuerunt ? noli extolli ; esto in illis quasi unus ex eis ; curam illorum habe, et sic considera. Hinc in Deuteronomio Deus
Deut. XVII, 20. præcepit de rege : Non elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos. Si igitur regibus et prælatis tam prohibitum est atque damnabile, se super subditos suos

A extollere, quanto est iniquius damnabiliusque, si quis se elevet super eos quibus non præest, aut super æquales, et potissimum super majores superioresque suos ? Quod prorsus diabolicum est.

Itaque, *fratres mei :* fratres utique conformitate naturæ specificæ, ac identitate originalis propagationis humanæ ; fratres quoque fide et religione, et quia ejusdem Patris cœlestis filii adoptivi, atque ad eamdem hereditatem supernam vocati. Propter quod quotidie dicimus : Pater noster *Matth.* VI, 9, 10.
B qui es in cœlis, adveniat regnum tuum, hoc est, ad cœlestis regni participationem nos provehe, ut ædificentur ex nobis muri *Ps.* L, 20.
cœlestis ac triumphantis Jerusalem, et regnum impleatur cœleste. Fraterne ergo nos invicem diligamus, nec unus alium aspernetur. Scriptum enim est : Numquid *Malach.* II, 10.
non pater unus omnium nostrum ? Numquid non Deus unus creavit nos ? Quare ergo despicit unusquisque fratrem suum ?

Sic ergo, o fratres, *omne gaudium existimate,* id est, perfectam jucunditatem
C judicate consistere in hoc, *quum in diversas tentationes incideritis,* id est, in multas et magnas tribulationes et adversitates veneritis. Quoniam, quamvis tribulatio in se ipsa amara sit et pœnalis, tamen multipliciter utilis est, et fructuosa quam maxime ; idcirco cum gaudio spirituali est acceptanda et sustinenda. Si enim Dei intuitu et amore æquanimiter toleretur, purgat a vitiis, disponit ad gratiam eamque auget, et virtutes augmentat, et Christo propter nos passo patientem *I Petr.* IV, 1.
D conformat. Est quoque signum probabile prædestinationis æternæ, et filiationis adoptivæ, ac dilectionis Dei ad hominem, Deo testante : Ego quos amo, arguo et castigo. *Apoc.* III, 19.
Sed et per eam a futuris eripimur pœnis, et ad beatitudinem pleniorem compendiosius pervenimus. Quum ergo fructuosissimum ac saluberrimum sit, in præsenti paterne castigari, multipliciter tribulari, adversitatibus exerceri, corripi et tentari, dummodo patienter feratur : nonne insipientiæ et nimiæ imperfectionis, imo

insaniæ est indicium, quod nolumus adversitates, correptiones, tentationes, correctiones libenter sufferre, sed statim irascimur, indignamur, turbamur, dejicimur, imo vix pro peccatis et excessibus nostris corripi ac corrigi volumus? quum tamen (I *Petr.* II, 19-21.) princeps Apostolorum dicat : Hæc est gratia, si propter conscientiam Dei sustinet quis tristitias, patiens injuste. Quæ enim est gratia, si peccantes et colaphizati suffertis? Si autem benefacientes sustinetis, hæc est gratia apud Deum : in hoc enim vocati estis. Hæc est christianæ sapientiæ altitudo, hæc Christi doctrina, in adversis sicut in omnibus divitiis gloriari, sicque (*Matth.* V, 11, 12; *Luc.* VI, 22, 23.) Salvatoris sectari vestigia, qui ait : Beati estis quum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me; gaudete in illa hora et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.

Sic igitur omne gaudium existimate, id est, omni gaudio dignum arbitramini, diversas tentationes incidere, et eas æquanimiter sustinere : quia per hoc spiritualem consolationem in via, et plenam felicitatem in patria promeretur ac obtinet homo; (*Rom.* VIII, 18.) imo, teste Apostolo, non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam. Etenim futuræ mercedis ac gloriæ comparatione, omnis tribulatio in hac vita est modicissima reputanda, juxta il- (II *Cor.* IV, 17.) lud : Id quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Quum ergo infirmi patiantur se uri, secari, incidi pro transitoria sanitate, quid est quod adversa perpeti dedignamur pro æterna salute? (*Prov.* XIV, 17, 29.) Recte itaque disseruit Salomon : Qui impatiens est, operatur stultitiam. Denique in tribulationibus maxime pronus est Deus misereri et parcere, quemadmodum ait : (*Ps.* XC, 15.) Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum.

Deinde subjungitur ratio cur tentationes seu tribulationes pro Deo, pro fide, pro
3 justitia, sint cum gaudio perferendæ. *Scientes quod probatio fidei vestræ,* id est ipsa vestri persecutio, tribulatio, sive tentatio pro causis prætactis : per quam fides vestra probatur, examinatur et exercetur, ut pateat an vere et firmiter insit vobis; et vos ipsi probamini, an vere in fide sitis constantes, et Deo fideliter adhærentes : quod probatur, inquiritur, et declaratur per hoc quod nec propter adversa fidem ejus relinquitis, neque ab eo vos separatis. Hinc scriptum est : Tanquam aurum in fornace probavit electos (*Sap.* III, 6.) Deus. Dicitur autem Deus electos et fidem eorum probare et examinare per adversa, non ut ei innotescant, sed ut electi cognoscant se ipsos, eorumque virtus et fides aliis ad eorum ædificationem et Dei honorem patescant. Propter quod loquitur : Ducam eos per ignem, et uram eos sicut (*Zach.* XIII, 9.) uritur argentum, et probabo eos sicut probatur aurum. Porro per tribulationem æquanimiter toleratam, fides et virtus hominis probantur, hoc est, a summo Judice approbantur, atque hominibus demonstrantur, ut eas sectentur. Sic ergo probatio fidei vestræ, *patientiam operatur,* id est, ad habitualem et firmam patientiam vos inducit : quia ex actibus sæpe reiteratis habitus generatur : et ex frequentibus patientiis in adversis, seu patientibus adversitatum tolerationibus frequentatis, generatur in homine patientiæ virtus, seu patientia firma et habitualis, per quam homo facile ac hilariter patitur, quod ante cum difficultate et renisione patiebatur.

Quocirca sciendum, quod duplex est patientia, puta infusa, et acquisita. Et eadem distinctio in aliis virtutibus assignatur. Estque quæstio non minima, an virtus infusa et acquisita circa idem objectum versantes, specifice distinguantur. Patientia autem infusa inest omni homini in caritate et gratia exsistenti; sed patientia ista non statim in principio sui aufert ab homine difficultatem sustinendi adversa : quia virtutes infusæ non statim tollunt reliquias vitiorum præteritorum, nisi for-

san in magna abundantia et excellentia infundantur. Patientia vero acquisita, tollit difficultatem sufferendi adversa : quia virtutes acquisitæ, vitiorum tollunt reliquias. Unde hujusmodi virtus a Tullio definitur, quod sit habitus rationi consentaneus, in modum naturæ operans. Atque ut ait Philosophus, signum hujusmodi virtutis est delectatio fiens in opere, id est delectatio operationi suæ annexa. Verumtamen virtutes infusæ, etiam paulatim crescunt et perficiuntur : et tunc excellentius tollunt reliquias vitiorum, videlicet pronitatem ad malum, inclinationem ad culpam, et debilitatem resistendi peccatis, quam virtutes acquisitæ. Gratia namque fortior est quam natura. Tunc quoque majorem delectationem sibi annexam habet virtus infusa, quam acquisita.

Sed præinducto verbo apostoli Jacobi asserentis quod probatio patientiam operatur, contrarium videtur quod ad Romanos habetur, ubi dicitur : Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem. (*Rom. v, 3, 4.*) Si ergo patientia operatur probationem, quomodo probatio operatur patientiam ? Sequeretur enim, quod esset circulatio in causis et causatis, et idem esset causa sui ipsius : quoniam quod est causa causæ, est causa causati. Et respondendum, quod in causis et causatis non est circulatio in eodem genere causæ, sed unum potest esse causa alterius, et ediverso, in diverso genere causæ : quemadmodum ambulatio est causa sanitatis in genere causæ efficientis, sanitas vero causa est ambulationis in genere causæ finalis. Sic in proposito, patientia operatur probationem efficienter ; probatio autem formaliter sumpta, operatur patientiam in genere causæ finalis, quia patientia ordinatur ad fidei probationem. Hinc ait Beda : Ideo homo tentatur adversis, ut patientiam discat, et per eam ostendere possit atque probare quod firmam fidem futuræ retributionis gestet in corde. Patientia autem operatur probationem : quia cujus patientia vinci non

A potest, ille perfectus esse probatur. Unde hoc loco subjungitur : *Patientia autem* 4
opus perfectum habet. Porro probatio fidei patientiam operatur, quia hac ratione fideles per patientiam exercentur, ut per eam fides eorum, quam sit perfecta, probetur.

Sed quum multæ sint virtutes patientia digniores et perfectiores, videlicet virtutes theologicæ, justitia quoque et fortitudo, latria atque prudentia : cur dicitur opus perfectum habere? Respondetur, quod mul- B tiplici ratione patientia dicitur opus habere perfectum. Prima et potissima ratio est, quia per integram et constantem patientiam in adversis, præcipue declaratur exstirpatio privati amoris, et aliarum virtutum firmiter radicata sinceritas. Quod enim homo propter adversa impatiens redditur et tristatur, hinc accidit quoniam amat se in se, et nondum spiritualiter mortuus est sibimetipsi, seu propriæ voluntati et naturali inclinationi, sed adhuc amat honores et commoda sua. Similiter C si homo sit veraciter humilis, mitis, timoratus et fractus, per patientiam maxime declaratur et investigatur. Nempe, si quis sit ficte seu apparenter mitis, humilis, fractus, et in camino adversitatis ponatur, seu tribulationibus exerceatur ; protinus interiorem suam imperfectionem ostendit, et per impatientiæ suæ impetum ebullit, suamque elationem, iram, infractionem demonstrat : quemadmodum si mala olla ponatur in igne, mox crepit et exsilit. Qui vero invincibiliter patiens invenitur, D a præfatis vitiis immunis probatur, et vere virtuosus esse cognoscitur, vivens Deo, non sibi ipsi. (*II Cor. v, 15.*)

Secunda ratio hujus est, quia (ut scribit hoc loco Albertus Magnus) patientia habet opera sex, suo modo perfecta. Primum est, probatio hominis ac virtutum ipsius : quia, ut dictum est, patientia operatur probationem. Hinc religiosi a superioribus suis et a se invicem per quædam adversa exerceri consueverunt, ut quales sint comprobetur ac innotescat. Secundum est, gau-

dium spirituale, exspectatioque lætitiæ.
Propter quod in Ecclesiastico scriptum
Eccli. I, 29. est : Usque ad tempus sustinebit patiens,
et postea erit ei redditio jucunditatis. Et
Rom. V, 3. Apostolus quoque : Gloriamur, inquit, in
tribulationibus. Per patientiam namque
meretur homo, etiam in præsenti, divinitus
consolari, quemadmodum Paulus fa-
II *Cor.* I, 3, 4. tetur : Benedictus Deus qui consolatur nos
in omni tribulatione nostra. Et iterum,
Ibid. 5. Sicut abundant passiones Christi in nobis,
ita per Christum abundat consolatio no-
Ps. XCIII, 19. stra. Hoc est quod ait Psalmista : Secundum multitudinem dolorum meorum in
corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Sed hanc consolationem quidam per impatientiam et murmurationem suam auferunt sibi. Idcirco in
Job XV, 11. Job scribitur : Numquid grande est ut consoletur te Deus? Sed verba tua prava hoc
prohibent. Tertium opus est, iræ ac ran-
Prov. XV, 18. coris exstinctio, juxta illud Sapientis : Vir
iracundus provocat rixas; qui autem patiens est, mitigat suscitatas. Quartum est,
passionum subjectio et sui ipsius salubris
Luc. XXI, 19. possessio. Propter quod ait Salvator : In
patientia vestra possidebitis animas vestras. Impatiens quippe, se ipsum non
possidet, sed a sua impatientia, ira, tristitia, turbulentia possidetur. Patiens autem
se possidet, quoniam inferiores vires et
passiones subjicit rationi. Quintum est, sui
ipsius gubernatio circumspecta. Unde in
Prov. XIV, 29. Proverbiis : Qui patiens est, multa gubernatur prudentia; qui autem impatiens est,
exaltat stultitiam suam. Sextum est, vitæ
æternæ adeptio, prout ad Hebræos legitur:
Hebr. X, 36. Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. Hinc Scriptura patientiam valde commendat. Et patientiam semper amplecti et
observare debemus, quum Salomon dicat:
Prov. XVI, 32. Melior est patiens viro forti; et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.

Tertia ratio hujus est, quoniam patientia refrenat tristitiam : qua refrenata, refrenantur et ira ac odium. Patientia namque circa passionem tristitiæ refrenandam
A versatur. In tribulationibus autem et persecutionibus, passio quæ prima occurrit
sustinenti, est tristitia : ex qua protinus
nascitur ira, quæ est appetitus ultionis de
persequente, injuriam irrogante, seu offendente; deinde oritur odium. Qui igitur
per patientiam refrenat tristitiam, amputat iram ac odium. Unde qui de tribulatione sibi inflicta non contristatur, contra
tribulantem nequaquam irascitur, nec odit
eumdem.

Sicque quantum ad hæc, patientia ha-
B bet opus perfectum. Ideo subditur :

Ut sitis perfecti in omni virtute, *et integri* in recta intentione, et tota mente
Deo adhærere ac complacere intendatis atque conemini; et ita cum Propheta can-
tare possitis, Confitebor tibi, Domine, in *Ps.* IX, 2.
toto corde meo, utputa intellectu et affectu, ratione et voluntate, actu et intentione. Ista est spiritualis interiorque integritas, qua quis tota mente Deo intentus est :
non partim Deo et partim mundo, ut hi
qui Deo et mundo cupiunt deservire ac
C complacere : contra quos loquitur Chri-
stus, Nemo potest duobus dominis servi- *Matth.* VI, 24.
re; et rursus, Non potestis Deo servire et *Luc.* XVI, 13.
mammonæ. De quibus Propheta : Divisum *Osee* X, 2.
est cor eorum, nunc interibunt. Sit ergo
semper tota nostra intentio et omnis affectio ad Deum, et in Deo, videlicet reducta, simplificata, fixa et adunata in eo. *In
nullo deficientes* ab exsecutione operum
bonorum, nec tentationibus succumbentes, sed perseverantes usque in finem,
quemadmodum monet Apostolus : In om- II *Cor.* IX, 8.
D nibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum.
— Sed quum omnes justitiæ nostræ, Isaia *Is.* LXIV, 6.
testante, sint quasi pannus menstruatæ,
quomodo possumus in vita hac in nullo
esse deficientes? Et respondendum, quod
in his quæ sunt de necessitate salutis, et
secundum statum præsentis peregrinationis, homines virtuosi dicuntur in nullo
deficere : quemadmodum loquitur et Pro-
pheta, Nihil deest timentibus Deum. Co- *Ps.* XXXIII, 10.
rinthiis quoque scribit Apostolus : In om- I *Cor.* I, 5, 7.

nibus divites facti estis in Christo, ita ut A
nihil vobis desit in ulla gratia.
Denique, *sitis perfecti* in interiori dispositione, in omni cogitatu et affectione, *integri* et veraces in verbis, *in nullo deficientes* in virtutum operibus. Rursus, Sitis perfecti in fide, habendo fidem cum rationibus credendorum et purificatæ mentis intelligentia, integri in spe, non deficien-
Rom XIII, 10. tes in caritate. Plenitudo enim legis est dilectio. — Insuper, istud complexum, Ut sitis perfecti et integri, etc., ad totam præinductam exhortationem est referendum. Propterea namque debemus omne gaudium æstimare, quum in varias inciderimus tentationes, ut simus perfecti et integri, in nullo deficientes.

Et quia ad intelligendum quam fructuosa sit homini varia tribulatio in præsenti, atque ad discernendum inter bonum et malum, inter verum et falsum, indiget homo illuminatione divina, subjungitur :
5 *Si*, pro quia, *quis*, imo quicumque *vestrum indiget sapientia*, id est discretione et intelligentia pertinentium ad salutem, ac notitia Scripturarum, seu dono sapientiæ, quo per gustum internum bene sentit ac judicat homo de Deo. Hac multiplici sapientia omnes jugiter indigemus, præsertim in dubiis, arduis et obscuris : in
Ibid. VIII, 26. quibus quid postulemus sicut oportet, ne-
Sap. IX, 14. scimus. Propter quod scriptum est : Cogitationes mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ. In Job quoque fer-
Job XXXVII, 19. tur : Nos quippe involvimur tenebris. *Po-*
Eccli. I, 1. *stulet a Deo.* Omnis enim sapientia a Domino Deo est : ad quem tanquam ad benignissimum patrem, infallibilem directorem, omnipotentem adjutorem, in omni necessitate debemus confugere, quia non deest nec deficit confugientibus ad se. Juxta quod in Ecclesiastico asseritur :
Ibid. II, 11, 12. Nullus enim speravit in Domino, et confusus est ; aut quis invocavit illum, et despexit eum ? Quum enim (teste Philosopho) natura non deficiat in necessariis, multo minus Creator, naturæ auctor, in necessariis deficit.

Qui dat omnibus affluenter, id est liberaliter et abunde. Ipse etenim abundantia suæ pietatis merita supplicum excedit et vota ; et sicut infinita est bonitas ac opulentia Dei, sic infinita est munificentia ejus. Qui, ut divinus Dionysius docet, per omnem naturæ vultum sua dona diffundit, nec aliquid exsistentium suæ bonitatis communicatione expers relinquit, et unicuique secundum suam capacitatem dispositionemque influit. Omnibus quippe dat dona naturæ, necessaria vitæ ; atque
B ad dandum dona gratiæ semper exhibet se paratum, dummodo quod in se est, faciat homo. Imo quosdam gratiosissime prævenit, et omnem gratiæ obicem ac cordis duritiam tollit ab eis, gratiamque largitur eisdem, non solum supra eorum merita, sed et contra eorum demerita. — Sed objici potest, quod multi sunt pauperes, et in naturalibus etiam defectuosi, et omni gratiarum carentes charismate. Quomodo ergo dat omnibus affluenter, præsertim quum aliqui moriantur ex fame? Et re-
C spondendum, quod Deus non dat omnibus æque affluenter ; et quod unicuique dat quælibet munera abundanter, sed uni hoc, alteri illud. Et tamen omnibus tribuit dona aliqua affluenter in proprio genere, suoque tempore, quemadmodum scriptum est : Aperis tu manum tuam, et imples Ps. CXLIV,
omne animal benedictione. Suo etiam tem- 16.
pore ex rationabili causa subtrahit dona sua, sicut ait Psalmista : Omnia a te ex- Ps. CIII, 27-
spectant ut des illis escam in tempore. 29.
Dante te illis, colligent ; aperiente te ma-
D num tuam, omnia adimplebuntur bonitate; avertente autem te faciem, turbabuntur ; auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur.

Et non improperat. Nonne Deus per Moysen et Prophetas filiis Israel sæpissime improperavit beneficia quæ eis impendit ? Nonne etiam Deus ingratitudinem hominum graviter punit, et quotidie per se et suos ministros reprehendit eos de ingratitudine sua ? Unde per Moysen ait
de filiis Israel : Usquequo multitudo hæc Num. XIV, 11, 27.

pessima non credet mihi in omnibus mirabilibus meis quæ feci coram eis? Et alibi : Filios, inquit, enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Sic et in libris Regum impiis regibus Israelis legitur improperasse, quod elevavit eos de pulvere, et reges constituit populi sui, ipsi vero nequiter egerunt : imo et per Nathan improperavit regi David beneficia sua, quum adulterium homicidiumque fecisset. Quomodo ergo Deus non improperat muneratis a se, beneficia eis collata? Et respondendum, quod Deus, quantum est ex parte suæ bonitatis, invariabilitatis ac sapientiæ, non improperat eis ; sed propter eorum abusiones atque demerita facit hoc, exigente sua justitia. Ingratis ergo improperat, gratis vero majora largitur, prout Christus disseruit : Habenti dabitur, et abundabit ; ei autem qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo.

Is. I, 2. — III *Reg.* XVI, 2. — II *Reg.* XII, 7-9. — *Matth.* XXV, 29.

Et dabitur ei sapientia a Deo, si fideliter ac perseveranter petierit. Ideo subditur :

6 *Postulet autem in fide nihil hæsitans.* Quod ait, In fide, referri potest ad verbum, Postulet, et ad participium, Hæsitans. Si referatur ad postulationem, sensus est, ut Deum roget fideliter, secundum veræ fidei directionem. Quum enim fides sit totius spiritualis ædificii fundamentum, oportet in primis ut simus firmi in fide, et certi de veritate ipsius. Fides vero est interior oculus mentis, finem ultimum ad quem ordinanda sunt cetera, ei ostendens, ipsamque dirigens in petendis. Imo omnes actus nostri ex fide procedere debent, et ad supernaturalem beatitudinem, quam fides docet ac monstrat, referri : præsertim quum ad Romanos scribat Apostolus, Omne quod non est ex fide, peccatum est. Sic ergo in fide postulet Deum, nihil hæsitans, id est de misericordia Dei et gratiosa ejus exauditione nihil ambigens nec diffidens. — Porro, si referatur ad hæsitationem, sensus est, ut postulet Deum nihil dubitans de fidei veritate, sed firmus et certus in ea. Habet siquidem fides

Rom. XIV, 23.

A certitudinem adhærentiæ, quamvis non evidentiæ. Habet quoque certitudinem ex parte objecti, videlicet æternæ et infallibilis veritatis cui innititur, quamvis non omnifarie ex parte subjecti, puta intellectus humani, cujus capacitatem excedunt fidei veritates in vita præsenti.

Quotidie ergo, imo omni hora, Deum devotissime deprecemur, ut mentem nostram jugiter illuminare, dirigere, roborare dignetur, cum Propheta orantes : Deus meus, illumina tenebras meas ; et, Gres- *Ps.* XVII, 29. *Ps.* CXVIII, 133.
B sus meos dirige secundum eloquium tuum, et non dominetur mei omnis injustitia ; itemque, Illustra faciem tuam super servum tuum. Beatus etenim homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum. Atque, ut Salomon ubertim testatur, Dei est mentem docere. Unde et in Proverbiis habetur : Dominus dat sapientiam, et ex ore ejus prudentia et scientia. Nullus itaque de sua præsumat peritia, sed summæ sapientiæ innitatur directioni, quum scriptum sit : Habe fidu- *Ibid.* III, 5.

Ps. XXX, 17. — *Ps.* XCIII, 12. — *Prov.* II, 6.

C ciam in Domino ex toto corde tuo, et ne innitaris prudentiæ tuæ. Denique illuminationem divinam invocare oportet cum omni aviditate, diligentia atque instantia, prout Salomon loquitur : Si sapientiam invocaveris, et quæsieris eam quasi pecuniam, et quasi thesauros effoderis eam, tunc scientiam Dei invenies. Verumtamen non sic debemus pro sapientia Deum adorare, ut negligamus a proximis et prælatis ac doctoribus informationem expetere. Sed et angelum sui custodem unusquisque
D debet quotidie invocare, ut se illustrare, dirigere ac tueri dignetur.

Ibid. II, 3-5.

Præterea quæri potest, quomodo debeamus Deum orare in fide, nihil hæsitantes de auditione ejus benigna, quum ignoremus an simus in caritate et digni amore : imo præsumptuosum videtur, ut quis præsupponat se exaudiendum a Deo, quem tam graviter totiesque offendit. Et respondendum, quod quæstio ista inquirit qualiter spes nostra ad Deum certitudinem sortiatur, et qualiter non. Spes quippe

Eccle IX, 1.

dicitur, certa exspectatio futuræ beatitudinis. Ad quod Thomas respondet, quod spes certitudinem habet ex parte misericordiæ et omnipotentiæ Dei, cui innititur, et ex qua non erit defectus nostræ salutis. Sed ex consideratione propriæ fragilitatis et dispositionis, habet timorem et incertitudinem quamdam. Unde spes et timor dicuntur duæ molæ, inter quas quotidie spiritualiter moli debemus : ut ex consideratione divinæ pietatis confidamus de meliori, et ex consideratione propriæ imperfectionis labilitatisque vereamur jugiter de pejori, ac de periculo simus suspecti : ut sit spes mola superior, et timor mola inferior. Sic in proposito, quando oramus, debemus sine hæsitatione orare ex consideratione veritatis ac pietatis Altissimi, qui frequenter in Scripturis se promittit exauditurum orantes, dummodo scilicet orent sicut oportet : qui et omnipotens, piissimus, liberalissimus, atque ditissimus est ad dandum. Sed ex consideratione propriæ dispositionis, insufficientiæ, imperfectionis aut culpæ, bonum est formidare, et cum timore ac tremore orare. Hinc Beda circa verba præhabita, Postulet in fide nihil hæsitans, ait : Hoc est, talem se exhibeat bene vivendo, ut dignus sit exaudiri dum postulat. Qui enim meminit se non obtemperasse Dei præceptis, merito hæsitat, quoniam scriptum est : Qui obturat aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis. Hinc de quibusdam loquitur Deus : Tunc invocabunt me, et non exaudiam. Atque in libro Job legitur : Numquid Deus exaudiet vocem hypocritæ, quum venerit super eum angustia ?

Prov. XXVIII, 9. *Ibid.* I, 28. *Job* XXVII, 9.

Qui enim hæsitat de fidei veritate, aut de misericordia Dei, *similis est fluctui maris, qui* fluctus *a vento movetur et circumfertur,* id est, mente omnino instabilis est, non fixus in Deo. Errores namque, vitia et impetus passionum, instabilem reddunt mentem, et exauditione indignam, quum nec sincere, nec fixe cohæreat Deo. Maxime autem prætacta hæsitatio de fidei veritate ac pietate divina, est evitanda. Hinc scriptum est : Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest. In Job quoque : Si iniquitatem quæ est in manu tua, abstuleris, tunc levare poteris faciem tuam absque macula, et eris stabilis, et non timebis. Et in Psalmo : Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ ; et denuo, In circuitu impii ambulant : siquidem undique evagantur.

Is. LVII, 20. *Job* XI, 14, 15. *Ps.* I, 4. *Ps.* XI, 9.

7 *Non ergo æstimet homo ille* sic hæsitans, *quod accipiat aliquid,* id est aliquod donum gratiæ gratum facientis, *a Domino,* qui naturalia et temporalia bona ac dona gratiæ gratis datæ tribuit bonis et malis, reprobis et electis. Talis ergo, quamdiu permanet talis, non exauditur, quantum ad dona pertinentia ad salutem, juxta illud, Scimus quoniam Deus peccatores non audit : qui scilicet in peccandi manent proposito. Unde et in Threnis dicitur Deo : Nos inique egimus, et te ad iracundiam provocavimus, idcirco tu inexorabilis es. Verumtamen, si talis pœniteat, seque disponat ad gratiam, faciens quod in se est, Deus clementer eum exaudit. Propter quod rursus ibidem fertur : Scrutemur vias nostras, et quæramus, et revertamur ad Dominum. Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos, quia non repellet in sempiternum Dominus : quia etsi abjecit, miserebitur secundum multitudinem misericordiæ suæ. Ut ergo mereamur desuper exaudiri, studeamus in veritatis cognitione et bonitatis amore constabiliri, in fide, spe et caritate firmari, in salutari sapientia radicari : ne passionibus exagitetur cor nostrum, nec seducamur erroribus, sed in omni eventu perseveremus fixi in Deo, quemadmodum hortatur Apostolus : Jam non simus parvuli fluctuantes, nec circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia, ad circumventionem erroris. Unde in Ecclesiastico præcipitur : Non ventiles te in omnem ventum ; esto firmus in via Domini, et in veritate sensus

Joann. IX, 31. *Thren.* III, 42. *Ibid.* 40, 41, 31, 32. *Ephes.* IV, 14. *Eccli.* V, 11, 12.

tui. Hinc Christus comparat obedientem A
Matth. VII, 24-27. divinis præceptis, viro sapienti qui ædificavit domum suam supra petram : cujus domum nec venti nec flumina potuerunt evertere. Inobedientem autem comparat viro stulto qui ædificavit domum suam super arenam : ideo ventis atque fluminibus in eam irruentibus, cecidit.

8 *Vir duplex animo,* qualis est hæsitans, *inconstans est in omnibus viis suis,* id est in cunctis quæ agit, in prosperis et adversis, in verbis et factis, imo et in interiori intentione et affectione. Porro du- B
plex animo appellatur omnis hypocrita, et cujus intentio non est recta : qui plica dolositatis se operit. Cui contrarium jubet
Ibid. x, 16. Salvator : Estote, inquiens, prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. Est enim bona simplicitas, columbina (videlicet per exclusionem doli et simulationis) vocata, quæ est pura et recta in-
Ibid. VI, 22. tentio, de qua ait Salvator : Si fuerit oculus tuus simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Huic bonæ simplicitati est contraria duplicitas ista vulpina, quæ est C
prava et duplicata intentio, de qua item
Ibid. 23. loquitur Christus : Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit. Qui taliter duplex est animo, utputa simulator et callidus, foris bona ex genere operans, et se justum ostendere volens, intus vero hominibus placere desiderans, inconstans est in omnibus viis suis, quoniam et adversis dejicitur, et prosperis vane erigitur. Est quoque mendax et dolosus in verbis. Et talis interdum ad horulam vult Deo placere, atque post vi- D
tam hanc cum Christo regnare ; et paulo post cupit placere hominibus, et gaudere cum sæculo. Ideo nusquam virtuti ac sinceritati justitiæ manet cohærens, sed levi occasione per diversa rapitur vitia. Hinc
Eccli. I, 36, 37. scriptum est : Ne accesseris ad Deum duplici corde, et ne fueris hypocrita in con-
Ibid. II, 14. spectu hominum ; itemque, Væ duplici
Job XXXVI, 13. corde et labiis scelestis. Merito igitur ait Scriptura alia : Simulatores et callidi pro-
Prov. XIV, 17. vocant iram Dei ; et Salomon ait, Vir versutus, odibilis est. Et rursus Scriptura testatur : Væ peccatori ingredienti terram *Eccli.* II, 14.
duabus viis. Duabus siquidem viis peccator terram ingreditur, quando foris operatur quod bonum videtur, et intus ad propriam laudem temporaleque commodum intuetur.

Quum ergo tam detestanda sit ista duplicitas, eam prorsus abjiciamus, et columbina simplicitate coram Deo resplendere conemur, ei super omnia, et ceteris non nisi in ipso, placere optantes. Nempe, ut iterum Salomon ait : Abominatio est Do- *Prov.* III, 32.
mino omnis illusor, et cum simplicibus sermocinatio ejus ; et idem alibi, Qui recti *Ibid.* II, 21.
sunt, habitabunt in terra, et simplices permanebunt in ea ; itemque, Sapientia *Ibid.* 7.
proteget gradientes simpliciter. Sic sanctus Job fuit vir simplex et rectus. Cujus *Job* I, 1.
vestigia imitemur, quia qui ambulat sim- *Prov.* X, 9.
pliciter, ambulat confidenter. Verumtamen est et asinina simplicitas, per exclusionem sapientiæ ac discretionis sic dicta : quam vitare oportet, quum dicat Apostolus, Nolite pueri effici sensibus. Ut ergo *I Cor.* XIV, 20.
a simplicissimo Deo jugiter diligamur, columbina simplicitate semper ornemur.

Glorietur autem frater humilis, id est 9
corde simplex, se ipsum sponte humilians, atque ab hominibus spretus, oppressus, injuria lacessitus, *in exaltatione sua,* id est ex consideratione et spe suæ futuræ felicitatis : qua tanto sublimior erit in regno cœlesti, quanto profundius se ipsum modo humiliat, et plura adversa propter Christum patienter pertulerit. Nam ut ait Unigenitus Dei, Qui se humiliat, *Luc.* XIV,
exaltabitur. In Job quoque habetur : Qui 11; XVIII, 14. *Job* XXII, 29.
humiliatus fuerit, erit in gloria. Et in Proverbiis scribitur : Gloriam præcedet *Prov.* XV, 33.
humilitas. Ideo princeps Apostolorum hortatur : Humiliamini sub potenti manu Dei, *I Petr.* V, 6.
ut vos exaltet in tempore visitationis.

Dives autem glorietur *in humilitate* 10
sua. Hoc, secundum Bedam et Glossam, ironice dicitur, ut sit sensus : Dives sciat se cito humiliandum et vilipendendum atque damnandum, juxta illud : Qui se exal- *Luc.* XVIII, 14.

tat, humiliabitur. Quod intelligendum est A
de divite terrena inordinate amante, seu
cupido. De cujusmodi in Evangelio loqui-
Matth. xix, 24. tur Dominus : Possibilius est camelum per
foramen acus transire, quam divitem in-
trare in regnum cœlorum. De quo et Job
Job xxvii, 19, 20. loquitur : Dives, quum dormierit, nihil se-
cum auferet; apprehendet eum quasi aqua
Ps. lxxv, 6. inopia. Et item in Psalmo : Nihil invene-
runt omnes viri divitiarum in manibus
suis. Hinc subditur : *quoniam sicut flos
fœni transibit,* id est, cito de hujus vi-
tæ prosperitate auferetur, sicut de impiis B
Ps. xxxvi, 2. fertur in Psalmo : Quoniam tanquam fœ-
num velociter arescent, et quemadmodum
olera herbarum cito decident. Deinde ex-
11 ponit similitudinem istam. *Exortus est
enim sol cum ardore,* quem efficit ra-
diorum suorum repercussione in terra,
præsertim quando ascendit in altum, *et
arefecit fœnum,* videlicet gramina terræ ;
et flos ejus, videlicet fœni, *decidit* ex ca-
loris adustione, *et decor vultus ejus,* id
est pulchritudo viriditatis superficiei fœ-
ni, *deperiit. Ita et dives in itineribus suis* C
marcescet, id est, in actibus suis vitiosis
peribit : et dum foris temporali floret pro-
speritate, carnali voluptate, potentia atque
divitiis, intus spiritualiter magis ac magis
putrescit, corrumpitur et fœdatur ; imo
ab omni gratiæ ac virtutum floriditate ta-
Ps. lii, 2. bescit, juxta illud : Corrupti sunt, et abo-
minabiles facti sunt in iniquitatibus.

Hanc eamdem sententiam Scriptura in
multis continet locis. Scriptum est enim
Job iv, 8, 9. in Job : Vidi iniquos Domino flante peris-
Ibid. xx, 5-8. se ; itemque : Laus impiorum brevis est, D
et gaudium hypocritæ ad instar puncti ;
si ascenderit usque ad cœlum superbia
ejus, et caput ejus nubes tetigerit, quasi
sterquilinium in fine perdetur, velut som-
nium avolans non invenietur, transiet qua-
Ps. lxxii, 18, 19. si visio nocturna. Et in Psalmo : Dejeci-
sti eos dum allevarentur. Quomodo facti
sunt in desolationem ? Subito defecerunt,
perierunt propter iniquitatem suam. Hoc
Is. xl, 24. est quod loquitur Isaias : Et quidem ne-
que satus, neque radicatus in terra trun-
cus eorum ; repente flavit in eos, et per-
ierunt. Hinc iniqui fatentur : Quid profuit Sap. v, 8-10.
nobis superbia ? aut quid divitiarum ja-
ctantia contulit nobis ? Transierunt omnia
illa tanquam umbra, et tanquam nuntius
præcurrens, et tanquam navis pertrans-
iens fluctuantem aquam. — Porro præin-
ducto apostoli Jacobi verbo consonat il-
lud : Omnis caro fœnum, et omnis gloria Is. xl, 6, 7.
ejus quasi flos agri ; exsiccatum est fœ-
num, et cecidit flos, etc.

Verumtamen his objici potest, quia vi-
demus ad oculum multos iniquos usque
ad decrepitam senectutem vivere, prospe-
rari, et quantum naturaliter fieri potest,
vigere. Unde Job : Impii vivunt, sublevati Job xxi, 7-9.
sunt, confortatique divitiis ; semen eorum
permanet coram eis, propinquorum turba
et nepotum in conspectu eorum ; domus
eorum securæ sunt et pacatæ, et non est
virga Dei super illos. Jeremias quoque
ait : Quare via impiorum prosperatur, et Jer. xii, 1, 2.
bene est omnibus qui prævaricantur et
inique agunt ? Plantasti eos, et proficiunt.
Atque in Psalmo : Quorum filii sicut no- Ps. cxliii, 12, 14.
vellæ plantationes in juventute sua; non
est ruina maceriæ neque transitus, neque
clamor in plateis eorum. Verum hæc om-
nia facile concordantur, quoniam omnis
temporalis prosperitas, quantumcumque
longa appareat, tamen futuræ retributi-
onis respectu est brevissima. Multi quo-
que ob scelera sua ante tempus suum de
medio subtrahuntur, quemadmodum ait
Scriptura : Semitam sæculorum calcave- Job xxii, 15, 16.
runt viri iniqui, qui ante tempus suum
sublati sunt.

Præterea spiritualiter exortus est sol
cum ardore, id est Christus sol justitiæ,
judex cœlestis, rigore suæ sententiæ ; are-
fecitque fœnum, quoniam iniquorum pro-
speritatem dissipat et condemnat. Unde
Lucas : Væ vobis divitibus, qui habetis Luc. vi, 24.
consolationem vestram. Despiciamus ergo
temporalem prosperitatem, et omnem de-
lectationem illicitam.

ARTICULUS II

PROSECUTIO ELUCIDATIONIS HUJUS CAPITULI PRIMI, AB EO LOCO : BEATUS VIR, ETC.

CONSEQUENTER sanctus apostolus Ja- A
cobus docet tribulationes vitæ præsen-
tis æquanimiter sustinendas, propter ea-
12 rum perpetuam remunerationem. *Beatus*
vir, id est, felix homo est jam in spe et
in merito, *qui suffert tentationem*, id est,
impugnationem, tribulationem, afflictio-
nem, sive ab invisibili, sive a visibili hoste
inflictam, aut ex fomite seu sensualitatis
infectione exortam, æquanimiter tolerat,
eamque superat, non ruendo ad impati-
entiam, iniquum consensum, aut aliam
Matth. v, culpam. Et præsertim beatus est, qui pro B
10. fide atque justitia persecutionem patitur,
nec superatur. *Quoniam quum probatus*
fuerit, id est per adversitatum et impu-
gnationum victoriam approbatus, et Deo
acceptus factus, seu sufficienter examina-
tus et expurgatus, *accipiet coronam vitæ*,
id est præmium essentiale, quod aurea
appellatur ; præmium quoque accidentale
ac speciale, in signum præmiumque vi-
ctoriæ, quod nuncupatur aureola, si pro
justitia pertulerit mortem. De hac corona
Ps. xx, 4. fertur in Psalmo : Posuisti in capite ejus C
coronam de lapide pretioso. Denique is-
Apoc. ii, 10. tud est quod spopondit Christus : Esto
fidelis usque ad mortem, et dabo tibi co-
ronam vitæ. Sic ergo omnipotens Deus,
quos ad modicum tempus probat, affligit,
exercet, in æternum copiose remunerat.
Propter quod in Sapientiæ libro dicitur :
Sap. iii, 5. In paucis vexati, in multis bene disponen-
tur : quoniam Deus tentavit illos, et invenit
Job xxiii, illos dignos se. Hinc sanctus Job : Pro-
10. bavit me, inquit, tanquam aurum quod
per ignem transit. Et Tobiæ angelus di- D
Tob. xii, 13. xit : Quia acceptus eras Deo, necesse fuit
ut tentatio probaret te.

Accipiet ergo post vitam præsentem,
quum fuerit plene purgatus, coronam vi-
tæ, *quam repromisit Deus diligentibus se :*
quia per angelos sanctos, per Apostolos
et Prophetas promisit hoc. Imo Christus
Dei Filius, Deus vere incarnatus, proprio
ore eam promisit in Evangelio palam ac Matth. v,
sæpe. Porro per hoc quod ait, Quam re- 10-12.
promisit Deus diligentibus se, duo in-
nuuntur. Primum est, quod nulla actio
nullaque passio, sine caritate sit meri-
toria. Tentationes autem et tribulationes
meritoriæ sunt vitæ æternæ, in quantum
ex caritate æquanimiter tolerantur, acce-
ptantur, atque vincuntur. Ideo ait Apo-
stolus : Si tradidero corpus meum ita ut I Cor. xiii,
ardeam, caritatem autem non habuero, ni- 3.
hil mihi prodest. Secundum est, quod
Deus his quos amplius diligit, frequenter
plures et graviores tribulationes immittit.
Idcirco in adversis et tentationibus nequa-
quam frangamur, nec pusillanimes effi-
ciamur, nec fatigemur animis nostris :
imo eas tanquam probabile argumentum
divinæ dilectionis ad nos, suscipiamus ac
superemus ; correptiones et correctiones
amemus, illud Judith pensantes : Memo- Judith viii,
res esse debemus quomodo pater noster 22-25.
Abraham tentatus est, et per multas tri-
bulationes probatus, amicus Dei effectus
est. Sic Isaac, sic Jacob, sic Moyses, et om-
nes qui placuerunt Deo, per multas tri-
bulationes transierunt fideles. Qui autem
tentationes non susceperunt in timore Do-
mini, in impatientia sua exterminati sunt.

Nemo quum tentatur, dicat quoniam a 13
Deo tentatur. Postquam apostolus Jacobus
locutus est de tentationibus quas exte-
rius causa probationis patimur, nunc agit
de tentationibus quas intus, suadente dia-
bolo, aut infectione naturæ nostræ mo-

vente, causa deceptionis toleramus. Unde A Beda hic ait : Duplex est genus tentationis : unum, quod decipit ; aliud, quod probat. Loquendo de tentatione quæ decipit seu intentione fallendi inducitur, Deus neminem tentat. Sed loquendo de
Gen. XXII, 1. tentatione quæ probat, tentavit Abraham
Ps. XXV, 2. Deus. De qua et ait Propheta : Proba me, Domine, et tenta me. Denique, secundum Albertum, per verba prætacta apostolus Jacobus removet quamdam dubitationem. Dixit enim superius in tentationibus esse gaudendum. Ex quo aliquis posset opina- B ri, universas tentationes nobis immitti a Deo. Quod non est verum : quia, secundum Glossam, exteriorem tentationem immittit Deus ad suorum probationem fidelium ; interiorem vero, qua concupiscitur quod lege divina prohibetur, Deus non immittit. Porro, secundum Bedam, per verba jam tacta Jacobus illorum destruit errorem, qui sicut bonas tentationes, ita et malas dixerunt nobis divinitus inspirari. Est autem, secundum Glossam, duplex tentatio : Una exterior, sicut pauper- C tas, infirmitas, incarceratio, et alia quævis exterior tribulatio : cujus Deus non est solum permissor, sed etiam auctor. Tales namque afflictiones sæpe immittit fidelibus pro bono eorum. Alia est tentatio interior, ut prava suggestio, prava cogitatio, qua furtum seu aliud peccatum concipitur : cujus Deus permissor est, non immissor seu actor.

Pro clariori hujus textus intelligentia quæritur, cujus sit tentare, an scilicet a solo tentemur diabolo, an etiam tentet nos D Deus. Et videtur, quod tentemur a Deo,
Gen. XXII, 1. juxta illud : Tentavit Deus Abraham. In
Deut. VIII, 2. Deuteronomio quoque habetur : Recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus, ut affligeret te atque
Sap. III, 5. tentaret. Et Sapiens : Deus tentavit justos, et invenit illos dignos se. Atque apud Jo-
Joann. VI, 6. annem : Hoc dixit Jesus, tentans eum, puta Philippum. In oppositum est auctoritas Jacobi in præsenti. Præterea, super
I Thess. III, 5. illud Pauli, Ne forte tentet vos is qui tentat, dicit Glossa : Id est diabolus, cujus solius officium est tentare.

Ad istud Thomas super secundum Sententiarum respondet : Ad perfectam rationem tentationis tria concurrunt. Primum est, ut per tentationem alicujus dubii accipiatur cognitio ; secundum, ut hoc sit a tentante intentum ; tertium, ut ipsemet tentans, cognitionem illius rei accipere velit : et isto modo Deus non tentat, sed homo tentatur ab homine, et etiam a diabolo. Dicitur autem Deus tentare, quantum ad duo prima : ut scilicet alicujus ignoti cognitio manifestetur, non sibi, sed aliis : quod et Deus intendit, ut patuit in tentatione Abrahæ, quem Deus tentavit ut Gen. XXII, 12.
ejus fides et obedientia aliis, ad eorum ædificationem, insinuarentur. Mundus vero et caro dicuntur tentare, solum quantum ad primum trium illorum, ad perfectam tentationis rationem concurrentium : quia ex impugnatione carnis et mundi, manifestatur virtus aut imperfectio mentis, quamvis nec mundus, nec caro intendant hoc. Ipsa ergo impugnatio animæ, seu ejus virtutis, tentatio dicitur. Hæc autem impugnatio, vel est a principio intrinseco, puta a carnis corruptione, et hæc vocatur tentatio carnis ; vel a principio extrinseco, et hoc dupliciter : quia illud extrinsecum, aut impugnat per modum objecti, et sic est tentatio a mundo, cujus rebus corda hominum ad peccandum alliciuntur ; vel per modum agentis ipsum trahit ad peccandum, persuadendo, terrendo, aut blandiendo : et sic est tentatio a diabolo et a membris ipsius. — Dicitur autem diabolus solus tentare, non quod ipse semper sit immediatus tentator, sed quia primo tentavit hominem, ex qua tentatione consecutæ sunt aliæ tentationes. (Tamen, ut asserit Origenes, quamvis non esset diabolus, adhuc homines tentarentur concupiscentia venereorum et alimentorum.) Vel dicitur diabolus solus tentare, quoniam ei et membris suis dumtaxat convenit tentare cum intentione trahendi ad vitium, vel quia utitur carne et rebus mundi

tanquam instrumentis ad tentandum hominem.

Insuper, in prima parte Summæ suæ loquitur Thomas : Tentare, est proprie experimentum de aliquo sumere, ut scilicet aliquid circa ipsum, vel de se ipso sciatur. Ideo proximus finis tentantis est cognitio. Ex cognitione autem potest ulterius alius finis intendi, aut bonus, aut malus. Diabolus vero talem cognitionem semper refert ad malum, puta ut fallat et noceat. Sicque proprium diabolo est tentare : quia etsi homo sic tentet, hoc tamen facit ut servus diaboli. Dicitur quoque Deus tentare, non ut sciat, sed ut aliquid faciat scire. Mundus autem et caro non nisi instrumentaliter ac materialiter tentant, præbendo occasionem peccandi. Sed homo tentat aliquem, et bene, et male : bene, dum quærit eum cognoscere ut prosit ; male, dum quærit eum cognoscere ut noceat. Verumtamen per tentationem mundi, quandoque intelligitur tentatio quæ infertur a mundanis et pravis hominibus ; quandoque illa quæ infertur (ut tactum est) a rebus sæculi hujus, puta a divitiis atque honoribus ejus.

His præmissis, præsens textus facile intelligetur. *Nemo quum tentatur,* tentatione interiori ad fallendum tendente et inclinante ad vitium, *dicat quoniam a Deo tentatur,* ita ut Deus inclinet aut cogat eum ad culpam. *Deus enim intentator malorum est,* id est, malorum tentamentorum non est suggestor, aut auctor, nec est tentator malorum seu vitiorum, id est tentativa causa eorum ; *ipse enim neminem tentat* tentatione ad malum ordinata. Sed objici potest, quia tentatio tam activa quam passiva, sunt quidam actus et aliquid positivum : ergo a Deo sunt, a quo omnis entitas derivatur, et in quem omnes effectus, id est actus, tanquam in primum effectivum principium reducuntur. Et respondendum, quod omnis effectus et actus, in quantum est ens et aliquid positivum, a Deo sunt tanquam a prima causa : sed in quantum habent deformitatem

A et obliquitatem peccati, nihil sunt et sola privatio ; nec habent causam efficientem, sed deficientem, videlicet voluntatem creatam, ut defectivam : quemadmodum claudicatio, in quantum est ambulatio quædam, est a virtute motiva et progressiva ; deformitas autem hujusmodi ambulationis, est a tibiæ indispositione.

Unusquisque vero tentatur a concupi- 14
scentia sua, id est ab inordinata cupiditate
seu privato amore. Nam radix omnium 1 Tim. vi, 10.
malorum est cupiditas, id est improbus
B amor sui, pro quo concupiscentia hoc loco accipitur. De quo amore asserit Augustinus, quod sit omnium vitiorum origo, quemadmodum amor Dei est omnis boni principium, omnis scilicet meritorii actus. Unde amor sui crescens usque ad contemptum Dei, civitatem efficit Babylonis, quæ est ecclesia malignantium et regnum diaboli : quemadmodum amor Dei crescens usque ad contemptum sui, constituit civitatem Jerusalem, quæ est Ecclesia Dei viventis et regnum Christi. Ab hac ergo C concupiscentia tentatur, id est, radicaliter impugnatur, quicumque tentatur, quia ab ea inclinatur et movetur ad diversa peccata. Non tamen per verba hæc excludit apostolus Jacobus tentationem diaboli, quia frequenter diabolus actuat seu excitat concupiscentiam istam in homine, et per eam tentat eumdem.

Tentatur ergo unusquisque a concupiscentia, *abstractus,* id est a recto salutis
itinere et vero rationis judicio, *et illectus,*
id est ad culpam attractus. *Deinde con-* 15
D *cupiscentia quum conceperit,* id est, ad consensum perduxerit, *parit peccatum,* id est, reum facit. Tunc enim est mortale peccatum interius, quum plenus adest consensus de aliquo concupito contra præceptum. *Peccatum vero quum consummatum fuerit,* id est foris ad effectum perductum, ita quod ex consensu itur in opus, *generat mortem,* quia inducit ad consuetudinem vitiosam et obstinationem, deinde ad damnationem æternam, quæ est mors se- Apoc. xxi, 8.
cunda gravissima. Unde quod ait, Generat

mortem, non est sic intelligendum quasi in solo exteriori opere consistat peccatum mortale, quum in interiori cogitatione et affectione deliberatæ rationis consensum habente, sit culpa mortalis : imo ratio meriti atque demeriti in opere exteriori, dependet ab interiori. Sed ideo dicit sic, quia in opere exteriori magis apparet deformitas vitii, et culpa augetur, ac prava consuetudo incurritur.

Itaque in verbis præhabitis insinuatur processus humanæ tentationis. Nam primo concupiscentia oritur, per quam incipit homo abstrahi a vero et bono. Deinde concupiscentiæ delectatio quædam conjungitur, per quam homo in malum illicitur. Tunc tamen stat adhuc in terminis peccati venialis. Deinde concupiscentiæ et delectationi consensus deliberatus adjicitur : et tunc est peccatum mortale, ex quo ad opus proceditur, et reiteratio frequens seu consuetudo inde consequitur. Hinc loquitur Beda : Tribus modis tentatio agitur : suggestione, delectatione, consensu : suggestione hostis, delectatione aut etiam consensu nostræ fragilitatis, consensu cordis. Quod si hoste suggerente, nec delectamur nec consentimus, tentatio nobis ad victoriam provenit. Si vero ad hostis suggestionem paulatim a recta intentione abstrahi, atque in vitium incipimus illici delectando, offendimus sed nondum lapsum mortis incurrimus. Quod si peccati in corde concepti delectationem sequatur partus pravæ actionis, aut certe consensus, mortis rei efficimur. Hoc quoque pensandum, quia ut dicunt doctores, non solum plenus consensus in opus, sed et consensus in delectationem prohibitam, est mortalis.

16 *Nolite itaque errare, fratres mei dilectissimi,* per vitiorum abrupta, per errorum ac falsitatum ac perfidiarum obscura
Prov. iv, 19. (via enim impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruunt), ne sero pœnitentes, dicatis
Sap. v, 6. illud Sapientiæ : Erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol intelligentiæ non est ortus nobis.

Circa præhabita quæritur, an tentatio A sit appetenda. Respondet Albertus : Quædam in sua ratione circumvolutam habent malitiam, ut furtum : quæ nequaquam sunt appetenda. Alia sunt quæ nominata, statim habent circumvolutam bonitatem, ut esse sapientem, et virtute præditum : quæ simpliciter et absque additione sunt appetenda. Alia sunt, quæ de se non sunt appetibilia, quum sint quædam mala pœnalia : tamen per comparationem ad finem sunt appetenda, ut potio amara. Quum ergo tentationes per se ordinentur B ab hoste ad hominis deceptionem, per accidens vero ordinentur ad tentati salutem, ex hoc quod Dei gratia auxiliante vincuntur ; idcirco tentari non est simpliciter cupiendum, sed tentari et vincere simul sumptum. Verum quia considerata nostra fragilitate, victoria est incerta, tentatio securius fugitur quam optatur. Et si objiciatur, quia (ut Jacobus ait apostolus) omne gaudium existimare debemus quum in diversas inciderimus tentationes, ergo sunt appetendæ, præsertim quia (ut dictum est) C sunt valde multipliciter fructuosæ : respondetur, quod Jacobus loquitur de tentatione tribulationum, ad quarum patientiam exhortatur, quia non nisi per patientiam eas possumus superare. Ideo gaudium et fructuositas non sunt de talibus tribulationibus et tentationibus secundum se, sed magis de patientia, qua vincuntur.

Præterea huic rationi concordat responsio Thomæ super secundum Sententiarum, dicentis : Quum bonum sit objectum voluntatis ac desiderii, eo modo aliquid est D volendum, quo bonum. Inter bona autem aliquid invenitur quod est bonum simpliciter et per se, sicut sunt bona honesta, puta virtutes : quæ tanquam fines aliorum, sui gratia appetuntur, quamvis in aliud ducant : quia in omnibus honestis utilitas honestati coincidit, nisi in ultimo, quod est finis finium, quod propter se tantum est appetendum. Aliquid vero est, quod in se bonitatem non habet unde appetatur, si absolute consideretur ; sed secundum ordinem ad finem, bonitatem

quamdam sortitur, quæ utilitas nominatur : et hæc sunt propter aliud appetenda, ut sectio membri propter sanitatem. Porro ad finem consequendum, contingit aliquid dupliciter ordinari : per se scilicet, et per accidens. Per se dico, quod quantum in se est, in finem debitum est ductivum; per accidens autem, quod quantum in se est, in aliud duceret, sed ex concursu alterius causæ ducit in debitum finem, sicut qui comedit venenum ut moriatur, et contingit ex hoc sanitas. Quum ergo causa per accidens, non sit proportionata ad effectum, sed solum causa per se; idcirco ex ordine ad finem qui est per accidens, non est aliquid bonum aut appetibile, simpliciter acceptum, sed solum concurrentibus omnibus quæ ad hunc finem determinant. Dico igitur, quod tentatio per se, ordinata est ad hominis perditionem; ad salutem vero non ordinatur, nisi per accidens, scilicet ex hoc quod homo eam vincit auxilio gratiæ Dei. Ideo tentari non est simpliciter appetendum, sed tentari et vincere simul acceptum. Sed quoniam propter nostram fragilitatem victoria valde est dubia, securius fugienda est tentatio quam optanda.

Insuper istis responsionibus aliquid videtur esse addendum, quia ut tactum est, duplex est genus tentationis : unum quod probat, aliud quod fallit. Quorum primum est a Deo, et ad hominis ordinatur salutem ; aliud a diabolo et membris ipsius, ordinaturque ad tentati seductionem. Rursus, sicut præhabitum est, duplex est tentatio, puta exterior, ut est corporalis afflictio, cujus Deus non solum est permissor, sed etiam actor. Est quoque tentatio interior, ad culpam inclinans seu ordinata, cujus Deus permissor est, non immissor. Constat itaque præinductas responsiones non esse prolatas, nisi de tentatione hostis ad fallendum tendente.

Remanet igitur quæstio, an tentatio quæ est ex, vel, a Deo, atque exterior, tendens ad probationem et salutem, sit appetenda. Ad quod respondendum, quod appetenda

A est eo modo quo medicina amara et afflictiva appetitur propter sanitatem et delectationem. Estque appetenda cum duplici circumspectione, utpote considerata propria fragilitate et defectuositate, ne homo in viribus suis confidat; et præsupposito adjutorio gratiæ Dei, in quo spes tota figatur. Et hoc modo, etiam tentationes hostiles appeti possunt. Verumtamen observandum, quod aliquid est appetibile uni, quod non est appetibile alteri, propter diversam eorum dispositionem.
B Perfecti ergo et etiam digne proficientes, securius possunt tentationes appetere, cum circumspectionibus memoratis, quam incipientes et imperfecti. Et de hoc in Vitis Patrum multa habentur exempla.

Amplius quæritur, an tentatio quæ est ab hoste, sit peccatum, an etiam tentatio quæ est a mundo, et item an omnis tentatio a carne seu carnis, peccatum sit. Ad hæc Thomas super secundum respondet : Peccatum unius non consistit in actu alterius, sed in proprio actu. Propter quod
C in Ezechiele legitur : Anima quæ peccaverit, ipsa morietur. *Ezech.* xviii, 20. In tentatione autem carnis, ipse appetitus illicitus, secundum quem tentari quis dicitur, est actus ejus qui tentatur. Non enim sola caro concupiscit, sed conjunctum, videlicet homo. Ideo talis tentatio est peccatum in eo qui tentatur. Siquidem motus concupiscibilis in illicitum tendens, tentatio carnis est. Tentatio autem quæ est a mundo vel ab hoste, est a principio extrinseco : unde actus non pertinet ad tentatum, sed pas-
D sio tantum. Propter hoc non est peccatum in tali tentatione, nisi per delectationem sive consensum, quia tunc tentatus incipit cooperari tentanti. Præterea, juxta Thomam, diabolus potest imprimere vim imaginativam dupliciter : utpote aliqua sensibilia exterius repræsentando, et ipsam vim imaginativam intus turbando ac alterando. Idcirco, secundum modum quo imprimit in nos, tentare nos dicitur. Hæc tamen impressio non habet rationem peccati, quum non sit in appetitu, sed in

apprehensione dumtaxat. Est tamen tendens in culpam, quantum est de intentione tentantis. Hoc quoque pensandum, quia ut Thomas adjungit, motus concupiscibilis potest dupliciter in nobis insurgere : Primo, ex qualitate organi, sicut corpore calefacto, insurgit motus libidinis absque aliqua imaginatione : et iste motus est pure naturalis, nec rationem peccati habens. Et hunc motum potest diabolus ex sua potestate in nobis causare, nisi divina cohibeatur virtute. Secundo, ex apprehensione alicujus delectabilis. Et ex parte illa appetitus habet aliquam libertatem in homine, secundum quod potest obedire imperio rationis : sicque in concupiscibili potest esse peccatum. Sed hunc motum diabolus extorquere non potest.

Hæc dicta sint pro pleno hujus loci intellectu, quia materia practica est et salubris. At vero, sicut nonnulli errarunt dicendo interiores tentationes ad vitia inclinantes esse a Deo ; sic alii, ut Pelagiani hæretici, errabant dicentes opera meritoria esse a nobis ipsis, ita quod sine gratia posset homo esse virtute præditus, et Deo acceptus, ac vitam promereri æternam. Dicebant enim : A Deo habemus quod sumus, a nobis ipsis quod justi sumus. Contra hos subdit apostolus Jacobus :

17 *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* Certum est apud philosophos, omne quod circa Deum est, a Deo fluxisse mediate vel immediate, Aristotele protestante. Ab hoc ente omnibus communicatum est esse et vivere ; atque auctore libri de Causis, Omnis causa primaria plus influit quam quæcumque causa secunda. Verumtamen, aliter dicunt sancti theologi virtutes et actiones meritorias esse a Deo, quam philosophi : quia philosophi dixerunt hominem naturali potestate et propria ratione posse virtutes acquirere, et felicitatem mereri. Quod quamvis verum sit aliquo modo de virtutibus naturalibus, politicis, in beatitudine naturali ; theologi tamen affirmant hominem

A (quia ad supernaturalem beatitudinem est creatus) indigere gratia gratum faciente, virtutibusque infusis, supernaturalibus ac theologicis, et insuper actuali motione Spiritus Sancti in omni meritorio actu, ut sic media correspondeant fini. Quamvis itaque per datum optimum, possunt intelligi naturalia dona suprema in intellectualibus creaturis, ut sunt memoria, intellectus, voluntas, in quibus supergloriosissimæ Trinitatis imago relucet in homine ; per donum vero perfectum, dona supernatu-
B ralia, gratuita et infusa, ac meritoria opera, quæ omnia immediate descendunt, causantur, dependent a Deo : possunt tamen per datum optimum, intelligi dona supernaturalia et infusa gratiæ gratis datæ, bonis et malis communia, ut sunt gratia prophetiæ, genera linguarum, sermo sapientiæ, sermo scientiæ, etc., de quibus Corinthiis scribit Apostolus ; per dona ve- I Cor. xii, 8-10.
ro perfecta, dona gratiæ gratum facientis, virtutes infusæ, dona et fructus spiritus, ac beatitudinis viæ. Nihilo minus omnia
C ista intelligi possunt per data optima : et per dona perfecta, intelligenda erunt dona gloriæ, dona animæ et corporis glorificati, et quidquid ad cœlestis beatitudinis plenitudinem spectat, quæ vere est status omnium bonorum aggregatione perfectus, de quibus Isaias et Paulus fatentur : Ocu- Is. lxiv, 4; I Cor. ii, 9.
lus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se.

Porro per Patrem luminum, intelligi potest Pater æternus, a quo lumen sibi
D coæternum, unigenitus Filius ejus, invariabiliter oritur. A Patre quoque et Filio, tanquam ab uno fonte ac æternali principio, oritur Spiritus Sanctus Patri Filioque æqualis. Nec tamen Filius et Spiritus Sanctus sunt duo lumina ; imo tota superdignissima, superessentialis et incomprehensibilis Trinitas, unum est lumen, sicut et una essentia. Ideo Pater æternus dicitur Pater luminum, quippe qui sit increati luminis et omnis lucis creatæ principium. Aptius tamen hoc loco per

Patrem luminum intelligitur Deus Trini- A
tas, universorum creator, cui quotidie di-
Matth. vi, 9. cimus : Pater noster, qui es in cœlis. De
Deut. xxxii, 6. quo in Deuteronomio habetur : Nonne ip-
se est pater tuus, qui possedit te, et fecit
Is. lxiv, 8. et creavit te ? De quo et Isaias : Et nunc,
pater noster es tu, nos vero lutum. Cui
Job xxxiv, 36, 37. et Eliu locutus est : Pater mi, ne desinas
ab homine iniquitatis, qui addit super pec-
cata sua blasphemiam.

Denique huic verbo apostoli Jacobi con-
Joann. iii, 27. sonat illud Joannis, Non potest homo ac-
cipere quidquam, nisi fuerit ei datum de B
I Cor. iv, 7. cœlo ; et quod loquitur Paulus, Quid habes
quod non accepisti ?

Apud quem non est transmutatio : quia
omnimoda incommutabilitas, quæ est ple-
na immortalitas, competit Deo, quum sit
purus actus, in quo nec est potentia li-
mitans, nec differentia contrahens, neque
materia usquam coarctans, ut in Meta-
physica sua sapientissime docet Philoso-
phus. Et Proclus Platonicus in Elemen-
tatione sua theologica subtilissime probat
Malach. iii, 6. hoc. Unde in Malachia contestatur : Ego C
Dominus, et non mutor. Quod Balaam quo-
Num. xxiii, 19. que adstruit, loquens : Non est Deus qua-
si homo, ut mentiatur ; nec ut filius
hominis, ut mutetur. Et sicut contingen-
tia, variabilia, corporalia invariabiliter in-
telligit, ita et immutabilis permanens, om-
nia operatur, sicut ait Boetius :

O qui perpetua mundum ratione gubernas,
. . . . tempus ab ævo
Ire jubes, stabilisque manens, das cuncta moveri.

Quod et primo Timæi disseruit Plato. Pro- D
Joann. v, 17. pter quod asserit Veritas : Pater meus
usque modo operatur, et ego operor. *Nec
vicissitudinis obumbratio,* id est alicujus
successionis obscuratio : quia in super-
simplicissimo Deo sunt penitus idem, es-
sentia, potestas et actio, seu esse, posse
et agere. Et ipse unico, simplicissimo, et
æterno actu intelligit, et vult ac disponit
universa et singula in se ipso. Unde et ejus
mensura est æternitas, quæ est intermina-
bilis vitæ tota simul perfecta possessio.

Voluntarie genuit nos verbo veritatis. 18
Hoc multipliciter potest exponi : Primo,
quod Pater per Unigenitum suum nos con-
didit, juxta illud Joannis, Omnia per ipsum Joann. i, 3.
facta sunt. Unde Apostolus : Ex ipso, in- Rom. xi, 36.
quit, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.
Generatio autem in Scripturis interdum
pro creatione accipitur, ut ubi legitur :
Istæ sunt generationes cœli et terræ in Gen. ii, 4.
die quando creatæ sunt. Secundo, quod
Deus Trinitas spiritualiter regeneravit nos,
id est, ab erroribus et peccatis ad esse
gratiæ ac virtutum deduxit nos verbo ve-
ritatis, hoc est per doctrinam evangelicæ
prædicationis : quod fecit per Christi disci-
pulos, quemadmodum Paulus scribit Co-
rinthiis, In Christo per Evangelium ego I Cor. iv, 15.
vos genui ; atque ad Galatas, Filioli (ait) Galat. iv, 19.
mei, quos iterum parturio, donec forme-
tur Christus in vobis. Tertio, quod Deus
per sacramentum Baptismi sub debita for-
ma verborum spiritualiter nos regenera-
vit. Accedit siquidem verbum ad elemen-
tum, et fit sacramentum. Hinc Christus :
Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Joann. iii, 5.
Sancto, non potest introire in regnum Dei.
Ad Ephesios quoque ait Apostolus : Chri- Ephes. v, 25, 26.
stus dilexit Ecclesiam, mundans illam la-
vacro aquæ in verbo vitæ. Denique quum
sacramentum Pœnitentiæ sit secunda post
naufragium tabula regenerans, ita fit etiam
quotidie in Pœnitentiæ sacramento. Et
quoniam Christus Verbum Patris incar-
natum instituit sacramenta evangelicæ le-
gis, intelligi potest, quod Pater Verbo ve-
ritatis, id est per Verbum suum æternum
et increatum, quod est veritas ipsa, præ-
fatis nos modis regeneravit.

Hæc autem fecit Deus voluntarie, non
coacte aut necessitate naturæ, sicut per
Osee testatur : Diligam eos spontanee. Et Osee xiv, 5.
teste Apostolo, Deus operatur omnia se- Ephes. i, 11.
cundum consilium voluntatis suæ. Per
quod refutatur error quorumdam philoso-
phorum et hæreticorum, qui asseruerunt
processionem creaturarum a Creatore es-
se naturalem emicationem ac emanatio-
nem, non liberam. Contra quos etiam Plato

ait in primo Timæi : Optimus erat Deus. Porro ab optimo longe relegata est omnis invidia. Voluit ergo Deus omnia suæ bonitatis aut beatitudinis esse participia : quam quidem Dei voluntatem si quis rerum principium dixerit, recte eum putare consentiam.

Sic ergo nos genuit, *ut simus initium aliquod creaturæ ejus,* id est, inter corporales ipsius creaturas habeamus primatum : quibus non solum per dona gratiæ, imo et per dona naturæ præferimur. Pro-
Gen. I, 26. pter quod dixit Deus : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram ; et præsit piscibus maris, et volatilibus cœli, et bestiis terræ, universæque crea-
Deut. IV, 19. turæ. Moyses quoque : Solem et lunam et omnia astra creavit Deus in ministerium cunctis gentibus. Porro, per dona gratiæ Christiani ceteris omnibus mundi hominibus incomparabiliter præferuntur, quum
Rom. VIII, 17. sint adoptivi filii Dei, et ejus heredes, et Christi membra ac coheredes. Et ipsi soli sunt in statu salutis, ceteri omnes in statu damnationis, suntque membra, filii ac ministri diaboli. Præterea, quod loquitur Moyses de excellentia populi Israelitici ad
Deut. IV, 7. Deum tunc pertinentis, dicendo, Non est
Ibid. 8. alia natio tam grandis ; itemque, Quæ est gens una in terra sic inclyta, etc. ? nunc multo præclarius dici potest de populo veraciter christiano, de quo princeps Apo-
I Petr. II, 9. stolorum testatur : Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus
Ps. XLVIII, 13. acquisitionis. Sed, proh dolor ! homo quum in honore esset, non intellexit, et multi Christianorum gentilibus deterius vivunt. Postremo, pro eo quod hic dicitur, Ut simus initium aliquod creaturæ ejus, alia littera continet : Ut simus primitiæ creaturarum ejus. Primitias namque frugum et animalium jussit lex Domino consecrari, id est optima quæque in frugibus ac animantibus. Ita et Deus verbo veritatis nos genuit, ut inter omnes homines simus optimus populus ejus.

19 *Scitis, fratres mei dilectissimi,* id est, notum vobis est, universa quæ scribo esse verissima, quia scitis Apostolos primitias Rom. VIII, 23.
accepisse Spiritus Sancti. Verumtamen non sufficit vobis hoc scire. Ideo subditur : *Sit autem omnis homo velox ad audiendum* verba salutis. Beati enim qui audiunt ver- Luc. XI, 28.
bum Dei, et custodiunt illud ; et, Qui ex Joann. VIII, 47.
Deo est, verba Dei audit. Idcirco, ut in Ecclesiastico dicitur, Auris bona cum om- Eccli. III, 31.
ni concupiscentia audiet sapientiam. *Tardus autem ad loquendum :* quia hoc sapientiæ signum est, eo quod Salomone testante, in multiloquio non desit pecca- Prov. X, 19.
tum. Atque idem alibi : Totum spiritum Ibid. XXIX, 11.
suum profert stultus ; sapiens differt et reservat in posterum. Et denuo : Vidisti Ibid. 20.
aliquem velocem ad loquendum ? Stultitia magis speranda est, quam illius correctio. In Ecclesiastico quoque legitur : Qui mul- Eccli. XX, 8.
tis utitur verbis, lædit animam suam.

Verumtamen in omnibus istis necessaria valde est discretio, ut sit homo quantum in se est, velox ad audiendum, et tardus ad loquendum : quod tamen ad juniores ac subditos et indoctos potissimum pertinet. Nihilo minus, causa rationabili exigente, sit homo velox ad loquendum, præsertim qui præest, dum fraterna correptio aut justa correctio sunt delinquentibus impendendæ, dum etiam proximus indiget informatione, aut revocatione a culpa atque periculis quibus appropinquat. Ideo Salomon dixit : Tempus loquendi, et tem- Eccle. III, 7.
pus tacendi est. Atque in Ecclesiastico dicitur : Est tacens, qui invenitur sapiens ; Eccli. XX, 5-7.
est autem tacens, non habens sensum loquelæ ; et est tacens, sciens tempus aptum. Homo sapiens tacebit usque ad tempus ; lascivus et imprudens non servabit tempus. Sic et juniores ac subditi et indocti, dum ex ignorantia sibi periculum vident instare, mox seniores, sapientiores et superiores suos debent interrogare, et eos cum omni reverentia ac aviditate audire, juxta illud : In multitudine presby- Ibid. VI, 35.
terorum prudentium sta, et sapientiæ illorum ex corde conjungere. Hinc alibi dicitur : Non te prætereat narratio senio- Ibid. VIII, 11.
rum. Denique, quam salubre est verba sa-

lutis audire, tam periculosum est verba audire vana, scurrilia, detractoria et iniqua, quæ mentem maculant audientis, si ea libenter audierit, aut eis consenserit. A talibus ergo verbis avertatur auditus, si fieri potest, atque ad minus ratio ea detestetur. Ideo ait Scriptura : Sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam nequam. (*Eccli.* xxviii, 28.) Propheta quoque locutus est Deo : Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua. (*Ps.* cxviii, 85.)

Circa hunc locum loquitur Beda : Qui sapientiam diligit, primo postulet eam a Deo, deinde magistrum veritatis humiliter audiat, et inter agendum suam cautissime coerceat linguam. Tutius enim veritas auditur, quam prædicetur. Hinc Pythagorici naturalis scientiæ magisterio præditi, auditores suos per quinquennium jusserunt silere, et postmodum loqui ac docere permiserunt. Unde et Jeremias propheta, bene instructi adolescentis vitam describens, modestiam taciturnitatis inter prima virtutum studia computat : Bonum est, inquiens, viro, quum portaverit jugum ab adolescentia sua; sedebit solitarius, et tacebit. (*Thren.* iii, 27, 28.)

Itaque per prædicta reprehenduntur, qui ad fabulandum, ad docendum, ad prædicandum sunt promptuli, quum nondum in virtutibus exercitati, nondum sufficienter edocti, nondum a vanitatum expurgati vitiis sint. Verumtamen, cui ex officio incumbit docendi aut prædicandi necessitas, studeat se ad exercendum hos actus exhibere idoneum, in virtutibus ac sapientia proficiendo quotidie, et interim quod per se ipsum facere nequit, per alios idoneos faciat.

Sit quoque omnis homo *et tardus ad iram*. Ira est appetitus vindictæ propter illatam injuriam. Et ista est duplex : Una, quæ rationem prævenit et excæcat, quæ vocatur ira per vitium, quia ratione non regitur, nec secundum ordinem juris tendit in ultionem. Ad hanc sic tardi esse debemus, ut eam nunquam admittamus : vel si oriri cœperit, statim per rationis censuram mansuetudinisque virtutem frene-

A tur et extinguatur; vel saltem sic cohibeatur ne per verba aut signa erumpat, neque per inhonestos apparatus pandatur, sicque paulatim suffocetur in semetipsa. Alia est ira per zelum, quæ rationem sequens, sponte assumitur, ut actus virtutis robustius exerceatur. Et ista est bona, quia per eam secundum rationis judicium fit vindicta. Non tamen est passim atque faciliter admittenda, quia et ipsa rationem aliqualiter turbat, secundum Gregorium. Idcirco ad eam tardi esse debemus, et tunc eam
B assumere quando aliter actus justitiæ tam convenienter exerceri non valet, ut si quis durus incorrigibilisque exsistat. Et hæc ira fuit in Christo, juxta illud : Contristatus est Jesus super cæcitate cordis eorum, circumspiciens eos cum ira. (*Marc.* iii, 5.) Hinc loquitur Beda : Tardos ad iram nos esse præcepit, ut non ob quaslibet causas, serenitatem nostri cordis ac vultus in austeritatem vertamus; sed certa exsistente ratione, verbi gratia, si aliter corrigi proximos, maxime eos qui nobis commissi sunt, non posse
C conspicimus, severitatem verbi aut districtionem judicii erga eos exhibeamus, manente tamen, quantum humana natura patitur, statu nostræ mentis sereno. Sic Phinees, Samuel, Elias et Petrus, tardi fuerunt ad iram, qui tamen peccantes gladio peremerunt aut verbo. (*Num.* xxv, 7-13; I *Reg.* xv, 33; III *Reg.* xviii, 40; *Matth.* xxvi, 51; *Act.* v, 1-10.) Sic et Moyses quum esset vir mitissimus, exivit a Pharaone iratus nimis, comminatus ei pœnam, quam et opere perpetravit; qui etiam vituli aurei adoratores districte punivit. (*Num.* xii, 3. *Exod.* xi, 9. *Ibid.* xxxii, 27.) Hinc teste Gregorio, Ira non debet ratio-
D nem quasi domina præcedere, sed tanquam ancilla sequi.

Porro ira per vitium, dupliciter fit mortalis : primo, propter commotionis immoderantiam nimis immoderatam, rationemque penitus offuscantem; secundo, propter ultionis excessum, ut si quis pro illata sibi injuria, exercere cupiat sive exerceat ultionem tam grandem ut directe contrarietur justitiæ. Denique iram Scriptura valde vituperat et condemnat, stultitiam vocat, et iracundum stulto assimilat. Ait

Matth. v, 22. namque Salvator : Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Salomon quoque : Spiritum ad irascendum facilem quis poterit sustinere? (*Prov.* xviii, 14.) Et iterum Salomon loquitur : Ne sis velox ad irascendum, quoniam ira in sinu stulti requiescit. (*Eccle.* vii, 10.) Et Job : Virum stultum interficit iracundia. (*Job* v, 2.) Hinc ait Hieronymus : Quid iracundo furor suus confert, quem sævissimis exagitat stimulis? Sicque ab omni mentis consilio alienat, ut dum irascitur, insanire credatur. Idcirco abbas Agathon dixit : Iracundus homo, etiam si mortuos suscitet, Deo non placet. Imo quam nociva sit ira, pandit Gregorius, dicens : Per iram justitia relinquitur, gratia vitæ socialis amittitur, mansuetudo aufertur, lux veritatis repellitur. Hinc Jacobus subdit :

20 *Ira enim viri, justitiam Dei non operatur.* Sobrie loquitur sanctus ille Apostolus: siquidem minus dicitur, et majus significatur. Ut sit sensus : Ira enim viri, id est ira per vitium cujuscumque hominis, justitiam Dei, id est opus vere justum et Deo acceptum, non operatur, sed opus Deo displicens atque damnabile facit, quia a rationis tramite abducit, et contra justitiam agit. Iracundo quippe bonum et justum videtur, quidquid ab ira suggeritur. Atque, ut ait Gregorius, menti furore ebriæ, quidquid recte dicitur, perversum videtur. Et rursus : Per iram, inquit, sapientia perditur, ut quid, quove ordine quid agendum sit, nesciatur. Hinc Job : Non te ira superet, ut aliquem opprimas. (*Ibid.* xxxvi, 18.) Et Salomon : Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor; et impetum concitati spiritus ferre quis poterit? (*Prov.* xxvii, 4.) Irascamur ergo propriis vitiis, et ea ulciscamur discrete in nobis. Irascere tibi quia ad iram irrationabiliter motus es, et cessa irasci. Et maxime qui vel ex usu maligno aut naturali dispositione ad iram proclives sunt, contra iram jugiter debent pugnare, et pro ejus exstirpatione studere, ac Deum infatigabiliter deprecari. Advertamus ergo quod ait Salvator : Beati mites (*Matth.* v, 4.); et, Discite a me quia mitis sum (*Ibid.* xi, 29.)

A et humilis corde. Superbi siquidem ad iram sunt proniores; humiles vero mitescunt et patientes consistunt. Denique si ira subito oriatur, nequaquam perseveret in corde, quum in Ecclesiastico dicatur : Homo homini servat iram, et a Deo quærit medelam? Quis exorabit pro delictis illius? (*Eccli.* xxviii, 3, 5.)

Insuper, locus iste etiam de ira per zelum potest exponi : quoniam etsi ira hæc commendetur, tamen per eam judicans aut ulciscens, a divinæ perfectionis tran-
B quillitate et summi Judicis serenitate occumbit. Scriptum est enim de Deo : Tu, dominator Domine, cum tranquillitate judicas. (*Sap.* xii, 18.) Et alibi : Numquid ad iracundiam me provocant? ait Dominus; nonne semetipsos in confusione vultus sui? (*Jer.* vii, 19.) Hinc asserit Beda : Judex homo, qui amissa mentis tranquillitate judicat delinquentem, etiamsi juste judicet, justitiam tamen divini examinis, in quam perturbatio cadere nequit, imitari non valet.

Propter quod abjicientes omnem im- 21
C *munditiam,* id est, pœnitendo seu præcavendo, de vobis expellite carnalia ac spiritualia vitia consueta : quemadmodum monet Apostolus, Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei (II *Cor.* vii, 1.); *et abundantiam malitiæ,* id est graviora facinora, ut quæ ex consuetudine prava, ex deliberato proposito, ex pertinaci intentione nascuntur; *in mansuetudine suscipite,* id est, mansuete et patienter audite, firmiterque tenete, *insitum verbum,* id est
D evangelicæ legis doctrinam, vobis a prædicatoribus insinuatam, impressam, infusam. Maturitas enim sapientiæ seu verbum salutaris doctrinæ, non nisi mansuete et tranquilla mente percipitur : a cujus salubri susceptione impedit ira. Idcirco in Ecclesiastico docetur : Esto mansuetus ad audiendum verbum Dei, ut intelligas. (*Eccli.* v, 13.) Nam ut communiter dicitur, Impedit ira animum ne possit cernere verum. Mansuetudo autem est quædam tractabilitas mentis, eam disponens ad susceptionem verbi

salutis : quemadmodum tractabilitas ce- A
ræ, dispositio est ad impressionem sigilli.
Quod potest salvare animas vestras. Nam
verbum Dei instruit hominem de necessa-
riis ad salutem, et ita instrumentaliter seu
dispositive salvare dicitur hominem, si
observetur et impleatur. Ideo dictum est :
Luc. xi, 28. Beati qui audiunt verbum Dei, et custo-
Ps. cxviii, 105. diunt illud. Et Psalmista : Lucerna, in-
quit, pedibus meis verbum tuum, Domi-
ne, et lumen semitis meis. Alibi quoque
Sap. xvi, 26. fertur : Non nativitatis fructus pascunt
homines, sed sermo tuus eos qui in te cre- B
dunt, conservat. Cum omni ergo reveren-
tia ac diligentia audiant subditi verbum
Dei a superioribus suis ac sapientioribus.
Hæc autem purgatio mentis necessaria est,
quia oportet in primis a malo recedere.
In malevolam enim animam non intrabit *Sap.* i, 4.
sapientia, nec habitabit in corpore sub-
dito peccatis. Itaque puritas mentis est
maxime appetenda, jugiter exquirenda,
diligentissime conservanda : quia ut ait
Salvator, Beati mundo corde, quoniam ipsi *Matth.* v, 8.
Deum videbunt; Salomon quoque, Qui di- *Prov.* xxii, 11.
ligit cordis munditiam, habebit amicum
regem. Ideo cum Psalmista incessanter ore-
mus : Cor mundum crea in me, Deus. *Ps.* l, 12.

ARTICULUS III

ELUCIDATIO RESIDUI HUJUS CAPITULI PRIMI : ESTOTE AUTEM FACTORES VERBI.

JAM sanctus apostolus Jacobus admo-
nuit, ut omni immunditia atque malitia C
eradicatis, suscipiamus in mansuetudine
insitum verbum Dei. Sed ne putemus no-
bis sufficere verbum Dei audire, nunc sub-
22 dit : *Estote autem factores verbi, et non*
auditores tantum, id est, eloquia præce-
ptorum Dei et Ecclesiæ non solum audite,
sed et opere implete. Sic et Paulus dis-
Rom. ii, 13. seruit : Non auditores legis justi sunt apud
Deum, sed factores legis justificabuntur;
Ps. cx, 10. et Propheta, Intellectus bonus omnibus
facientibus eum. Scientia enim moralis or-
dinatur ad opus. Propter quod dixit Phi- D
losophus : Quid est virtus scrutamur, non
ut sciamus, sed ut boni efficiamur. Et rur-
sus primo Ethicorum testatur, quod in-
tenti instructioni morali, et eam non ex-
sequentes in opere, similes sunt ægris,
medicos diligenter audientibus, sed eorum
doctrinam non observantibus. Sic ergo,
Estote factores verbi, non auditores tan-
tum, *fallentes vosmetipsos :* quia qui sola
auditione contenti sunt, se ipsos decipi-
unt : vel formaliter et directe, ut si putent
sibi ad salutem sufficere, solum audire et
scire; vel concomitanter seu æquivalenter
aut materialiter, secundum quod omnis
qui peccat, se decipit, juxta illud, Stultus *Prov.* xiv, 9.
illudit peccatum. Et rursus Salomon lo-
quitur : Via stulti recta in oculis ejus. *Ibid.* xii, 15.
Hinc omnis peccans dicitur esse ignorans,
quia erronee judicat, saltem in particula-
ri. Unde et in Habacuc habetur : Quomodo *Habac.* ii, 5.
vinum potantem decipit, sic erit vir su-
perbus. Et luxurioso presbytero Daniel *Dan.* xiii, 56.
dixit : Species decepit te.
Quia si quis auditor est verbi, et non 23
factor, hic comparabitur viro consideran-
ti vultum nativitatis suæ, id est faciem
suam corporalem cum qua natus est, *in*
speculo. Consideravit enim se, id est dis- 24
positionem vultus sui, *et abiit, et statim*
oblitus est qualis fuerit, id est, distinctam
suæ dispositionis notitiam mox amisit, nec
perfectam suæ physionomiæ servavit me-
moriam. Cujus ratio assignatur, quia ima-
go in speculo habet debile esse, et inten-
tionale potius quam reale, ut dicitur. Ideo
debilem facit impressionem, quia modus

agendi sequitur modum essendi. Et quia
debilem facit impressionem in oculo, ex
tali impressione sequitur labilis in men-
te cognitio. Conformiter, qui verba Dei
audit, nec implet, imperfectam et infor-
mem habet eorum memoriam, aut penitus
nullam.

25 *Qui autem perspexerit,* id est, perspica-
citer consideraverit, *in lege perfecta* (seu,
ut alii legunt, *perfectæ) libertatis,* ea quæ
scribuntur, docentur, et præcipiuntur in
ea, puta in Evangelio. Denique, sive le-
gatur, Perfecta, sive, Perfectæ, verus est
sensus. — Lex enim evangelica, respectu
legis Moysis, est perfecta, et excellentias
multas sortitur, prout in Prologo super
Lucam diffuse ostensum est; et ipsa cete-
ras universas in perfectione superat leges.

Dicitur quoque lex evangelica, lex li-
bertatis perfectæ : Primo, quia per eam
exoneramur ab obligatione observantiæ
veteris legis. Propter quod sacratissimus
apostolici ordinis princeps, gloriosissimus
Act. xv, 10, 11. Petrus, ait : Quid tentatis Deum, impone-
re jugum super cervices discipulorum,
quod neque patres nostri, neque nos por-
tare potuimus? Sed per gratiam Domini
nostri Jesu Christi credimus salvari. Et
Rom. viii, 2. Paulus apostolus : Lex spiritus vitæ in
Christo Jesu, liberavit me a lege peccati
Ibid. iii, 21, 22. et mortis. Et rursus clarius loquens : Nunc
sine lege justitia Dei manifestata est per
fidem Jesu Christi, in omnes et super om-
nes qui credunt in eum. — Secundo, quia
lex evangelica est lex caritatis et gratiæ;
lex vetus fuit lex timoris et pœnæ. Id-
circo, secundum Augustinum, brevis dif-
ferentia Evangelii et legis, est amor et
timor. Lex quippe evangelica dicitur lex
amoris et gratiæ, in quantum continet sa-
lutifera sacramenta gratiæ continentiva, et
quia in Evangelio præclarissime descri-
buntur amor et pietas Dei ad homines, et
beneficia ac promissa ipsius. Inducit quo-
que lex ista ad sui observantiam potius
per amorem et præmii pollicitationem,
quam per terrorem et comminationem
pœnarum. Porro lex vetus dicitur lex ti-

A moris, quia nec gratiam continebat, et
transgressoribus suis etiam temporalem
mortem mox infligi præcepit : et ita qua-
si quadam coactione atque formidine, ad
sui observationem induxit. Propter quod
ad Hebræos fertur : Irritam quis faciens *Hebr.* x, 28.
legem Moysis, absque ulla contradictione
duobus aut tribus testibus moritur. Lex
autem evangelica transgressoribus suis pœ-
nitentiam consulit, veniamque promittit.
Hinc dicit Apostolus : Nihil ad perfectum *Ibid.* vii, 19.
adduxit lex (quia videlicet ejus sacramen-
B ta non erant gratiæ contentiva); itemque,
Non dedit nobis Deus spiritum timoris, II *Tim.* i, 7.
sed spiritum virtutis et dilectionis et so-
brietatis. — Tertio, quia per evangelicæ
legis observationem liberamur ab omni
jugo diaboli et servitute peccati, quemad-
modum Paulus : Per Jesum, inquit, re- *Act.* xiii, 38.
missio vobis peccatorum annuntiatur, ab
omnibus a quibus non potuistis in lege
Moysis justificari. — Quarto, quia per
evangelicæ legis impletionem, ad æternam
felicitatem, in qua est cœlestis ac plena
C libertas, indilate perducimur : quod per
Mosaicæ legis observantiam non fiebat.
Hinc Unigenitus Patris ait : Si Filius vos *Joann.* viii, 36.
liberaverit, vere liberi eritis. Huic autem
libertati non repugnat servitus caritatis,
quum Deo servire sit regnare. Atque ut
devotissima Agatha dixit, Summa inge-
nuitas est, in qua Christi servitus com-
probatur. Ideo Paulus disseruit : Ubi spi- II *Cor.* iii, 17.
ritus Domini, ibi libertas.

Itaque qui in hac lege perspexerit, *et
permanserit in ea,* fide et opere stabi-
D lis : quoniam sola perseverantia corona-
tur, Christo dicente, Qui perseveraverit us- *Matth.* xxiv, 13.
que in finem, hic salvus erit; *non auditor
obliviosus factus,* id est verba salutis obli-
vioni non tradens, *sed factor operis,* id
est exsecutor operum quæ Deus præcepit;
hic beatus in facto suo erit, id est, per
opera sua beatitudinem obtinebit : sicut
in Evangelio Dominus contestatur, Si vis *Ibid.* xix, 17.
intrare ad vitam, serva mandata; et de- *Joann.* xiii, 17.
nuo, Si hæc scitis, beati eritis si feceritis
ea. Etenim omnis arbor quæ non fecerit *Matth.* iii, 10; vii, 19.

fructum bonum, excidetur, et in ignem
mittetur. Præterea, dupliciter dicitur homo
divinorum oblivisci verborum : primo,
ea a sua memoria penitus amittendo;
secundo, ea non adimplendo. Nam et invariabilis
Deus dicitur oblivisci eorum quos
justo judicio perire permittit, eo quod
per modum obliviscentis circa illos se habeat.
Unde Threnorum ultimo dicitur :
Thren. v, 20. Quare in perpetuum oblivisceris nostri ?

Postquam apostolus Jacobus docuit, non
sufficere ad salutem verba Dei audire, sed
oportere ea operibus exercere, nunc ostendit
nec hoc sufficere, nisi et peccata
26 ta locutionis vitentur. Hinc subditur : *Si
quis autem putat se religiosum esse,* id est
verum christianæ fidei professorem, ac
latriæ servatorem, atque devotum, *non refrenans
linguam suam* a multiloquio, detractione,
mendacio, ac ceteris verbis prohibitis,
sed seducens cor suum, id est a
recto salutis itinere illud avertens, et per
incustodiam, negligentiam, errores et vitia,
se ipsum fallens atque obtenebrans,
quemadmodum per Osee Dominus ait :
Osee vii, 11. Ephraim quasi columba seducta, non habens
cor ; *hujus vana est religio,* id est,
frustra se Christianum esse fatetur, nec
est in eo veraciter latria sive devotio, sed
ficte aut apparenter dumtaxat. De talibus
Ibid. viii, 7. fertur in Osee : Ventum seminabunt, et
turbinem metent.

Quum ergo illa sit vana religio, docet
27 quid sit vera religio. *Religio munda et
immaculata,* id est intus et foris sincera,
coram Deo et hominibus approbata, in se
ipsa et in suis operibus pura, *apud Deum
et Patrem,* id est coram Deo, qui est omnium
Deus et pater ; vel, Coram Deo Filio
et Patre æterno, qui cum Spiritu Sancto
sunt unus omnium Deus, unus creator, et
unus finis ; *hæc est : Visitare pupillos et
viduas in tribulatione eorum,* id est opera
misericordiæ proximis impertire, præsertim
miserabilibus personis, humano solatio
destitutis (ut sunt pupilli et orphani,
viduæ, peregrini, oppressi, tentati, infirmi,
captivi, mendici, pauperesque domestici)

A subvenire, et eos corporaliter visitare ac
consolari. Beati enim misericordes, quoniam *Matth.* v, 7.
ipsi misericordiam consequentur. Et
Christus in die judicii dicet : Quod uni *Ibid.* xxv, 40.
ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.
Hinc in Ecclesiastico dicitur : Non desis *Eccli.* vii, 38, 39.
plorantibus in consolatione ; et non te pigeat
visitare infirmum : ex his enim in
dilectione firmaberis. In Job quoque : Visitans *Job* v, 24.
speciem tuam, non peccabis, id est
proximos et egenos, qui ejusdem tecum
sunt speciei. De quibus loquitur Isaias :
B Frange esurienti panem tuum, et egenos *Is.* lviii, 7.
vagosque induc in domum tuam ; quum
videris nudum, operi eum. *Et immaculatum
se custodire ab hoc sæculo,* id est
vanitates et impietates, atque illicitas voluptates
mundanorum hominum devitare,
juxta illud : Nolite conformari huic sæculo, *Rom.* xii, 2.
sed reformamini in novitate sensus
vestri. Unde alibi ait Apostolus : Qui utuntur *I Cor.* vii, 31.
hoc mundo, sint tanquam non utentes.
Nam, ut Joannes ait apostolus, Omne *I Joann* ii, 16.
quod est in mundo, concupiscentia carnis
C est, et concupiscentia oculorum, et
superbia vitæ.

Circa præhabita, quærenda sunt aliqua :
Primo, quid sit religio, et de actibus ejus,
qui etiam sint vere religiosi ; deinde de
refrenatione linguæ, præsertim quantum
ad claustrales ; postremo, quid sit, se immaculatum
ab hoc sæculo custodire.

De horum primo dicit hoc loco Albertus
: Religiosus idem designat quod religatus.
Sed religatio ista potest attendi
tripliciter : Primo, penes observationem
D præceptorum articulorumque fidei : sicque
omnes veraciter christiani sunt religiosi.
Secundo, penes observationem evangelicorum
consiliorum : et sic claustrales
cœnobitæ religiosi vocantur. Tertio, penes
custodiam oris : et sic qui linguam suam
ab illicitis cohibet verbis, dicitur proprie
religiosus. Verum de ista materia multo
plenius scribit Thomas in secunda secundæ,
dicendo : Religio dicitur a relegendo,
quoniam quæ ad divinum pertinent cultum,
sæpe sunt relegenda ac revolvenda,

Eccli. III, 22. juxta illud : Quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper. Vel dicitur religio a re-eligendo, quoniam Deum quem peccando amisimus, et cui vana prætulimus, per eam pœnitentes reeligimus; vel a religando, quia ab exterioribus et carnalibus hominem separat, ac Deo conjungit. Itaque religio est virtus moralis, quæ alio nomine latria appellatur, per quam Deo cultum cærimoniamque impendimus. Nec est theologica virtus, sed pars subjectiva justitiæ, circa actiones immediate versans : habetque aliquos actus interiores, ut sunt devotio interna, oratio ; et quosdam actus exteriores, ut sunt Deo genua flectere, sacrificare, immolare. Vocalis quoque oratio, psalmodia, laudatio Dei, prædicare verbum salutis, sunt actus religionis, quasi medio modo se habentes. Et omnia ista sunt actus religionis, directe et elicitive, quia ab ea elicitive procedunt. Actus vero quarumdam virtutum religione inferiorum, quibus religio imperat, dicuntur actus ejus imperative, quia imperat eos. Sicque præfata misericordiæ opera religioni attribuuntur, quæ tamen a pietate seu misericordia eliciuntur.

Præterea, refrenatio linguæ ad omnem pertinet Christianum, quum in Evangelio *Matth.* XII, 36. Christus testetur : De omni verbo otioso quod locuti fuerint homines, reddent de *Ibid.* 37. eo rationem in die judicii ; itemque, Ex ore tuo justificaberis, et ex ore tuo con- *Ibid.* XV, 18. demnaberis ; et iterum, Quæ procedunt de ore, coinquinant hominem. Denique, quam necessaria sit omni homini refrenatio linguæ, constat ex eo quod ait Judex sum- *Ibid.* V, 22. mus : Qui dixerit fratri suo, Raca, reus erit concilio ; qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis. Præterea, quia claustrales antonomastice religiosi dicuntur, utpote Deo in holocaustum oblati, ejusque cultui totaliter mancipati, hinc ad eos refrenatio linguæ potissimum pertinet. Propter quod sancti Patres, inter regulares observantias observationem silentii, unam de præcipuis post substantialia statuerunt, et ejus fractionem per

A culpæ publicationem, proclamationem ac disciplinam vindicari seu corrigi præceperunt. Hinc omnis oratio intelligibilem ex se habens sensum, sine licentia prolata, nisi necessitas sit excusans, est silentii fractio, ut si dicatur, Quis est iste? Attendant hæc religiosi remissi, intimorati, leves, incustoditi et garruli. Attendant quam sit vana eorum, quam prætendunt, religio. Advertant quod ait Psalmista : Vir *Ps.* CXXXIX, 12. linguosus non dirigetur in terra ; et quod rursus ait Scriptura, Numquid vir ver- *Job* XI, 2. bosus justificabitur? B Imo, juxta Scripturam, verba sapientis statera ponderabun- *Eccli.* XXI, 28. tur. Non ergo verbis pereffluamus, quia odibilis est, qui procax est ad loquendum. *Ibid.* XX, 5. Hinc Ecclesiastes : Ne temere quid loqua- *Eccle.* V, 1, 2. ris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo. Deus enim in cœlo, et tu super terram : idcirco sint pauci sermones tui. In multis namque sermonibus invenitur stultitia. — Verumtamen circa hoc quæritur, quomodo in verbis sit paucitas observanda, quum in C Actibus Apostolorum legatur Paulus pro- *Act.* XX, 7, 2. traxisse sermonem usque ad mediam noctem, et exhortatus discipulos multo sermone. Christus quoque in monte fecit *Matth.* V-VII. longum sermonem. Ecclesia etiam facit orationes prolixas, quum tamen etiam dicat Salvator : Orantes nolite multum lo- *Ibid.* VI, 7. qui. Et respondendum, quod Scripturæ intentio est, ut non sine rationabili causa verba multiplicentur, propter periculum incidendi peccata : quod in verbis multis sine gratia vix cavetur. Christus vero non D prohibuit absolute uti multis verbis in oratione, quum et ipse passione instante, *Luc.* XXII, 43. prolixius orasse legatur, et quod erat per- *Ibid.* VI, 12. noctans in oratione Dei. Sed dixit : Oran- *Matth.* VI, 7. tes nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt : putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. — Sit ergo religiosus in observatione silentii rigorosus. Qui enim custodit os suum, custodit ab angustiis *Prov.* XXI, 23; XIII, 3. animam suam ; qui vero inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.

Postremo, immaculatum se ab hoc sæ-

culo custodire, est ad nullam rem creatam A creata sit appetenda, amanda, servanda, affici inordinate; divitias, delicias et honores mundi, intuitu et amore Dei parvi pendere, aut omnino relinquere; nec aliquid citra Deum, nisi in Deo amare, hoc est, in quantum Deus id præcipit, seu utile necessariumve exsistit ad complacendum serviendumque Deo, atque ad obtinendum beatificam fruitionem ipsius. Quum enim Deus gloriosus et adorandus, sit omnium finis, et media juxta exigentiam finis sint disponenda : certum est quod nulla res creata sit appetenda, amanda, servanda, tractanda, aut quocumque modo in usu habenda, nisi secundum quod expedit homini ad uniendum se Deo, atque ad obtinendum ipsius visionem felicem, seu ad serviendum ei, et ad proficiendum in cultu ac honorificentia ejus. Quod totum ad religiosos maxime spectat, quos oportet esse huic sæculo mortuos, et soli Deo viventes, ut cum Apostolo dicere queant : Vivo autem, jam non ego; vivit vero in me Christus. *Galat.* II, 20.

ARTICULUS IV

EXPOSITIO SECUNDI CAPITULI : FRATRES MEI, NOLITE IN PERSONARUM ACCEPTIONE, ETC.

DIXIT apostolus Jacobus in fine præcedentis capituli, opera misericordiæ viduis et pupillis esse impertienda, ac impietates et vanitates mundanas Christianis vere religiosis seu devotis esse vitandas. Nunc ostendit, pauperes non esse despiciendos, sed potius honorandos, tanquam a Deo electos, et Christi membra atque ministros.

1 Itaque ait : *Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriæ.* Ordo verborum hic esse potest : Nolite habere fidem gloriæ Domini nostri Jesu Christi in acceptione personarum, hoc est, non credatis quod accipiendo personas, valeatis acquirere præmium gloriæ Christi : quia acceptio personarum peccatum est, ab adeptione felicitatis et gloriæ Christi impediens. Contrariatur namque acceptio ista justitiæ: solis autem justis paratum est regnum Christi. (*Matth.* XXV, 34.) Vel iste est ordo verborum : Nolite habere fidem Domini nostri Jesu Christi, qui est Rex gloriæ Dominusque virtutum, in quantum est Deus, juxta illud : Attollite portas, principes, vestras, etc., et introibit Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum, ipse est Rex gloriæ. (*Ps.* XXIII, 9, 10.) Itaque, Nolite habere fidem Christi in personarum acceptione : hoc est, Christi fidem habendo, non sit in vobis vitium acceptionis personarum. Vel sic : Nolite putare vos vere esse fideles, habendo peccatum acceptionis personarum, quia talis acceptio personarum non stat cum fide formata. Ex quo patet, quod Jacobus loquitur de hujusmodi acceptione secundum quod est mortale peccatum.

Porro acceptio personarum est, qua aliquid alicui impenditur seu confertur qui ad illud exstat indignus seu improportionatus, et alteri digno subtrahitur aut negatur : ut si prælatus aliquem promoveat ad canonicatum, non quia litteratus et virtuosus, sed quia cognatus suus est, aut pecuniosus, aut servus, litterato autem et bono seu sufficienti deneget tale donum. Quum ergo sit duplex justitia, utpote commutativa, quæ in emptionibus venditionibusque servatur, et distributiva, qua aliqua diversis conferuntur secundum mensuram dignitatis eorum ad illa : acceptio personarum justitiæ distributivæ contrariatur, dum aliquid alicui exhibetur, non

propter causam qua ad illud idoneus est,
sed intuitu suæ personæ, aut causæ ex
qua non est ad illud suscipiendum condignus seu aptus.
2 *Etenim si introierit in conventu vestro,*
id est coram vobis congregatis, seu ad vos
adunatos, *vir aureum annulum habens, et*
in veste candida, id est pulchre ornatus
atque vestitus, *intraverit autem et pauper*
3 *in sordido habitu; et intendatis in eum*
qui indutus est veste præclara, et dixeritis ei, Tu sede hic bene; pauperi autem
dicatis, Tu sta ibi, aut, Sede sub scabello
4 *pedum meorum : nonne judicatis apud*
vosmetipsos, id est, temere et secundum proprium placitum judicatis, nec a Deo, sed a propria adinventione tale judicium sumitis, judicando divitem pauperi præferendum honore, dignitate et loco, quia dives est, pauperem vero esse despiciendum, quoniam pauper est? Ideo subditur: *Et facti estis judices cogitationum iniquarum,* id est, cogitationibus erroneis ac iniquis consensistis, easque approbastis. Non enim dives præhonorandus est pauperi ob suas divitias, nec pauper ob suam inopiam est spernendus. Ideo vitiosum est taliter judicare ac facere, estque contrarium divino judicio, sicut subjungitur :
5 *Audite, fratres mei dilectissimi : Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo?* Tales enim Deus solet gratiosius invisere
Ps. x, 14, sec. Hebr. *Is.* xxv, 1, 4. et salvare, juxta illud in Psalmo, Tibi derelictus est pauper; et in Isaia, Confitebor tibi, Domine, quia factus es fortitudo pauperi et egeno in tribulatione sua. Hinc
I *Cor.* i, 26-28. Corinthios hortatur Apostolus : Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles sunt inter vos ; sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, et infirma et contemptibilia, et quæ non sunt. Ideo dicit Gregorius : Hos elegit Deus, quos despicit mundus. Deus enim naturaliter bonus et pius, specialem habet occasionem miserendi et succurrendi pauperibus, miserabilibusque personis. Ideo
Deut. x, 18. in Deuteronomio scriptum est : Dominus

A facit judicium pupillo et viduæ, amatque peregrinum : atque in Psalmo : Facit judicium injuriam patientibus; Dominus custodit advenas, pupillum et viduam suscipiet. *Ps.* cxlv, 7, 9. Hinc Christus in exordio suæ prædicationis pauperes piscatores ad discipulatum suum vocavit : qui et in Luca testatur, *Matth.* iv, 18-22. Beati pauperes, quoniam vestrum est regnum Dei. *Luc.* vi, 20. Pauperibus namque ipsa eorum paupertas quotidianum purgatorium invenitur. Elegit itaque Deus pauperes, quos ab æterno elegit, et suo tempore per gra-
B tiam suam vocavit. Unde subjungitur : *divites in fide :* non quod ante electionem et vocationem fuerint spiritualiter divites in fide, sed ex sua electione et pietate fecit eos spiritualiter opulentos per fidem et cetera gratiarum charismata fidei annexa. Veræ quippe divitiæ sunt virtutes ac meritoria opera. Unde in prima ad Timotheum scribit Apostolus : Divitibus hujus sæculi præcipe, divites fieri in operibus bonis. I *Tim.* vi, 17, 18. Et quia tales electi, sunt ad futuram beatitudinem prædestinati, de eis
C subjungitur : *et heredes regni quod repromisit Deus diligentibus se.* De quibus ait Apostolus : Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti. *Rom.* viii, 28. Quidam enim diligunt Deum ad tempus, sed non perseverant in caritate finaliter : quos constat prædestinatos non esse. Hinc loquitur Christus : Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. *Matth.* v, 3. [*Vos autem exhonorastis* 6
pauperem.]

D Pauperes ergo propter charismata gratiæ eis collata, sunt honorandi, et maxime quia frequentius sunt a Deo electi. Divites vero propter suarum abusus divitiarum, et cetera scelera sua, sunt zelo justitiæ despiciendi, in quantum sunt tales, sicut de justo fertur in Psalmo : Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus; timentes autem Dominum glorificat. *Ps.* xiv, 4. Unde et Salomon loquitur : Melior est pauper qui ambulat in simplicitate sua, quam dives torquens labia sua; *Prov.* xix, 1 et rursus, Melius *Ibid.* xv, 16.

est modicum cum timore Domini, quam
thesauri multi. Propterea subditur : *Non-*
ne divites per potentiam opprimunt vos,
et ipsi trahunt vos ad judicia, id est, ju-
dicibus vos præsentant tanquam reos, eo
7 quod estis Christiani? *Nonne ipsi blasphe-*
mant bonum nomen nominatum, *quod in-*
vocatum est super vos, id est nomen Chri-
sti seu Christum, quem negant esse verum
Messiam in lege promissum? Hæc in pri-
mitiva Ecclesia passim fecerunt divites
infideles, tam Judæi quam gentiles, Chri-
stianis qui Christum jugiter invocabant,
et quem pro se invicem exorabant.
8 *Si tamen legem perficitis regalem,* id
est legem divinam, a Rege altissimo da-
tam, regia via incedentem, eo quod neque
ad dexteram neque ad sinistram divertat,
nec aliquid obliquitatis contineat. De qua
Is. xxx, 21. in Isaia legitur : Hæc via, ambulate in ea,
et neque ad dexteram neque ad sinistram
Ps. xviii, 8. declinetis; atque in Psalmo, Lex Domini
immaculata. De qua et in Proverbiis as-
Prov. vi, 23. seritur : Lex lux est. Si, inquam, hanc
legem perficitis, id est, perfecte impletis,
secundum Scripturas, id est, prout in
Scripturis sanctis docetur ac continetur.
Deinde exprimit legem istam in specia-
li, seu quantum ad mandatum ejus præ-
cipuum post primum ac summum legis
Lev. xix, 18; *Matth.* v, 43. præceptum. *Diliges proximum tuum sic-*
ut te ipsum : id est, spiritualiter deside-
rando ei bona gratiæ ac virtutum in via,
donaque gloriæ in patria, imo et coope-
rando ei ad ista pro posse; cetera quoque
misericordiæ opera, tam corporalia quam
spiritualia, ei impertiendo pro viribus,
tempore opportuno, exigente rationabili
causa. *Bene facitis.* Quasi dicat Aposto-
lus : Non ita dico divites pauperibus non
esse præferendos, quasi sint odiendi, aut
simpliciter contemnendi, quum ex divino
præcepto sint diligendi. Sed eorum dile-
ctio ordinate est exhibenda eisdem, salvo
ordine æquitatis, ut non derogetur justitiæ
in pauperum depressione.
9 *Si autem personas accipitis* (juxta sen-
sum præhabitum), *peccatum operamini,*

A faciendo contra præceptum Dei. Propter
quod subditur : *redarguti a lege quasi*
transgressores divini præcepti. Et ita hæc
dictio, Quasi, dicit hic veritatem, non si-
militudinem tantum : quemadmodum et
Joannes inquit, Vidimus gloriam ejus, glo- *Joann* i, 14.
riam quasi Unigeniti a Patre. Ista quippe
personarum acceptio, in lege Mosaica at-
que evangelica prohibetur : quoniam in
Levitico Dominus ait, Juste judicabis, nec *Lev.* xix, 15.
consideres personam pauperis, neque ho-
nores vultum potentis. In Deuteronomio
B quoque Moyses ait principibus et judici-
bus Israel : Audite illos, et quod justum *Deut.* i, 16, 17.
est, judicate, sive civis ille sit, sive pere-
grinus : nulla erit distantia; ita parvum
audietis ut magnum, nec accipietis cujus-
quam personam. Christus etiam jubet :
Nolite judicare secundum faciem, sed ju- *Joann.* vii, 24.
stum judicium judicate. Hinc in libro Job
Eliu contestatur : Non accipiam personam *Job* xxxii, 21.
viri. Debemus ergo non personas, sed cau-
sas accipere.

Circa prædicta, ut clarius intelligantur,
C aliqua sunt quærenda : primo, an perso-
narum acceptio sit peccatum mortale ;
secundo, in quibus committatur hoc viti-
um ; tertio, an Deo conveniat personarum
acceptio.

Quantum ad primum, videtur ex præ-
inductis Jacobi verbis, ceterisque auctori-
tatibus allegatis, quod personarum acce-
ptio sit mortale peccatum. Quod etiam
aliunde probatur : quia sicut illud est ex
suo genere culpa mortalis, quod est con-
tra caritatem, ita et id quod est contra
D justitiam. Sed personarum acceptio dire-
cte contrariatur distributivæ justitiæ. Ve-
rumtamen videtur oppositum : quia si di-
vitem plus honorare quam pauperem, est
mortale peccatum, omnes periclitamur, et
in statu esse damnationis videmur. Quis
enim non facit hoc? Quis ponit pauperem
ad mensam suam, ut divitem? Quis ita
salutat egenum, ut locupletem? — Ad hæc
respondet Albertus : Quod si dives magis
honoretur quam pauper, per respectum et
promotionem ad ecclesiasticas dignitates

ad quas fuerit indignus, mortale est vitium : ut si dives, sapientia et virtutibus carens, ad ecclesiasticos promoveatur honores, pauper vero abjiciatur, qui sapientia, vita et moribus promotione tali est dignus. Hinc Beda allegat Augustinum, dicentem : Si hanc distantiam sedendi et standi, de qua Jacobus loquitur, ad honores ecclesiasticos referamus, non est putandum leve esse peccatum, in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi. Quis enim ferat eligi divitem ad sedem honoris Ecclesiæ, contempto paupere instructiore ac sanctiore? — Quocirca pensandum, quia ut in secunda secundæ asserit Thomas, dignitas personæ considerari potest dupliciter : Primo, simpliciter et in se : et ita qui sapientior virtuosiorque consistit, absolute est melior. Secundo, per comparationem ad bonum commune : et sic potest contingere, ut qui absolute loquendo minus bonus est, utpote minus virtuosus et doctus, sit bono communi utilior ratione potentiæ sive industriæ, aut alicujus hujusmodi. Quum igitur dispensationes spiritualium ad communem utilitatem potissimum ordinentur, idcirco interdum minus boni melioribus præferuntur in talibus absque personarum acceptione. Porro secundum jura, ad valorem electionis sufficit eligere bonum atque idoneum. Nec oportet eligere meliorem secundum forum judiciale : alias electio posset quasi semper calumniari. Sed quoad eligentis conscientiam, oportet eligere meliorem, vel simpliciter, vel per comparationem ad bonum commune. — Insuper dicit Albertus : Quod si quis honoret divitem magis quam pauperem propter lucra et commoda propria, quæ per hoc a divite consequi præstolatur, non potest esse sine peccato, si pauper propter suam paupertatem spernatur, et dives ei præhonoretur : quia ex hoc pauper scandalizatur, et datur ei occasio pusillanimitatis aut desperationis ex sua inopia. — Dicendum ergo ad objectiones, quod si dives pauperi præponatur, et præhonore-

A tur, non quia dives, sed ex aliqua rationabili causa, videlicet quia virtuosior, aut quia in potestate est constitutus, aut quia sapientior, aut senior, utilior, seu beneficentior, vel ut vitetur turbatio, non est personarum acceptio, nec peccatum, sed commendabile opus. Si autem ob solas divitias fiat hoc, et pauper (quia pauper est) postponatur, aut vilipendatur, vitiosum est, quamvis propter actus modicitatem possit interdum a mortali excusari. Interdum quoque videtur sufficere, ut
B pauper mentaliter honoretur.

Ad secundum dicendum, quod personarum acceptio tam in corporalibus quam in spiritualibus bonis committitur. Imo quum bona spiritualia sint corporalibus potiora, personarum acceptio in eis tanto vitiosior comprobatur, quanto hujusmodi bona sunt digniora. Amplius, personarum acceptio locum habet in exhibitione honoris. Quumque Deus altissimus sit primum et summum honorabile, cui debetur honor ratione suæ virtutis et sanctitatis,
C sapientiæ et causalitatis, beneficentiæ et dominationis, primævitatis ac dignitatis atque judiciariæ potestatis, constat quod rationalis creatura tanto est honorabilior, quanto in his magis Deo assimilatur, seu plus inde participat. Idcirco virtutibus præditi et sapientes sunt honorandi : similiter judices et prælati, quamvis iniqui; senes quoque et parentes; et homines universi, in quantum ad superdignissimæ Trinitatis imaginem similitudinemque creati, Christi sanguine liberati, ad super-
D naturalem beatitudinem ordinati, angelica custodia muniti, et maxime quia a Verbo æterno humana natura in unitate personæ est assumpta. Idcirco in homilia ait Gregorius, quod retunditur superbia nostra, quæ nescit in hominibus considerare dignitatem naturæ, qua ad Dei imaginem facti sunt. — Sed quum Deus sit dives, sicut et potens, dicente Apostolo, Dives *Rom. x, 12.*
est in omnes et super omnes qui invocant eum : videtur quod divites sint honorandi, secundum quod divites, et per suas

divitias Deo assimilantur. Et respondendum, quia ut ait Augustinus primo de Civitate Dei, Deus dives est, non pecunia, sed omnipotentia. Denique dives est spirituali opulentia, videlicet perfectione, sanctitate, et beatitudine penitus infinita: ideo homo propter spirituales divitias, scilicet gratiam et virtutes, honorandus exsistit.

Postremo videndum, an Deo conveniat personarum acceptio. Et videtur quod imo: quia quibusdam eodem modo dispositis, uni dat gratiam, et accipit eum, alium vero relinquit; imo frequenter graviores prævenit et convertit salvatque peccatores. Ad hoc Thomas respondet, quod duplex est datio. Una est actus justitiæ, qua aliquid alicui datur secundum dignitatem et meritum ejus : et circa illam attenditur acceptio personarum. Alia est actus liberalitatis, qua alicui aliquid gratis datur quod ei non debetur : et talis est collatio beneficiorum Dei, qui nulli est obligatus; et circa hanc non est personarum acceptio, quoniam unusquisque potest propria dare cui vult, et quantum vult, nisi in casu. Tamen Deus hoc maxime et irreprehensibiliter potest. Ideo apud eum locum non habet acceptio personarum, jux-
II Par. xix, 7. ta illud Paralipomenon : Non est apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec acceptio munerum. Et in hoc, ipsum imitari debemus. — Nihilo minus adhuc propter duas causas dicitur apud Deum non esse acceptio personarum. Prima, quoniam nullum bonum relinquit irremuneratum, nec aliquem vere virtuosum refutat. Et hoc innuit
Act. x, 34, 35. princeps Apostolorum : In veritate, inquiens, comperi quoniam non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet Deum et operatur justitiam, acceptus est illi. Secunda est, quoniam nulli quod in se est facienti Deus denegat
Jer. xxx, 21. gratiam. Idcirco apud Jeremiam ait : Quis est iste, qui applicet cor suum ut appro-
Job xxxiv, 14. pinquet mihi ? Et in Job asseritur : Si direxerit homo ad Deum cor suum, spiritum illius et flatum ad se trahet. Et quia

A hæc duo ab hominibus communiter non servantur, merito ad discernendum inter perfectionem divinæ justitiæ, et imperfectionem fragilitatis humanæ, ait frequenter Scriptura quod apud Deum non est *Deut.* x, 17; *II Par.* xix, 7; *Job* xxxiv, 19; etc.
personarum acceptio.

Insuper, quam periculosa sit personarum acceptio, imo quodcumque mortale peccatum, declarat apostolus Jacobus, subdens : *Quicumque autem totam legem servaverit,* id est, universa legis evangelicæ præcepta impleverit, *offendat autem in* B *uno,* id est, post tantam justitiam transgrediatur unum præceptum Dei sive Ecclesiæ, seu unum incurrat peccatum mortale, per commissionem, quæ est contra præceptum negativum, vel omissionem, quæ est contra præceptum affirmativum, *factus est omnium reus.* Verbum hoc intricatum est valde. Ex eo siquidem sequi videtur, quod qui divitem pauperi præfert, aut furtum committit, reus sit hæreticæ pravitatis atque blasphemiæ, homicidii, adulterii, ceterorumque criminum ; C et quod tanta erit damnatio ejus qui unum solum commisit mortale, sicut ejus qui mille.

Augustinus ergo et Beda exponunt, dicendo quod quia plenitudo legis est ca- *Rom.* xiii, 10.
ritas, ideo omnis qui peccat, agit contra caritatem. Nec dicitur quis peccare, nisi contra caritatem Dei aut proximi operando, aut negligenter se habendo, præsertim quia in caritate præcepta omnia includuntur. Qui ergo offendit in uno, id est, contra caritatem agit, sive omittit id D ad quod obligatur, factus est omnium reus, quoniam agit contra caritatem, in qua omnia pendent, tota videlicet lex et Prophe- *Matth.* xxii, 40.
tæ. Ista tamen solutio non est omnifarie plana. Quamvis enim qui unum committit mortale, violat caritatem, non tamen est reus omnium vitiorum, quæ sunt contra caritatem. — Porro Albertus exponit, dicendo quod in peccato duo considerantur : unum formale, quod est a summo bono aversio; aliud materiale, quod est conversio inordinata ad bonum commu-

tabile et caducum. Quum ergo omnia peccata sint ab uno summo aversiva, ex parte hujus aversionis, et ex parte boni summi a quo avertunt, habent quamdam connexionem et unitatem. Itaque qui offendit in uno, dicitur omnium reus fieri, quia fit reus in tali aversione a Deo, per cujus aversionem omnia peccata habent formaliter ut sint peccata, et quodammodo unum peccatum sunt, quemadmodum, juxta Gregorium, omnia præcepta unum dicuntur in radice caritatis. Sed his obstat, quia secundum doctores concorditer, quamvis virtutes connexæ sint, non tamen peccata. — Alii ergo exponunt, dicentes (sicut magister Nicolaus de Lyra specialiter) quod offendens in uno, fit omnium reus quantum ad pœnam damni, quæ est divinæ carentia visionis : quam homo meretur atque incurrit per unam transgressionem divinæ legis; sed pœnam incurrit majorem, qui plures transgressiones divinæ legis commisit. Huic expositioni objici potest, quod etiam per unamquamque divinæ legis transgressionem, homo incurrit pœnam sensus, quemadmodum pœnam damni.

Aliter dici potest, quod in uno offendens, fit omnium reus, non formaliter, sed quodammodo æquivalenter in genere, in quantum per unum mortale perduntur charismata gratiæ in præsenti et dona gloriæ in futuro, pœna quoque damni et pœna sensus in inferno infliguntur, sicut per multa seu omnia. Potest quoque clarius sic exponi : Qui offendit in uno, fit omnium reus, id est, omnium præteritorum operum suorum virtuosorum merito mox privatur, quemadmodum per Ezechielem Dominus protestatur : Si averterit se justus, et fecerit iniquitatem, omnes justitiæ quas fecerit, non recordabuntur; in prævaricatione sua morietur. (*Ezech.* XVIII, 24.) Hinc sub-
11 ditur : *Qui enim dixit, Non mœchaberis; dixit et, Non occides,* (*Exod.* XX, 14, 13.) id est, qui fornicationem prohibuit, prohibuit et homicidium. *Quod si non mœchaberis, occides autem,* id est, contra præceptum de mœchatione vitanda non feceris, sed præceptum de homicidio fugiendo infregeris, *factus es transgressor legis* divinæ, ejus violando præceptum. Idcirco spiritualiter mortuus es, et opera tua præterita meritoria, sunt mortificata, esque privatus omni charismate gratiæ ac virtutum, ac si omnia violasses præcepta : quamvis non sis tam enormis transgressor, nec ita induratus, neque tam difficulter curabilis, sed nec tantæ damnationi obnoxius, ut ille qui plura aut omnia violavit præcepta.

Quum ergo tam ardua sit via salutis,
rite subjungitur : *Sic loquimini, et sic* 12
facite, id est, tam discreti, tam virtuosi ac fervidi sitis, in verbis et factis, *sicut per legem libertatis,* id est per legem evangelicam (quæ cur lex libertatis dicatur, expositum est), (*Jacob.* I, 25.) *incipientes judicari,* id est, ac si statim essetis judicandi a Deo per evangelicam legem, hoc est juxta tenorem et obligationem evangelicæ legis : quæ quanto ceteris legibus est perfectior, tanto ad virtuosiorem vitam suos obligat professores, quum juxta doctrinam Apostoli, debeat unusquisque digne conversari (*Ephes.* IV, 1.) vocatione qua vocatus est. Quemadmodum ergo professores legis Moysis tenebantur perfectius vivere, quam solam naturalem legem habentes; sic Christiani ad perfectiorem adstricti sunt vitam, quam in veteri lege tenebantur Judæi : præsertim quia et ampliora ac eminentiora beneficia desuper exhibita sunt populo christiano, quam Judæis in veteri Testamento, aut gentilibus in lege naturæ. Ideo Christiani Deo subjectiores, devotiores, et gratiores esse tenentur, dicente Gregorio : Quum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Alioqui Christiani gravius judicabuntur per legem libertatis, quam Judæi per legem scriptam, aut gentes per legem naturalem. Nam teste Apostolo, Quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur. (*Rom.* II, 12.) Hinc ad Hebræos inducitur : Abundantius oportet nos observare ea quæ audivimus, ne forte pereffluamus. (*Hebr.* II, 1-3.) Si

enim qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus, et omnis prævaricatio et inobedientia accepit justam mercedis retributionem : quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem ? Hinc ait
Luc. XII, 48. et Christus : Cui plus datum est, plus requiretur ab eo.

Præterea quod Jacobus ait apostolus, Sicut per legem libertatis incipientes judicari, potest et exponi de judicio approbationis seu reprobationis ac discretionis, quo Deus indesinenter in se ipso approbat eos qui bene vivunt, et detestatur inique agentes, atque inter justos et injustos discernit. Futuræ etiam retributionis quemdam prægustum jam quoque interdum suis præstat electis. Hinc apud Jeremiam
Jer. XXXII, 17-19. habetur : Domine Deus fortissime, magnus consilio et incomprehensibilis cogitatu, cujus oculi aperti sunt super omnes filios Adam, ut reddas unicuique secundum vias
Ps. XXXIII, 16, 17. suas. Et Psalmista : Oculi, inquit, Domini super justos, et aures ejus in preces eorum ; vultus autem Domini super facientes mala. In Ecclesiastico quoque legitur :
Eccli. XXIII, 28. Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias
Job XXXI, 4. hominum. Ideo sanctus Job dixit : Nonne Deus considerat viam meam, et omnes gressus meos dinumerat ?

Postremo, fideles incipiunt in hac vita per legem evangelicam judicari a suis superioribus ac prælatis ; et qui eorum correptionem ac correctionem patienter ac obedienter suscipiunt, divini judicii evadent rigorem, quum et Apostolus fateatur :
I Cor. XI, 31. Si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.

Et quia lex evangelica opera misericordiæ præsertim commendat ac præcipit, Christiani in verbis et factis debent esse
13 misericordes. Propter quod subditur : *Judicium enim sine misericordia* fiet a Deo *illi* homini, *qui non fecerit misericordiam* proximis suis in vita præsenti, antequam tribunali præsentetur divino. Quemadmo-
Matth. V, 7. dum enim beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur ; sic infelices

A sunt immisericordes, quoniam misericordiam non obtinebunt, sed juste ac terribiliter damnabuntur, quemadmodum dives epulo, qui misereri noluit Lazaro. Hinc Luc XVI, 19 et seq.
loquitur Judex summus : Nolite judicare, et non judicabimini ; nolite condemnare, et non condemnabimini ; dimittite, et dimittemini : qua mensura mensi fueritis, Ibid. VI, 37, 38.
remetietur vobis. Et iterum : Si non dimiseritis, nec Pater meus cœlestis dimittet vobis peccata vestra. Unde et servo qui Matth. VI, 15.
suo conservo non fuit misericors, dominus ait : Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nonne B Ibid. XVIII, 32-34.
ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum ? Iratusque dominus, tradidit servum illum tortoribus, quoadusque redderet debitum universum. Unde quanto unicuique major misericordia a Deo impensa est, tanto proximis suis misericordior esse debet. — Sed his objici potest, quia ut ait Propheta, Universæ viæ Domini misericordia et veritas. Ps. XXIV, 10.
Quocirca dicunt doctores, et super C quartum Sententiarum declarant, quod in omni opere Dei misericordia et justitia commiscentur, ita quod etiam reprobi citra condignum in infernis puniuntur. Et respondendum, quod immisericordibus dicitur fieri judicium sine misericordia, non quod nulla eis miseratio fiat, sed quia singularis rigor judicialis fit eis, et ipsa justitia in eorum dijudicatione ac punitione æternaliter cum speciali evidentia prædominans erit, secundum quod homo sua crudelitate specialiter meruerit.

D Ex his innotescit, quam pronus ac fervidus esse debeat unusquisque pro viribus suis ad corporalia ac spiritualia misericordiæ opera : quia ut ait Scriptura, Qui Prov. XXII, 9.
pronus est ad misericordiam, benedicetur. Et Christus in Evangelio loquitur : Estote misericordes, sicut et Pater vester Luc. VI, 36.
cœlestis misericors est. Et denuo protestatur, reprobos in die judicii ideo condemnandos, quia misericordiæ opera non Matth. XXV, 41 et seq.
fecerunt.

Superexaltat autem misericordia ju-

dicium (vel, ut alii legunt, *judicio*), id
est, plus placet Deo caritativa miseratio,
quam judicialis districtio ; nisi forte in
certo casu, propter bonum commune et
conservationem justitiæ, oporteat districti-
onem judicii exercere : quod tamen cum
interna pietate atque ex caritate agendum
est. Hinc et jura sunt pia et ad miseri-
cordiam magis prona, magisque stant ju-
ramento accusati, quam accusantis ; atque
in dubiis casibus ad misericordiæ partem
est declinandum. Potest et ita exponi :
Superexaltat misericordia judicium, id est,
transcendit, et magis apparet in operibus
Dei misericordia ejus quam rigor judicii,
præsertim in vita hac, juxta id Psalmistæ :
Ps. CXLIV, 9. Suavis Dominus universis, et miseratio-
nes ejus super omnia opera ejus. Unde per
Ezech. XVIII, 23. Ezechielem ait : Numquid voluntatis meæ
est mors impii, et non magis ut converta-
Is. XXVIII, 21. tur et vivat? Imo, ut loquitur Isaias, ulcisci
et punire est peregrinum et alienum ab
eo, cujus natura est bonitas, cujus proprie-
tas pietas. Superexaltat demum misericor-
dia judicium, quia misericordia Dei relu-
cet in electis et salvatis in cœlo, judicium
vero in reprobis ac damnatis in tartaro.

Consequenter docet Apostolus fidem in-
formem non sufficere ad salutem. Et di-
citur fides informis, quæ non est caritate
formata, ac bonis operibus decorata in
14 adultis et tempore opportuno. *Quid pro-
derit, fratres mei, si fidem quis dicat se
habere, opera autem non habeat,* id est,
per fidem non bene vivat, implendo præ-
cepta, et fidem decorando per meritoria
gesta? *Numquid poterit fides salvare eum,*
id est instrumentaliter ad salutem per-
ducere? quasi dicat, Nequaquam. Imo red-
dit eum magis damnabilem, quoniam ser-
Luc. XII, 47. vus sciens voluntatem domini sui, et non
faciens, plagis vapulabit multis. Ideo malus
Christianus gravius condemnatur quam in-
fidelis, ceteris paribus.

Deinde ostendit per simile, fidem talem
15 neminem posse perducere ad salutem. *Si
autem frater aut soror,* id est proximi,
cujuscumque sint sexus, *nudi sint, et in-*

A *digeant victu quotidiano, dicat autem ali-* 16
*quis de vobis illis : Ite in pace, calefiami-
ni et saturamini,* id est, bene tractemini ;
*non dederitis autem eis quæ necessaria
sunt corpori : quid proderit?* Utique ni-
hil, quia pulchra verba absque reali sub-
ventione non sufficiunt indigenti. Tamen,
si aliquis habeat desiderium succurrendi
egeno, sed non habeat facultatem, et tunc
det consolatorium ac informatorium ver-
bum, laudabile est atque proficuum, juxta
illud Ecclesiastici : Nonne ardorem refri- *Eccli.* XVIII, 16, 17.
B gerabit ros? Sic et verbum melius quam
datum. Nonne ecce verbum super datum
bonum? Et iterum scriptum est : Congre- *Ibid.* IV, 7.
gationi pauperum te affabilem facito.

Sic et fides si non habeat opera, id est 17
exsecutionem præceptorum, loco et tem-
pore opportuno, *mortua est in semetipsa.*
Porro, per opera in hoc loco, non solum
intelligenda sunt opera exteriora, sed in-
differenter quicumque actus virtuosi ex
virtute eliciti aut imperati, sive sint in-
teriores, sive exteriores. Nam et in Evan-
C gelio sumitur opus pro opere interiori,
quum dicitur : Hoc est opus Dei, ut cre- *Joann.* VI, 29.
datis in eum quem misit ille. In Job autem
pro interiori exteriorique opere sumitur,
quum dicitur : Opus hominis reddet ei *Job* XXXIV, 11.
Deus. Staret enim in casu, quod alicui
sufficerent ad salutem interiores fidei ac-
tus, ut credere in Deum. Itaque, sicut
in exterioribus dicitur aliquid mortuum,
quod caret sensu et motu ; sic fides sensu
carens interno, seu caritatis sensificatione
(qua homini sapit Deus, et veritas prima
D cui innititur fides, dulcescit), et quæ bo-
næ ac meritoriæ actionis motum non ha-
bet, recte mortua perhibetur, non vivifi-
cans spiritualiter suum subjectum, nec
excitans illud ad actum. Et hæc vocatur
fides informis, utpote caritate non deco-
rata. Fides autem per dilectionem ope- *Galat.* V, 6.
rans, viva vocatur. Tamen quantum ad
substantiam, utraque fides eadem perhi-
betur. Nam per mortale peccatum, suam,
quam habuit a caritate, amittit formatio-
nem, decorationem et vivificationem ; sed

caritate per pœnitentiam redeunte, rursus
formatur et vivificatur. Unde quod in Mar-
Marc. xvi, 16. co legitur, Qui crediderit et baptizatus fu-
erit, salvus erit, de fide formata accipitur.
18 *Sed dicet quis,* id est, aliquis fidem et
opera fidei habens, dicere potest ad pro-
ximum : *Tu fidem habes* sine operibus, *et
ego opera habeo* simul cum fide; *ostende
mihi fidem tuam sine operibus :* quasi im-
properatorie dicat, Hoc facere nequis, ideo
fides tua hujusmodi non sufficit tibi; *et
ego ostendam tibi fidem meam ex operi-
bus,* id est, per opera fidei quæ exerceo,
probabiliter tibi ostendam me fidem ha-
bere. Verumtamen non sine revelatione
certitudinaliter scire quis potest se fidem
formatam habere ex suis operibus, quam-
vis scire possit se esse in fide, eo quod
19 fidei formatæ caritas sit annexa. *Tu credis
quoniam unus est Deus,* id est, unum esse
Deum tu credis. Quod tamen per natura-
lem rationem sciri potest ac demonstrari,
quamvis eo modo quo unum esse Deum
fides tenet catholica, non sit naturali ra-
tione tam certum atque probabile, utpote,
unum verum Deum esse, omnium provi-
sorem, gubernatorem, universa et singula
distinctissime cognoscentem ac judican-
tem. *Bene facis,* ita credendo. Quamvis
illud credere non sit meritorium, quia ex
caritate non oritur, sed ex fide informi,
est tamen quoddam bonum ex genere, sic-
ut eleemosynam dare. Sumitur autem Fa-
cere, hoc loco, pro actu interiori, quia
credere unum esse Deum, est actus inte-
rior. Communiter vero accipitur Facere,
pro actione extra manante seu in exterio-
rem tendente materiam, Agere autem, pro
actione immanente.

Et dæmones credunt, et contremiscunt.
Idcirco non sufficit nuda fides, nec quæ-
cumque fidei opera, quum dæmones non
solum credant, sed etiam timeant servili
timore. Nec solum credunt unum esse
Deum, sed eumdem etiam credunt trinum
consistere in personis, et quidquid ad ca-
tholicam pertinet fidem. Legitur enim in
Luc. iv, 34. Luca dæmon dixisse : Quid nobis et tibi,
A Jesu Nazarene? Scio te quod sis Sanctus
Dei. Et ibidem legitur : Exibant dæmonia *Luc.* iv, 41.
multa, clamantia et dicentia : Quia tu es
Filius Dei. Ait hoc loco venerabilis Beda :
Qui Deum non credunt, aut creditum non
verentur, profecto dæmonibus tardiores
ac proterviores sunt æstimandi. Sed nec,
Deum credere et contremiscere, magnum
est, si non et in eum credatur, hoc est,
per fidem caritate formatam in eum ten-
datur, et ejus in corde amor servetur. —
Quæritur, an dæmones habeant fidem. Re-
B spondet Albertus : Fides proprie est de
non visis, et de his ad quorum investi-
gationem humana ratio non pertingit. Ad
quæ credenda potest aliquis moveri du-
pliciter : Primo, ex habitu fidei divinitus
sibi infuso : et ita non est in dæmonibus
fides. Secundo, ex aliquibus evidentibus
signis atque miraculis, quæ quum soli
Deo sint possibilia, et ad fidei confirma-
tionem copiose sint facta, dæmones natu-
rali acumine intellectuali vigentes, inde
cognoscunt fidei veritatem. Imo credere
C compelluntur ex evidentia talium argu-
mentorum, secundum quod intellectus di-
citur cogi. Sicque dæmonum fides non est
virtus infusa, nec ex voluntatis libertate
ac caritate, sed potius ex violentia ratio-
nis. Hanc autem quæstionem Thomas in
secunda secundæ, quæstione 5, plenius
tractat : et consonat ejus responsio re-
sponsioni inductæ.

Vis autem scire, o homo inanis, id est 20
vanus et spiritualiter vacuus, utpote fidei
opera et caritatem non habens, et per con-
D sequens ad ultimi finis adeptionem in-
dispositus et ineptus (dicitur enim inane,
quod non consequitur debitum finem),
*quoniam fides sine operibus mortua est?
Abraham pater noster :* qui omnium fide- 21
lium pater spiritualiter vocatur per fidei
et virtutum imitationem. Et fidelium Ju-
dæorum spiritualis atque carnalis exstitit
pater, infidelium autem Judæorum solum
carnalis pater fuit. Unde dicitur ad Gala-
tas : Qui ex fide sunt, hi sunt filii Abrahæ. *Galat.* iii, 7.
Et in Joanne ait Salvator : Si filii Abrahæ *Joann.* viii, 39.

estis, opera Abrahæ facite. *Nonne ex operibus justificatus est,* id est justior factus, atque a Deo sublimiter commendatus ac approbatus, *offerens,* id est, ad offerendum paratum se exhibens ac disponens, *Isaac*
Gen. xxii, 9, 10. *filium suum super altare?* Colligavit enim eum, et posuit super struem lignorum.

22 *Vides,* id est, ex his intelligere debes, *quoniam fides cooperabatur operibus illius.* Fides enim est oculus rationis, dirigens in agendis, et opera ad ultimum referens finem, qui sola fide, non clare per speciem in hac vita conspicitur. *Et ex operibus fides consummata est,* id est, fides Abrahæ per obedientiam ejus et ea quæ circa Isaac Deo jubente exercuit, actuationem et complementum accepit. Habitus namque et actus ipsius se mutuo ornant ac roborant : quia ex habitu actus procedit, et habitum actus ejus stabilit et conservat ac perficit.

23 *Et suppleta,* id est verificata ac aliis manifeste probata, *est Scriptura* Geneseos
Ibid. xv, 5, 6. *dicens : Credidit Abraham Deo* dicenti ad eum : Suspice cœlum, et numera stellas ejus, si potes : sic erit semen tuum ; *et reputatum est illi ad justitiam :* id est, actus ille credendi fuit Deo acceptus, et per eum Abraham a Deo judicatus est justus, præsertim prout justitia virtus est generalis ; sicque credendo, meruit justitiæ incrementum, omniumque virtutum profectum. Oportet scire quod verba ex Genesi nunc introducta, dicta sunt Abrahæ antequam Deus ei præcepit ut sibi filium suum Isaac in holocaustum offerret, imo et antequam ei præceptum circumcisionis donavit. Sed fidei magnitudo, qua tunc Abraham credidit Deo, postmodum est suppleta seu approbata a Deo, ac aliis declarata, per hoc quod filium suum paratus fuit offerre, et circa hoc multa exercuit. Unde Deus tunc dixit ad eum :
Ibid. xxii, 12. Nunc cognovi, id est, per hæc opera tua alios cognoscere faciam, quod timeas Deum. *Et amicus Dei appellatus est* Abraham : non in Genesi, sed in Isaia, ubi legitur
Is. xli, 8. Deus dixisse, Semen Abraham amici mei.

A In libro Judith quoque legitur : Abraham per multas tribulationes probatus, amicus Dei effectus est. Judith viii, 22. Meruit ergo amicus Dei esse et appellari, Deo in tam arduis consentiendo, atque promptissime obediendo, adversa quoque patientissime tolerando. Nempe in Isaac immolatione resplenduit magna perfectio Abrahæ in fide et obedientia : in fide, quia unicum filium suum ex Sara conjuge sua, paratus fuit offerre, quum tamen ei Deus jam ante promiserit quod ex Isaac nasceretur ei semen ele- Gen. xvii, 16.
B ctum et innumerabilis populus. Credidit enim Abraham quod Deus posset filium Hebr. xi, 17-19.
immolatum suscitare a mortuis, ut Apostolus dicit. In eodem quoque resplenduit obedientia maxima, quod carissimum filium promptissimus fuit offerre, propria manu occidere, et occisum incendere, quum tamen hoc esset opus insolitum, durum et nusquam auditum.

Sed prædictis obviare videntur multa quæ ad Romanos scribit Apostolus : Arbi- Rom. iii, 28.
tramur, inquiens, hominem sine operibus
C justificari ; et rursus, Si Abraham ex ope- Ibid. iv, 2.
ribus legis justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Et prolixe probat ibi Apostolus, quod fides reputata est Abrahæ ad justitiam, non opera. Unde ait ibidem Apostolus : Ex operibus legis non justi- Ibid. iii, 20.
ficabitur omnis caro. Idem etiam ad Galatas docet Apostolus, inter cetera dicens : Qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Galat. iii, 9, 11.
Abraham : justus enim ex fide vivit. Sed et in Actibus legitur : Fide purificans Deus Act. xv, 9.
corda eorum. — Ad ista est duplex re-
D sponsio : Prima, quod Paulus apostolus vult probare opera præceptorum cærimonialium legis, non esse necessaria ad salutem, quoniam sine eis Abraham placuit Deo, etiam nondum circumcisus. Jacobus vero hic loquitur de operibus præceptorum moralium, quæ in utraque lege jubentur ; de his item operibus quæ a Deo alicui specialiter injunguntur, quale fuit quod Abrahæ jussit Isaac immolare. Se- Gen. xxii, 2.
cunda responsio est, quod apostolus Paulus probare intendit, nulla opera legis ali-

cui ad salutem suffecisse, sine explicita vel implicita fide Christi, qui omnium electorum caput est et salvator. Idcirco fides de ejus adventu, ab exordio necessaria fuit. Hinc Jacobus infert :

24 *Videtis* oculo interiori ex probatis, *quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum :* utrumque enim est necessarium ad salutem, imo potissime caritas, sine qua nec fides, nec operatio quæcumque potest esse meritoria ac Deo accepta. Denique dupliciter dicitur aliquis justificari : Primo, per hoc quod a vitiis expurgatur, et gratiam recipit ac virtutes : quod non fit directe et proprie per opera, quum ante caritatis et gratiæ infusionem, nulla sit meritoria actio, aut quæ gratiam mereatur de condigno. Ad hanc tamen justificationem opera bona ex genere, suo modo disponunt et aptant de congruo, dum quod in se est efficit homo. Sic enim et attritio ad contritionem disponere perhibetur. Secundo, dicitur homo justificari, opera justa, virtuosa ac meritoria exercendo, atque in gratia, donis, virtutibusque crescendo. Et ita nunc loquitur sanctus apostolus Jacobus.

Postremo, ne Judæi ac alii pusillanimes ac pigri, se excusarent, dicendo non posse se tanti Patriarchæ assequi opera tam perfecta, subjungit Apostolus exemplum mulieris peccatricis atque paganæ, quæ tamen per fidem et opera fuit justificata. Nam
25 subditur : *Similiter et Rahab meretrix, nonne ex operibus justificata est,* in quantum opera illa processerunt ex fide, *suscipiens nuntios,* id est duos viros exploratores a Josue in Jericho missos, *et alia via ejiciens,* id est per aliam viam eos ad Josue redire persuadens? (*Josue* II, 1 et seq.) Quum enim recepisset eos per ostium suæ domus, et per fenestram exposuisset trans murum, cui domus ejus hærebat, dixit : Ad montana conscendite. (*Ibid.* 16.) Quæ omnia in libro Josue plenius describuntur : ubi fides ejus de Deo Israel, hospitalitas, misericordia, liberatio, quas viris præfatis impendit, diffuse narrantur. Propter quæ omnia meruit populo (*Matth.* I, 5.) Israelitico annumerari, et tribui Juda conjugio sociari, genealogiæque inseri Salvatoris, ex ejus semine secundum humanam propaginem descendentis.

Postremo, ex præinductis concludit Apo-
stolus : *Sicut enim corpus sine spiritu* 26
mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est, secundum expositionem præhabitam. Sic etiam dici potest, quod fides sine caritate sit mortua, quoniam caritas est forma et vita virtutum. Et tamen sive dicatur sine operibus, sive sine caritate, redit in idem, quoniam caritas otiosa esse non potest : operatur enim magna, si est, quum signum dilectionis sit exhibitio operis. Verumtamen non oportet, nec in vita ista possibile est, ut caritas indesinenter sit in actu seu exercitio actuali. Sed opportuno tempore procedit in actum, operaturque magna, etsi non opera exteriora, tamen interiora desideria et fervores, gaudium, pacem, congratulationem, et elevationem frequenter in Deum. Imo nulla forma tam prompte agit ut caritas.

ARTICULUS V

EXPLANATIO CAPITULI TERTII : NOLITE PLURES MAGISTRI FIERI.

POSTQUAM instruxit nos sanctus Apostolus, quam necessaria sint opera virtuosa, ad quæ multi sunt pigri, nunc docet quam necessarium sit, vitia vanitatis ac levitatis in docendo ac loquendo vitare, ad quæ multi sunt proni, sicut ad cetera quæ sunt excellentiæ et gloriationis.

Itaque ait : *Nolite plures magistri fieri,* 1

fratres mei, id est, ad cathedram magi-
stralem, ad aliorum informationem, ad ma-
gisterium non ingeratis vos ipsos importu-
ne, vane et inordinate, desiderio commodi
proprii aut honoris, et antequam estis ido-
Luc. I, 1-4. nei. Ut enim ex prologo Lucæ evangeli-
Rom. XVI, 17; Galat. stæ, quem ipsemet evangelio suo præmit-
I, 7; etc. tit, ex epistolis Pauli, atque ex Actibus
Act. XV, 1, 5; etc. patet Apostolorum, prædicantibus sanctis
Apostolis, multi ad prædicandum nondum
idonei, conabantur evangelium scribere,
prædicare, et nomen sibi efficere. Quorum
etiam aliqui seminaverunt errores, et de-
ceperunt se ipsos ac alios, affirmando le-
galia cum Evangelio esse servanda : per
quod sibi damnationem auxerunt. Ideo
subditur : *scientes quoniam majus judi-
cium sumitis,* id est, graviorem reproba-
tionem et condemnationem a Christo ac-
cipietis. Eorum namque quos decepistis,
peccata redundabunt in vos. De talibus
I Tim. I, 6, 7. ad Timotheum habetur : Quidam aber-
rantes, conversi sunt ad vaniloquium, vo-
lentes esse legis doctores, non intelligen-
tes neque quæ loquuntur, neque de qui-
bus affirmant. Denique huic Jacobi verbo
consonat, quod apud Matthæum ait Sal-
Matth. XXIII, 8, 10. vator : Nolite vocari Rabbi : unus enim
est magister vester : nec vocemini ma-
gistri ; unus est enim magister vester,
Christus.

Per quæ omnia non prohibetur absolute
desiderium magistratus aut doctoratus, aut
appellatio inde sumpta, sed ne ex vani-
tate propter nomen sublime aut dignita-
tem, talia appetantur. Si vero referantur
ad debitum finem, ut scilicet actus præ-
dicandi ac docendi caritative, defendendi-
que fidem efficacius expleantur, et ipsa
prædicatio ac doctrina salubris a populo
diligentius audiantur, sunt licita, quum
Ephes. IV, 11. et Paulus dicat quod Deus dedit quosdam
Apostolos, quosdam Prophetas, quosdam
I Tim. II, 7. doctores. Se ipsum quoque doctorem no-
minat gentium. Et in Actibus legitur :
Act. XIII, 1. Erant in Ecclesia Antiochiæ prophetæ et
doctores. Præterea, ut super quartum Sen-
tentiarum Thomas ostendit, mortaliter pec-

A cant, qui prædicationis actum indigne ex-
ercent, non agendo quæ docent.

In multis enim offendimus omnes, id 2
est, non solum vos, fratres nondum per-
fecti, in multis estis culpabiles, sed et nos
qui primitias Spiritus Sancti accepimus, Rom. VIII, 23.
frequenter veniale peccatum incurrimus
in cogitatu, verbo, aut opere, seu omissi-
one. Propter quod ait Scriptura : Justus Prov. XXIV, 16.
septies cadit in die. Et iterum Salomon
contestatur : Non est homo super terram Eccle. VII, 21.
qui faciat bonum, et non peccet. Sanctus
B quoque Job loquitur : Non justificabitur Job IX, 2, 3.
homo comparatus Deo ; si voluerit cum eo
contendere, non poterit respondere unum
pro mille. Et Propheta oravit : Delicta quis Ps. XVIII, 13.
intelligit ? ab occultis meis munda me,
Domine ; itemque, Non intres in judicium Ps. CXLII, 2.
cum servo tuo, Domine, etc. Verumtamen
pro istis venialibus, ex humana fragilitate
manantibus, viri heroici et perfecti quo-
tidie satisfaciunt plene : et ultra hoc, in
caritatis fervore, ceterisque virtutibus, do-
nis et fructibus proficiunt valde : corda
C sua ad Deum sæpissime elevando, orando,
meditando, pœnitendo, confitendo, corpus
suum multipliciter castigando, dominicam
passionem frequenter ac cordialiter re-
volvendo, Deum laudando, se ipsos pro-
fundissime diversisque modis humiliando,
accusando, despiciendo, correptiones et
correctiones in vita hac libenter suscipi-
endo. In quibus omnibus nos ipsos quo-
tidie exerceamus.

Si quis in verbo non offendit, id est,
non peccavit inordinate loquendo sive ta-
D cendo, ita quod nec protulit non loquenda,
nec siluit proferenda : ut nec de indiscreto
silentio indigeat pœnitere, illud Isaiæ di-
cendo, Væ mihi quia tacui ; et illud in Is. VI, 5.
Psalmo, Quoniam tacui, inveteraverunt os- Ps. XXXI, 3.
sa mea ; neque de illicita locutione habeat
dolere, et illud Job proferre : Leviter lo- Job XXXIX, 34, 35.
cutus sum : unum locutus sum quod uti-
nam non dixissem, et alterum ; quibus
ultra non addam. *Hic perfectus est vir :*
non quod in evitatione prolationis verbi
illiciti, seu taciturnitate verbi proferendi,

essentialiter consistat perfectio hominis, A
alioqui totaliter muti essent perfecti; sed
quia non excessisse in verbo, signum est
magnæ custodiæ cordis, magnæ sapientiæ
mentis, magnæ perfectionis interioris. Si-
quidem ea quæ sunt in voce, sunt earum
quæ sunt in anima conceptionum affecti-
onumque notæ. Idcirco linguam perfecte
reprimere, signum ac opus est affectionis,
ac grandis illuminationis mentalis, et su-
pra vires humanas. Propter quod in Pro-
Prov. XVI, 1. verbiis fertur : Hominis est animum præ-
parare, et Domini gubernare linguam. In B
Eccli. XIV, 1. Ecclesiastico quoque dicitur : Beatus vir
qui non est lapsus in verbo ex ore suo.
Ibid. XXV, 11. Et denuo ait Scriptura : Quis est homo
qui non est lapsus ex lingua sua?

*Potest etiam freno circumducere totum
corpus,* id est, vir perfectus qui non of-
fendit in verbo, potest totum corpus suum
domare, et cetera membra sua, quæ faci-
lius refrenantur quam lingua, compesce-
re : quia qui potest quod majus est, potest
et id quod minus est. Hoc facit qui illud
Rom. VI, 12, 13. implet Apostoli : Non regnet peccatum in C
vestro mortali corpore; neque exhibeatis
membra vestra arma iniquitatis peccato,
sed arma justitiæ Deo. Et qui exteriores
sensus suos custodit, ne peccet per eos
(quemadmodum in Ecclesiastico orat vir
Eccli. XXIII, 1, 4-6. sapiens : Domine, pater et dominator vitæ
meæ, extollentiam oculorum meorum ne
dederis mihi, et omne desiderium pravum
averte a me; aufer a me ventris concu-
piscentiam), potest custodire sua interio-
Ps. CXVIII, 120. ra. Hinc oravit Psalmista : Confige timore
Ibid. 37. tuo carnes meas; itemque, Averte oculos D
meos, ne videant vanitatem. Unde frenum
quo totum corpus circumducitur, atque
ad Dei servitutem movetur, in perfectis
est amor divinus seu timor filialis; in in-
cipientibus, timor servilis aut aliqualiter
initialis; in proficientibus, timor initialis,
ad filialem timorem propinquus. Potius
tamen istud diversis est adscribendum vir-
tutibus, utpote castitati, æquitati ac latriæ.

Consequenter Apostolus variis modis re-
frenationem linguæ persuadet ac docet.
Si autem equis frena in ora mittimus ad 3
consentiendum nobis, id est, quia equis
ponimus frena in ore, ut dirigamus eos
quo volumus, *et omne corpus illorum cir-
cumferimus,* id est, totum corpus equo-
rum freno hinc inde ad libitum move-
mus : subaudi, Multo plus debemus proprii
oris claustra frenare, linguam compesce-
re, labia moderari ad consentiendum Deo
ac rationi : quia ut Salomon ait, Qui mo- *Prov.* X, 19.
deratur labia sua, prudentissimus est; et
Propheta testatur : Dixi, Custodiam vias *Ps.* XXXVIII, 2.
meas, ut non delinquam in lingua mea;
posui ori meo custodiam. *Et ecce naves* 4
*quum magnæ sint, et a ventis validis mi-
nentur,* id est, in anteriora impellantur,
*circumferuntur tamen a modico guberna-
culo, ubi impetus dirigentis voluerit,* id
est, a gubernatore navigii diriguntur per
gubernaculum suum, quo vult : ita et lin-
gua gubernaculo rationis est dirigenda, ne
declinet in verba illicita. Hinc subditur :
Ita et lingua modicum quidem membrum 5
est, id est in substantia parvum. Propterea
turpe est nobis si eam non coarctamus,
quum magnas circumferamus per rationis
industriam naves. Est quoque periculo-
sum. Idcirco subjungitur : *et magna exal-
tat,* id est, verba jactantiæ profert, lites
concitat, et multa producit pericula, nisi
compescatur. Propterea in Ecclesiastico di-
citur : Odibilis est, qui procax est ad lo- *Eccli.* XX, 5.
quendum; et rursus : Susurro et bilinguis *Ibid.* XXVIII, 15.
maledictus; multos enim turbavit pacem
habentes. Salomon quoque, Os, inquit, fa- *Prov.* XV, 2.
tuorum ebullit stultitiam.

Ecce quantus, id est quam parvus, *ignis,
quam magnam silvam incendit!* utique
valde magnam. Nam ignis nunquam di- *Ibid.* XXX, 16.
cit, Sufficit; et inter elementa summe ac-
tivus est et formalis, formam suam in alia
celeriter introducens. *Et lingua ignis est,* 6
id est similis igni : quoniam sicut ignis
comburit ligna silvarum, sic lingua inor-
dinate, superflue, vitiose loquendo, actus
virtutum mortificat, et animam diversis
exponit flagitiis. Propter quod in Prover-
biis inducitur : Sicut urbs patens et abs- *Ibid.* XXV, 28.

que murorum ambitu, ita vir qui non
potest in loquendo cohibere spiritum su-
I Cor. xv, 33. um. Hinc ait Apostolus : Corrumpunt bo-
nos mores colloquia mala. In Ecclesiastico
Eccli. xx, 15. quoque legitur : Apertio oris illius (qui
scilicet multis utitur verbis) inflamma-
tio est.

Universitas iniquitatis lingua, id est
per linguam et ejus loquacitatem ac in-
custodiam, *constituitur in membris no-
stris*. Nam universa peccata ex irrefrenati-
one linguæ nascuntur : quum et ex verbis
inordinate prolatis hæresis incurratur. De-
tractiones etiam, mendacia, contentiones,
susurrationes, et quidquid iniquitatis est,
ex linguæ incustodia nascuntur. Idcirco
Prov. xiii, 3. in libro Proverbiorum fertur : Qui cu-
stodit os suum, custodit animam suam ;
qui autem inconsideratus est ad loquen-
dum, sentiet mala. Porro iniquitas dicitur
in membris constitui, in quantum exer-
cetur per ea. Ideo sequitur : *quæ maculat
totum corpus*, quia in illud vitia cordis
redundant. Carnalia quoque peccata, quæ
ex vitiis linguæ, ex verbis procatoriis, ex
mulierum alloquio oriuntur, directe in-
quinant corpus, et ejus inquinamenta vo-
I Cor. vi, 18. cantur : quoniam teste Apostolo, Qui for-
nicatur, in proprium corpus peccat. *Et
inflammat rotam nativitatis nostræ*, id
est totum vitæ nostræ circuitum, incessa-
bilemque decursum ab infantia usque de-
crepitam senectutem : quia per omnes
ætates, imo per singulos dies, ad inordi-
nate loquendum infeliciter inflammamur,
et vitiis linguæ spiritualiter devoramur,
Job xxxvii, 20. juxta illud Job : Etiam si locutus fuerit
homo, devorabitur. Hinc ait Scriptura :
Sap. i, 11. Os quod mentitur, occidit animam.

Hoc ergo instrumentaliter facit lingua,
male mota ab anima, et ab homine ipso :
lingua, inquam, *inflammata a gehenna*,
id est diabolo habitatore et cive inferni.
Sicut enim per terram designantur habi-
tantes in ea, et per civitatem cives, atque
per cœlum angeli, sic per gehennam dia-
boli. Diabolus ergo dicitur linguam in-
flammare, in quantum ad verba vitiosa

A incitat hominem. Hoc loco scribit vene-
rabilis Beda : Diaboli ubicumque volitent,
in aere, aut in terris, vel sub terris va-
gentur aut detineantur, suarum semper
secum ferunt tormenta flammarum, instar
febricitantis, qui etsi in lectis ponatur
eburneis, ardorem aut frigus insiti sui lan-
guoris vitare non potest. Sic dæmones,
quamvis in templis colantur auratis, aut
per aera discurrant, igne semper ardent
gehennali, atque ex pœnis suis commo-
niti, fomitem vitiorum hominibus sugge-
B runt. Econtra sancta Dei civitas nova Je- Apoc. xxi, 2.
rusalem, puta Ecclesia militans, de cœlo
descendere dicitur : quoniam quidquid
meritorium et cœleste in terra gerimus,
hoc munere cœlesti accepimus.

Deinde ostendit quam difficile sit lin-
guam domare. *Omnis enim natura besti-* 7
*arum et volucrum et serpentium, et ce-
terorum* brutorum, *domantur, et domita
sunt a natura humana*, id est, per hu-
manæ rationis industriam aliquo modo
possunt domari. Estque distributio ista
C accommoda, et pro generibus singulorum,
non pro singulis generum, suo modo in-
telligenda. Nec dubium quin virtute di-
vina, per gratiam Christi fideique virtu-
tem, ista copiosius atque frequentius sint
peracta : quemadmodum etiam ait disci-
pulis suis Salvator, Ecce dedi vobis pote- Luc. x, 19.
statem calcandi super serpentes et scor-
piones. Unde et in Psalmo : Super aspidem Ps. xc, 13.
et basiliscum ambulabis, etc. Denique ma-
xima bestia, elephantus, humana capitur,
domatur et informatur industria, ut et re-
D gem adoret. Ait demum hic Beda : Le-
gimus in Plinio immanissimam aspidem
in Ægypto, a quodam patrefamilias do-
mitam, quæ de caverna sua quotidie ex-
iens, a mensa illius suam accepit anno-
nam, etc. Legimus item, scribente comite
Marcellino, mansuefactam tigridem, ab In-
dia Anastasio principi missam. Sic et leo
beneficii exhibitione domatur. Vult ergo
Apostolus per hæc verba insinuare, quod
pravorum hominum lingua bestiis sit fe-
rocior, avibus levior, serpentibus veneno-

sior. Feris namque assimilantur, de quibus A
Ps. LXIII, 4. fertur in Psalmo, Exacuerunt ut gladium
linguas suas ; volucribus, de quibus Psal-
Ps. LXXII, 9. mista, Posuerunt in cœlum os suum ;
Ps. XIII, 3. serpentibus, de quibus idem, Venenum
aspidum sub labiis eorum.

8 *Linguam autem nullus hominum domare potest.* Quod dupliciter potest intelligi : Primo, quod nullus hominum propriam potest compescere linguam, quin interdum venialiter peccet per eam. Sed contra objici potest, quia quum peccatum sit voluntarium, si impossibile est linguam domare, indomantia linguæ non erit culpabilis. Ad hoc potest duplex dari responsio : Prima, quod nullus hominum dicitur posse linguam domare, non propter omnimodam impossibilitatem, sed difficultatem prægrandem. Juxta quem modum Christus in Evangelio ait quibus-
Matth. XII, 34. dam : Hypocritæ, quomodo potestis loqui
bona, quum sitis mali ? Et apud Jere-
Jer. XIII, 23. miam dicitur : Si Æthiops potest mutare
pellem suam, et pardus varietates suas, et vos poteritis benefacere, quum didiceritis malum, id est, assueti sitis in malis. Secunda responsio est, quia etsi singulæ oris culpæ queant vitari, non tamen forsitan omnes. — Secunda expositio hujus est, quod nullus etiam sapientium potest linguam pravorum domare : quia etsi ad horam compescantur a verbis illicitis, tamen occasione opportunitateque data, excedent loquendo. Sed et boni contra propositum, subinde ex fragilitate peccant in verbis. Propter quod in Ecclesiastico scriptum
Eccli. XIX, 16. est : Est qui labitur lingua sua, sed non
ex animo. Hinc quidam gentilium sapientium dixit : Quoties inter homines fui, minor homo redii. — Ex quibus constat quantum vitanda sint inordinata, inutilia et non necessaria colloquia, ei qui cupit
Luc. I, 74, 75. vere proficere, et Deo in sanctitate ac
justitia deservire.

Inquietum malum, id est, lingua est membrum, non utique substantialiter, sed ex abusione propria, malum atque culpabile, inquietans mentem prave loquentis ac alios. Multæ enim perturbationes et inquietudines ex vitiis linguæ nascuntur. Nec quietem mentis habet in Deo, qui linguam suam non reprimit. Hinc lingua in lubrico posita dicitur. Et in Ecclesiastico asseritur : Lingua tertia multos com- Eccli. XXVIII, 16.
movit, et dispersit illos de gente in gentem. Apostolus quoque ad Timotheum :
Lingua, inquit, vaniloquorum ut cancer II Tim. II, 17.
serpit. *Plena veneno mortifero,* id est verbis infectivis, mortalibusque peccatis, utpote detractoriis, discordiæ seminativis,
B contumeliosis et pungitivis, nisi efficaciter reprimatur. Quamvis mortale peccatum formaliter sit in anima, in qua est aversio mentis a Deo ; in lingua vero sunt ista, quasi in instrumento et causa. Verba autem vocalia subjective esse in ore cognoscuntur. Juxta hunc sensum in Jere-
mia habetur : Sagitta vulnerans lingua Jer. IX, 8.
eorum. Qui enim detractoria, lasciva, prohibitaque verba effatur, non solum se ipsum, sed audientes quoque (si consentiant) spiritualiter trucidare censetur. Hinc
C multi se ipsos male loquendo occidunt,
prout in Ecclesiastico scriptum est : Multi Eccli. XXVIII, 22.
interierunt in ore gladii, sed non sic sicut qui interierunt per linguam suam.

Consequenter ostendit qualiter lingua
sit plena veneno mortifero. *In ipsa,* id 9
est per linguæ locutionem, *benedicimus,* id est laudamus, *Deum Patrem* propter bonitatem et beneficia ejus, *et in ipsa*
maledicimus homines, qui ad imaginem Gen. I, 26, 27.
et similitudinem Dei facti sunt. Per quod venenatam habere linguam probamur :
D quia per talem maledictionem in primis proprias occidimus animas, et etiam animas aliorum, quantum in nobis est. Siquidem iis quibus maledicimus, rancoris, iræ, detractionis et remaledictionis, contra nos occasionem præstamus. Proximis quoque maledicendo, Deum offendimus :
primo, quoniam contra ejus præceptum Matth. V, 22, 44.
hoc agimus ; secundo, quia injuriatio imaginis redundat in eum cujus exsistit ima-
go. *Ex ipso ore procedit benedictio* Dei, 10
et maledictio proximi. *Non oportet, fra-*

tres mei, hæc ita fieri. Minus dicit, et majus significat, ut sit sensus : Ista linguæ peccata prorsus illicita sunt, videlicet mala bonis ita miscere. Ideo subdit :
11 *Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem et amaram aquam?* Non uti-
12 que, nisi fons corrumpatur. *Numquid potest, fratres mei :* ecce quam dulciter, quam amorose atque humiliter loquitur in tota epistola sua sanctus iste Apostolus, quam crebro subditos suos nominat fratres! Numquid itaque potest, o fratres mei, *ficus uvas facere,* id est arbor ficorum, seu ficuum, producere uvas, *aut vitis* producere *ficus?* Nequaquam. *Sic neque salsa* aqua *dulcem potest facere aquam.* Conformiter contra rationem est, et contra legem divinam, ut eadem lingua verba bona et mala, verba benedictionis et verba maledictionis pronuntiet, quum lingua divinitus sit instituta et data ad usum laudabilem, ad verba virtutum. Verumtamen, nonnunquam ex zelo justitiæ et debita atque legitima auctoritate, viri sancti et prælati leguntur transgressoribus maledixisse, non appetitu ultionis aut livore rancoris : quemadmodum princeps Apostolorum dixit ad Simonem magum, Pecunia tua sit tecum in perditionem. (*Act.* VIII, 20.) Denique verbis his Jacobi consonat quod loquitur Christus : Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? (*Matth.* VII, 16.) Præterea, quemadmodum si aqua dulcis et aqua amara in eodem vasculo miscentur, dulcis in amaritudinem vertitur, non amara dulcis efficitur; sic benedictio ejus qui Deum benedicit, a maledictione corrumpitur qua proximo maledicit, sicut et virtus peccato aufertur. Ideo ait Apostolus : Modicum fermentum totam massam corrumpit. (*I Cor.* V, 6.) Et rursus ait Scriptura : Non est speciosa laus in ore peccatoris. (*Eccli.* XV, 9.)

Jam audivimus, quam vehementissime sanctissimus iste Apostolus irrefrenationem linguæ vituperet, quanta mala dicat de lingua, et quanta vitia oriantur ex ea. Ideo custoditi simus in verbis, præmeditantes quid et qualiter sit loquendum, ut sermo noster, juxta doctrinam Pauli, semper in gratia sale discretionis sit conditus. (*Coloss.* IV, 6.) Et Deum pro virtute et gratia moderandi loquelam in omnibus fervide deprecemur, cum Propheta dicentes : Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis. (*Ps.* CXL, 3.)

Hinc ait Hugo de S. Victore : Lingua dicitur, quoniam lingit adulando, mordet detrahendo, occidit mentiendo; ligat, et ligari non potest. Labilis est, et teneri non valet; sed labitur et fallit. Labitur ut anguilla, penetrat ut sagitta; tollit amicos, multiplicat inimicos, movet rixas, seminat discordias; uno ictu percutit occiditque plurimos; blanda est et subdola, lata et parata ad exhaurienda bona, et mala miscenda. Mors et vita in potestate linguæ est. (*Prov.* XVIII, 21.) Ait quoque S. Bernardus : Levis sermo leviter volat, sed non leviter vulnerat; leviter transit, sed graviter urit; leviter penetrat animum, sed non leviter exit eum; leviter profertur, sed non leviter revocatur; facile volat, ideo facile caritatem violat. Quum ergo tot vitia pariat lingua non refrenata, merito Sapiens exclamat : Quis dabit ori meo custodiam, et super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis, et lingua mea me perdat? (*Eccli.* XXII, 33.) Hinc sancti Patres consultissime statuerunt, sacra silentia a religiosis servari. Et certe religiosi qui suam linguam refrenant, silentiumque stricte observant, varias evadunt tentationes, inquietudines et ruinas, atque facile possunt valde proficere. Qui autem incontinentis sunt linguæ, frequenter turbantur et turbant; peccant, et alios ad peccandum inducunt; potiusque deficiunt, quam proficiunt ut tenentur.

Præterea, quia apostolus Jacobus jam instruxit nos quantæ insipientiæ sit linguam non coarctare, consequenter docet
quid ad verum pertineat sapientem. *Quis* 13
sapiens in cognitione Dei et contemplationibus divinorum, *et disciplinatus,* id est moralibus virtutibus institutus, moribusque compositus, seu debitis observan-

tiis exercitatus, vel in Scripturis bene
instructus, *inter vos ? Ostendat ex bona
conversatione operationem suam,* id est,
virtuose conversando, non inaniter se ja-
ctando, demonstret se opera sancta juxta
evangelicæ legis doctrinam habere. Et hoc
ostendat, virtuoseque vivat, *in mansuetu-
dine sapientiæ,* id est, cum mansuetudine
ex sapientia progrediente omnia faciendo,
Eccli. III, 19. juxta illud Ecclesiastici : Fili, in man-
suetudine opera tua perfice, et super
hominum gloriam diligeris. Mansuetudo
namque facit hominem Deo ac proximis
specialiter esse amabilem. Unde in epistola
ad Demophilum monachum divinus Dio-
nysius protestatur, quod Joseph, Moyses
et David maximam apud Deum gratiam
invenerunt, quoniam mansueti fuerunt.
Matth. XI, 29. Ideo Christus : Discite, inquit, a me, quia
mitis sum et humilis corde. Unde Psal-
Ps. CXLIX, 4. mista ait de Deo : Exaltabit mansuetos
Judith IX, 16. in salutem. Et Judith ait : Humilium et
mansuetorum semper tibi placuit depre-
Eccle. VII, 10. catio, Domine. Denique, sicut ira in sinu
stulti, sic mansuetudo in sinu sapientis
requiescit. Et sapientia mansuetudine in
suis actibus dirigitur.

Itaque nemo se putet vere sapientem et
disciplinatum, nisi inveniat se reforma-
tum, fractum et mitem, divina præcepta
implentem, virtutibus præditum et exem-
Sap. I, 4. plarem : quia ut ait Scriptura, In male-
volam animam non introibit sapientia ; at-
Job XXVIII, 13. que ut Job asserit, Non invenitur sapientia
in terra suaviter viventium, id est in cor-
dibus carnalium hominum, oblectamenta
carnis quærentium. Propter quod loquitur
Is. XXVIII, 9. Isaias : Quem docebit Dominus scientiam ?
et quem intelligere faciet auditum ? Abla-
ctatos a lacte, avulsos ab ubere. Et Sapiens
Prov. XX, 1 ; XXI, 17. ait : Qui amat vinum et pinguia, non erit
sapiens. Hæc autem de sapientia quæ est
donum, præsertim intelliguntur. Hinc et
Leo papa fatetur : Christianæ, inquiens,
sapientiæ altitudo, non in abundantia ver-
bi, non in astutia disputandi, sed in vera
humilitate consistit.

14 *Quod si zelum amarum,* id est indiscre-
A tum, sive livorem et irrationabilem mentis
amaricationem contra vos invicem, *habe-
tis, et contentiones sunt in cordibus ve-
stris : nolite gloriari,* sed potius flete pro-
pter tantos excessus : quid enim gloriaris *Ps.* LI, 3.
in malitia ? *et mendaces esse adversus ve-
ritatem,* æstimando aut asserendo quod
talia placeant Deo, ut per ea salutem con-
sequi valeatis. Qui enim amaro zelo affi-
ciuntur contra alium, et contra eum con-
tendunt, solent justificare se ipsos, et
suam partem insipienter defendere, pro-
B priis vitiis excæcati. *Non est illa sapien-* 15
tia desursum descendens, id est, talis opi-
nio ac falsa sapientia non datur a Deo, sed
error est ab homine adinventus, atque a
dæmone persuasus. Ideo sequitur : *sed ter-
rena,* id est temporalia ac transitoria quæ-
rens, *animalis,* id est sensuales delicias
cupiens, *et diabolica,* quia a diabolo in-
spirata, et quasi honoris ac prælationis
est avida. Vel dicitur terrena, prout oritur
ex concupiscentia oculorum ; animalis, in
quantum procedit ex concupiscentia car-
C nis ; diabolica, in quantum nascitur ex su-
perbia vitæ. — De hac sapientia falsa (per
quam homo statuit sibi finem in divitiis,
deliciis et honoribus mundi, et media sua
astute disponit ad obtinenda talia) scri-
ptum est ad Romanos : Prudentia car- *Rom.* VIII, 6.
nis, mors est ; et rursus : Prudentia carnis *Ibid.* 7.
inimica est Deo ; legi enim Dei non est
subjecta. De his sapientiæ filiis loquitur
Jeremias : Sapientes sunt ut faciant mala, *Jer.* IV, 22.
bene autem facere nescierunt ; et Christus
in Evangelio, Filii hujus sæculi pruden- *Luc.* XVI, 8.
D tiores filiis lucis in generatione sua sunt.
Unde et Baruch ait propheta : Filii Agar *Baruch* III, 23.
qui exquirunt prudentiam quæ de terra
est, viam sapientiæ nescierunt.

16 *Ubi enim zelus,* id est amaritudo, indi-
gnatio seu livor, *et contentio, ibi incon-
stantia,* id est fluctuatio cordis, et agitatio
passionum, perturbatio, aversio, multi-
plexque corrosio ac distractio mentis. Ani-
mus enim inordinatus, sibi ipsi est gra-
vis. Atque ut asserit Isaias, Impii sunt *Is.* LVII, 20.
quasi mare fervens, quod quiescere non

Hebr. XIII, 9. potest. Optimum ergo est, juxta Aposto- A
lum, gratia stabiliri cor, et virtutibus il-
lud firmare in Deo, ne per errores et vitia
distrahatur. Specialiter vero vitia ista, vi-
delicet zelus et contentio, sunt inquietu-
Prov. XIV, 30. dinis causa et animæ afflictiva, quia pu-
tredo ossium invidia, et contentiosus turbat
se ipsum. Nec solum est ibi inconstantia,
sed *et omne opus pravum :* non quod om-
nia opera mala sint actualiter ac insepa-
rabiliter zelo et contentioni annexa, sed
quia ex eis procedere possunt ac solent,
imo plerumque diversa vitia sunt eis con- B
juncta.

Porro contentio proprie dicta, quam Apo-
II *Cor.* XII, 20. stolus inter mortalia peccata annumerat, et
de qua nunc loquitur Jacobus, est impu-
gnatio veritatis cum confidentia clamoris,
secundum Ambrosium. Contentio autem
quæ est impugnatio falsitatis cum mode-
rata acrimonia vocis, est laudabilis. Quod
si modus excedatur, erit culpabilis. Con-
tentio autem quæ non est cum intentione
impugnandi veritatem, sed dum quisque
defendit quod sibi verum aut bonum ap- C
paret, non est perfecta contentio nec mor-
tale peccatum. Contentio vero de qua nunc
sermo, in Scripturis valde vituperatur.
II *Tim.* II, 14. Ait enim ad Timotheum Apostolus : Noli
verbis contendere; ad nihil enim utile
est, nisi ad subversionem audientium. Et
I *Cor.* III, 3. rursus ad Corinthios scribit : Quum sit
inter vos zelus et contentio, nonne carna-
les estis? In Ecclesiastico quoque jubetur:
Eccli. XXVIII, 10. Abstine te a lite; et in Job, Respondete
Job VI, 29. absque contentione. Est quoque inhone-
stum et aliorum scandalizativum, conten- D
Prov. XX, 3. dere. Propter quod ait Scriptura : Honor
est homini quum separat se a contentione.
Postremo, contentio ex superbia aut vana
gloria generatur. Propter quod Salomon
Ibid. XIII, 10. protestatur : Inter superbos sunt semper
jurgia.

Vitemus ergo hæc vitia, et dulci cari-
tatis affectu in alterutrum afficiamur. Sed
et discretum habeamus zelum justitiæ abs-
que animi perturbatione. Accendamur quo-
que zelo divini honoris, et zelum amarum
penitus a corde nostro repellamus, quum
in Ecclesiastico dicatur : Non est sensus *Eccli.* XXI, 15.
ubi abundat amaritudo; et in Deuterono-
mio, Non sit inter vos radix germinans *Deut.* XXIX, 18.
fel et amaritudinem. Hinc ad Hebræos di-
citur : Pacem sequimini cum omnibus, *Hebr.* XII, 14, 15.
contemplantes ne qua radix amaritudinis
sursum germinans impediat, et per illam
inquinentur multi. Et rursus ait Aposto-
lus : Si invicem mordetis et comeditis, vi- *Galat.* V, 15.
dete ne ab invicem consumamini.

Consequenter describit Apostolus veram
sapientiam, illam præcipue quæ est unum
et primum inter septem dona Spiritus *Is.* XI, 2.
Sancti. Illam ergo describit per proprie-
tates et operationes ipsius, subdendo :
Quæ autem desursum est sapientia, puta 17
sapientia spiritualis, supernaturalis, infu-
sa : per quam homo contemplatur Deum
per gustum internum, et bene sentit ac
judicat de eo per connaturalitatem et con-
formitatem affectus ad eum, videlicet quod
ei soli sit finaliter adhærendum tanquam
summo et incomparabili bono, finique ul-
timo; *primum quidem pudica est,* id est
peccati fœditatem turpitudinemque dete-
stans ac erubescens. Et ita sapientia ista
facit a malo recedere, seu peccata vitare.
Nempe per hoc quod summæ veritatis ac
primæ lucis puritatem ac pulchritudinem
contemplatur, parit in mente castum pu-
dorem, quo homo erubescit se in divinæ
majestatis præsentia et adspectu viliter
turpiterque habere, cogitatione, affectio-
ne, verbo, actu, aut omissione peccando.
Iste est sapientialis ac optimus pudor, de
quo scriptum est : Est confusio adducens *Eccli.* IV, 25.
gratiam et gloriam. Facit quoque sapien-
tia ista hominem habere de præteritis cul-
pis suis salubrem pudorem, qui ad dele-
tionem peccati, etiam quoad pœnam, non
mediocriter confert. Rursus sapientia ista
dicitur esse pudica, quia ad contemplati-
onem Dei reverenter accedit, non præsum-
ptuose, impudenter aut temerarie ingerens
se ad divinorum ac incomprehensibilium
perscrutationem. Est demum et vitupera-
bilis pudor, quo homo sua peccata fateri,

et pro eis corripi ac corrigi erubescit. De A Eccli IV, 25. quo dictum est : Est confusio adducens Ibid. 31. peccatum; et rursus, Non confundaris confiteri peccata tua.

Deinde pacifica, id est tranquillitatem seu pacem internam gignens in sapiente : quia per hanc sapientiam quiescit, tranquillatur et figitur mens in Deo, juxta il- Sap. VIII, 16. lud Sapientiæ : Intrans in domum meam, conquiescam cum illa : non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed gaudium et lætitiam. Pax autem idem est quod gaudium B Eccli. XXXVII, 22. imperturbatum. Ideo ait Scriptura : Vir sapiens suavis est animæ suæ. Et ad Ro- Rom. VIII, 6. manos habetur : Prudentia spiritus vita et pax. Dicitur quoque sapientia ista pacifica, quia per eam fideles concordant in bonis, nec per elationem se ab invicem dividunt, quemadmodum per humanam et naturalem sapientiam sæpe contingit : quia in ea invenitur opinionum diversitas, nec est tanta in ea certitudo sicut in ista; et parit elationem, hæc vero humiliationem spontaneam, Salomone attestan- C Prov. XI, 2. te, Ubi sapientia, ibi humilitas.

Est quoque sapientia ista *modesta,* id est moderamen servans in omnibus, quum sapientis sit ordinare, secundum Philosophum. Facitque hominem circumspectum, non impetuosum. Ideo monet Apostolus : Coloss. IV, 5. In sapientia ambulate ad eos qui foris Sap. VII, 22. sunt. Et Sapiens : Est enim in illa spiritus intelligentiæ sanctus, unicus et mode- * alias *suasibilis* stus. *Suadibilis**, id est docilis ac dirigibilis : quemadmodum et juxta philosophos, prima pars prudentiæ est docilitas. Qui D ergo in suo sensu sunt pertinaces, sapientiæ sunt expertes. *Bonis consentiens,* id est rationabilibus verbis præbens assensum. Non enim qui veraciter est sapiens, proprium judicium aliorum judicio immansive præponit. Hinc princeps Aposto- Galat. II, 11, 14; Act. XV, 7 *et seq.* lorum, increpationi informationique Pauli humiliter acquievit. Propter quod in Pro- Prov. IX, 8, 9. verbiis asseritur : Argue sapientem, et diliget te; doce justum, et festinabit accipere. Propterea iterum Salomon loquitur : Non sis sapiens apud temetipsum. Prov. III, 7. Et ad Romanos fertur : Nolite esse prudentes Rom. XII, 16. apud vosmetipsos. *Plena misericordia et fructibus bonis.* Hæc enim sapientia facit hominem compassivum atque beneficum aliis : quoniam intuetur quod Deo sit proprium misereri ac subvenire, quod etiam omnis homo ex se ipso sit fragilis, atque Gen. VIII, 21. in magno periculo constitutus. Idcirco condolet aliis, ac subvenit eis pro posse, ne tanta beatitudine ad quam conditi sunt, priventur. *Judicans sine simulatione,* id est sincere se habens in judicando; nec vitia sub colore virtutum exercens, quemadmodum qui ex odio, ira, aut impatientia corripiunt proximos, ex caritate et zelo justitiæ id se facere confingentes. Idcirco Sapiens ait : Spiritus sanctus disciplinæ Sap. I, 5. effugiet fictum. Hinc Christus docuit, ut Matth. X, 16. simus simplices sicut columbæ : qui hypocrisim in Evangelio specialissime reprobat et condemnat. Ibid. VI, 2, 5, 16; XXIII, passim; Luc. XII, 1; etc.

18 *Fructus autem justitiæ in pace seminatur.* Fructus justitiæ interdum vocatur operatio virtuosa, ex justitia manans. Et hujus fructus, merces ac finis, est vera felicitas, juxta illud Apostoli : Habetis fru- Rom. VI, 22. ctum vestrum in sanctificatione, finem vero vitam æternam. Unde in Joanne ait Salvator discipulis : Posui vos ut eatis, et Joann. XV, 16. fructum afferatis. Joannes quoque Baptista : Omnis, inquit, arbor quæ non facit Matth. III, 10. fructum bonum, excidetur. Hic itaque fructus seminatur in pace, id est, exercetur cum pace pectoris, sine qua nemo Deo placere potest, quia oportet mentem concordare cum Deo in observantia præceptorum et caritatis tenore. Cujus effectus est pax, quemadmodum scriptum est : Pax Ps. CXVIII, 165. multa diligentibus legem tuam. Hinc in libro Job docetur : Acquiesce Deo, et ha- Job XXII, 21. beto pacem, et per hæc habebis fructus optimos. Seminatur itaque fructus justitiæ in pace, *facientibus pacem,* id est ad meritum præmiumque eorum; vel, Facientibus, id est a facientibus, pacem, puta a pacificis, de quibus dicitur : Beati pa- Matth. V, 9. cifici, quoniam filii Dei vocabuntur. —

Denique unusquisque facere debet pacem A
in primis sibi ipsi cum Deo, eum sibi per
pœnitentiam reconciliando, atque per con-
templationem et dilectionem cor suum
in ipso figendo ac tranquillando. Propter
Rom. v, 1. quod ait Apostolus ad Romanos : Justifi-
cati ex fide, pacem habeamus ad Deum ;
II *Cor.* v, 20. et iterum : Obsecramus pro Christo, re-
conciliamini Deo. Secundo, debet unus-
quisque sibi pacem facere et servare pro
posse cum proximo suo, sicut in Evangelio
Matth. v, 24. præcipit Dominus : Vade, reconciliare fra-
Rom. xii, 18. tri tuo. Et Paulus : Si fieri potest, quod in B
vobis est, cum omnibus hominibus pacem
habete. Deinde debemus ex caritate frater-
na proximis nostris pace carentibus, pacem
cum Deo et hominibus procurare, oran-
do, hortando, confœderando, ac aliis viis.
Insuper fructus justitiæ nominatur in-
terim æterna felicitas, juxta illud Sapien-
Sap. iii, 15. tiæ : Bonorum laborum gloriosus est fru-
ctus. Porro operatio vitæ præsentis, est
seminatio respectu futuræ remunerationis,
dicente Apostolo : Quæ seminaverit homo, *Galat.* vi, 8.
hæc et metet. Unde in Osee legitur : Se- *Osee* x, 12.
minate vobis in justitia, et metite in ore
misericordiæ. Hujus seminationis fructus
est beatitudo cœlestis, juxta illud Aposto-
li : Qui seminat in spiritu, de spiritu me- *Galat.* vi, 8.
tet vitam æternam. Hic igitur *fructus*, qui
est beatifica Dei fruitio, *seminatur in pa-
ce*, id est, per opera virtuosa in pace spi-
rituali peracta, promeretur ac obtinetur;
vel, Seminatur in pace, id est, in pacificati-
one mentis cum Deo in vita hac virtualiter
continetur, atque ex ea tanquam ex cau-
sa meritoria derivatur ac condonatur in
patria. Nam, sicut fructus potentialiter ac
radicaliter continentur in semine : ita pax
æternitatis, in pace pectoris ; pax patriæ,
in pace viæ; plena tranquillatio Beatorum
in Deo, in tranquillatione inchoata viato-
rum in eo. Hinc paci internæ semper stu-
dere debemus, quia in pace est locus Om- *Ps.* lxxv, 3.
nipotentis. Non enim est Deus dissensionis, I *Cor.* xiv, 33.
sed pacis.

ARTICULUS VI

EXPOSITIO CAPITULI QUARTI : UNDE BELLA ET LITES IN VOBIS ?

HOC capitulo hortatur Apostolus, ne C
inordinati sint nostri affectus, et ne
ex eis ad ea quæ aliis nociva sunt, pro-
1 cedamus. *Unde bella et lites in vobis?* id
est, ex qua radice oriuntur pugnæ reales
atque verbales, quibus vos invicem im-
pugnatis ? *Nonne ex concupiscentiis ve-
stris*, id est terrenis, inordinatis, mundanis
et sensualibus affectionibus, *quæ mili-
tant in membris vestris*, id est, ministerio
membrorum ducuntur ad opus iniquum ?
Sic militant seu dominantur in membris,
quia juxta concupiscentiarum inclinatio- D
nem ac impetum, membra moventur in
actum, quamvis concupiscentiæ sint sub-
jective in appetitivis potentiis. Sumitur
ergo nomen concupiscentiæ hoc loco, com-
muniter pro quovis inordinato affectu di-
vitiarum, deliciarum sive honorum. Hinc
ad Romanos hortatur Apostolus : Sicut ex- *Rom.* vi, 19.
hibuistis membra vestra servire immun-
ditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc
exhibete membra vestra servire justitiæ
in sanctificationem. Certum est autem
quod mali effectus ex pravis procedant
affectibus, et quidquid culpæ in verbis
aut factis consistit, ex interiori inordina-
tione dependet ac profluit. Propter quod
princeps Apostolorum hortatur : Obsecro I *Petr.* ii, 11.
vos abstinere a carnalibus desideriis, quæ
militant adversus animam.
Concupiscitis carnalia et mundana, *et* 2

non habetis ea. Et sic solo inordinato af- A
fectu fœdamini; et non habituri effectum
operis, præcipitatis vos in vitia impiæ
voluntatis : quia voluntas inordinata de-
liberata, reputatur pro opere. Sic multi
quum in egestate vivant, voluntariæ pau-
pertatis privantur mercede, et cum divi-
tibus voluptuariis, superbis atque avaris
damnantur, quia terrenam abundantiam,
delectationem sensualem ac mundanum
præoptant honorem. Isti sunt miseri in
præsenti sæculo et futuro : quia nec hic,
nec ibi obtinent quæ affectant. Ideo scri- B
Prov. XIII, 7. ptum est : Est dives, quum nihil habeat;
et est pauper, quum in divitiis multis
sit. *Occiditis,* vel corporaliter alios, vel
spiritualiter vosmetipsos : quia ex vitiosis
desideriis, quibus homo in primis spiri-
tualiter necat se ipsum, interdum corpo-
rale homicidium oritur; *et zelatis,* id est,
aliis invidetis. Quod enim quis sibimet
cupit, hoc invidere aliis solet. *Et non
potestis adipisci* quod vitiose appetitis,
quia multi consequi nequeunt, nec valent
implere, quod damnabiliter quærunt et C
cupiunt. Idcirco in libro Job asseritur :
Job V, 13, 12. Deus consilium pravorum dissipat : qui
dissipat cogitationes malignorum, ne pos-
sint implere manus eorum quod cœpe-
Is. XL, 23. rant. Unde et in Isaia legitur : Dat scru-
tatores secretorum quasi non sint, et
Job XII, 17. consiliarios in stultum finem adducit. Is-
tud tamen frequenter misericorditer ac-
cidit, quia non expedit pravis hominibus
obtinere quod optant illicite. Idcirco per
Osee II, 6. Osee Dominus loquitur : Ecce ego sepiam
viam tuam spinis. D

Litigatis verbis, *et belligeratis* in opere
contra proximos pro terrenis, *et non ha-
betis* ea, scilicet necessaria vitæ, *propter
quod non postulastis,* id est, Deum humi-
liter atque ordinate pro eis habendis non
rogastis : primo ac principaliter exorando
pro spiritualibus, Dei honorem ac anima-
rum salutem concernentibus ; deinde pro
corporalibus, prout ad spiritualia neces-
saria sunt sive accommoda, sicuti Christus
Matth. VI, 33. in Evangelio docet : Primum, inquiens,
quærite regnum Dei et justitiam ejus, et
hæc omnia adjicientur vobis.

Petitis, et non accipitis, id est, inordi- 3
nate Deum rogatis, idcirco non audit vos ;
eo quod male petatis, non obediendo in
primis Dei præceptis. Qui enim declinat *Prov.* XXVIII, 9.
aurem suam ne audiat legem, oratio ejus
erit exsecrabilis. Temporalia quoque ma-
gis quam spiritualia postulatis. Unde apud
Joannem ait Christus discipulis adhuc car-
nalibus : Usque modo non petistis quid- *Joann.* XVI, 24.
quam in nomine meo, id est pertinentia
ad salutem. *Ut in concupiscentiis vestris
insumatis :* id est, temporalia quæ petitis,
non ordinatis ad debitum finem, scilicet
ad moderatam et necessariam corporis sus-
tentationem, sed ad superfluitatem ac vo-
luptatem, ut ea insumatis, id est, intra
vos accipiatis et consumatis, in concupi-
scentiis vestris, scilicet juxta impetum
concupiscentiarum, non secundum ratio-
nis judicium. Contra quod Paulus horta-
tur : Curam carnis ne feceritis in deside- *Rom.* XIII, 14.
riis ; itemque, Habentes victum et quibus *I Tim.* VI, 8.
tegamur, his contenti simus. Christus quo-
que : Attendite, inquit, vobis, ne graven- *Luc.* XXI, 34.
tur corda vestra crapula et ebrietate et
curis hujus vitæ.

Adulteri, id est mente a Deo aversi. 4
Quæ aversio, spiritualis fornicatio est, jux-
ta illud Psalmographi : Qui elongant se *Ps.* LXXII, 27.
a te, peribunt ; perdidisti omnes qui for-
nicantur abs te ; et illud Osee, Fornicati *Osee* IV, 12.
sunt a Deo suo. Omnis etenim anima, aut
est Dei sponsa, aut diaboli adultera. Dei
equidem sponsa est, quæ ei fide et cari-
tate conjungitur. Unde per Osee effatur :
Sponsabo te mihi in fide. Talis anima *Ibid.* II, 20.
Deum spirituali amore amplectitur, atque
ab ipso cœlesti semine (quod est verbum *Luc.* VIII, 11.
Dei) ac lumine gratiæ fecundatur. Porro
diaboli perhibetur adultera, quæ ei perver-
sæ voluntatis miscetur consensu. Spiritu-
alis quoque sapientia, præsertim æterna
et increata, sponsa est hominis justi, jux-
ta illud Sapientiæ : Hanc amavi et exqui- *Sap.* VIII, 2.
sivi, et quæsivi sponsam mihi eam assu-
mere, et amator factus sum formæ illius.

Qui ergo hanc sponsam relinquit, et ei terrena præponit, atque carnalia amplexatur, recte adulter vocatur. Judæi etiam ad corporalia adulteria erant proclives, *Jer.* v, 8. sicut per Jeremiam loquitur Deus : Unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.

Nescitis quia amicitia hujus mundi, id est amor carnalis ac mundanus, inordinatus, et sensualis affectio ad complacendum hominibus non in Deo, atque ad obtinendum mundi honores, voluptates et opes, *inimica est Deo,* id est divinæ legi contraria, ac displicens Deo, et caritati repugnans? *Quicumque ergo voluerit esse amicus hujus sæculi,* id est hominum mundanorum, secundum quod tales sunt, *inimicus Dei constituitur,* id est Deo contrarius, et ab eo aversus. De quo ait Pro- *Ps.* v, 7. pheta : Odisti omnes qui operantur ini- *Sap.* xiv, 9. quitatem. Unde Sapiens : Odio sunt Deo impius et impietas ejus. Itaque quicumque se mundanis conformat hominibus, et eis consentit ac placere quærit in rebus illicitis, eo ipso quo talis est et ita se habet, Dei inimicus efficitur. Hoc est quod I *Joann.* II, 15. S. Joannes docet : Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt : quia si quis diligit mundum, non est caritas *Rom.* XII, 2. Patris in eo. Hinc loquitur et Paulus : No- *Galat.* I, 10. lite conformari huic sæculo; itemque : An quæro hominibus placere ? Si hominibus placerem, Christi servus non essem. Hoc est quod terribiliter ait Propheta regius : *Ps.* LII, 6. Quoniam dissipavit Deus ossa eorum qui hominibus placent ; confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. Verumtamen debemus mundanos homines spirituali amore *Matth.* V, 44. diligere, sicut et inimicos, et orare pro eis, eis quoque in bonis velle placere, eo *Rom.* XV, 2. modo quo ait Apostolus, Unusquisque proximo suo placeat in bonum, ad ædifica- *Matth.* V, 16. tionem : quum etiam jubeat Dominus, Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona facta vestra, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.

5 *An putatis quia inaniter Scriptura dicat* (id est, nequaquam hoc æstimare

A debetis, quum verba Scripturæ, verba sint Spiritus Sancti), *Ad invidiam concupiscit spiritus qui habitat in vobis?* Hoc tripliciter potest intelligi. Primo, de Spiritu Sancto. Sicque legendum est interrogative et negative, ut sit sensus : Spiritus Sanctus corda vestra gratiose inhabitans, nequaquam concupiscit, id est, concupiscere vos non facit ad invidiam, hoc est, non movet vos ad invidendum alicui, quum sacra Scriptura ubique doceat Spiritum Sanctum esse spiritum puræ di- B lectionis. De quo in libro Sapientiæ habetur : Benignus est spiritus sapientiæ ; *Sap.* I, 6. et in Psalmo, Spiritus tuus bonus dedu- *Ps.* CXLII, 10. cet me in terram rectam. — Secundo exponitur assertive de spiritu hominis, id est anima rationali habitante in corpore suo, quæ ad invidiam prona est, et aliis invidet quod affectat. Sicque scriptura ista accipitur ex eo quod in Genesi habetur : Sensus et cogitatio cordis humani *Gen.* VIII, proni sunt in malum ab adolescentia sua. 21. — Tertio exponitur de Spiritu Sancto as- C sertive. Et est sensus : Spiritus Sanctus in vobis per fidem et gratiam habitans, concupiscit, movet, et concupiscere facit vos ad invidiam exstirpandam : quia ad hoc instigat Spiritus Sanctus, secundum Scripturas, ut invidiam eradicemus. Juxta hunc modum loquendi fertur in Psalmo : Ex ore infantium et lactentium *Ps.* VIII, 3. perfecisti laudem propter inimicos tuos, scilicet destruendos ac reprobandos. Si autem quæratur, quomodo in his habitavit Spiritus Sanctus quos paulo ante vocavit D adulteros, litigiosos, cupidos, ac male petentes : respondendum, quod in Judæis quibus scripsit, erant carnales et spirituales, boni ac mali : quemadmodum et inter Corinthios, quibus scripsit inter cetera Paulus, Nihil vobis deest in ulla gra- I *Cor.* I, 7. tia ; et post pauca, Non potui vobis loqui *Ibid.* III, 1. quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Sicque diversa ad diversos sunt referenda. Præterea viri sancti parva peccata quasi magna in suis subditis reprehendunt, ut eos magis humilient, exerceant et ac-

cendant. — Prima demum expositio horum A verborum litteralior esse videtur, quia subjungitur :

6 *Majorem autem dat gratiam,* scilicet Spiritus qui habitat in vobis, puta Spiritus Sanctus, qui dat gratiam majorem quam mundus vel amicitia ejus. Dat enim dona supernaturalia atque gratuita. *Propter quod dicit* Scriptura in Proverbiis, secundum translationem Septuaginta interpretum : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Sic enim Septuaginta transtulerunt, ubi Hieronymus B
Prov. III, 34; transtulit : Illusores Deus deludet, man-
I *Petr.* v, 5. suetis autem dabit gratiam. Vel sumitur ista scriptura ex eo, quod alio loco in
Prov. XXIX, 23. Proverbiis habetur : Superbum sequitur humilitas (quia videlicet humiliatur atque dejicitur a judice Deo), et humilem spiritu suscipiet gloria. Præterea valde pensandum, quod in verbis istis apostolus Jacobus insinuat Spiritum Sanctum esse Deum. Quum enim de eo dixisset, Majorem autem dat gratiam, mox ad probandum hoc ipsum, allegat Scripturam C canonicam, asserentem : Deus superbis resistit. Quæ probatio non valeret, nisi in illa auctoritate allegata, per Deum, intelligeretur Spiritus Sanctus seu Trinitas Deus, et per consequens, quælibet divina, æterna, increata, adoranda Persona.

Sed quum Deus omnem vitiosum detestetur, damnet et puniat, cur specialiter superbis resistere perhibetur? Et respondendum, quod quia superbi specialiter se extollunt, seque Deo opponunt, et quod Deo debetur, videlicet gloriam et hono- D rem, sibi usurpant, et quia superbia omnium vitiorum regina et mater est, idcirco Deus eis specialiter resistere fertur, eos dejicere, humiliare, comprimere. Et hoc sibi proprium esse testatur, loquens ad
Job XL, 4, 6-9. Job : Si habes brachium sicut Deus, et simili voce tonas, disperge superbos in furore tuo, et respiciens omnem arrogantem humilia; respice cunctos superbos, et confunde eos, et contere impios in loco suo ; absconde eos in pulvere simul, et facies eorum demerge in foveam : et ego confitebor, quod salvare te possit dextera tua. Absit ergo a nobis omnis elatio, quæ tam est odibilis Deo, et cui resistit Omnipotens. Non conveniat alicui nostrum id, quod in libro Job scribitur : Quid tu- *Job* XV, 13.
met contra Deum spiritus tuus? Nec illud : Cucurrit impius adversus Deum ere- *Ibid.* 26.
cto collo.

Porro humilibus Deus dat gratiam : quia et peccatoribus se ipsos ex corde accusantibus, ac Deo subjicientibus, veniamque petentibus, Deus peccata remittit, et gratiarum charismata elargitur, ut patet in publicano. Humilibus vero jam in cari- *Luc.* XVIII, 13, 14.
tate exsistentibus, dat gratiarum augmenta. Et quanto se Deo profundius subdunt, humiliusque substernunt ac supplicant, tanto gratiæ opulentioribus charismatibus perfunduntur. Semper igitur simus viles ac imperfecti in propriis oculis, et coram Altissimo in omni timore ac humilitate jugiter ambulemus.

Subditi igitur estote Deo per veram ac 7
profundam humilitatem, ac divinorum præceptorum exsecutionem. Quemadmodum enim quidquid habemus ac sumus, I *Cor.* IV, 7.
a Deo accepimus; sic totum ei subjicere et ejus obsequio mancipare debemus, sicut et Psalmista hortatur : Subditus esto *Ps.* XXXVI, 7.
Domino, et ora eum. Siquidem, quis re- *Job* IX, 4.
stitit ei, et habuit pacem?

Resistite autem diabolo, id est, ejus suggestionibus non consentiatis, sed eas despicite. Porro diabolo debemus resistere : primo, totam spem nostram in Dei adjutorio collocando, nihil de propriis viribus præsumendo; secundo, nos ipsos in omnibus humiliando, et propriam infirmitatem, imperfectionem, vitiositatem humiliter recognoscendo; tertio, divinæ pietatis subsidium jugiter invocando; quarto, dominicam passionem cordialiter ac frequenter reminiscendo; quinto, quatuor novissima diligenter atque assidue adspiciendo; sexto, tanto ferventius devotis insistendo exercitiis, quanto acrius diabolicis impugnamur tentationibus. Sunt et alii modi

resistendi quamplurimi. Debemus quippe rite perpendere, quantis periculis simus expositi, quantis laqueis circumdati, quanta atrocitate invidentiaque infatigabiliter a dæmonibus impugnemur, quanta felicitate nos privare, ad quantam miseriam nos pertrahere conentur. Ex quorum omnium vivaci consideratione debemus esse semper solliciti, custoditi, timorati, ac fortiter tanquam Dei milites contra aciem vitiorum ac dæmonum præliantes, quum
II Tim. II, 5. teste Apostolo, non coronetur nisi qui legitime certaverit.

Et fugiet a vobis, videns vos sibi tam viriliter ac perseveranter resistere. Qui enim modis prætactis resistit diabolo, suis resistentiis tam virtuosis ac fervidis ineffabiliter illum tam contumacem ac perversum affligit, incendit, exagitat. Ideo fugit.

Quocirca quæri potest, an postmodum ad tentandum eumdem hominem redeat. Et videtur quod non, quia communiter dicitur quod diabolus ab aliquo victus, nunquam redeat ad tentandum eumdem, saltem de eodem peccato. Ad hanc insuper quæstionem Thomas respondet in prima parte Summæ suæ, dicendo : Aliqui dicunt, quod dæmon semel victus ab aliquo, nunquam postea tentet nec illum nec alium, nec de eodem peccato, nec de alio. Sed huic non consonat quod in Matthæo
Matth. XII, 44. de diabolo scriptum est : Revertar in domum meam unde exivi. Alii dicunt, quod diabolus superatus, posset tentare alium, sed non eumdem. Quod probabilius dicitur, si tamen intelligatur, quantum ad certum tempus, quia de Christo habetur :
Luc. IV, 13. Consummata omni tentatione, diabolus recessit ab eo ad tempus. Quod autem ad tempus a tentatione desistat, congruit divinæ clementiæ, quæ in hoc infirmitati condescendit humanæ, ne nimium infestetur. Congruit quoque dæmonis astutiæ : quia, secundum Ambrosium super Lucam, dæmon formidat instare, quia formidat succumbere. Hæc est S. Thomæ responsio.

Porro, quod diabolus ab aliquo victus, redeat ad tentandum eumdem de eodem
A peccato, videtur multipliciter posse probari. Primo, quia de beato Job habetur, quod diabolus a sancto Job in prima impugnatione devictus est, ita quod diabolus *Job* I, 13-22.
nequivit eum ad impatientiam aut maledictionem Dei, seu verborum excessum inducere. Deinde de eodem habetur, quod Satan semel sic victus, secundo tentavit *Ibid.* II, 7, 8.
sanctum Job acrius. Rursusque victus, tentavit eum per suam uxorem, deinde per *Ibid.* 9 *et seq.*
amicos et alios. Et omnes istæ tentationes ad idem peccatum tendebant. Ad idem
B posset adduci, quod S. Athanasius scribit de B. Antonio, qualiter sæpe a dæmonibus cæsus est, et semper prævaluit. Et satis innuitur in illa Legenda, quod utique ab eisdem. Simile refert B. Hieronymus de S. Hilarione. Multa quoque similia de aliis Sanctis leguntur. Papa S. Gregorius dicit in homilia, quod diabolus contra duos bellum movet : unum, incitans ut injurias inferat; alium, ut injuriis acceptis, contumelias reddat. Quem dum in primo conflictu superare nequivit, interim ab aperto
C certamine cessans, post modicum redit, et illum eumdem acrius quam ante impugnat, etiam de eodem peccato, puta de impatientia et vindicta. Cassiodorus quoque ait : Bellum grave est contra diabolum, quia occultum, quia cum fortiore, quia hostis insidiæ non videntur ; adversarius nec labore deficit, nec victus aliquando discedit (videlicet omnino), sed tanto acrior redit quanto per gratiam Dei debellatus fortius fuit. Postremo, creditur quod sicut unusquisque habet angelum
D bonum pro sui custodia in tota hac vita, ita et angelum malum pro sua exercitatione et probatione : qui, durante hac vita, quantumcumque vincatur, non recedit in toto. — Istud ergo verius reor. Idcirco post unam victoriam non simus securi, sed ad acriorem conflictum accincti. Mili- *Ibid.* VII, 1.
tia enim, vel (ut alia habet translatio) tentatio, est vita hominis super terram. Propter quod loquitur Augustinus : Persevera usque in finem, quia tentatio perseverat usque in finem.

8 *Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis.* Huic simile est quod per Zachariam Zach. I, 3. loquitur Deus : Convertimini ad me, et convertar ad vos. Ex quibus sequi videtur, quod gratia Dei insit hominibus ex eorum prævio merito, principiumque merendi sit a libero arbitrio, et non a Deo : Joann. VI, 44. quum tamen dicat Salvator, Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit Ibid. XV, 5. eum; et alibi, Sine me nihil potestis fa- I Cor. IV, 7. cere. Atque Apostolus ait : Quid habes quod non accepisti? Ad istud Thomas, Pe- *Tarentasia trus de Tarento*, Richardus de Mediavilla, et alii dicunt, quod sicut Deus communi influxu universa convertit ad se, tanquam ad finem ultimatum, secundum esse eorum naturale, sic rationalem creaturam convertit ad se speciali influxu, tanquam ad finem supernaturalem. Nec iste influxus est aliqua gratia habitualis, sed divina motio, et instinctus qui ad dona gratiæ movet hominem, atque ad meritorium bonum. Et omnibus offertur, ac vicissim influitur iste instinctus. Cui quidam consentiunt, et per hoc ad gratiam habitualem de congruo disponuntur : quibus tunc gratia mox confertur. Et de ista dispositione potest intelligi verbum istud Apostoli, ut sit sensus : Appropinquate Deo, ad ejus gratiam vos aptando, et ejus instinctui acquiescendo. Aliqui vero huic instinctui resistunt. Nihilo minus dispositionem istam de congruo præcedit divinus instinctus, ut patuit. Ideoque principium meriti simpliciter est a Deo.

Sed advertendum, quod verba hæc dupliciter possunt exponi : Primo, quantum ad eos qui nondum in caritate et gratia sunt, qui a Deo aversi sunt, et elongantur ab eo dissimilitudine culpæ. Ideo dicitur eis : *Appropinquate Deo,* pœnitendo, confitendo, satisfaciendo, sicque quod in vobis est faciendo, *et appropinquabit vobis,* id est, gratiose applicabit se vobis, dona gratiæ infundendo. Secundo potest exponi de exsistentibus in gratia et caritate, qui licet a Deo non distent dissimilitudine culpæ, saltem mortalis, distant tamen ab eo minoratione perfectionis ad quam in hac vita pertingere valent. Ideo dicitur eis ut Deo propinquent, id est, similiores fiant, eum ardentius diligendo, quotidie proficiendo, et ei se omni hora intimius sive devotius uniendo. Verumtamen, propinquatio sive conversio utraque fit ex prævio quodam Dei instinctu ac munere. Ad quod insinuandum in Threnis scriptum est : Converte nos, Domine, ad te, et convertemur. Thren. V, 21. Et rursus Jeremias loquitur : Converte me, Domine, et convertar, quia Jer. XXXI, 18, 19. tu es Dominus Deus meus : postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam; et postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Istis Deo sic appropinquantibus, Deus propinquat per gratiæ incrementa, et eis se clarius ostendendo, atque intimius uniendo per donum sapientiæ et caritatis augmentum, divinorumque gustum et interiorem amplexum.

Insuper, Deus (qui per Jeremiam iterum protestatur, Numquid non cœlum et ter- Ibid. XXIII, 24. ram ego impleo?) distat a creatura rationali, non loco, sed perfectione; et culpa distat ab eo illa. Propterea in Proverbiis fertur, Longe est Dominus ab impiis; et Prov. XV, 29. Jeremias fatetur, Longe Dominus apparuit Jer. XXXI, 3. mihi. Si autem de similitudine, seu de defectu perfectionis sit sermo, certum est quod omnis creatura distet in infinitum a Creatore, qui per Isaiam sciscitatur : Cui Is. XL, 25. me similem fecistis et adæquastis, dicit Sanctus? A cujus contemplatione in tantum deficimus, ut apud Job dicatur : Unus- Job XXXVI, 25. quisque intuetur eum procul.

Emundate manus, o peccatores. Per manum, quæ est organum organorum, potestas et operatio designantur. Manus ergo, id est opera nostra, emundare debemus, ut ex sincera intentione procedant, nec vitiis misceantur, ne illud Isaiæ nobis conveniat, Manus vestræ sanguine plenæ Is. I, 15. sunt; sed quod in Psalmo dicitur, Inno- Ps. XXIII, 4, 5. cens manibus et mundo corde, hic accipiet benedictionem a Domino. Unde et in Job habetur : Salvabitur innocens; salva- Job XXII, 30. bitur autem munditia manuum suarum.

Et purificate corda vestra per pœnitentiam ab omni simulatione, duplicitate, perversitate, ceterisque peccatis, qui *duplices animo* fuistis aut estis. De hac duplicitate dictum est copiose jam ante, super
Jacob. I, 8. illud : Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis, etc. Hæc autem depuratio cordis est maxime appetenda. Si-
Matth. V, 8. quidem, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Atque in libro Proverbio-
Prov. XXII, 11. rum inducitur : Qui diligit cordis munditiam, habebit amicum regem : illum utique regem, qui apud Malachiam testatur,
Malach. I, 14. Rex magnus ego sum. Denique propter hujus munditiæ cordis appetibilitatem lo-
Is. XXVII, 9. quitur Isaias, Hic est omnis fructus, ut auferatur iniquitas : quod maxime verum est, prout iniquitatis ablatio, caritatis et gratiæ infusionem includit, sine qua fieri nequit.

9 *Miseri estote*. Duplex est miseria : Una
Prov. XIV, 34. culpæ, de qua legitur : Justitia elevat gentem, miseros facit populos peccatum. Altera est miseria pœnæ, de qua ait Prophe-
Ps. XXXI, 4. ta : Conversus sum in ærumna mea, dum
Rom. VII, 24. configitur spina; et Apostolus : Infelix ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis hujus ? Unde S. Bernardus ait de Christo : Misericordiæ Domini multæ, sed et miseriæ Domini multæ. De utrisque autem
Job XIV, 1. his miseriis verificatur illud Job : Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Hortatur ergo Apostolus ut miseri simus miseria pœnæ, corporales afflictiones, tribulationes, inopiam, famem, sitim, opera satisfactoria et laboriosa, sponte ac patienter pro nostris sustinendo excessibus, et pro gratia ampliori adipiscenda : qua deinceps vitemus peccata, atque ut Christo propter nos passo, aliquo modo conformemur, et futura evadamus supplicia. *Et lugete* pro vestris ac proximorum piaculis, pro desiderio regni cœlestis, et ex aliis piis causis, [*et plorate*.]

Risus vester inordinatus, ex mentis dissolutione et irrationabilibus causis proveniens, *in luctum* salubrem *convertatur* : A quemadmodum per Joelem Dominus monet, Convertimini ad me in toto corde Joel II, 12.
vestro, in jejunio et fletu et planctu; *et gaudium* vestrum carnale, sæculare, inordinatum, vertatur *in mœrorem* pœnitentialem, ut contrariis curentur contraria, et per quæ quis peccavit, per hæc puniat et castiget se ipsum. — Est itaque risus illicitus, de quo ait Salvator : Væ vobis qui Luc. VI, 25.
ridetis nunc, quia plorabitis et flebitis. De quo itidem in Ecclesiaste legitur : Sicut Eccle. VII, 7.
sonitus spinarum ardentium sub olla, sic B risus stulti. Idcirco verum est vulgare illud proverbium : Per multum risum poteris cognoscere stultum. Hinc in Ecclesiastico scriptum est : Amictus corporis, et Eccli. XIX, 27.
risus dentium, et incessus hominis, annuntiant de eo : quia videlicet per hæc tria exteriora conjicitur qualis sit homo interius. Vitandus est ergo risus immoderatus, quum rursus in Ecclesiastico dicatur : Fatuus in risu exaltat vocem suam; Ibid. XXI, 23.
vir autem sapiens vix tacite ridebit. Imo, secundum S. Basilium, a risu et omni C irrefrenata lætitia nos cohibere debemus, quum quotidie tot peccata fiant in mundo, et Deus tam graviter inhonoretur ac offendatur, et tot animæ æternaliter condemnentur, et quilibet nostrum toties tamque enormiter peccet, atque in valle hac lacrimarum, in gravi exsilio, variisque periculis positi simus, et ignoremus an amo- Eccle. IX, 1.
re digni simus an odio, et utrum æternaliter simus damnandi. Verumtamen est aliquis moderatus ac licitus risus, de quo sanctus Job ait : Si quando ridebam ad Job XXIX, 24.
D eos, non credebant mihi. Qui risus ex laudabili causa oritur, ex gaudio spirituali, ex zelo justitiæ, aut causa penitus naturali, ut ex admiratione : ob quam homini naturale et proprium est, esse risibilem. — Denique est gaudium spirituale et sanctum, in actu virtutis consistens, de Creatore aut de creaturis in Deo conceptum. De quo ait Apostolus : Gaudete in Domino Philipp. IV, 4.
semper; et Propheta : Lætamini in Domi- Ps. XXXI, 11.
no, et exsultate, justi. Jacobus vero loquitur de illicito gaudio, actioni vitiosæ an-

Prov. II, 14. nexo. De quo ait Scriptura : Lætantur quum male fecerint, et exsultant in rebus Joann. XVI, 20. pessimis. Et Christus quoque : Mundus, inquit, gaudebit. — Præterea his Jacobi verbis consonat quod in Ecclesiaste fer- Eccle. VII, 3. tur : Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii : in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens Ibid. 5. cogitat quid futurum sit. Et rursus : Cor sapientis ubi tristitia, et cor stultorum ubi Ibid. II, 2. lætitia. Hinc Salomon denuo ait : Risum reputavi errorem ; et gaudio dixi, Quid frustra deciperis ?

10 *Humiliamini in conspectu Domini :* id est, coram Deo unusquisque se deprimat, vitia sua inspiciat, defectus naturæ et culpæ quos habet in se intueatur, quam imperfecte serviat Deo perpendat. Ex his et aliis multis rite consideratis, unusquisque vilipendat se valde, et omni confusione, correptione et castigatione dignum se arbitretur, easque æquanimiter patiatur. *Et exaltabit vos* in vita præsenti per sublimia gratiæ dona, et in futuro per præcipua gloriæ munera. Ideo enim lo- Matth. V, 3. quitur Christus : Beati pauperes spiritu, id est humiles (juxta unam expositionem), quoniam ipsorum est regnum cœlorum ; Luc. XIV, 11. et denuo, Qui se humiliat, exaltabitur. Eccli. X, 29. Hinc in Ecclesiastico scribitur : Noli te extollere in faciendo opere tuo ; et ite- Ibid. XI, 1. rum, Sapientia humiliati exaltabit caput ipsius.

11 *Nolite detrahere alterutrum, fratres :* id est, unius alteri non obloquatur, quum hoc sit contra caritatem atque justitiam, et ex suo genere peccatum valde mortale, multoque gravius furto, secundum doctores. Peccata namque in proximum tanto sunt graviora, quanto majus nocumentum inferunt ei. Quum ergo per detractionem unus auferat alteri bonum nomen, et lædat eum in fama, faciatque eum aliis contemptibilem aut despectum ; ideo magis peccat quam fur, qui exteriorem tollit substantiam, qua bona fama est præstan- Eccle. VII, 2. tior, juxta illud Ecclesiastæ : Melius est nomen bonum quam unguenta pretiosa.

A Hinc Scriptura detractionem vehementissime ac sæpissime prohibet, reprobat et condemnat. Scriptum est enim in Proverbiis : Labia detrahentia procul sint a te ; Prov. IV, 24. et in Ecclesiaste, Si mordeat serpens in Eccle. X, 11. occulto, nihil minus eo habet qui detrahit. Sed et Sapiens ait : Custodite vos Sap. I, 11. a murmuratione, et a detractione parcite linguæ, quoniam sermo obscurus non ibit in vacuum. Denique S. Clemens Papa, martyr et doctor, refert quod beatissimus princeps Apostolorum dixit esse tria ho- B micidii genera : unum corporale ; aliud dixit esse odium ; tertium, detractionem, per quam is cui detrahitur, occiditur in corde audientis detractionem, quantum ad esse bonæ reputationis, quod in eo habebat.

Præterea, de ista materia dicit Thomas in secunda secundæ : Sicut unus dupliciter nocet alteri facto (puta : aperte, ut in rapina ; et occulte, ut in furto et percussione dolosa) ; ita dupliciter nocet unus alteri verbis : primo, aperte, ut in con- C tumelia ; et secrete, ut in detractione, quæ est denigratio alienæ famæ per verba occulta. Dicitur autem homo detrahere, non quia semper de veritate diminuat, sed quia quantum in se est, alterius famam ex intentione corrumpit, et bonum nomen ejus diminuit. Quod fit pluribus modis : primo, falsum alteri imponendo ; secundo, peccatum alterius exaggerando ; tertio, peccatum ejus occultum inordinate prodendo ; quarto, dum bonum dicit quis mala intentione esse peractum ; quinto, D dum bona alterius negat, malitioseve reticet, quando rationabilis causa exigit ea manifestari. — Insuper, susurratio in hoc convenit cum detractione, quod occulte malum dicit de proximo : propter quod unum frequenter pro alio sumitur. Proprie tamen differunt : quoniam susurrator intendit proximorum mutuam dilectionem corrumpere, seminando discordias. Idcirco susurratio est gravius crimen quam detractio, quia amicitia majus bonum est quam fama, juxta illud in Ecclesiastico :

Eccli.vi,15. Amico fideli nulla est comparatio. Et sicut rapina est gravior furto, sic contumelia detractione. Atque, ut ait Gregorius : Sicut contumelia oritur ex ira, sic detractio ex odio. Detractio quoque mentem detrahentis excæcat, ita ut detrahens, proprio vitio obtenebratus, incipiat verum putare quod dicit de alio, quamvis sit falsum.

Denique, detractor gravissime peccat : quia non solum occidit propriam animam, sed et animam audientis, quantum in se est, præbendo ei venenum mortiferum et consentiendi occasionem. Si enim audiens detractioni consentiat, mortaliter peccat, Rom. i, 32. quum dicat Apostolus : Non solum morte digni sunt, qui faciunt mala, sed etiam qui consentiunt facientibus ea. Imo detractor, quantum in se est, illum quoque cui detrahit, spiritualiter perimit : quia si ille percipiat qualiter ei detractum sit, oritur ei occasio odiendi detractorem, et obloquendi eidem. Audiens ergo detractionem, increpet detrahentem, et vultum avertat, si congrue potest. Quod si convenienter non potest, increpet eum aliquo signo, videlicet tristem faciem ostendendo : Eccle.vii,4. quia ut in Ecclesiaste legitur, Per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis. In Proverbiis quoque asseritur : Prov. xxv, 23. Ventus Aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem.

Abhorreamus ergo, jugiterque vitemus hæc vitia maledicta, videlicet verba contumeliosa, detractoria, susurratoria, et peccata ex eis nascentia. Et ut docet Isidorus, peccanti non obloquamur, sed compatiamur : formidantes ne et nos in eadem aut similia vel majora labamur. Qui enim proximis peccantibus mox indignantur, irascuntur ac detrahunt, merentur a Deo relinqui, et in eadem aut majora incidere.

Qui enim *detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum,* id est proximum judicio inordinato, temerario, suspicioso aut usurpato, *detrahit legi* divinæ, quæ prohibet detractionem et inordinata judicia, *et judicat legem,* id est, reprobat eam : non quod directe detrahat legi, aut reprobet eam, sed quoniam contra legem faciendo, ita se habet ac si sentiat eam esse iniquam, et quasi despiciat eam. Ait enim lex vetus : Non eris criminator, nec Lev.xix,16.
susurro in populo ; et rursus, Nolite fa- Ibid. 35.
cere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere, in mensura. *Si autem judicas legem, non es factor legis,* id est, eam non imples, ejus præceptis obediendo, *sed judex,* id est, quasi superiorem te facis lege divina, eam transgrediendo, et juxta modum prætactum judicando : quod prorsus iniquum est. Propter quod
subditur : *Unus est enim legislator et ju-* 12
dex, videlicet Deus, qui est supremus dator legis divinæ. Moyses vero fuit legislator ministerialis. Deus autem legem quam contulit, habet judicare, interpretari et dispensare in ea, tanquam superior ipsa. Ejusdem namque est, legem condere atque exponere. Hinc Isaias dicit : Dominus Is. xxxiii, 22.
judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster. Job quoque : Ecce Deus Job xxxvi, 22.
excelsus in fortitudine, et nullus ei similis in legislatoribus. *Qui potest perdere,* id est juste damnare, *et liberare,* id est misericorditer a peccato purgare, et ad salutem perducere. Qui in Deuteronomio testatur : Ego occidam, et ego vivere Deut.xxxii, 39.
faciam ; in Exodo quoque, Miserebor cui Exod. xxxiii, 19.
voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit. De quo ait Apostolus : Cujus Rom.ix,18.
vult miseretur ; et quem vult indurat. *Tu* 13
autem quis es, id est cujus auctoritatis, *qui judicas proximum tuum* inordinato judicio ? Sic et ad Romanos loquitur Paulus : Tu quis es qui judicas alienum ser- Ibid.xiv,4.
vum ? Suo domino stat aut cadit. Itemque : Tu quid judicas fratrem tuum ? Omnes Ibid.10,12, 13.
enim stabimus ante tribunal Christi. Itaque unusquisque pro se rationem reddet Deo. Non ergo amplius invicem judicemus.

Verumtamen ista non sunt intelligenda quasi non liceat prælatis, principibus et judicibus judicare subditos suos ; nec

sic, quasi de his quæ manifeste sunt ma-
la, nec bono animo fieri valent, non liceat
unicuique bene disposito judicare, sed ne
de incertis et dubiis quis præsumat te-
merarie judicare, affirmando seu defini-
endo aut puniendo. Aliud quoque est ju-
dicare personam, aliud actum. Sit ergo
unusquisque diligens sui ipsius examina-
tor, dijudicator et castigator, atque in pri-
mis emendet se ipsum. Sicque caritati-
ve, discrete et timorate, loco et tempore
opportuno, exigenteque causa judicet et
corripiat alium, prout hoc sibi incumbit
aut licet. Qui enim in eisdem aut majo-
ribus culpis est, indignus est alium ju-
dicare atque corripere de hujusmodi cul-
pis in quibus ipsemet jacet. Quidam vero
pessima consuetudine sunt infecti, qui
alios judicare sunt proni, et negligunt se-
metipsos.

Consequenter sapientissimus Jacobus is-
te reprehendit incautam locutionem mul-
torum. *Ecce nunc,* id est, errorem vestrum
modo advertite, vos *qui dicitis : Hodie
aut crastino ibimus in illam civitatem, et
faciemus quidem ibi annum,* id est, uno
* et anno stabimus ibi, *aut* mercabimur, et lu-
crum faciemus,* id est, vendendo et emen-
14 do lucrabimur ; *qui ignoratis, quid sit
vobis in crastinum,* id est, quid cras vo-
Matth. XXV, 13. bis eveniet, et an vivetis per diem, quia
nescitis diem neque horam. Idcirco in Pro-
Prov. XXVII, 1. verbiis scriptum est : Ne glorieris in cra-
stinum, ignorans quid superventura pari-
15 at dies. *Quæ est enim vita vestra,* id est
vita hæc corporalis ac temporalis ? Et re-
spondet : *Vapor est ad modicum parens,*
id est, similis est vapori seu fumo, brevi
horula apparenti, ac protinus deficienti.
Ideo subditur : *et deinceps exterminabitur,*
id est, deficiet talis vapor, seu vita hæc
præsens, quæ a nativitatis exordio est
quasi continuus atque celerrimus cursus
ad mortem. Propter quod sanctus Job di-
Job VII, 16. xit : Parce mihi, Domine, nihil enim sunt
Ibid. 6. dies mei ; et rursus, Dies mei velocius
transierunt quam a texente tela succidi-
tur. David quoque primo Paralipomenon :

A Dies nostri quasi umbra super terram, et *I Par.* XXIX, 15.
nulla est mora ; et in Psalmo, Homo va- *Ps.* CXLIII, 4.
nitati similis factus est, dies ejus sicut
umbra prætereunt.

Consequenter docet Apostolus sapien-
tem, timoratum ac sobrium modum lo-
quendi. *Pro eo ut dicatis :* id est, tam in-
sipientem modum loquendi habetis, pro
eo quod merito diceretis ; vel ita supplen-
dum est, Hæc doceo vos pro eo ut dicatis
posthac : *Si Dominus voluerit, et, Si vi-
xerimus, faciemus hoc aut illud.* Sic enim
B loquendo, memores estis propriæ fragili-
tatis atque incertitudinis vitæ præsentis,
et insinuatis ac præsupponitis totum vitæ
vestræ cursum, eventum et actum, ab
omnipotentia et voluntate Dei indesinen-
ter pendere. — Observemus ergo et nos
hunc salubrem modum loquendi : quem,
proh dolor ! multi non considerant neque
observant ; sed ita de futuris sibi et fa-
ciendis a se loquuntur, quasi certi essent
se tam diu victuros, vel a se ipsis vitam
haberent, nec conservatione indigerent
C divina, nec providentiæ Creatoris cun-
cta subessent. Idcirco merentur improvi-
se tolli de medio, et interdum sic acci-
dit eis.

Nunc autem exsultatis in superbiis ve- 16
stris, id est in superbis locutionibus et
verbis præsumptuosis : quia ut in Pro-
verbiis dicitur, Lætatur homo in sententia *Prov.* XV, 23.
oris sui. *Omnis exsultatio talis maligna
est,* id est vitiosa, et malæ libidinis igne
accensa. — *Scienti igitur bonum facere,* 17
et non facienti, id est, ei qui scit ad quæ
D obligetur, quid facere, quid vitare jam
debeat, nec tamen juxta suam peritiam
laudabiliter conversanti, *peccatum est illi,*
id est, sua scientia est sibi majoris culpæ
ac pœnæ occasio, et culpabilior est atque
damnabilior : quemadmodum ait Salvator,
Servus qui scit voluntatem domini sui, *Luc.* XII, 47.
et non facit, plagis vapulabit multis ; et
rursus, Cui plus datum est, plus requi- *Ibid.* 48.
retur ab eo. Hinc litterati specialiter obli-
gantur esse coram Altissimo justi ac recti,
et coram proximis exemplares. Propter

quod gloriosissimus Archiapostolus con-
II *Petr.* II, 21. testatur : Melius est non cognoscere viam
justitiæ, quam post agnitionem retrorsum
A reverti. Circa quæ verba inferius expo-
nenda, plenior erit, si Deus concesserit,
de horum intellectu verborum tractatus.

ARTICULUS VII

ELUCIDATIO CAPITULI QUINTI : AGITE NUNC, DIVITES.

SANCTUS apostolus Jacobus supra hor-
tatus est eos quibus scripsit, ad patien-
tiam in adversis, ad paupertatis amorem,
ad humilitatem in omnibus, et inordina-
tum ad terrena reprehendit affectum. Nunc
idem facit, ostendendo calamitatem ac pe-
riculosissimum statum divitum hujus sæ-
culi : quorum fallacem prosperitatem acri-
ter arguit, quatenus fideles pauperes in
sua sint inopia patientiores. Quibusdam
equidem nondum perfectis sua adversitas
et paupertas molestæ sunt, dum iniquo-
rum prosperitatem vident, nec vilipen-
dunt, sed aliquanti æstimant. In quorum
Ps. LXXII, 2, 3. imperfectorum persona ait Psalmista : Mei
autem pene moti sunt pedes, pene effusi
sunt gressus mei : quia zelavi super ini-
quos, pacem peccatorum videns. Unde rur-
Ps. XXXVI, 1. sus hortatur : Noli æmulari in malignan-
tibus, etc.
1 Ait ergo Apostolus : *Agite nunc, divites,*
id est, vitam corrigite, pœnitentiam facite,
Luc. XIII, 3. quum dicat Salvator : Nisi pœnitentiam
egeritis, omnes similiter peribitis. Et Pau-
Galat. VI, 10. lus : Dum tempus (inquit) habemus, ope-
remur bonum ad omnes. Quidam exponunt
sic : Agite nunc, divites, id est, voluntates
vestras iniquas implete. Ut sit locutio iro-
nica, quæ a contrario intelligenda est sen-
su, juxta quod in Apocalypsi scribitur :
Apoc. XXII, 11. Qui in sordibus est, sordescat adhuc ; et
qui nocet, noceat adhuc. Sed prima expo-
sitio melior existimatur. Quum enim in
generali dixisset Apostolus, Agite nunc,
divites, mox adjecit quid agere debeant.
Plorate ululantes, id est, vehementer do-
B lete, et ex interioris contritionis vehemen-
tia in intensum ejulatum erumpite : jux-
ta illud Michææ, Faciam planctum quasi *Mich.* I, 8.
draconum, et luctum quasi struthionum ;
in miseriis [*vestris*] *quæ advenient vobis,*
id est ex consideratione atque formidine
metuendi judicii Dei, æternaliumque pœ-
narum imminentium vobis nisi interim
dignum pœnitentiæ fructum feceritis.
Deinde subditur horum causa. *Divitiæ* 2
vestræ naturales, videlicet frumenta, vina
et consimilia, *putrefactæ sunt* ex diuturna
C et avara retentione : quoniam tempore
apto non communicastis eas egenis, prout
in Evangelio præcipit Christus, Quod su- *Luc.* XI, 41.
perest, date eleemosynam. Ex eadem quo-
que causa, *vestimenta vestra a tineis co-*
mesta sunt ; aurum et argentum vestrum 3
æruginavit, id est, ex vetustate et cupida
reservatione contraxit æruginem. Vesti-
menta autem, aurum et argentum, ad ar-
tificiales spectant divitias.
Et ærugo eorum, similiter et naturalium
divitiarum putrefactio, *in testimonium vo-*
D *bis erit,* id est, materialiter testimonium
perhibebit adversus vos, quia a Judice
summo assumetur in argumentum et si-
gnum vestræ cupiditatis ac justæ damna-
tionis. Qui enim divitias suas taliter reti-
nent, furtum et rapinam, imo nonnunquam
etiam et homicidium perpetrant : quia
sancti patres Ambrosius Basiliusque te-
stantur : Non minoris criminis est habenti
tollere, quam, quum possis et habeas, in-
digentibus denegare. Esurientium panis
est, quem tu detines ; nudorum indumen-

tum, quod includis ; miserorum redem-
ptio, pecunia quam abscondis : tantorum
te scias bona invadere, quantis possis nec
vis præstare. Imo, ut ait Hieronymus : Eo-
rum qui ex fame aut frigore obierunt,
mortis reus teneris. Itaque Jacobus non
divitias, sed eorum abusum et tenacitatem
condemnat. Hinc super illud Psalmistæ,
Ps. LXI, 11. Divitiæ si affluant, nolite cor apponere,
loquitur Augustinus : Qui non habet di-
vitias, non ambiat eas ; qui autem ha-
bet, non de eis superbiat. Nec dicit Pro-
pheta, Nolite eas habere, sed, Nolite cor
apponere. Non enim damnat divitias (per
quas mereri possumus regnum cœlorum),
sed cor appositum, quod eas misericordi-
ter non expendit, sed avare recondit. Hinc
Prov. XI, 26. quoque in Proverbiis dicitur : Qui abscon-
dunt frumentum in tempore, maledicen-
tur ; benedictio autem super caput ven-
dentium.

Et manducabit carnes vestras sicut ignis,
id est, causa erit infernalis incendii, quod
corpora vestra in inferno post diem ju-
dicii patientur. Non quod ærugo erit cau-
sa directa ac meritoria condemnationis,
quum non sit peccatum, sed naturalis ef-
fectus ; sed culpa quam incurristis avare
retinendo divitias, ex quarum reconditio-
ne æruginationem passæ sunt, meritoria
erit vestræ afflictionis causa. De talibus
Judith XVI, 20, 21. scriptum est : Dominus omnipotens vin-
dicabit in eis, in die judicii visitabit illos ;
dabit ignem et vermes in carnes eorum,
ut urantur et sentiant in sempiternum.
Eccli. VII, 19. Hinc in Ecclesiastico fertur : Humilia val-
de spiritum tuum, quoniam vindicta carnis
impii ignis et vermis.

*Thesaurizastis vobis iram in novissi-
mis diebus,* id est, per tantam avaritiam
vestram accumulastis vobis causam copio-
sissimam reprobationis ac condemnationis,
quas in die judicii et deinceps sustinebitis
in æternum. Juxta quem sensum dicitur
Rom. II, 5. ad Romanos : Secundum duritiam tuam
et impœnitens cor tuum, thesaurizas tibi
iram in die iræ et revelationis justi ju-
dicii Dei. Nempe in Ecclesiastico legi-

A tur : Avaro nihil est scelestius ; nihil est Eccli. X, 9, 10.
iniquius quam amare pecuniam ; avarus
enim animam suam habet venalem. Idcir-
co ait Salvator : Nolite thesaurizare vobis Matth. VI, 19.
thesauros in terra, ubi ærugo et tinea de-
molitur. Hinc ad Timotheum scribit Apo-
stolus : Divitibus hujus sæculi præcipe I Tim. VI, 17, 18.
non sublime sapere, nec sperare in incer-
to divitiarum, sed divites fieri in operibus
bonis, facile tribuere, communicare.

Consequenter describit Apostolus quod-
dam crimen enorme, quod ex avaritia ori-
B tur, quod est subtractio justæ mercedis
operariorum. *Ecce merces operariorum ve-* 4
strorum, qui messuerunt regiones vestras,
id est, terræ nascentia agrorum quos in
vestris regionibus possidetis, deposuerunt,
quæ fraudata est a vobis, id est, quam
mercedem illis injuste atque fallaciter sub-
traxistis, *clamat,* id est, materialiter vos
accusat, et ultionem contra vos expetit ; *et
clamor eorum,* videlicet præmiorum quæ
operariis vestris tenemini, seu clamor ope-
rariorum dolentium et conquerentium de
C tanta injustitia eis facta, *in aures Domini
Sabaoth introivit,* id est, ab omnipotente
Deo judicatus est justus. Talium enim ope-
rariorum querelam Deus reputat esse ju-
stissimam, atque injuriam eis illatam judi-
cat esse gravissimam. Dicitur autem Deus,
Dominus Sabaoth, id est exercituum, sive
omnipotens. Quod verbum magnificum ap-
posuit Jacobus, ad perterrendum iniquos,
qui ita se habent circa egenos, quasi non
habeant protectorem ac judicem : quum
tamen Deus omnipotens, angelicorum ex-
D ercituum Dominus, sit illorum specialis
pater, exauditor, tutor et judex, secundum
illud in Psalmo : Tibi derelictus est pauper, Ps. X, 14, sec. Hebr.
orphano tu eris adjutor.

Denique ut ex Scripturis elicitur, qua-
tuor sunt peccata, quæ propter suam enor-
mitatem dicuntur clamare ad Deum. Pri-
mum est homicidium, juxta illud Gene-
seos : Vox sanguinis fratris tui clamat ad Gen. IV, 10.
me de terra. Secundum est oppressio mi-
serabilium personarum, quemadmodum in
Exodo loquitur Dominus : Clamor filiorum Exod. III, 9.

Israel venit ad me, vidique afflictionem eorum. Tertium est vitium contra naturam. *Gen. xviii, 20.* Unde in Genesi loquitur Dominus : Clamor Sodomorum et Gomorrhæorum multiplicatus est. Quartum est defraudatio mercedis operariorum, ut patet hoc loco. Estque peccatum istud tam grave, ut in Ecclesi- *Eccli. xxxiv, 27.* astico dicatur : Qui effundit sanguinem, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. Hinc Scriptura peccatum hoc multipliciter prohibet : quia in Levitico ait *Lev. xix, 13.* Deus per Moysen, Non morabitur merces operariorum apud te usque mane; et To- *Tob. iv, 15.* bias, Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim mercedem ei restitue, et merces operarii tui apud te omnino non rema- *Job xxxi, 38-40.* neat. Hinc sanctus Job ait : Si adversum me terra mea clamat, si fructus ejus comedi absque pecunia, et animam agricolarum ejus afflixi, pro frumento oriatur mihi tribulus, et pro hordeo spina.

Insuper, ex temporalium affluentia solent oriri carnalia vitia : quia, ut ait Valerius : Dives currit ad libitum, corruit ad illicitum; et dum abundat divitiis, abundat et carnalibus vitiis. Idcirco subjungi-
5 tur : *Epulati estis super terram,* id est,
delicate et gulose vos refecistis, *et in luxuriis enutristis corda vestra,* id est, desideriis carnalibus vestri cordis, sensitivo appetitui consentientes, satisfecistis, incontinenter vivendo absque freno. Tales sunt qui non solum ex passione seu infirmitate, sed ex proposito et habitu vitioso vivunt turpissime, qui teste Philosopho, sunt brutis incomparabiliter viliores atque pejores. In talium persona ait Sa- *Eccle. ii, 10.* lomon in Ecclesiaste : Non prohibui cor meum, quin frueretur omni voluptate. Istis eveniet quod de divite epulone in Evangelio legitur, cui in infernali incen- *Luc. xvi, 24, 25.* dio constituto, negata est una aquæ gutta; et quod in Apocalypsi ait Judex cœle- *Apoc. xviii, 7.* stis, Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date ei tormentum et luctum. — Horum carnalium jam innumerabiles sunt imitatores. Quibus in Evangelio ait *Luc. vi, 24, 25.* Salvator : Væ vobis divitibus qui habetis

A consolationem vestram; væ vobis qui saturati estis. Qui et per Prophetam Amos loquitur : Væ qui dormitis in lectis ebur- *Amos vi, 1, 4.* neis, et lascivitis in stratis vestris. Unde et Judas asserit : Hi sunt in epulis suis *Judæ 12.* convivantes, sine timore, semetipsos pascentes. Contra quod loquitur Paulus : Non *Rom. xiii, 13.* in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis. — Denique congruo ordine præmisit Apostolus, Epulati estis; protinusque subjunxit, Et in luxuriis enutristis corda vestra : quoni- B am gulam sequi solet luxuria, præbetque ei incentivum, dicente Hieronymo : Venter æstuans vino, cito spumat libidinem. Ideo testatur Scriptura : Qui amat *Prov. xx, 1; xxi, 17.* vinum et pinguia, non erit sapiens, sed lascivus.

Quia et Judæi ex suis carnalitatibus et ambitionibus moti fuerunt ad Christi invidiam, deinde ad ejus occisionem (juxta illud Sapientiæ : Dixerunt impii : Circum- *Sap. ii, 1, 12, 13, 20.* veniamus justum, quoniam contrarius est operibus nostris ; promittit se scientiam C Dei habere, et Filium Dei se nominat; morte turpissima condemnemus eum) ; hinc subditur : *In die occisionis,* id est in die
Parasceves, *adduxistis* ad tribunal Pilati, 6
et occidistis, id est, occidi procurastis, *justum,* videlicet Christum, qui est Sanctus Sanctorum : qui antonomastice Justus vocatur, quia secundum quod Deus, est essentialiter sanctus et justus; atque ut homo, omnibus justior fuit per concreatam sibi justitiam, qua tota suæ humanitatis capacitas fuit repleta. De quo in Actibus D Stephanus ait : Patres vestri occiderunt *Act. vii, 52.* eos qui de adventu Justi annuntiaverunt, cujus vos nunc proditores et homicidæ fuistis. *Et non restitit vobis,* sed ut ab Isaia est prædictum, sicut ovis ad occisio- *Is. liii, 7.* nem ductus est, et tanquam agnus coram tondente se obmutuit. De istis Christus ante suam passionem locutus est apud Joannem : Quum exaltaveritis Filium homi- *Joann. viii, 28.* nis, tunc scietis quia ego sum. Imo, sicut in Actibus Apostolorum probatur, multa *Act. vi, 7.* turba sacerdotum et Pharisæorum credi-

derunt in Christum : qui tamen ejus oc- A
cisionem specialiter procurasse leguntur.
Quidam exponunt hunc locum de justis
communiter, intelligendo per justum, ju-
stos pluraliter, ut ponatur singulare pro
plurali. Nam in primitivæ Ecclesiæ exor-
dio, justi ab impiis passim ad judicia tra-
hebantur, et absque sua renisione occide-
bantur. Juxta quem modum Isaias ait :
Is. LVII, 1. Justus perit, et non est qui recogitet; et
viri misericordiæ tolluntur, et non est qui
intelligat.
Consequenter Apostolus vertit sermonem B
7 ad bonorum consolationem. *Patientes ergo
estote, fratres.* Potest tamen istud ad præ-
fatos divites jam conversos referri, ut sit
sensus : Quoniam ante conversionem ve-
stram ad Christum, tot scelera commisi-
stis, ideo quidquid adversitatis vobis nunc
accidit, patientissime ferre debetis : siqui-
dem culpæ debetur pœna. Et Deus in hac
vita per reprobos purgat electos, quemad-
Ibid. x, 5. modum per Isaiam contestatur : Væ As-
sur, virga furoris mei et baculus ipse
est. Itaque, Patientes estote *usque ad ad-* C
ventum Domini, id est usque ad horam
judicii vestri particularis, statim post mor-
tem, vel universalis judicii, quando justa
retributio fiet. Nam et Sanctis qui sub ara
Apoc. VI, 10. Dei clamabant, Usquequo, Domine, non
vindicas sanguinem nostrum de his qui
Ibid. 11. habitant super terram? responsum est, ut
requiescant tempus adhuc modicum, do-
nec impleatur numerus conservorum eo-
rum et fratrum, qui interficiendi sunt sic-
ut et ipsi.
Insuper terreno exemplo inducit eos ad D
patientiam istam. *Ecce agricola exspectat
pretiosum fructum terræ, patienter ferens*
dilationem fructuum sui laboris, *donec ac-
cipiat temporaneum,* id est primi tem-
poris fructum, *et serotinum,* id est ultimi
temporis terræ nascentia. Terra quippe
promissionis (ut fertur, et de qua nunc
loquitur) bis in anno fructificat, videli-
cet in Aprili atque Septembri. Sic Sancti
accipiunt fructum temporaneum. Statim
quippe post corporis resolutionem, eorum
animæ coronantur in cœlis, et fructum
serotinum sortientur in die judicii, in cor-
porum suorum glorificatione. Quum ergo
fructus æternæ salutis sit omni fructu ter-
reno incomparabiliter dulcior, præstanti-
or, jucundior, plenior, diuturnior, patien-
tissime ferre debemus omnem præsentis
vitæ afflictionem, propter æternam remu-
nerationem. Nec enim condignæ sunt pas- *Rom.* VIII,
siones hujus temporis ad gloriam illam. 18.
Hinc subditur :
Patientes estote et vos, et confirmate 8
corda vestra, id est, virtuosis operibus
roborate, et per futuræ beatitudinis fiduci-
am, per divinæ justitiæ contemplationem,
per considerationem æternalis supplicii
reproborum, per quotidianum profectum
virtutum, per fortitudinem mentis, con-
stabilite, atque in Deo defigite ac firmate
animas vestras : juxta illud ad Ephesios :
Confortamini in Domino, et in potentia *Ephes.* VI,
virtutis ejus; induite armaturam Dei, ut 10, 11.
possitis stare adversus insidias diaboli. Un-
de Josue loquebatur Dominus : Confortare *Josue* I, 7.
et esto robustus valde, ut custodias om-
nem legem. *Quia adventus Domini appro-
pinquabit :* imo indesinenter appropin-
quat. Propter quod in Apocalypsi ait : Ecce *Apoc.* XXII,
venio cito, et merces mea mecum est, 12.
dare unicuique juxta opera sua. Habacuc
quoque propheta inducit : Apparebit in *Habac.* II, 3.
finem, et non mentietur; si moram fe-
cerit, exspecta eum, quia veniens veniet,
et non tardabit. Porro Deus venire dicitur
in morte singulorum, per judicii exhibi-
tionem et retributionem mercedis. Unde
apud Marcum legitur : Vigilate (nescitis *Marc.* XIII,
enim quando Dominus veniat, sero, an 35, 36.
media nocte, an galli cantu, an mane), ne
quum venerit repente, inveniat vos dor-
mientes.
Nolite ingemiscere, fratres, in alter- 9
utrum, id est, unus ex zelo amaro aut
displicentia passionata contra alium nul-
latenus ingemiscat; sed alter alterius one- *Galat.* VI, 2.
ra portate, et invicem caritative ac dulci-
ter supportate. Vel, Nolite in alterutrum
ingemiscere, id est mutuo gemere et do-

lere propter adversa quæ sustinetis, quasi
injustus sit Deus, qui fidelibus tot ad-
versa largitur, impios vero in hoc sæculo
prosperari permittit. Imo unus alium ad
patientiam provocet, et consoletur in Do-
mino, quemadmodum ad Hebræos scribi-
Hebr. III, 13. tur : Adhortamini vosmetipsos per singu-
los dies, ut non obduretur quis ex vobis
Ibid. x, 24. fallacia peccati ; et alibi, Consideremus
invicem in provocatione caritatis et bo-
norum operum. Ita fecerunt septem fra-
tres Machabæi cum matre, qui se mutuo
II *Mach.* VII. ad martyrium hortabantur, prout secundo
Machabæorum plenius continetur. Confor-
miter et nos debemus nos invicem anima-
re, accendere, roborare, tanquam ejusdem
regis commilitones, ejusdem viæ ambu-
latores, eisdem hostibus circumvallati, et
ad eamdem patriam gradientes, quemad-
Hebr. XII, 1-3. modum ad Hebræos monet Apostolus : De-
ponentes omne peccatum, per patientiam
curramus ad propositum nobis certamen,
adspicientes in Jesum, qui proposito sibi
gaudio, sustinuit crucem. Recogitate eum
qui talem sustinuit adversus semetipsum
a peccatoribus contradictionem, ut non
fatigemini animis vestris. Nempe ut ait
Gregorius : Nihil est quod non æquani-
miter toleretur, si Christi passio ad me-
moriam revocetur. — Nolite igitur tam
infideliter et inique in alterutrum inge-
miscere, *ut non judicemini* judicio repro-
bationis, id est, ne condemnemini. De quo
Joann. v, 24. judicio ait Salvator : Qui verbum meum
audit, et credit ei qui misit me, habet
vitam æternam, et in judicium non venit.
I *Cor.* XI, 31. Apostolus quoque : Si nos ipsos dijudica-
remus, non utique judicaremur. *Ecce ju-
dex ante januam adsistit,* id est, proximus
adest, et adjuvare, judicare et remunera-
re paratus est. Unde in Apocalypsi loqui-
Apoc. III, 20. tur : Ego sto ad ostium et pulso.
Verumtamen, quia sancti patres non
solum verbo, sed et exemplo nos docu-
erunt, Jacobus exemplo illorum hortatur
10 nos ad patientiam indesinentem. *Exem-
plum accipite, fratres, exitus mali,* id est
mortis, quæ est malum pœnale, *et lon-*

A *ganimitatis,* id est longæ dilationis seu
exspectationis cœlestis retributionis, *labo-
ris,* qui in exercitiis virtuosis solet con-
sistere (propter quod ait vir sanctus : Pro- *Ps.* XVI, 4.
pter verba labiorum tuorum ego custodivi
vias duras ; atque Apostolus, Labora, in- II *Tim.* II, 3.
quit, sicut bonus miles Christi Jesu), *et
patientiæ,* id est æquanimis tolerantiæ in
adversis, *Prophetas, qui locuti sunt in
nomine Domini,* id est, ex divino instin-
ctu vere prophetaverunt hominibus. Qui
utique Prophetæ, quamvis essent viri tam
B sancti et præelecti, nihilo minus exitum
malum, id est violentam per martyrium
mortem, multiplicemque sustinuerunt la-
borem : et erant valde patientes atque
longanimes, ut patet de Abraham, Noe,
David, Isaia, Jeremia, ac aliis. Unde ad
Hebræos ait Apostolus : Juxta fidem de- *Hebr.* XI, 13.
functi sunt omnes isti, non acceptis re-
promissionibus, sed a longe eas adspici-
entes et salutantes, et confitentes quia
hospites et peregrini sunt super terram.
Judith quoque asseruit : Sic Isaac, sic Ja- *Judith* VIII, 23.
C cob, Moyses, et omnes qui Deo placue-
runt, per multas tribulationes transierunt
fideles.
Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt 11
adversa patienter : sicut etiam asserit Chri-
stus, Beati qui persecutionem patiuntur *Matth.* v, 10.
propter justitiam, quoniam ipsorum est
regnum cœlorum. De quibus scriptum est :
Sapientiam Sanctorum narrant populi, et *Eccli.* XLIV, 15, 14 ; *Sap.* III, 5.
laudem eorum nuntiat Ecclesia ; corpora
eorum in pace sepulta sunt, et nomina
eorum vivent in generationem et genera-
D tionem ; in paucis vexati, in multis bene
disponentur. Et Job ait : Beatus homo qui *Job* v, 17.
corripitur a Domino.
Sufferentiam Job audistis, id est admi-
rabilem patientiam ejus : qui quamvis
omnium sit exemplar virtutum, præser-
tim tamen patientiæ forma est. Unde de
Tobia habetur : Hanc tentationem permi- *Tob.* II, 12.
sit Dominus evenire ei (puta Tobiæ), ut
posteris daretur exemplum patientiæ ejus,
sicut et sancti Job. *Et finem Domini vi-
distis,* id est, quam gratiose Deus finaliter

egit cum Job, non solum post vitam præ- Job XLII, 10-16. sentem, sed etiam in sæculo isto eum remunerando, vidistis per fidem, id est, ex sacra libri ejus historia credidistis. De I Cor. XIII, 12. qua visione Apostolus : Videmus, inquit, nunc per speculum in ænigmate. Verumtamen quod dictum est, Finem Domini vidistis, communiter de Christo exponitur, ut sit sensus : Finem Domini, id est mortem Christi in cruce, vidistis, quia adstantes suæ cruci fuistis tunc adhuc increduli. *Quoniam misericors est Dominus* in sua natura, id est naturaliter bonus et pius : non tamen compassionis affectum in deitatis suæ natura habens, imo quoad hoc, misericors appellatur, quantum ad similitudinem effectus, non quoad veritatem affectus ; *et miserator* in effectu. Hoc Jacobus dicit : primo, quia electis suis Deus in tribulationibus misericordissime adfuit, eos quoque eripuit, et gloriosissime coronavit ; secundo, quoniam summa misericordia Dei fuit, quod proprium Filium suum pro nostra pati voluit salute.

12 *Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem sermo vester : Est, est ; Non, non : ut non sub judicio decidatis.* His consonat quod in Matthæo loquitur Chri- Matth. V, 34, 35, 37. stus : Ego dico vobis, non jurare omnino, neque per cœlum, neque per terram. Sit autem sermo vester : Est, est ; Non, non.

Sed quomodo intelligenda sunt ista ? Deut. VI, 13. quum in Deuteronomio dicatur, Dominum Deum timebis, et per nomen ejus jura- Ps. LXII, 12. bis ; et in Psalmo, Laudabuntur omnes qui Ps. CXVIII, 106. jurant in eo ; itemque, Juravi et statui custodire judicia justitiæ tuæ ; secundo II Par. XV, 15. quoque Paralipomenon, In omni corde suo juraverunt Domino, et invenerunt eum. III Reg. XVII, 1 ; IV Reg. III, 14. Elias quoque et Eliseus in libris Regum jurasse leguntur, dicendo : Vivit Dominus, in cujus conspectu sto hodie ; et Paulus Rom. I, 9 ; Philipp. I, 8. in suis epistolis, Testis (inquiens) est mihi Deus. — Sed omnium horum solutio atque concordia patent ex eo quod scri- A ptum est in Exodo : Non assumes nomen Exod. XX, 7. Domini Dei tui in vanum : non enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra. Christus igitur et ejus apostolus Jacobus non absolute prohibuerunt jurationem, sed jurationem indiscretam, injustam et falsam, et ne assuescamus jurare ; et rursus, quia frequentatio jurandi periculosa est, quum perjurationi approximet.

Præterea super illud Jeremiæ, Jurabis, Jer. IV, 2. Vivit Dominus, in veritate et judicio et B justitia, scribit Hieronymus, quod tres sunt comites juramenti, videlicet veritas, judicium seu discretio, et justitia, id est justa et rationabilis causa : quia hæc tria requiruntur ad hoc ut juramentum sit licitum ; et quodcumque eorum defuerit, erit illicitum juramentum. Si enim veritas desit, est falsa juratio ; si discretio, est temeraria et incauta. Si desit justitia, juratio est iniqua, inutilis et levis atque vana, quia non subest ad jurandum rationabilis causa. Per creaturas vero secun- C dum se consideratas, non licet jurare, sed in quantum divina veritas atque potestas relucet in eis. Si itaque ipsa juratio debitis virtutum circumstantiis vestiatur, ut scilicet fiat loco et tempore opportunis, causa rationabili exigente, debito fine, tunc est actus virtutis quæ latria appellatur, per quam cultus Deo impenditur. Nam qui sic jurat, Deum honorat, quoniam præsupponit eum esse infallibilem veritatem, ac omnium rerum habere certissimam cognitionem, providentiamque D infallibilem. Qui vero aliter jurat, non excusatur a culpa, quamvis quod jurat sit verum. Cedit namque ad irreverentiam omnipotentis et superdignissimi Dei, eum sine rationabili causa et discretione, in testem veritatis verborum propriorum assumere.

Quum ergo ita jurare sit contra divinum præceptum, et per consequens ex suo genere peccatum mortale, constat quam enormiter peccent qui consuetudinem habent jurandi, et qui jurant mendose, aut

non implent quod juraverunt, dummodo juraverint licite. Verumtamen supergravissime peccant, et quasi blasphemi sunt reputandi, qui per membra Christi et intestina ipsius, sceleratissime jurant. Idcirco in Ecclesiastico scribitur : Jurationi non assuescat os tuum ; multi enim casus in ea. Vir multum jurans, replebitur iniquitate, et non deficiet de domo illius plaga. Unde quum Jacobus prohibuisset jurare, adjecit : Ut non sub judicio decidatis, id est, ne condemnationis judicium incurratis. Hinc dicit Albertus : Quum jurare non sit aliud quam Deum testem invocare, idcirco : primo, ex parte rei quæ juramento firmatur, requiritur veritas ; secundo, ex parte causæ pro qua juratur, debet esse necessitas (juramentum quippe non debet fieri nisi pro justa et legitima causa) ; tertio, ex parte jurantis debet esse discretionis maturitas : quia ne homo incurrat perjurium, debet magnam cautelam ac maturitatem in jurando servare, ne ex linguæ lubricitate contingat eum aliquando inordinate aut false jurare. Sit igitur omnis homo verax, ad jurandum tardissimus, atque tam verax semper in verbis suis, ut suo simplici verbo quasi juramento credatur : quod sibi exstat salubre, et aliis exemplare.

Eccli. XXIII, 9, 12.

13 *Tristatur aliquis vestrum ? Oret æquo animo, et psallat.* De duplici tristitia loquitur sacra Scriptura, videlicet de inordinata et sæculari tristitia, quæ est immoderata mœstitia de temporali damno, aut corporali incommodo, seu exteriori adversitate. De qua in Ecclesiastico legitur : Tristitiam longe expelle a te ; multos enim occidit tristitia, et non est utilitas in ea. In Proverbiis quoque, Sicut tinea vestimento, ita tristitia nocet cordi. Alia est tristitia spiritualis, bona et ordinata, qua homo de propriis aut proximorum dolet peccatis, præsertim de inhonoratione et offensa summi ac sancti Dei ; vel de propria imperfectione, aut dilatione felicitatis perpetuæ. De qua Salomon ait : Cor sapientium ubi tristitia ; et Psalmista,

Ibid. XXX, 24, 25. — *Prov.* XXV, 20. — *Eccle.* VII, 5.

A Tota die contristatus ingrediebar. Atque Apostolus ad Romanos : Tristitia mihi magna est, et dolor continuus cordi meo, videlicet propter excæcationem Judæorum. Et rursus Apostolus utramque tristitiam tangit, dicendo : Quæ secundum Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur ; sæculi autem tristitia mortem operatur.

Ps. XXXVII, 7. — *Rom.* IX, 2. — II *Cor.* VII, 10.

Qui ergo tristatur tristitia inordinata, oret Deum ut auferatur ab eo ; et psallat, quatenus psallendo incipiat spiritualiter B delectari, et a prava relevari mœstitia, quæ non solum animæ, sed et corpori præcipue nocet, naturam lædit, et vitam abbreviat, juxta illud in Proverbiis : Spiritus tristis exsiccat ossa ; animus autem gaudens ætatem floridam facit. Porro, qui tristatur bona et virtuosa tristitia, oret Deum, ut conservetur in ea ; et psallat ac spiritualiter jucundetur ex consideratione Dei, cœlestisque præmii et beneficiorum ac operum Christi : quia et illa tristitia, quamvis sit bona, est tamen quandoque in- C terrumpenda per gaudium spirituale, ne homo se nimis dejiciat aut affligat. — Quidam hoc loco per tristitiam intelligunt acediam, quæ est torpor et mœror de exercitio virtuoso, seu de Dei obsequio. Idcirco orare Deum debet, qui acediæ vitio tangitur, ut ab ea protinus liberetur, et fervens alacerque reddatur.

Prov. XVII, 22.

Itaque oratio et psalmodia remedia sunt contra tristitiam et acediam. Est enim admirabilis virtus psalmorum et orationum, et ex sua natura habent mentem orantis D ac psallentis dulcedine quadam perfundere. Nam in psalmis et orationibus homo attendit Dei omnipotentiam, pietatem, liberalitatem et perfectionem, propriam quoque imperfectionem, et Christi mysteria, quorum consideratio est jucunda, in quantum veritas naturaliter est delectans. Per gratiam vero hæc dulcius sapiunt. Angeli etiam sancti orantibus psallentibusque adsistunt, et eos exhilarant. Hinc ait Psalmista : Exsultabunt labia mea quum cantavero tibi. Et Gregorius : Dum vox psalmodiæ

Ps. LXX, 23.

per intentionem cordis agitur, tunc aut prophetica mysteria revelantur, aut compunctionis gratia inspiratur. — Itaque, qui tristatur, non se ad carnales vilesque consolationes effundat, non murmuret, nec loquacitatibus vacet, nec pusillanimis efficiatur, neque a bonis cesset operibus; sed faciat quod est in se, et oret ac psallat, quamvis in hoc spiritualem non experiatur saporem. Imo Deum pro spirituali consolatione stabiliter deprecetur, et eam longanimiter præstoletur, sicque eam citius obtinebit, secundum quod apud To-
Tob. III, 22. biam dicitur Deo : Non delectaris in perditionibus nostris, quia post tempestatem tranquillum facis, et post fletum exsultationem infundis.

Consequenter apostolus Jacobus consu-
14 lit graviter ægrotanti. *Infirmatur quis in vobis?* id est, si aliquis vestrum graviter infirmatur, ita ut probabiliter æstimetur cito moriturus, *inducat presbyteros Ecclesiæ,* id est, sacerdotes faciat sibi adduci, si plures sint ibi presbyteri, et convenienter possint haberi, ut multorum oratione infirmus copiosius adjuvetur. Sufficit tamen unus sacerdos ad ungendum : imo quamvis plures adducantur et adsint, tamen ab uno fit unctio. Istud autem sacramentum Extremæ unctionis, est exeuntium. *Et orent super eum,* id est, omnes invocent misericordiam Dei super infirmum, *ungentes eum oleo* consecrato, ex debita materia confecto : ita tamen quod unus faciat unctionem realiter, et alii suo modo cooperentur. *In nomine Domini.* Hoc refertur ad ungentes. Unctio enim fieri debet sub certa et congrua forma verborum; et nunc communiter fit cum invocatione nominis Dei seu pietatis divinæ per modum orationis, quum dicitur: Per istam unctionem, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus quid-
15 quid peccasti per visum, etc. *Et oratio fidei,* id est oratio ungentis facta in fide catholica, atque ex fide procedens, *salvabit infirmum,* id est, ad salutem cooperabitur ei, præsertim virtute sacramenti : quoniam sacramenta evangelicæ legis sunt medicinalia vasa, gratiæ contentiva, et effectiva salutis, quia efficiunt quod designant ; *et alleviabit eum Dominus* a corporis infirmitate, illam tollendo aut minuendo. *Et si in peccatis sit, dimittentur ei :* quia virtute hujus sacramenti venialia dimittuntur, contra quæ creditur institutum, et etiam cetera de quibus non recordatur.

Itaque ad sacramentum Extremæ unctionis, quinque de necessitate concurrunt : primum, quod unctionem faciens, sit sacerdos; secundum est intentio ejus; tertium, materia, utpote oleum infirmorum; quartum est forma verborum; quintum, locus inungendi. Potest et sextum addi, quoniam a solis episcopis potest hoc oleum consecrari seu confici. Nec datur sacramentum hoc nisi adultis, qui venialia habere videntur. — Porro effectus hujus sacramenti, est multiplex, utpote duplex sanitas, scilicet : spiritualis, quæ est liberatio a spirituali infirmitate, contracta ex mortalibus venialibusque peccatis, estque infirmitas illa quædam debilitas ad actum virtutis. Hinc dicitur sacramentum hoc institutum contra reliquias peccatorum. Sanat quoque a venialibus quæ invenit in eo qui ungitur. Secunda est sanitas corporalis, quam causat in parte aut toto, si expediat ad salutem, nec obex ponatur. Causat etiam sacramentum hoc quamdam spiritualem lætitiam, et valet ad continuandam devotionem, atque ad celeriorem ingressum in patriam.

Et quia ad remissionem peccatorum actualium mortalium, requiritur sacramentalis confessio in facto vel proposito, sine qua non est quis aptus sacramentum Ex-
tremæ unctionis suscipere, subditur : *Con-* 16
fitemini ergo alterutrum peccata vestra, id est, unus alteri propria peccata confiteatur. Verumtamen, sacramentalis confessio soli facienda est sacerdoti. Tamen in casu necessitatis potest non sacerdoti confessio fieri de quibuscumque peccatis : quæ tamen confessio non est perfecte sacra-

mentalis, estque reiteranda, seu sacerdoti A
postmodum facienda, si ad hoc detur facultas.
Venialium vero confessio potest alterutrum
non sacerdotibus fieri, quum non sit de necessitate
salutis. Quæ omnia super quartum Sententiarum
doctores declarant. Hinc Beda hic scribit : Quotidiana
leviaque peccata alterutrum coæqualibus confiteamur;
graviorem vero lepram, id est mortalia, sacerdoti
pandamus. Nec hoc sic intelligendum est quasi non
debeamus venialia sacerdotibus confiteri, sed quia
non ita necessarium est ea sacerdotibus B
confiteri sicut mortalia.

Et orate pro invicem ut salvemini. Hoc
namque exigit caritas, qua proximorum
tenemur desiderare ac procurare salutem
quemadmodum propriam. Oratio quippe
Matth. vi, 9-13. desiderii est interpres. Hinc Christus orationem
quam docuit, in plurali formavit,
insinuans ut pro proximis sicut pro nobis
ipsis oremus : ita ut interdum eadem
oratio pro se aliisque fundatur; interdum
vero oret quis, nunc pro se et specialibus
indigentiis suis, nunc pro aliis, et præ- C
sertim pro communi bono Ecclesiæ, pro
reformatione ejus in omnibus, pro parentibus,
propinquis, commissis et benefactoribus,
pro cunctis fidelibus defunctis, pro
vivis ac mortuis, pro universorum salute
et infidelium conversione. Qui enim pro
omnibus orat, particeps est omnium bonorum
quæ fiunt : et bonum quanto communius,
tanto divinius perhibetur. Hinc
debet unusquisque orationes aliorum humiliter
ac ferventer appetere, et eos, ut
pro se orent, rogare. Quo enim alios humi- D
lius atque ferventius, ut pro nobis orent,
rogamus, eo capaciores efficimur fructus
orationis illorum. Potissimum tamen hominum
devotorum et notabiliter virtuosorum
est appetenda oratio. Propter quod
subditur :

Multum enim valet deprecatio justi assidua.
Justus namque est Dei amicus, ejusque
filius adoptivus, et ei consimilis atque
Ps. x, 8. amabilis. Siquidem justus Dominus, et justitias
dilexit. Amicorum autem est eadem

velle et nolle. Ideo scriptum est : Oratio Eccli. xxxv, 21.
justi penetrat cœlos; itemque, Voluntatem Ps. cxliv, 19.
timentium se faciet, etc. Et bene ait Apostolus,
quod assidua justi oratio valeat
multum, seu magni vigoris ac meriti seu
præcipuæ exaudibilitatis sit apud Deum :
quia una conditio ad orationis exaudibilitatem
requisita est, ut sit perseverans.
Propter quod ait Salvator : Oportet semper Luc. xviii, 1.
orare, et non deficere. Porro orationes ministrorum
Ecclesiæ, quamvis injustorum,
tamen in persona Ecclesiæ fusæ, quamdam
efficaciam sortiuntur pro plebe.

Quod autem multum valeat justorum
oratio, probat exemplo. *Elias homo erat* 17
similis nobis passibilis, id est mortalis,
qui et timore mortis fugit a facie Jezabel; III Reg. xix, 3.
et oratione oravit. Ista est proprietas idiomatis
Hebræorum, per talem ingeminationem
effari, sicut in Isaia : Dissipatione Is. xxiv, 3, 20, 19.
dissipabitur terra, agitatione agitabitur terra,
confractione confringetur terra. Vel ideo
ait, Oratione oravit, quoniam una oratione
impetravit quod subditur, ut Beda
hic loquitur. Itaque, Oratione oravit, *ut
non plueret super terram* decem tribuum
Israel, propter eorum facinora, videlicet
idololatrias regis eorum et ipsorum. Hoc
enim oravit Elias zelo justitiæ, ut per adversa
retraherentur a vitiis vexatione edocti.
Et non pluit annos tres et menses sex.
Ista historia tertio Regum diffuse describitur. III Reg. xvii, 1 et seq.
Et rursus oravit. Quum enim vidisset 18
eos humiliatos et nimis afflictos, condoluit
eis, orans Deum ut pluviam condonaret. Ibid. xviii, 42-45.
Et cœlum dedit pluviam, id est, sua virtute
influentiali concurrit ad hoc; *et terra
dedit fructum suum.*

Fratres mei, si quis ex vobis erraverit 19
a veritate, id est, aliquis vestrum a fidei
rectitudine, aut a veritate doctrinæ, vitæ
sive justitiæ declinaverit, *et converterit
quis eum* per veram informationem, caritativam
exhortationem, justam increpationem,
fraternam correptionem; *scire debet* 20
*quoniam qui converti fecerit peccatorem
ab errore viæ suæ,* id est, a via perditionis
ad viam salutis, seu observantiam præ-

ceptorum, reduxerit, *salvabit animam ejus a morte,* id est, a condemnatione gehennæ, quæ est mors æternæ miseriæ, animam peccatoris conversi præservabit ac eruet. Revocando enim eum a culpa, eruit eum a pœna perpetua. *Et operit multitudinem peccatorum,* id est, peccata peccatoris conversi facit sic tegi, ut a Judice summo non videantur ad condemnandum. Nempe per hoc quod peccatorem ad contritionem et emendationem inducit, cooperatur ad remissionem culparum illius : quæ remissio est peccatorum opertio sive *Ps.* xxxi, 1. tectio vel deletio, juxta illud, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. — Aliqui textus habent : Salvabit animam suam a morte : quia qui alium ex caritate admonet, corripit et convertit, sibi ipsi maximum præmium promeretur, et caritatis suæ fervore quotidiana et propria sua incendit peccata, dimittunturque ei. Imo et præteritorum suorum excessuum obtinet remissionem, quantum ad pœnam, omnino aut partim, secundum quod caritatis fervor fuerit in eo major aut minor. Idcirco in *Prov.* x, 12. Proverbiis scribitur : Universa delicta ope- *I Petr.* iv, 8. rit caritas. Et princeps Apostolorum : Caritas, inquit, operit multitudinem peccatorum. Idcirco de beatissima Magdalena *Luc.* vii, 47. locutus est Dominus : Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Verumtamen si quis impie vivens, non agens quod docet, prædicare præsumpserit, et prædicando quosdam quasi convertens, sua peccata sibi indulgeri non promeretur : imo gravius peccat, et suas transgressiones multiplicat, prædicationis officium indigne exercens.

Ex præinductis demum sancti apostoli Jacobi verbis docemur, quam salubre et magnum sit apud Deum, peccantes fraterne corripere, pie instruere, caritative convertere. Nam, ut divinus Dionysius fassus est, omnium divinorum divinissimum est, Deo cooperari in conversione iniquorum ad eum. Atque ut asserit Augustinus, A ille in caritate Dei est perfectior, qui ad ejus amorem plures convertit. Gratissimumque Deo sacrificium, zelus est animarum. Et sicut Christus graviorem pati non potest persecutionem, quam ut quis verbo aut exemplo, animas suo sanguine liberatas, ab ipso avertat : sic ampliorem honorationem ei impendere non valemus, quam animas deviantes convertendo ad ipsum. Fraternam ergo correptionem, ad quam omnes tenentur, in quantum est caritatis effectus, efficaciter ac discrete B cum omni fervore et humilitate exerceamus, errantes et lapsos erigamus pro posse et informemus. Taliterque vivamus, et tam timorate ac fructifere jugiter conversemur, ut alios corripere, informare, convertere simus idonei. Nec verbis dumtaxat, sed oratione quoque et exemplo, pro aliorum conversione conemur. Imo pro illis oremus instantius, quos incorrigibiliores conspicimus. Deficiente quippe humana virtute, ad Omnipotentis auxilium seriosius est confugiendum. Postremo, ut C in Ecclesiastico scriptum est : Unicuique *Eccli.* xvii, 12. Deus mandavit de proximo suo, ut eripiat eum ab omni iniquo. Errori quoque cui non resistitur, consentitur. Zelo ergo divini honoris ac fraternæ salutis simus semper accensi. Quumque anima sit incomparabiliter corpore præstantior, et æterna felicitas omni temporali sanitate inæstimabiliter desiderabilior, infernalisque mors omni corporali præsentis vitæ languore formidabilior; propterea incomparabiliter sollicitiores operosioresque simus pro con- D versione et salute animarum errantium proximorum, quam pro curatione corporum aut relevamine corporalium incommodorum illorum, ut sit in omnibus nostra caritas ordinata. Nec dubium quin omnia ista ad prælatos ac præsidentes potissimum spectent. Omni igitur modo possibili pro propria ac proximorum laboremus salute. Ad laudem et gloriam Omnipotentis, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

ENARRATIO
IN EPISTOLAS BEATI PETRI

ENARRATIO

IN EPISTOLAM PRIMAM

BEATI PETRI

ARTICULUS PRIMUS

ENARRATIO CAPITULI PRIMI : PETRUS APOSTOLUS JESU CHRISTI.

1 PETRUS *apostolus Jesu Christi*. Quamvis princeps pastorum, Unigenitus Dei Jesus Christus, increata et æterna sapientia Dei Patris, gloriosissimum Petrum toti et universali prætulerit militanti Ecclesiæ, plenum, summum ac generalem suum vicarium constituens eum in terra, dicendo, Pasce oves meas (*Joann.* xxi, 17.); nihilo minus dicitur sacratissimus Petrus specialiter Judæorum fuisse apostolus, juxta illud ad Galatas : Qui operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes (*Galat.* ii, 8.). Quemadmodum enim Jacobus constitutus est Jerosolymitanorum Christianorum primus episcopus; sic Petrus omnium in Judæa, Samaria, Galilæa ac alibi, Judæorum instructioni, conversioni, gubernationi fuit specialiter desuper deputatus atque intentus. Hinc, ut apostolatus sui officium digne prosequeretur, duas conversis Judæis scripsit epistolas.

Itaque in primæ suæ epistolæ ait exordio : Petrus apostolus Jesu Christi. Porro, in exordio secundæ suæ epistolæ ait : Simon Petrus. Cur ergo non exprimit nomen suum utrumque in principio hujus epistolæ, quemadmodum in illius? Et cur in A utriusque initio vocat se Petrum magis quam Simonem? An forsan quia hoc nomen, Petrus, dulcius sapuit sibi, et magis gloriabatur de illo in Domino, eo quod Dominus Christus illud proprio sibi imposuerit ore, Tu es, inquiens, Petrus (*Matth.* xvi, 18.)? Tamen, ut in Marco legitur, hoc nomen imposuit ei Christus in monte, quando ordinavit duodecim Apostolos (*Marc.* iii, 16.). Denique, quum Petrus princeps Apostolorum esset, hoc humilitatis fuit quod se simpliciter nominavit apostolum.

B Itaque, Petrus Christi apostolus scribit *electis advenis*. Secundum Bedam, advenæ Latine, Græce dicuntur proselyti : quo nomine appellabant Judæi eos qui ex gentilitate ad Judaismum erant conversi, sicut jam nuncupantur neophyti, qui infidelitate relicta, ad Christianismum convertuntur. De illorum autem advenarum seu proselytorum numero fuerunt nonnulli, qui in die sacratissimo Pentecostes, Petro prædicante, crediderunt in Christum, juxta illud Actuum : Judæi quoque et proselyti (*Act.* ii, 11.). C His ergo, secundum Bedam, scripsit Petrus ambas suas epistolas : quod etiam Glossa ac alii protestantur. — Verumta-

men verius reor, quod non eis dumtaxat, A sed Judæis universis ad Christum conversis scripsit, quemadmodum Jacobus, sive ante susceptionem Judaismi fuerunt gentiles, sive non. Omnium namque generaliter habuit curam, caritatem et prælationem. Indigueruntque omnes exhortatione, instructione et consolatione summi Apostoli. Denique advenæ non solum dicuntur proselyti, quum primo Paralipomenon sanctus
1 *Par.* xxix, 15. David loquatur ad Dominum : Peregrini sumus coram te et advenæ, sicut omnes
Ps. xxxviii, 13. patres nostri. Et Psalmista : Ne sileas, inquit, quoniam advena ego sum apud te. Omnes etenim Christiani viatores et advenæ vocantur, quia ad veram et cœlestem atque perpetuam patriam tendunt, et in sæculo isto, tanquam in exsilio, in terra aliena, in via, lacrimarumque valle degunt, prout ad Hebræos loquitur Paulus
Hebr. xi, 13, 14. de veteribus Sanctis : Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed eas a longe adspicientes et salutantes, et confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram : qui enim C hæc dicunt, significant se patriam inquirere.

Igitur, juxta hanc advenæ significationem, sanctissimus princeps apostolici ordinis, universos ex Judaismo ad Christum conversos, vocat advenas, id est in sæculo isto peregrinos, viatores et exsules, juxta
Ibid. xiii, 14. illud ad Hebræos : Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Et recte sic nominat eos, ut implicite commoneat eos, non, juxta consuetudinem legis Mosaicæ, terrena bona, sed cœlestia D præmia exspectare, appetere, atque accedere. Vocat quoque eos electos advenas, quia præ ceteris ad evangelicæ legis fidem et gratiam erant divinitus præordinati, vocati, perducti. Erant siquidem de electis illis reliquiis, de quibus Isaias prædixit :
Is. x, 22. Si fuerit numerus filiorum Israel quasi arena maris, reliquiæ ex eis salvæ fient. De quibus ad Romanos inter cetera dici-
Rom. xi, 5. tur : Reliquiæ secundum electionem gratiæ Dei salvæ factæ sunt.

Itaque, Electis advenis *dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ et Bithyniæ*, id est disgregationis factæ per regiones hic nominatas, quæ pertinebant ad Græciam, secundum Bedam et Glossam. Judæi quippe extra fines propriæ terræ erant per totum mundum dispersi : quorum multi in præfatis provinciis, scilicet Ponto, Galatia, etc., habitabant, et quidam eorum ad tempus in Jerusalem morabantur. Quumque credidissent, tandem a Judæis incredulis sunt expulsi, Stephano
B lapidato, ut legitur in Actibus. *Act.* viii, 1. 2

Porro quod sequitur, *secundum præscientiam Dei Patris*, refertur ad illud, Electis advenis : quia electi fuerunt secundum præscientiam, id est prædestinationem, Dei Patris, utpote omnipotentis ac sapientissimi Creatoris, qui est Deus unus ac trinus : de quo in Deuteronomio habetur, Numquid non ipse est pater tuus, qui pos- *Deut.* xxxii, 6.
sedit te, et fecit et creavit te ? Itaque, Electis advenis, secundum præscientiam Dei, hoc est, secundum quod a Deo prædestinati fuerunt, seu præordinati ad vitam gratiæ in præsenti, et ad vitam gloriæ in futuro, qui etiam unum ad majorem beatitudinem præordinavit, quam alium. Sumitur ergo hoc loco electio pro prædestinatione, quemadmodum etiam ad Romanos, ubi dicitur : Quos præscivit, et *Rom.* viii, 29.
prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui. In generali autem modo loquendi, præscientia refertur ad reprobos, qui idcirco vocantur præsciti, hoc est ad damnationem seu damnari præcogniti. Præcognitio enim electorum ad gloriam, proprie prædestinatio appellatur. Propterea nomen præscientiæ reprobis deputatur.

In sanctificationem spiritus (vel, ut aliqui textus habent, *in sanctificatione spiritus*), *in obedientiam et adspersionem sanguinis Jesu Christi*. Et condependent hæc omnia sibi invicem et ad superiora. Ut sit sensus : Electis advenis secundum præscientiam Dei Patris, tendentem in sanctificationem spiritus, id est ad hoc ut electi per gratiam Spiritus Sancti purgen-

tur ab omni peccato, atque virtutibus decorentur: quod primo fit in Baptismo. Ista autem sanctificatio, est prædestinationis effectus, et appropriatur Spiritui Sancto, eo quod proprie opus sit caritatis, pietatis et liberalitatis, quæ Spiritui Sancto appropriantur. Tamen quod dicitur, Spiritus, posset referri ad spiritum creatum, utpote animam rationalem, quæ in Baptismo sanctificatur, et proprie est gratiæ ac virtutis subjectum. — Si vero legatur, In sanctificatione spiritus, sensus est, quod præscientia Dei circa electos, in præfata baptismali sanctificatione, tanquam per suum effectum, est declarata. Vel sensus est iste, quod præfati advenæ fuerunt electi secundum præscientiam Dei in sanctificatione spiritus, id est, per hoc quod a Spiritu Sancto sanctificati sunt in Baptismo, manifestata est a Deo eorum electio. — Et quia sanctificatio baptismalis ordinatur ad hoc, ut baptizati de cetero vivant juxta Evangelium Christi, obediendo ejus præceptis, hinc additur, In obedientiam Jesu Christi. Interponitur tamen hoc verbum, Et adspersionem sanguinis: quia Baptismus, sicut et cetera sacramenta, a Christi passione suam sortitur virtutem; et ita fideles suscipiendo Baptismum aut cetera sacramenta, sanguine Christi spiritualiter adsperguntur ac perfunduntur, per hoc quod meriti passionis Christi fiunt participes, cujus meriti effectus est sanctificatio jam præfata. Unde per sacramenta Ecclesiæ meritum passionis Christi dicitur hominibus applicari, hoc est divinitus communicari seu impertiri. Pro-
Apoc. I, 5. pter quod in Apocalypsi asseritur: Christus dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Sicque quod Apostolus ait, In adspersionem, dicit juxta consuetudinem veteris Testamenti, in quo
Exod. XXIX, 21; *Lev* IV, VIII, XIV, passim. quæ sanctificanda erant, hostiarum sanguine adspergebantur. Denique quod ait, In adspersionem sanguinis Christi, sic potest intelligi: Quoniam Christus præcepit ut fideles suum in Sacramento acci-
Joann. VI, 54. piant sanguinem. Ait enim: Nisi mandu-

A caveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

Gratia vobis et pax multiplicetur. Duplex ponitur gratia, scilicet gratia gratum faciens, et gratia gratis data. Gratia gratum faciens, est habitus supernaturalis infusus, essentiam rationalis animæ immediate perficiens, et eam in esse supernaturali, Deo accepto, atque ad promerendum vitam æternam idoneo, ponens. Quemadmodum enim ad operationes naturales ex-
B ercendas, fit homo idoneus per formam substantialem ac naturalem, seu animam rationalem; ita ad actiones meritorias Deo acceptas, fit homo potens, dignus et aptus per formam hanc supernaturalem, videlicet gratiam gratum facientem. Et sicut necesse est ut antequam homo operetur naturales operationes, constituatur in esse naturali specifico; sic antequam faciat actiones meritorias, oportet ut in quodam supernaturali esse ponatur: quod directe ac primo per gratiam gratum facientem
C efficitur. Est autem hæc divinæ essentiæ quædam supernaturalis similitudo, et luminis gloriæ inchoatio, ac omnium meritoriarum actionum fontana origo, ramificans in habitus virtutum atque donorum. Quidam vero putant hanc gratiam realiter idem esse quod virtutem infusam, potissimum caritatem. Sed prætacta positio verior subtiliorque censetur, imo et divini Dionysii documentis conformior, prout Thomas inducit. Indigemus ergo in primis hac gratia, quoniam actiones nostræ Deo
D acceptæ et meritoriæ nequeunt esse, nisi primo nos ipsi simus Deo accepti: quod per gratiæ hujus infusionem consequimur, per quam et Deo supernaturaliter assimilamur, atque amabiles reddimur. Idcirco scriptum est: Respexit Deus ad Abel, et *Gen.* IV, 4. ad munera ejus. In quibus verbis pensandum est, quod primo dicitur Deus respexisse ad Abel, deinde ad munera ejus. — Porro gratia gratis data, proprie dicitur supernaturale donum pro aliorum utilitate alicui desuper datum, dicente aposto-

I Cor. xii, 7. lo Paulo : Unicuique datur manifestatio A spiritus ad utilitatem.

Verumtamen gratia gratum faciens, et gratia gratis data, frequenter extensius quam nunc dictum est, accipiuntur : ita ut omnis habitus virtuosus, omnis virtus infusa, omne donum Spiritus Sancti, loquendo de septem donis, omnisque actus meritorius, gratia gratum faciens appelletur; et quidquid ad gratiam sic acceptam, atque ad salutem disponit et confert, gratia gratis data vocetur.

Orat ergo princeps Apostolorum ut gra- B tia nobis multiplicetur, id est multipliciter infundatur, augeatur et conservetur : quatenus in utraque gratia concrescamus ac perficiamur a Domino, cujus directione, ope et excitatione, adsistentia et con-
II Cor. iii, 5; Philipp. ii, 13. servatione incessabiliter indigemus. Non enim sufficientes sumus cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis; sed Deus est qui operatur in nobis et velle et perficere.
Is. xxvi, 12. Cui loquitur Isaias : Omnia opera nostra operatus es in nobis. Siquidem in omni actione meritoria exsequenda seu produ- C cenda, egemus actuali motione Spiritus Sancti : quæ etiam motio, excitatio sive vibratio, nomine gratiæ hoc loco potest intelligi. Præterea orat Archiapostolus, ut pax nobis multiplicetur, id est, abundanter ac multipliciter divinitus detur et conservetur, videlicet : pax pectoris, quæ est tranquillitas mentis in Deo ; pax temporis, quæ est quies ab exterioribus impugnationibus ; et pax æternitatis, quæ est tranquillissima quies Beatorum in patria, imperturbatumque gaudium eorum in Deo. D — Quantumcumque autem forinsecus impugnemur aut corporaliter molestemur, semper tamen pro posse conemur pacem pectoris conservare, ut tranquilletur in Deo cor nostrum, et spiritualiter gaudeat in adversis. De qua pace ait Psalmista :
Ps. cxviii, 165. Pax multa diligentibus legem tuam. Qui enim divinæ legis præcepta amorose custodiunt, mentis inquietudinem vincunt in omni eventu, in prosperis scilicet et adversis in Deo se figunt, ac bene agendo gloriantur in Domino ; estque in eis corpus subditum animæ, sensualitas rationi, ratio Deo : ex qua optima ordinatione consurgit et manet in eis pax pectoris, quæ ab Augustino vocatur tranquillitas ordinis. De qua Isaias prophetavit : Et erit Is. xxxii, 17.
opus justitiæ pax. Ad quam hortatur nos Paulus ad Romanos, dicendo : Justificati Rom. v, 1.
ex fide, pacem habeamus ad Deum.

Consequenter beatissimus Petrus incipit epistolæ suæ narrationem sive tractatum.
Benedictus Deus et Pater Domini nostri 3
Jesu Christi. Deus altissimus et æternus dicitur benedictus, quoniam in se ipso verissime sanctus, gloriosus atque perfectus est, omni laude et honorificentia superdignissimus, totiusque benedictionis, hoc est omnis gratiæ omnisque boni, collator et conservator. Itaque, Benedictus Deus, id est, in se ipso æternaliter sanctus est, et benedicatur, laudetur ac honorificetur ab universis. De quo in Daniele legitur : Benedictus es, Domine Deus patrum Dan. iii, 52.
nostrorum, et laudabilis et superexaltatus in sæcula. In Ecclesiastico quoque : Benedicentes Dominum, exaltate eum quan- Eccli. xliii, 33, 34.
tum potestis : major est enim omni laude. Exaltantes eum, replemini virtute, ne laboretis : non enim pervenietis. Præterea, quod ait, Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, ad eamdem potest referri Personam : ut Pater æternus dicatur Deus Christi secundum suam humanitatem, et Pater ipsius secundum ipsius deitatem et generationem æternam. Unde et Christus post resurrectionem suam locutus est : Ascendo ad Patrem me- Joann. xx, 17.
um et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum. Rursus quod ait, Benedictus Deus, ad totam superbenedictam potest Trinitatem referri, quæ est unus omnium Deus, Creator ac Dominus.

Qui secundum magnam misericordiam suam, quæ vere immensa est, et naturalis proprietas ejus cui proprium est misereri semper et parcere, *regeneravit nos in spem vivam,* id est, spem æternæ salutis formatam, seu caritate ornatam, nobis in-

fudit, quando nos spiritualiter regeneravit in fonte Baptismatis, seu in conversione nostræ mentis ad eum, et infusione gratiæ spiritualis. De qua regeneratione
Joann. III, 5. ait Christus : Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Vel sic : Regeneravit nos in spem vivam, id est, per infusionem gratiæ nos spiritualiter regenerando, infudit et contulit nobis efficacem felicitatis æternæ fiduciam. Fides enim, spes et caritas, infusioni gratiæ seu spirituali regenerationi inseparabiliter sunt connexæ. *Per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis*, id est per fidem et manifestationem resurrectionis Christi, qua resurrexit de loco et numero mortuorum. Nempe, per hoc quod Deus Pater suscitavit Christum a morte, et suæ resurrectionis fidem ac declarationem nobis donavit, et largitus est cunctis fidelibus spem plenæ glorificationis in anima et corpore, quoniam caput membra sequuntur, et dominum servi. Per resurrectionem etiam Christi recuperata fuit fides in ejus discipulis, quam in sua perdiderant passione.

Hinc ait Albertus : Christus est caput nostrum ; de ratione autem capitis est influere sensum ac motum in membra. Quum ergo Christus resurrexerit, oportet nos suæ resurrectionis esse participes. Quum enim ejusdem naturæ sint caput et membra, oportet quod sicut Adam peccante, omnes cecidimus, quoniam ipse fuit principium totius nostræ corporalis originis ; sic Christo resurgente, omnes resurgamus, quum ipse sit caput atque principium totius nostræ spiritualis regenerationis. Hinc ad Corinthios scribit
I Cor. XV, 21, 22. Apostolus : Quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum ; et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. — De hac etiam loquitur Thomas in tertia parte Summæ suæ : In omni genere primum, est causa secundorum in eodem genere : sicut primum lucidum, est causa lucis in aliis. Quum ergo sit Christus primitiæ resurgentium, et primus propria virtute resurgens ex mortuis, constat quod ejus resurrectio causa sit nostræ resurrectionis : causa, inquam, secundaria, instrumentalis et exemplaris. Passio quoque Christi, est causa meritoria nostræ resurrectionis ; sed omnipotentia suæ divinitatis, est causa prima, principalis et essentialis resurrectionis nostræ, tam spiritualis quam corporalis. Hinc dicitur ad Romanos : Mortuus est propter delicta no- *Rom.* IV, 25.
stra, et resurrexit propter justificationem nostram, ut scilicet converteremur et crederemus in eum : quod, nisi ipse resurrexisset, non fecissemus.

Regeneravit itaque nos in spem vivam, per Christi resurrectionem, *in hereditatem* 4
incorruptibilem, id est ad hoc ut per fidem et spem vivam, obtineamus post vitam præsentem hereditatem cœlestem, quæ est beatitudo æterna, in quam tendit spes tanquam in objectum : hereditatem, inquam, incorruptibilem, quia perpetua est, utpote beatifica visio Dei, ac plena ejus fruitio, quæ indesinenter permanet una et eadem numero. Nam quantum ad illam, non erit in Beatis cogitationum seu cognitionum aut appetitionum successio, nec volubiles erunt apprehensiones nostræ, quantum ad id quod est de essentia felicitatis. De qua ait Psalmista : Quum *Ps.* CXXVI, 2, 3.
dederit dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini. De qua Isaias et Paulus fatentur, quod oculus non vidit, nec auris *Is.* LXIV, 4; *I Cor.* II, 9.
audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se. Quum enim per Christi incarnationem et cetera ejus mysteria simus effecti filii Dei adoptivi, competit nobis ex gratia Dei, jus aliquod in participatione hereditatis supernæ, juxta illud ad Romanos : Si autem *Rom.* VIII, 17.
filii, et heredes ; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi. Unde ad Corinthios scribit Apostolus : Oportet corruptibile *I Cor.* XV, 53.
hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem.

Et incontaminatam : quoniam nulla impuritas culpæ, præfatæ felicitati miscetur;

nec potest quis cœleste ingredi regnum, nisi plenarie expurgatus, sive in sæculo isto, sive in purgatorio. Propter quod in Apoc. xxi, 27. Apocalypsi asseritur : Non intrabit in illam, videlicet civitatem cœlestem, aliquid coinquinatum. In participatione autem terrenæ hereditatis injustitia sæpe contingit. Sic vero in participatione cœlestis hereditatis non erit, quia non datur nisi purgatis ac dignis. *Et immarcescibilem :* nunquam enim inveteratur, aut sui decoris minorationem illabitur ; imo jugiter æque pulcherrima ac splendidissima perseverat. De qua illud Sapientiæ verifica- Sap. vi, 13. tur : Clara est, et quæ nunquam marcescit sapientia. *Conservatam in cœlis,* id est in cœlesti paradiso paratam, *in vobis,* id est ad vestram remunerationem, ut vobis pro præmio meritorum vestrorum communi- Joann. xvii, 24. cetur. De qua in Joanne ait Salvator : Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam quam dedisti mihi. In Apo- Apoc. iii, 21. calypsi quoque : Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno II Tim. iv, 8. ejus. Hinc loquitur Paulus : Reposita est mihi corona justitiæ. In Genesi quoque Gen. xv, 1. Dominus ait ad Abraham : Ego protector tuus, et merces tua magna nimis. De qua rursus in Evangelio Dominus contestatur : Matth. xix, 21. Vende omnia quæ habes, et da pauperibus ; et veniens, sequere me, et habebis thesaurum in cœlo.

5 *Qui in virtute Dei,* id est ab omnipotentia Creatoris, *custodimini,* id est, ab adversariis vestræ salutis protegimini, atque in bonis conservamini, ut perseveretis usque in finem. Custodimini autem *per fidem,* quæ est fundamentum virtutum ac totius spiritualis ædificii, ac promerendi principium. Idcirco per eam, tanquam per suæ omnipotentiæ effectum ac donum et instrumentum, custodit nos Deus : ita quod Deus est nostræ conservationis atque protectionis causa efficiens Habac. ii, 4; Hebr. x, 38; xi, 6. principalis ; fides autem, causa formalis ac instrumentalis. Nam justus ex fide vivit, et sine ea impossibile est placere Deo. Fides quoque, ut Joannes ait apostolus, I Joann. v, 4. est victoria nostra, quæ vincit mundum. Custodimini ergo per fidem *in salutem* adipiscendam, id est ad hoc ut salutem consequamini sempiternam : sicut ait apostolus Paulus, Quia qui cœpit bonum in Philipp. i, 6. vobis, perficiet illud usque in diem Christi ; et Propheta, Custodit (inquit) Deus Ps. xxxiii, 21. omnia ossa eorum ; *paratam revelari,* id est nobis ipsis manifestari, ac aliis propalari (de qua ad Romanos profertur : Non sunt condignæ passiones hujus tem- Rom. viii, 18. poris ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis), *in tempore novissimo,* id est in die finalis judicii, quando electi glorificabuntur plenarie, et coram omnibus gloriosi apparebunt in anima et corpore, eorumque gloria reprobis innotescet, ut videntes quid perdiderunt, acrius affligantur. Tunc enim evidentissime apparebit quid intersit inter justos et impios, et qualiter Deus discernat inter electos ac reprobos. Hinc per Malachiam Dominus apertissime loquitur : Convertemini, et vi- Malach. iii, 18; iv, 1-3. debitis quid sit inter justum et impium, et inter servientem Deo et non servientem ei. Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus, et erunt omnes superbi et omnes facientes impietatem, stipula; et inflammabit eos dies veniens, et orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus ; et salietis quasi vituli de armento, et calcabitis impios.

Præterea per hoc quod beatissimus Petrus ait, Qui in virtute Dei custodimini, innuit quod nemo propriis ac naturalibus viribus possit salvari, custodiri, prævalere, proficere aut mereri. Propter quod ait Psalmographus : Nisi Dominus ædificave- Ps. cxxvi, 1. rit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam ; nisi Dominus custodierit civitatem, etc. ; itemque, Custodiens par- Ps. cxiv, 6. vulos Dominus. De quo iterum scriptum est : Quoniam dextera sua teget eos, et Sap. v, 17. brachio suo defendet eos. Unde in Isaia fatetur : Ego Dominus Deus tuus, docens Is. xlviii, 17.

te utilia, gubernans te in via qua ambu- A las. Hinc omni hora cum Propheta toto [Ps. XVI, 8, 9.] corde oremus : A resistentibus dexteræ tuæ custodi me ut pupillam oculi ; sub umbra alarum tuarum protege me, a facie impiorum qui me afflixerunt. Nempe [Jer. X, 23.] ut loquitur Jeremias, Non est in homine via ejus, nec viri est ut ambulet, et dirigat gressus suos. Hoc est etiam quod asserit [Rom. IX, 16.] Paulus : Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.

6 *In quo* die novissimo *exsultabitis*, id
est, tam cordialiter gaudebitis, quod in- B terna jucunditas redundabit copiose in corpora vestra. Unde per Isaiam loquitur [Is. LXVI, 12, 14.] Deus : Ecce ego declino in eos ut flumen pacis, et ut torrens inundans gloriæ gentium ; et videbitis et gaudebitis, et lætabitur cor vestrum. *Modicum nunc si oportet contristari,* id est, quamvis interim in hac vita oporteat parum affligi, et causas tristitiarum pati, *in variis tentationibus,* id est in persecutionibus, infestationibus, impugnationibus, quas ab invisibilibus ac [Act. XIV, 21.] visibilibus hostibus patiuntur electi. Per C multas enim tribulationes oportet nos intrare regnum cœlorum. Atque ut iterum [II Tim. II, 12.] Paulus ait apostolus, Si sustinemus, et conregnabimus. Unde et in Joanne ait Sal- [Joann. XVI, 22.] vator Apostolis : Et vos nunc quidem tristitiam habetis ; iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.

Sed, quum in tribulationibus sit gaudendum, juxta quod Jacobus dixit apo- [Jacob. I, 2.] stolus, Omne gaudium existimate, quum in tentationes varias incideritis ; Salomon D [Prov. XII, 21.] quoque dicit, Non contristabit justum quidquid ei acciderit : quomodo nunc ait sacratissimus apostolici agminis signifer, Modicum nunc si oportet contristari, etc. ? Et respondendum, quod Contristari accipit pro Affligi, non pro inordinato mœrore aut interiori dolore, sed potius pro corporali molestatione, aut etiam interno contra tentamenta conflictu.

[Ps. XXXIII, 20.] Rursus, quum multæ sint tribulationes [Act. XIV, 21.] justorum, atque, ut tactum est, per multas tribulationes regnum nos oporteat intrare cœleste, cur ait, Modicum contristari, præsertim quum in primitiva Ecclesia gravissimæ fuerint Christianorum persecutiones ? Respondetur, quod triplici ratione hoc agit. Primo, quia respectu futuri supplicii reproborum, modica est omnis afflictio vitæ præsentis : quæ etiam comparatione pœnarum purgatorii parva est. Secundo, quoniam æternæ felicitatis respectu, permodica est tribulatio præsens, juxta illud ad Corinthios : Id quod in præsenti [II Cor. IV, 17.] est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Propter quod et Sapiens dicit : Justi in [Sap. III, 5.] paucis vexati, in multis bene disponentur. Tertio, quoniam quidquid in hac vita patimur, modicum reputare debemus, respectu multitudinis magnitudinisque culparum nostrarum, si pro eis secundum divinæ rigorem justitiæ puniamur. Propter quod apud Job de homine castigato et desuper illustrato inducitur : Dicet, Pec- [Job XXXIII, 27.] cavi, et vere deliqui, et ut eram dignus non recepi ; et rursus in eodem, Multo mi- [Ibid. XI, 6.] nora exigeris quam meretur iniquitas tua. Hinc in omni adversitate patientissimi esse debemus, et Deo pro paterna castigatione gratias agere, juxta illud Judith : Non ul- [Judith VIII, 26, 27.] ciscamur nos pro his quæ patimur ; sed reputantes hæc ipsa supplicia peccatis nostris esse minora, flagella Domini, quasi servi qui corripimur, ad emendationem, et non ad perditionem nostram, evenisse credamus.

Denique, quam fructuosa sit ista adversitatum æquanimis longanimisque perpes-
sio, subditur : *Ut probatio fidei vestræ,* id 7
est fides vestra adversitatibus exercitata, et per eas probata, firma et constans inventa ; vel, Probatio fidei vestræ, id est patientia quam habetis in tribulationibus, per quas fides vestra probatur seu examinatur an maneat stabilis ; *multo pretiosior auro, quod per ignem probatur* an verum sit aurum, *inveniatur* a summo Judice *in laudem et gloriam et honorem,* ita quod

cedat vobis ad laudem et gloriam ac honorem, *in revelatione Jesu Christi,* id est in die judicii, quo Christus omnibus apparebit, et qualis unusquisque fuerit, declarabit, quemadmodum ipse testatur : *Luc.* VIII, 17. Non est occultum quod non manifestetur, nec absconditum quod non cognoscatur. I *Cor.* IV, 5. Ideo ait Apostolus : Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.

Sed quoniam omne bonum quod agimus, ad Dei laudem et gloriam ordinare *Ibid.* X, 31; *Coloss.* III, 17. debemus, dicente Apostolo, Omne quodcumque facitis in verbo aut opere, in Dei gloriam facite (sic quippe debemus proprium intendere ac quærere præmium, ut nos ipsos et quidquid boni spectat ad nos, aut convenit nobis, ad Dei gloriam et honorem finaliter ac principaliter referamus, quum ipse Creator omnipotens, sit universorum ultimus finis, omnisque boni principium, dator et conservator et finis); idcirco passus iste sic potest exponi : Probatio fidei vestræ multo pretiosior auro inveniatur in laudem et gloriam et honorem Dei, qui de omni bono quod procedit ab eo et agitur in hoc mundo, principaliter est laudandus, glorificandus et honorandus : laudandus verbis, glorificandus admirationibus et magnificentiis cordis, honorandus operibus et divinorum præceptorum exsecutionibus virtuosis. Deus quoque omnipotens laudem, gloriam et honorem fidelibus suis pro eorum patientia, fide meritisque rependit, quum in *Matth.* X, 32. Evangelio Christus testetur : Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor *Joann.* XII, 26. et ego eum coram Patre meo; itemque, Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus qui est in cœlis; in Apocaly- *Apoc.* II, 10. psi quoque, Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. In die *Matth.* XXV, 34. vero judicii dicet : Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum. Fructuoso quoque servo dicturum se perhibet : Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam; intra in gaudium Domini tui. *Matth.* XXV, 21, 23.

Simus itaque in omni tentatione et tribulatione constantes, et instar auri, ex adversitate inveniamur in omni sapientia ac virtute splendidiores, quia ut Sapiens ait, Tanquam aurum in fornace probavit *Sap.* III, 6. electos Dominus, et quasi holocausti hostiam accepit eos. Ideo fatentur in Psalmo : Transivimus per ignem et aquam, et *Ps.* LXV, 12. eduxisti nos in refrigerium.

Præterea, secundum glossam ex verbis Bedæ acceptam, patientia electorum et probatio fidei eorum, recte auro comparatur : Primo, ob ejus pretiositatem. Nam sicut in metallis auro nihil invenitur præstantius, sic patientia electorum Deo est longe gratissima, et omni laude apud eum dignissima. Siquidem patientia opus per- *Jacob.* I, 4. fectum habet. Secundo, propter auri claritatem. Sicut enim aurum rubigine obfuscatum, vile habetur; in ignem autem projectum, et inde eductum fulget, et pretiosum censetur : ita bonorum constantia inter pressuras iniquorum contemptibilis reputatur, sed adveniente hora judicii præclarissima ostendetur, Judice ipso testante : Beati qui persecutionem patiuntur *Matth.* V, 10. propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Tertio, propter auri expurgationem ac probationem, quia quod facit lima gladio, baculus blado, ignis auro, hoc confert tribulatio homini justo. Idcirco in Proverbiis scriptum est : Sicut *Prov.* XVII, 3. igne probatur argentum, et aurum camino, ita corda probat Dominus. Etenim quos in tribulationis igne fideles probaverit, hos in beatæ remunerationis jucunditate, tanquam placentissimam sibi oblationem, assumit.

ARTICULUS II

PROSECUTIO EXPOSITIONIS HUJUS CAPITULI PRIMI, AB EO LOCO QUO DICITUR : QUEM QUUM NON VIDERITIS, DILIGITIS.

CONSEQUENTER prosequitur gloriosissimus christianæ religionis vexillifer, sanctissimus Petrus, charismata gratiæ fidelibus in præsenti collata, dona quoque
8 gloriæ eis in futuro præstanda. *Quem*, scilicet Jesum Christum, *quum non videritis* oculo corporali in hoc sæculo conversantem (vel si aliqui horum quibus hæc scripsit, Christum corporaliter conspexerunt, non tamen ipsius deitatem clare viderunt), *diligitis* amore infuso, qui caritas appellatur. Diligibilis est enim incomparabiliter, imo et infinite, secundum quod Deus ; deinde potissime, in quantum salvator et maximus benefactor. Christus namque secundum quod Deus, sicut infinitæ est bonitatis, ita et infinitæ amabilitatis : et sicut secundum suam assumptam humanitatem, est præ universis creatis præclarissimæ sanctitatis et perfectionis ; sic in quantum hujusmodi, est post suam deitatem præ omnibus eximiæ diligibilitatis. Deinde summe amandus est nobis propter sua beneficia ac promissa. Verumtamen nihil potest amari, nisi aliquo modo sit cognitum, quum intellectivi appetitus objectum, sit bonum intellectum, id est per vim intellectivam apprehensum et aliquo modo notum. Unde et isti per fidem et Scripturas noverant Christum, et beneficia ac promissa ipsius.

In quem, nunc quoque non videntes ejus humanitatem oculo corporali, nec ejus deitatem clare per speciem oculo in-
Galat. v, 6. teriori, *creditis* fide formata, quæ per dilectionem operatur. *Credentes autem* (vel, ut alii, et ut videtur, melius habent, *videntes*) *exsultabitis*. Credentes quippe exsultabunt, quia manendo in fide formata, ad

A beatificam jucunditatem merebuntur pertingere : qua jucunditate adveniente ac data, excidet fides ac desinet, quum ei succedat visio clara. Videntes vero Christum, suam deitatem clare per speciem contemplando, electi exsultabunt *lætitia inenarrabili*, id est tam ingenti ut in vita hac comprehendi nequeat aut effari, *et glorificata*, id est consummata, quæ desiderium electorum plenarie contentabit :
juxta illud Psalmi, Adimplebis me lætitia *Ps.* xv, 11.
cum vultu tuo; et, Satiabor quum appa- *Ps.* xvi, 15.
B ruerit gloria tua; *reportantes*, id est adipi- 9
scentes, et pro laborum vestrorum mercede vobiscum ferentes, *finem fidei vestræ*, utpote *salutem animarum vestrarum*, id est felicitatem æternam, quæ est catholicæ fidei finis : quia idcirco incomprehensibilia de Deo jam credimus, ut ea in patria clare intueamur, sicut ait apostolus Pau-
lus : Videmus nunc per speculum in æni- I *Cor.* xiii, 12.
gmate, tunc autem facie ad faciem. Quæ visio tota merces vocatur et beatitudo
completa, prout dicit Salvator : Hæc est *Joann.* xvii, 3.
C vita æterna, ut cognoscant te verum Deum.

Denique Deum essentialiter et incircumscriptibiliter bonum clare ac fruitive videre, ineffabiliter est jucundum : Primo, propter ipsius pulchritudinem penitus infinitam. Nam quo aliquid pulchrius fuerit, eo ipsum videre naturaliter magis est jucundum. Secundo, propter ipsius convenientiam incomparabilem. Creator quippe omni menti creatæ bene dispositæ, incomparabiliter amœnus conveniensque consistit. Tertio, propter immensam ipsius
D amabilitatem, virtuositatem, honestatem, sanctitatem et perfectionem. Honestum namque et sanctum, propria vi allicit ap-

petitum, lætificatque cernentem. Imo ex A sola fama, vehementer diligimus et videre optamus eos quos sublimiter virtuosos, probos et sanctos esse percipimus. Incomparabiliter ergo desiderabilius ac delectabilius est, Creatorem substantialiter sanctum, virtuosum, probum, honestum, perfectum, clare inspicere. Quarto, propter ipsius dilectionem qua a Beatis amatur. Quo enim aliquid amatur ardentius, eo videtur jucundius, si prospere ei succedat. Quemadmodum ergo Beati inæstimabili caritatis ardore diligunt Deum in semet- B ipso infinite felicem ; ita cum indicibili gaudio intuentur eumdem, et ejus beatitudini vehementissime congratulantur. Et sicut eum incomparabiliter amplius diligunt quam se ipsos : ita de ejus increata felicitate incomparabiliter plus quam de collata eis beatitudine gloriantur ; imo mallent se ipsos et totum universum non esse, atque in nihilum redigi, quam Deum per unum momentum beatitudine sua carere sive destitui. Quinto, propter ipsius sapientiam infinitam. Naturaliter siquidem C cupiunt homines eos videre qui mirabili sapientia præminent : quanto magis jucundissimum est, illum conspicere in se
Ps. CXLVI, 5. ipso, cujus sapientiæ non est finis ?

Juxta hunc modum possent et aliæ plurimæ rationes induci, cur inenarrabiliter deliciosum sit, Deum clare per speciem intueri : utpote, propter omnimodam et immensam ejus excellentiam in omnipotentia, opulentia, omnique admirabilitate, dignitate, nobilitate, fama et gloria. Mundemus ergo animas nostras, et ad tantam D beatitudinem eas infatigabiliter præpare-
Matth. V, 8. mus. Beati etenim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

10 *De qua* animarum vestrarum *salute exquisierunt atque scrutati sunt Prophetæ.* Sancti enim Prophetæ ex divina revelatione noverunt genus humanum per Christi incarnationem ac passionem esse salvandum : idcirco diligentissime exquisierunt et investigaverunt de ista salute et redemptione tunc fienda, nunc facta per Christum, quo loco et tempore, quo modo et ordine Christus liberaret genus humanum, et animabus fidelium conferret salutem. Exquisierunt autem et investigaverunt de his multipliciter : Primo, rogando Deum ut eis revelaret aliquid de Christi mysteriis. Secundo, quæsierunt illuminationem de his ab angelis sanctis. Tertio, posteriores Prophetæ vel minus illuminati, quæsierunt de his in libris præcedentium Prophetarum, vel ab ore Vatum magis il-
luminatorum. Hinc etenim Daniel ait : In *Dan.* IX, 1, 2.
anno primo Darii, ego Daniel intellexi in libris numerum annorum de quo factus est sermo Dei ad Jeremiam prophetam,
etc. Unde et Simeon justus, qui et pro- *Luc.* II, 25, 26.
phetiæ spiritu splenduit, responsum a Spiritu Sancto legitur accepisse : quia videlicet quotidie exoravit de Christi adventu et tempore ejus certificari. Idcirco responsum est ei, quod ipso adhuc vivente Christus nasceretur, atque ab ipso corporaliter videretur. Sic igitur sancti Prophetæ de Christi mysteriis et salute facta per ipsum, exquisierunt ac prophetaverunt, prout diversis diversa a Deo per angelos revelata fuerunt. Isaias namque de Christi incarnatione, deitate, et suæ Matris virginitate, de Christi quoque miraculis et passione ipsius, de Judæorum excæcatione, gentium illuminatione, evangelicæ legis per totum mundum diffusione, apertissime ac copiosissime prophetavit. David quoque de his omnibus in pluribus psalmis inclyte vaticinatus probatur. De quibus et
Jeremias multa prædixit. Daniel vero tem- *Dan.* IX, 24-27.
pus adventus Christi præ omnibus clarius
determinavit ac computavit. Michæas vero *Mich.* V, 2.
de loco nativitatis Christi plenius est locutus.

Qui de futura in vobis gratia prophetaverunt, id est de magnitudine gratiæ per Christum concessæ fidelibus. Unde
apud Joannem habetur : Gratia et veritas *Joann.* I, 17.
per Jesum Christum facta est. Propter quod, tempus Christi ac evangelicæ legis, tempus gratiæ appellatur. Hinc ait idem iste
Archiapostolus : Omnes Prophetæ a Sa- *Act.* III, 24.

muel et deinceps, annuntiaverunt dies is- A
Act. II, 16-21; *Joel.* II, 28-32. tos. Et sicut idem S. Petrus allegat, Joel
propheta de eminentia gratiæ Spiritus San-
cti per Christum donata, specialiter pro-
11 phetavit. *Scrutantes,* non ratione huma-
na, sed illuminatione divina, *in quod vel*
quale tempus significaret in eis spiritus
Christi, id est, quo aut quali tempore Spi-
ritus Sanctus revelaret eis adventum Chri-
sti esse complendum, an scilicet tempus
illud adhuc longe distaret, et an deberet
illud tempus esse tempus pacis, an præ-
liorum. Dicitur autem Spiritus Sanctus, B
spiritus Christi, non solum quia quiescit
in eo, sed quoniam vere æternaliterque
ab ipso procedit. Quidam tamen per spi-
ritum Christi intelligunt hic spiritum an-
gelicum, seu angelum bonum. Per angelos
enim revelationes propheticæ factæ sunt,
ut divinus Dionysius docet. Melius tamen
per spiritum Christi Spiritus Sanctus ac-
cipitur, qui est principalis et primus re-
velationum prophetalium inspirator, do-
ctor et dator.

Porro de isto tempore Christi multa in C
Prophetis leguntur : ut quum per Aggæ-
Agg. II, 7, 8. um loquitur Deus : Adhuc unum modi-
cum, et ego movebo cœlum et terram, et
veniet Desideratus cunctis gentibus. Per
Malach. III, 1. Malachiam quoque : Ecce ego mitto an-
gelum meum, et præparabit viam ante
faciem meam ; et statim veniet ad tem-
plum suum Dominator quem vos quæritis,
et Angelus testamenti quem vos vultis.
Habac. II, 3. Habacuc quoque ait : Apparebit in finem,
et non mentietur ; si moram fecerit, ex-
specta eum, etc. Daniel autem clarissime D
Dan. IX, 24. describit : Septuaginta hebdomades ab-
breviatæ sunt super populum tuum, etc.
Quod vero tempore maximæ pacis Chri-
stus nasceretur, per Isaiam et Michæam
Is. II, 4; *Mich.* IV, 3. iisdem pene verbis est prophetatum : Con-
flabunt, inquiunt, gladios suos in vome-
res, et lanceas suas in falces ; non levabit
gens contra gentem gladium. Unde et in
Jer. XXIII, 6. Jeremia habetur : In diebus illis salva-
bitur Juda, et Israel habitabit confiden-
ter. Quod vero deficiente Judæis rege ac
principe propriæ plebis, Christus veniret,
Jacob patriarcha in Genesi prædixit : Non *Gen.* XLIX, 10.
auferetur, inquiens, sceptrum de Juda et
dux de femore ejus, donec veniat qui mit-
tendus est ; et ipse erit exspectatio gen-
tium.

Prænuntians eas quæ in Christo sunt
passiones, id est, Spiritus Sanctus fuit
Prophetis prædicens quæ et quanta pro
hominibus pertulit Christus. Cujus pas-
siones seu pœnæ quas toleravit, in Isaia *Is.* LIII;
atque in Psalmis luce clarius descriptæ *Ps.* XXI.
sunt. Prænuntiavit etiam Spiritus Sanctus
passiones quæ sunt in Christo, id est
persecutiones et pœnas quas Christus in
suis sustinet membris, hoc est, quas pro
ipso sustinent sui fideles. *Et posteriores*
glorias, id est, Spiritus Sanctus etiam fuit
prædicens glorificationes Christi et suo-
rum membrorum : quæ gloriæ passionem
Christi secutæ sunt. Nam Christus suæ
passionis virtute promeruit sibi ipsi præ-
mium magnum et multiplex accidentale,
suis quoque fidelibus meruit glorificatio-
nem animarum et corporum. Propter quod
ait Apostolus : Humiliavit semetipsum, fa- *Philipp.* II,
ctus obediens usque ad mortem : pro- 8, 9.
pter quod et Deus exaltavit illum, et dedit
illi nomen quod est super omne nomen.
Denique posteriores gloriæ Christi, sunt
ejus a morte resurrectio, in cœlum as-
censio, suæ majestatis per totum mun-
dum prædicatio, quæ in die Pentecostes
fieri cœpit, misso desuper Spiritu San-
cto, ejus quoque in die finalis judicii co-
ram omnibus gloriosissima manifestatio.
De quibus omnibus prophetaverunt quam
plura sancti Prophetæ, ut facile esset mon-
strare. Sed brevitati studendum est, præ-
sertim quum de his alibi copiosa testi-
monia sint inducta.

Quibus, puta Prophetis, *revelatum est* 12
ab Omnipotente, *quia non sibi ipsis, vobis*
autem, id est sed vobis, *ministrabant,* id
est ministerialiter atque prophetice prædi-
cebant, *ea quæ nunc annuntiata sunt vo-*
bis, videlicet mysteria Christi, hoc est tem-
pus, locum et modum suæ incarnationis,

nativitatis, passionis, etc. Hæc enim non A sunt eorum, sed vestris temporibus adimpleta; nec pro sua, sed pro vestra ad Christum conversione, hæc eis divinitus sunt ostensa. Gratia quoque prophetiæ, quum sit donum gratiæ gratis datæ, ad aliorum ordinatur utilitatem, sicut et cetera hujusmodi dona. Per hoc enim quod ea quæ de Christo prædicaverunt Apostoli, prænuntiaverunt Prophetæ, patet veritas fidei christianæ, et multi ad Christum conversi sunt. Hinc in Actibus dixit B. Petrus Judæis, quibus præsentialiter B
Act. II, 38, 39. prædicavit : Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum, et accipietis donum Spiritus Sancti : vobis enim repromissio hæc, et filiis vestris, et omnibus quoscumque advocaverit Dominus
Ibid. III, 25. Deus noster. Et rursus : Vos, inquit, estis filii Prophetarum et testamenti quod disposuit ad patres vestros Deus.

Itaque, ista annuntiata sunt vobis annuntiatione certissima, *per eos qui evangelizaverunt vobis,* videlicet per me ceterosque Apostolos, ac primos Christi discipulos, C *Spiritu Sancto misso de cœlo,* id est eis
Ibid. II, 1-4. in die Pentecostes infuso in visibili signo : ita quod non sensu humano, sed Spiritus Sancti instinctu infallibiliter prædicaverunt ; *in quem,* scilicet Spiritum Sanctum, *desiderant angeli prospicere :* per quod Spiritus Sancti deitas vera insinuatur, quia in eum tanquam in felicitatis suæ objectum, cupiunt angeli intueri. — Sed quum desiderium sit appetitus boni futuri nondum adepti, quomodo angeli, qui Deo sedulo sunt intenti, et eo D præsentialissime perfruuntur ac ei uniuntur, dicuntur Spiritus Sancti adspectum desiderare ? Et respondendum, quod in desiderio solent duo intelligi. Primum est, appetitio boni futuri. Secundum est, fastidium hujusmodi boni jam diu possessi, vel usque ad saturitatem obtenti. Dicuntur ergo Beati Dei præsentiam et adspectum incessabiliter desiderare, non in quantum desiderium futuri boni appetitum includit, sed prout fastidium omne excludit amor adepti jam boni. Ut enim ait Gregorius : Corporales deliciæ, quum non habentur, grave in se desiderium accendunt ; quum autem habentur, protinus per satietatem in fastidium vertunt. Spirituales vero deliciæ, quum non habentur, in fastidium sunt; quum vero habentur, in desiderium. Sicque in eis appetitus saturitatem, atque saturitas appetitum parit. Augent namque spirituales deliciæ desiderium in mente dum satiant.

Porro quod dicitur, In quem desiderant angeli prospicere, Beda et Glossa exponunt de Christo secundum suam humanitatem : cujus humanitatis tanta est gloria, ut angeli sancti non solum immortalem deitatis essentiam, sed et assumptam Verbi æterni humanitatem gaudeant intueri. Melius tamen istud de Spiritu Sancto exponitur, ita ut summus Apostolus de Spiritu Sancto dicens, In quem desiderant angeli prospicere, denotet immensitatem pietatis divinæ super nos, eo quod Deus Pater Spiritum Sanctum, cujus tanta est majestas ut eum sancti angeli cupiant intueri, misit in terram propter generis humani salutem.

Circa præhabita scribit Albertus : Omnes Prophetæ de Christo sunt vaticinati. Christus autem consideratur dupliciter : primo, secundum se, ut est caput toti- Ephes. V, 23.
us Ecclesiæ; secundo, quantum ad ejus Ecclesiam, quæ dicitur mysticum corpus ipsius. Vaticinium ergo majorum Prophetarum, totum fuit de Christo ut caput est nostrum. Nam vaticinium Isaiæ fuit de ejus incarnatione; vaticinium Jeremiæ, de ejus passione; vaticinium Ezechielis, de ejus resurrectione ; vaticinium Danielis, de ipsius ascensione. Prophetæ vero minores vaticinati sunt de corpore ejus mystico, quod est Ecclesia. Ideo dicti sunt Prophetæ minores, quia de mystico corpore Christi, et non de Christo capite prophetaverunt.

Sed miror quod tantus doctor, tamque subtilis expositor, dicit hæc : quæ stare non valent, nisi forsitan valde pie exte-

nuentur. In primis ergo quod ait, quod
totum vaticinium majorum Prophetarum
fuit de Christo ut est caput nostrum, du-
plicem habet instantiam : Priorem, quia
de Judæorum, Chaldæorum, Philistæorum,
Moabitarum, Ammonitarum, Ægyptiorum,
aliarumque gentium diversarum excessi-
bus, punitionibus, reparationibus multa
prædixerunt Prophetæ. Posteriorem, quia
de mystico Christi corpore, utpote Eccle-
sia, copiose prophetarunt. Unde, secun-
dum Hieronymum, universa Christi atque
Ecclesiæ mysteria tam diffuse Isaias de-
scripsit, ut non tam propheta quam evan-
gelista dicendus sit. Apostolus quoque Pau-
Rom. IX, 27-29; X, 15, 16, 20; etc. lus in epistola ad Romanos multa allegat
ex Isaia de Ecclesia ex gentilitate colle-
cta. Insuper ad Galatas allegat ex Isaia de
Galat. IV, 27; *Is.* LIV, 1. ipsa Ecclesia : Lætare, sterilis quæ non
paris ; erumpe et clama, quæ non partu-
ris. Quæ verba apud Isaiam secundum an-
tiquam translationem habentur. Præterea,
Ezech. XL-XLVIII. ultimam visionem Ezechielis de templo
difficillimam atque longissimam, Hierony-
mus, Gregorius aliique doctores commu-
niter exponunt de Christi Ecclesia. — Quod
autem secundo ait Albertus, vaticinium
Isaiæ esse de Christi incarnatione, Jere-
miæ de ejus passione, Ezechielis de ejus
resurrectione, Danielis de ejus ascensio-
ne, nec præcise nec appropriate videtur
posse salvari, quoniam Isaias multo dif-
fusius vaticinatus est de Christi passione
quam Jeremias, ut patet in locis multis
Isaiæ. Et quod Albertus ex Ezechiele al-
legat de Christi resurrectione, videlicet de
Ibid. XXXVII. accessione ossium ad ossa, de Christi re-
surrectione nequaquam ad litteram di-
ctum est, nec verificatur de ea, quoniam
corpus Christi non fuit dissolutum, nec
Act. II, 31. caro ejus vidit corruptionem, ut in Ac-
tibus docet ac probat princeps Apostolo-
rum. Multa hujusmodi possent contra hæc
verba Alberti induci. — Quod demum ter-
tio ait, minores Prophetas non prophe-
tasse de corpore Christi vero, seu capite
Christo, sed solum de corpore mystico,
prorsus nil valet, nec canonicis concordat

A Scripturis : quum et Matthæus evangelista
alleget ad litteram illud Michææ : Et tu, *Matth.* II, 6; *Mich.* V, 2.
Bethlehem terra Juda, etc. Eodem quoque
capitulo allegat S. Matthæus illud Osee :
Ex Ægypto vocavi filium meum. Amplius, *Matth.* II, 15; *Osee* XI, 1.
per Zachariam de Christo ad litteram,
apertissime est prædictum : Exulta satis, *Zach.* IX, 9;
filia Sion, ecce rex tuus venit tibi, etc., *Matth.* XXI, 5; *Joann.* XII, 15.
quod in Matthæo et Joanne allegatur de
Christo. Iterum, de Christi resurrectione
prædictum est per Sophoniam et Osee. *Soph.* III, 8; *Osee* VI, 3.
Paulus quoque apostolus ad Romanos de
B Ecclesia inducit illud Osee : Et erit in *Rom.* IX, 26, 25; *Osee* I, 10; II, 24.
loco ubi dicitur eis, Non populus meus
vos ; dicetur eis, Filii Dei viventis. Et rur-
sus illud Osee : Vocabo non plebem me-
am, plebem meam. Adhuc etiam de Christi
adventu, et præsentatione ejus in templo,
apud Aggæum et Malachiam evidenter le- *Agg.* II, 8; *Malach.* III, 1.
gitur prophetatum. — Postremo, cur duo-
decim Prophetæ dicantur minores Prophe-
tæ, dictum est alio loco. Nec enim illa
est ratio quam assignat Albertus. Imo,
si rite pensetur, Zacharias de Prophetis
C minoribus unus, diffusius ac evidentius
ad litteram vaticinatur de Christo, quam
Ezechiel Prophetarum unus majorum.

Consequenter princeps Apostolorum hor-
tatur fideles, ne gratiam sibi divinitus ob-
latam parvi pendant aut negligant, sed ea
se dignos exhibeant. *Propter quod,* id est, 13
quia Prophetæ non sibi, sed vobis annun-
tiaverunt de Christo, *succincti lumbos men-
tis vestræ.* Lumbi carnis, in quibus viget
luxuria, partes sunt corporis. Lumbi mentis
sunt : intellectus, qui generat verbum ; et
D voluntas, quæ parit amorem. Lumbos ergo
mentis accingere, est intellectum a vana-
rum cogitationum fluxu, a distractionibus
erroribusque reprimere, et eum in capti- *II Cor.* X, 5.
vitatem redigere in Christi obsequium, ut
subjectus sit fidei ; voluntatem quoque ab
inordinatis desideriis coarctare. Lumbos
autem carnis accingere, est carnalia desi-
deria et eorum carnales fœditates domare.
Hinc ait et Christus : Sint lumbi vestri *Luc.* XII, 35.
præcincti ; et Paulus ad Ephesios, State, in- *Ephes.* VI, 14.
quit, succincti lumbos vestros in veritate.

Itaque, Succincti lumbos mentis vestræ, A
id est, rationem et voluntatem reformatas
habentes : quatenus juxta Pauli doctrinam,
Ephes. IV, 14. Non simus parvuli fluctuantes, nec circumferamur omni vento doctrinæ; *sobrii,*
moderantiam in cibo et potu servantes :
Luc. XXI, 34. quemadmodum jubet Salvator, Attendite
vobis, ne graventur corda vestra crapula vel ebrietate ; *et perfecti,* non solum
amicos in Deo, sed et inimicos propter
Deum sincere diligendo, eisque bona pro
malis reddendo : prout in Matthæo lo-
Matth. V, 48. quitur Christus, Estote perfecti, sicut et B
Pater vester cœlestis perfectus est. Vel,
Perfecti, non solum præcepta, sed evangelica quoque consilia adimplendo : juxta
Ibid. XIX, 21. quod et Veritas ait, Si vis perfectus esse,
vade et vende omnia quæ habes, et da
pauperibus, et sequere me. Multi autem
sunt gradus perfectionis. *Sperate in eam
quæ offertur vobis gratiam :* id est, dona
gratiæ, quæ Christus in vita hac offert vobis, omnes ad pœnitentiam et profectum
hortando, dona quoque gloriæ (quæ est
gratia consummata, juxta illud apostoli C
Rom. VI, 23. Pauli, Gratia Dei vita æterna), constanter
confidite adipisci, eaque obtinere satagite.
II Cor. VI, 1. Unde et Paulus disseruit : Hortamur vos
ne in vacuum gratiam Dei recipiatis; et
Hebr. II, 3. rursus, Quomodo effugiemus, si tantam
neglexerimus salutem? Porro, spes quum
sit theologica virtus, directe et immediate
habet Deum pro objecto; secundario vero
respicit ea per quæ ad summum bonum
perducimur et juvamur.

Sperate ergo in gratiam istam, et eam
adipisci confidite *in revelatione Jesu Chri-* D
sti, id est in manifesta ipsius declaratione,
I Joann. III, 2. quum se vobis ostenderit intuendum sicuti est : in qua ostensione, gratia consummata seu salus vestra consistit. Unde apud
Joannem Christus hanc sui manifestatio-
Joann. XIV, 21. nem promittit pro præmio, dicens : Qui
diligit me, diligetur a Patre meo; et ego
diligam eum, et manifestabo ei me ipsum.
Denique, quia plenaria salus in corpore et
anima in die judicii tribuetur, potest quod
dictum est, In revelatione Jesu Christi,
referri ad nativitatem, item manifestam
apparitionem Christi in die judicii, quando illud Isaiæ implebitur : Revelabitur Is. XL, 5.
gloria Domini, et videbit omnis caro salutare Dei nostri.

Quasi filii obedientiæ, id est Deo et ve- 14
stris prælatis humiliter subditi. Obedientia quippe omnem Christi fidelem maxime
decet, quum ipsemet Christus testetur :
Descendi de cœlo, non ut faciam volunta- Joann. VI, 38.
tem meam, sed voluntatem ejus qui misit
me; itemque, Sicut mandatum dedit mihi Ibid. XIV, 31.
Pater, sic facio. Imo factus est obediens Philipp. II, 8.
Patri usque ad mortem. Idcirco inobedientiæ filii, non Christi, sed diaboli sunt ministri. Porro hæc dictio, Quasi, notat hic
veritatem, non similitudinem tantum. *Non
configurati prioribus ignorantiæ vestræ
desideriis,* id est, non rursus conformantes vos ipsos vitiosis atque carnalibus affectibus, in quibus tempore vestræ infidelitatis fuistis. Omnes autem inordinati
et pravi affectus, dici possunt desideria
ignorantiæ, quia ex ignorantia quadam nascuntur, eo modo quo, juxta Philosophum,
omnis peccans est ignorans : quoniam male judicat saltem in particulari, quamvis in generali veritatem agnoscat. Quum
enim, divino Dionysio testante, nullus respiciens ad malum operetur, quia videlicet malum sub ratione mali non appetitur,
quum bonum sit appetitus objectum : constat quod omnis qui peccat, malum sub
ratione boni apparentis apprehendat, sive
admittat ; sicque ignorans et cæcus est,
atque ex rationis ignorantia, inadvertentia, defectu, aut errore contingit quod peccat, quod affectionem suam non rectificat,
quod inordinationem et carnalitatem non
reprimit. Idcirco in Proverbiis dicitur :
Via stulti recta in oculis ejus. Et denuo Prov. XII, 15.
Salomon loquitur : Stultis illudit pecca- Ibid. XIV, 9.
tum. Et iterum dictum est : Qui peccat,
insipiens est et indoctus.

Sed secundum eum qui vocavit vos 15
Sanctum, et ipsi sancti in omni conversatione sitis : id est, quemadmodum Deus
qui per gratiam suam ad evangelicæ legis

veritatem perduxit vos, in se ipso purus
et virtuosus consistit, atque in omni ope-
ratione sua recte et sapienter se habet; ita
et vos pro modulo vestro, mundi et vir-
16 tuosi sitis in tota vita vestra. *Scriptum est*
enim in Levitico : *Sancti eritis, quoniam*
ego sanctus sum. Sic namque in Levitico
Lev. xi, 43, 44. loquitur Deus : Nolite contaminare animas
vestras : ego enim sum Dominus Deus ve-
ster; sancti estote, quoniam ego sanctus
sum. Denique aliqua in Scripturis tradun-
tur, non per modum præcepti, et tamen
præcepta sunt, ut quum Deus ait per Moy-
Exod. xx, 3, 5. sen : Non adorabis deos alienos, nec ser-
vies eis. Et tale est istud quod dicitur hic,
Sancti eritis, loquendo de sanctitate se-
cundum aliquem gradum. Sanctum quippe
in una significatione, est idem quod fir-
mum : et unusquisque fidelis tenetur esse
in fide, spe et caritate tam firmus, ut pro-
ponat, pro nulla re mundi se a Deo per
mortale peccatum avertere, aut contra fi-
dem, spem, caritatemve agere. Idcirco in
Eccli. v, 12. Ecclesiastico præcipitur : Esto firmus in
via Domini, et in veritate sensus tui. Pau-
I Cor. xv, 58. lus quoque Corinthiis scribens : Stabiles,
inquit, estote et immobiles, abundantes in
opere Domini semper. Rursus, sanctum
est idem quod purum : et unusquisque
tenetur ab omni mortali peccato esse im-
Ps. lxxxv, 2. munis. Sicque oravit Propheta : Custodi
animam meam, quoniam sanctus sum. Pro-
prie autem et communi modo loquendi,
sanctus vocatur, qui in caritate et omni
virtute perfectus est, utpote vir heroicus
et divinus, ad plenam passionum reforma-
tionem provectus : et ita non tenetur qui-
libet esse sanctus.

Præcepit ergo piissimus Deus, ut sicut
ipse est sanctus, sic servi sui sint sancti.
Nam sancti sapientesque domini, servos
volunt habere honestos, probos, pruden-
tes, prout eorum excellentiam decet. De-
nique ad hoc Filius Dei venit in mun-
Luc. i, 74, 75. dum, ut sine timore de manu inimicorum
nostrorum liberati, serviamus illi in san-
ctitate et justitia coram ipso omnibus die-
bus nostris, ut apud Lucam asseritur. Ite-

A rum, quia ad imaginem et similitudinem *Gen.* i, 26, 27.
suam nos condidit Deus, requirit ut ei vir-
tutibus assimilemur, præsertim quum ipse
velit a nobis pater vocari : pater autem
vult ut filii sui suas sequantur virtutes.
Et hæc est ingens ac præclarissima digni-
tas rationalis creaturæ, suo Creatori sic
conformari. Propter quod væ eis qui per
vitam suam carnalem bestiis conforman-
tur. Et gravius væ eis qui per malitiam,
crudelitatem, nequitiam, ac impiam con-
versationem assimilantur dæmonibus. Deo
B igitur in pietate, caritate, justitia et san-
ctitate pro viribus assimilari conemur, sic-
ut et Paulus hortatur : Imitatores Dei es- *Ephes.* v, 1.
tote, sicut filii carissimi. Unde et Christus:
Estote, ait, misericordes, sicut et Pater *Luc.* vi, 36.
vester misericors est; itemque, Estote per- *Matth.* v, 48.
fecti, sicut Pater cœlestis. Hinc et in Deu-
teronomio locutus est Moyses : Perfe- *Deut.* xviii, 13.
ctus eris et absque macula cum Domino
Deo tuo.

Præterea quæri potest, quomodo intel-
ligenda sint aut fieri possint ista, quum
C apud Isaiam dicatur : Facti sumus ut im- *Is.* lxiv, 6.
mundi omnes nos; quasi pannus men-
struatæ universæ justitiæ nostræ. Primus
quoque ille apostata cecidit, quia dixit :
Similis ero Altissimo. Et respondendum, *Ibid.* xiv, 14.
quod comparatione divinæ justitiæ, dicun-
tur nostræ justitiæ similes panno men-
struatæ : quia in multis offendimus om- *Jacob.* iii, 2.
nes, et multæ defectuositates ac culpæ
nostris bonis actibus admiscentur. Imo
respectu puritatis et perfectionis ac sapi-
entiæ Creatoris æterni, omnis puritas, per-
D fectio, sapientia nostra nullius momenti
est, et tanquam immunditia, imperfectio
et insipientia reputatur, quemadmodum
in Jeremia legitur : Stultus factus est om- *Jer.* x, 14.
nis homo a scientia sua. Unde et in libro
Job fertur : Quid est homo, ut immacula- *Job* xv, 14, 15.
tus sit, et justus appareat natus de mu-
liere? Ecce inter Sanctos ejus nemo im-
mutabilis, et cœli non sunt mundi in
conspectu ejus. Et rursus sanctus Job pro-
testatur : Non justificatur homo composi- *Ibid.* ix, 2.
tus Deo. Ideo orat Propheta : Non intres *Ps.* cxlii, 2.

in judicium cum servo tuo, Domine, quia A
non justificabitur in conspectu tuo omnis
vivens. Postremo, sanctitas nostra differt
ac deficit a sanctitate Dei in multis et infi-
nite, quum Deus sit essentialiter, indepen-
denter, invariabiliter, incircumscriptibili-
ter sanctus. Ut autem, juxta intentionem
Scripturæ, sancti simus in omni conver-
satione, non solum requiritur ut mortalia
declinemus peccata, sed venialia etiam
cum diligentia vitare oportet, et semper
coram Deo timoratum ac custoditum consi-
stere, quum in Ecclesiastico scriptum sit :
Si non in timore Domini tenueris te instan- *Eccli.* XXVII, 4.
ter, cito subvertetur domus tua; et in Pro-
verbiis, Omni custodia custodi cor tuum. *Prov.* IV, 23.

ARTICULUS III

ELUCIDATIO RESIDUÆ PARTIS HUJUS PRIMI CAPITULI, AB EO LOCO QUO DICITUR : ET SI PATREM INVOCATIS EUM.

Prov. XIV, 27. QUONIAM Salomone testante, timor Dei B
est fons vitæ, consequenter hortatur
gloriosissimus apostolici chori hierarcha,
sanctissimus Petrus, ut Deum filialiter ti-
17 meamus. *Et si,* pro quia, *patrem invocatis,*
id est, orando patrem nominatis, *eum qui*
sine acceptione personarum judicat secun-
dum uniuscujusque opus, id est, quem-
libet judicat secundum opera sua : intelli-
gendo per opera, etiam actus interiores, et
locutiones, debitorumque actuum omissi-
Job XXXIV, 10, 11. ones. Unde apud Job inducitur : Absit a
Deo impietas, et ab Omnipotente iniqui- C
tas : opus enim hominis reddet ei, et juxta
vias singulorum restituet. Et Jeremias ait :
Jer. XXXII, 18, 19. Domine Deus fortissime, cujus oculi aperti
sunt super omnes filios Adam, ut reddas
unicuique secundum vias suas. Qualiter
autem personarum acceptio non competat
Deo, et quid sit personarum acceptio, et
de peccato ipsius, dictum est supra in
In Jacob. II, 1, 9. expositione secundi capituli epistolæ Ja-
cobi. *In timore incolatus vestri tempore*
conversamini, id est, tempore quo in hoc
sæculo subsistitis, vivite in Dei timore fi- D
liali, ne tanto patre sitis indigni, et ne in
sui judicii incidatis rigorem, propter ve-
stram ignaviam ac periculosam securita-
tem : ne judicem districtum aliquando
sentiatis, quem nunc pium patrem con-
temnitis, et timere ac honorare recusatis.
Qui enim sine timore est, justificari non *Eccli.* I, 28.
potest. Et Christus in Evangelio jubet :
Eum timete, qui habet potestatem et cor- *Matth.* X, 28.
pus et animam perdere in gehennam.

Sed instare quis potest, quia non vide-
tur adaptatio ista Petri apostoli convenire
adaptationi qua apud Malachiam loquitur
Deus : Filius honorat patrem, et servus *Malach.* I, 6.
timet dominum suum. Si ergo pater ego
sum, ubi est honor meus? et si dominus
ego sum, ubi est timor meus? Ex quibus
verbis elicitur, quod Deo debetur timor,
in quantum est dominus, et honor, in
quantum est pater. Quomodo ergo nunc
ait Apostolus, Si patrem invocatis Deum,
in timore conversamini? Videtur enim de-
buisse dixisse, Si dominum invocatis, etc.
— Et respondendum, quod Deo debetur
timor castus, sanctus et filialis, in quan-
tum est pater, quia hic timor ex magnitu-
dine oritur caritatis. Timor vero servilis
aut initialis impenditur Deo, ut domino.
Est autem timor filialis, quo vitatur ma-
lum culpæ ne Deus pater offendatur aut
inhonoretur. Sicque timor filialis realiter
est fuga seu abominatio culpæ. De quo in
Ecclesiastico multa scribuntur, videlicet :
Timor Domini super omnia se superpo- *Eccli.* XXV, 14, 15.
suit. Beatus cui datum est habere timo-

Eccli. xl, 28. rem Dei. Timor Domini sicut paradisus
benedictionis. Est autem timor Dei omni
Christiano præcipue necessarius, quia præ-
servat a vitiis, custodit in bonis, et solli-
citum facit timentem, ne cadat in laqueos
inimici. Iterum, semper coram Deo solli-
Eccle. ix, 1. citi esse debemus ac pavidi, quia nesci-
mus an digni simus amore vel odio, hoc
est, an simus in caritate et gratia, an non;
et rursus, quoniam ignoramus quid fina-
liter erit nobis, an scilicet sempiterna
damnatio, an salus perpetua; et quia ad
omne malum sumus tam proni, atque in
laqueorum medio ambulamus.

Præterea, ad conversandum tam timo-
rate ac virtuose nos debet inducere, quod
Unigenitus Dei, verus Deus, tanta pro no-
stra salute assumpsit, fecit ac pertulit.
18 Ideo subditur : *Scientes* per fidem, non
per naturalem rationem : de qua scientia
Job xix, 25. dixit Job, Scio quod Redemptor meus vi-
vit, et in novissimo die de terra surre-
Joann. xi, 24. cturus sum ; Martha quoque, Scio quia
resurget in resurrectione in novissimo
die ; *quod non corruptibilibus auro vel
argento redempti estis de vana vestra con-
versatione paternæ traditionis,* id est ori-
ginalis infectionis seu vitiosæ informatio-
nis : quia parentes istorum quibus hæc
scripta sunt, filios suos pessime docue-
runt, ut scilicet idola colerent, quantum
ad eos qui ex gentilibus nati erant. Sa-
cerdotes quoque et Scribæ Judæorum, tra-
diderunt filiis suis ac subditis quædam
divinæ legi contraria : quibus in Evange-
Matth. xv, 6. lio loquitur Christus, Irritum fecistis man-
datum Dei propter traditionem vestram.
19 *Sed pretioso sanguine, quasi agni in-
contaminati et immaculati, Jesu Christi,*
id est passione et morte Filii Dei, qui
est quasi agnus, quoniam innocentissimo
agno assimilatur. De quo ait Joannes Ba-
Joann. i, 29. ptista : Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata
mundi. Qui et per Jeremiam contestatur :
Jer. xi, 19. Ego quasi agnus mansuetus qui portatur
ad victimam. Estque quasi agnus incon-
taminatus et immaculatus, propter immu-
nitatem suam ab omni peccato, tam ori-

A ginali quam personali, tam mortali quam
veniali. Christus quippe, quamvis pro ori-
ginalis peccati deletione specialiter pas-
sus dicatur, sua tamen passione sanctis-
sima pro cunctis totius humani generis
peccatis, quantum in ipso est, satisfecit,
juxta illud Isaiæ : Dominus posuit in *Is.* liii, 6.
eo iniquitatem omnium nostrum. Propter
quod angelus dixit ad Joseph : Vocabis *Matth.* i, 21.
nomen ejus Jesum : ipse enim salvum fa-
ciet populum suum a peccatis eorum. —
Christi, inquam, *præcogniti quidem ante* 20
B *constitutionem mundi,* id est ab æterno
ad hoc præordinati ac prævisi a Deo Pa-
tre, secundum naturam assumptam, ut
per eum redimeretur genus humanum.
Deus namque ab æterno decrevit per Chri-
sti passionem redimere mundum. *Mani-
festati autem in novissimis temporibus
propter vos,* id est, propter vestram salu-
tem, Christus in ultima mundi ætate per
incarnationis mysterium apparuit in hoc
mundo, juxta illud Baruch : Post hæc in *Baruch* iii, 38.
terris visus est, et cum hominibus con-
C versatus est. Hoc est quod ait Joannes :
Verbum caro factum est, et habitavit in *Joann.* i, 14.
nobis. Hinc ad Ephesios loquitur Paulus,
dicendo : Deus elegit nos in Christo ante *Ephes.* i, 4, 7.
mundi constitutionem, in quo habemus
redemptionem per sanguinem ejus. De his
demum diebus novissimis loquitur Pau-
lus : Nos sumus in quos fines sæculorum *I Cor.* x, 11.
devenerunt.

Qui per ipsum fideles estis in Deo, id 21
est, virtute et merito passionis Christi,
gratiam conversionis ac fidei consecuti
D estis a Deo, et hucusque fideles mansistis
in eo. Meritum etenim Christi in sacra-
mento Baptismi ac Pœnitentiæ applicatur
hominibus ; et quidquid virtutis et gratiæ
eis confertur a Domino, per Christum et
ejus passionem ac meritum ipsis dona-
tur, in quantum per Christi mysteria Deus
proposuit sibi reconciliare atque salvare
genus humanum. Propter quod ad Ephe-
sios habetur : Deus prædestinavit nos in *Ephes.* i, 5, 6.
adoptionem filiorum per Jesum Christum
in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gra-

tificavit nos in dilecto Filio suo. Vel, Per ipsum fideles estis in Deo, quoniam Christus suos misit discipulos ad aliorum conversionem ubique, et per Apostolos dedit hominibus legem salutis, quemadmodum [Is. LI, 4.] apud Isaiam ait : Lex a me exiet, et judicium meum in lucem populorum requi[Ephes. II, 13.]escet. Idcirco ait Apostolus : In Christo, qui eratis longe, facti estis prope.

Qui suscitavit eum a mortuis tertia die. Quæ suscitatio toti superbenedictæ Trinitati, cujus opera ad extra sunt indivisa, adscribitur. Potest tamen Patri appropriari, quia divina virtute effecta est : virtus autem seu potentia Patri appropriatur. Imo Christus, secundum quod est Deus, suscitavit se ipsum ut homo est. Propter [Joann. II, 19.] quod dixit : Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. *Et dedit ei gloriam sempiternam,* id est perpetuam corporis glorificationem, accidentaleque præmium, et judiciariam potestatem, in resurrectione, ascensione, etc. Nam in beatifica Dei visione, anima Christi fuit, ab exordio suæ creationis et unionis cum Verbo, perfecta. Hinc Christus passione [Ibid. XVII, 1.] sua instante, oravit illud Joannis : Pater, venit hora, clarifica Filium tuum. Et ad [Hebr. II, 9.] Hebræos habetur : Videmus Jesum propter passionem mortis, gloria et honore [Is. LIII, 11.] coronatum. In Isaia quoque legitur : Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit et saturabitur. *Ut fides vestra et spes esset in Domino,* id est, firmiter crederetis in Deum, et speraretis in eo. Ex hoc enim quod Deus Christum ita glorificavit per resuscitationem, ascensionem, et Sancti Spiritus missionem, inducti sunt homines ad christianæ fidei ac spei susceptionem, credentes et sperantes se tandem merito Christi resuscitandos et plene glorificandos.

22 *Animas vestras castificantes,* id est, cœlesti Sponso castas et puras exhibentes, *in obedientia caritatis,* id est obediendo divi[I Cor. XIII, 1-3.]nis præceptis ex caritate, sine qua nulla est actio meritoria, Deoque grata. Omnis siquidem actus meritorius, est a caritate elicitive, ut actus qui immediate et directe procedunt ex caritate : aut imperative, ut actus aliarum virtutum quibus præcipit caritas. *In fraternitatis amore,* id est etiam in proximorum spirituali dilectione, sine qua nemo potest salvari. Ideo subditur : *simplici ex corde,* omni duplicitate et fictione exclusa, *invicem diligite attentius,* id est valde attente, quum dicat Salvator : In hoc cognoscent omnes [Joann. XIII, 35.] quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Atque ut asserit Paulus : Qui diligit proximum, legem im[Rom. XIII, 8.]plevit. Porro de cordis simplicitate et duplicitate, dicta sunt multa super Canoni[In Jacob. I, 8.]cam Jacobi.

Omnis autem anima rationalis, aut est sponsa Dei per fidem ac caritatem, aut certe adultera diaboli per infidelitatem, seu quamcumque culpam mortalem. Ideo animas nostras castificare debemus modo prætacto, et omni virtute ornare, sanctis actibus decorare, incessabiliter, fructuose, timorate ac fervide conversari : præsertim quoniam tanti æstimavit nos Dominus Deus noster, quod propter nostram recuperandam salutem, nostram in unitate personæ assumpsit naturam, et in ea pro nobis tot et tanta fecit ac passus est. Nonne ex dignitate legati, magnitudo causæ pensatur? Quum ergo Unigenitum suum miserit Deus Pater legatum ad pacificandum nos sibi, quis magnitudinem causæ quam cum Deo habemus, excellentiamque beatitudinis ad quam sumus creati, concipere valeat aut effari? Hinc et aliam causam ob quam timorate vivere debeamus, dignissimus apostolici chori vertex subjungit.

Renati non ex semine corruptibili, id 23
est, Deum timere, invicemque attentius amare debetis, quia renati estis seu spiritualiter generati per emundationem a culpa, et susceptionem gratiæ ac virtutum, non ex materiali impuroque semine, *sed incorruptibili,* id est virtute cœlesti in sacramento Baptismatis operante, seu gratia spirituali et gratum faciente, quæ

confert homini esse spirituale, supernaturale, deiforme, idoneum ad promerendum, *per verbum Dei vivi et permanentis in æternum,* id est per Christum, de quo Joannes ait : Omnia per ipsum facta sunt. (*Joann.* I, 3.) Nam Christus est qui principaliter interiusque baptizat, purgat, regenerat. Ipse quoque Baptismum instituit, et omnibus dari præcepit ; et ipse est Verbum increatum, æternum, unigenitum Dei vivi et permanentis in æternum, videlicet Patris æterni, quemadmodum Petrus disseruit : Tu es Christus Filius Dei vivi. (*Matth.* XVI, 16.) Vel per verbum Dei vivi, intelligit formam verborum sacramentalium operantium in Baptismo, per quæ dispositive et suo modo causaliter fit regeneratio spiritualis : quoniam accedente verbo ad elementum, fit sacramentum. Unde et Paulus testatur, quod Christus dilexit Ecclesiam, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ. (*Ephes.* V, 25, 26.) De hac regeneratione dicta sunt plura super illud Jacobi, Voluntarie genuit nos verbo veritatis. (*Jacob.* I, 18.) Unde Joannes ait : Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. (*Joann.* I, 12, 13.)

24 *Quia omnis caro fœnum.* Tanquam dicat : Regeneratio spiritualis, ex carnali et corruptibili semine esse nequit : quoniam caro carnaleve semen, fœno assimilatur, idcirco ad spirituale et supernaturale esse non potest perducere, nec talis generationis semen exsistere. (*Is.* XL, 6; *Eccli.* XIV, 18.) Unde ait Salvator : Quod natum est ex carne, caro est ; et quod natum est ex spiritu, spiritus est. (*Joann.* III, 6.) *Et omnis gloria ejus,* id est viror, vigor, voluptasque carnis, *quasi flos fœni,* id est, cito pertransit et deficit, sicut flos graminis. *Exaruit fœnum,* id est, gramen, postquam viruerit et excreverit, mox arescit, *et flos ejus decidit.* Sic caro in pueritia habet virorem, in adolescentia decorem, in juventute robur et florem, in senectute desiccationem, in morte corruptionem.

25 *Verbum autem Domini manet in æternum.* Quod primo verum est de Verbo increato Patris æterni. De quo scriptum est : In principio erat Verbum. (*Joann.* I, 1.) De quo Damascenus intelligit illud in Psalmo, In æternum, Domine, verbum tuum permanet in cœlo. (*Ps.* CXVIII, 89.) Secundo, verificatur de verbo creato, id est divinæ virtutis præcepto, effectu seu lege, qua cuncta subsistunt. De quo verbo cantatur : Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus ; (*Ps.* CXLVIII, 8.) et rursus, Præceptum posuit, et non præteribit. (*Ibid.* 6.) Tertio, de verbo sacræ Scripturæ, quod dicitur non transire, sed in æternum manere. Nam inviolabilis atque perpetua est veritas Scripturarum, quamvis verba vocalia sonando transeant, ac desinant esse, utpote de numero successivorum, quibus idem est esse et fieri. Ideo loquitur Christus : Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt. (*Luc.* XXI, 33.) Quarto, de verbo sacramentali, quod manet in suo effectu. Nam character qui in Baptismo imprimitur, indelebilis perhibetur. Et gratia quæ ibi infunditur, ex se non habet ut corrumpatur, quamvis per accidens desinat esse in transgressore : quæ etiam gratia arrha vitæ æternæ vocatur. — Denique locus hic ex Isaia sumptus est, ubi habetur : Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri, etc. (*Is.* XL, 6-8.)

Hoc autem est verbum quod evangelizatum est in vobis, id est, inter vos prædicatum est per Christi Apostolos ceterosque discipulos : qui, Paulo testante, non prædicaverunt se ipsos, sed Jesum Christum, qui est Verbum æternum, et ejus doctrinam, præcepta ac sacramenta. (*II Cor.* IV, 5.)

ARTICULUS IV

EXPLANATIO CAPITULI SECUNDI : DEPONENTES IGITUR OMNEM MALITIAM.

JAM circa finem præcedentis capituli A
docuit princeps Apostolorum, quam pre-
tiosi sint fideles per Christum redempti,
quamque sublimiter regenerati : idcirco
nunc plenius instruit eos, quam virtuose
debeant conversari, ne tantis beneficiis
Luc. XII, 48. sint ingrati : quia cui plus datum est,
1 plus requiretur ab eo. Itaque ait : *Depo-
nentes igitur,* id est, quum sitis taliter
liberati atque renati, idcirco per contri-
tionem seu anticipationem, removentes a
cordibus vestris *omnem malitiam,* id est
excogitatam ac deliberatam pravitatem, seu B
omnem habitum vitiosum consuetudinem-
que perversam ; *et omnem dolum* in ver-
Ps. V, 7. bis et factis : siquidem virum sanguinum
et dolosum abominabitur Dominus. Do-
lus namque caritati et justitiæ atque pru-
dentiæ veræ contrariatur. Ideo Salomon
Prov. XIV, 17. protestatur : Vir versutus odiosus est. *Et
simulationes :* simulatores enim et callidi
Job XXXVI, 13. provocant iram Dei ; *et invidias,* id est
rancores seu tristitias de prosperitatibus
proximorum ; *et omnes detractiones :* quæ
sunt peccata mortifera. Quid autem sit C
detractio, et quot modis contingat, quam
etiam enorme peccatum sit, et quomodo
a detrahente sit fugiendum, dictum est
Jacob. IV, 11. supra, circa illud Jacobi : Nolite detrahe-
re alterutrum, fratres mei.
2 *Sicut modo geniti infantes,* id est in-
star parvulorum infantium statim natorum,
quantum ad innocentiam, non quantum
ad nescientiam : ideo subditur, *rationa-
biles,* id est discreti, et judicium rectæ
rationis sequentes. Debemus enim infan-
tibus assimilari, quantum ad bonas eorum D
proprietates, quæ sunt : nulli nocere, non
Matth. XVIII, 3. concupiscere, non irasci, cito placari, non
superbire. Propter quod ait Salvator : Ni-
si conversi fueritis, et efficiamini sicut
parvuli, non intrabitis in regnum cœlo-
rum. Non autem debemus infantulis con-
formari, discretione carendo, instabiliter
nos habendo, poma, pira, rebus pretiosis-
simis præferendo. Propter quod loquitur
Paulus : Non simus parvuli fluctuantes ; *Ephes.* IV, 14.
et denuo, Nolite pueri effici sensibus, sed *I Cor.* XIV, 20.
malitia parvuli estote. Et in Proverbiis
habetur : Usquequo parvuli diligitis in- *Prov.* I, 22.
fantiam ? — Est ergo bona et virtuosa
infantia, quæ vocatur infantia christianæ
simplicitatis, quæ est innocentia atque sin-
ceritas mentis. Ad quam beatissimus Pe-
trus hoc loco redire nos admonet, ne ali-
cui simus nocivi, imo cunctis pro posse
proficui. Est quoque vituperanda infantia,
quæ est asinina simplicitas, et imperitia
periculosa. Unde apud Isaiam asseritur :
Puer centum annorum morietur. Quid enim *Is.* LXV, 20.
est puer centum annorum, nisi senex pu-
erilis, insipiens et inconstans ? Talis mo-
rietur morte æternalis miseriæ, sicut jam
mortuus est morte culpæ.
Itaque, Rationabiles *sine dolo :* maledi- *Malach.* I, 14.
ctus enim dolosus, ut in Malachia scri-
ptum est ; *lac concupiscite,* id est, faciliora
fidei documenta cum aviditate a doctori-
bus et prælatis vestris suscipite, ut pau-
latim proficiatis. Nam neophytis et noviter
baptizatis, incipientibus et imperfectis,
sunt primo faciliora fidei pabula exhiben-
da, quia difficiliorum mysteriorum non-
dum capaces sunt. Talibus quippe loquitur
Paulus ad Hebræos : Indigetis ut docea- *Hebr.* V, 12.
mini quæ sunt elementa exordii sermonis
Dei, et facti estis quibus lacte opus est,
non solido cibo ; et alibi : Tanquam par- *I Cor.* III, 1, 2.
vulis in Christo lac vobis potum dedi, non
escam ; non enim poteratis accipere. *Ut*

in eo crescatis in salutem, id est, per
lactis hujus spirituale edulium, pertinga-
tis ad charismata meliora, ad viciniora sa-
luti, ad contemplationem cœlestium, at-
que purissimum Divinitatis amorem, ut
de eorum sitis catalogo de quibus loquitur
I Cor. II, 6. Paulus : Sapientiam loquimur inter per-
Hebr. V, 14. fectos ; et item, Perfectorum est solidus
cibus, eorum qui pro consuetudine exer-
citatos habent sensus. Ideo Vas electionis
I Cor. XII, 31. hortatur : Æmulamini charismata melio-
ra. Quum etenim in via Dei non proficere,
sit deficere, debemus quotidie in gratia
Dei virtutibusque proficere, bonis bona
adjicere, et omne tempus vitæ præsentis
fructuose expendere, quemadmodum ad
Philipp. I, 9, 10. Philippenses docet Apostolus : Caritas ve-
stra semper magis ac magis abundet in
scientia, ut probetis potiora, et sitis sin-
ceri, et sine offensione.

3 *Si tamen gustastis quam dulcis est Do-
minus,* id est, tunc præfata documenta
poteritis adimplere, si divinæ bonitatis
suavitatem interiori gustastis palato. Quem-
admodum enim homo diu esse non potest
sine dilectione, ita nec sine delectatione,
quia delectationem naturaliter appetit. Id-
eo, sicut qui spiritualis amoris expertes
sunt, carnalibus affectibus detinentur ; ita
qui in Deo non delectantur, ejus dulcedi-
nem degustando, carnales, viles et exte-
riores delectationes, delicias, consolationes
requirunt. Nec potest carnalia vitia supe-
rare, spiritualibus inhærere, qui nihil di-
vinæ consolationis ac interioris dulcedinis
experitur. Porro, quam dulcis est Deus,
aliqualiter in hac vita gustamus, ipsum
per donum sapientiæ et fidem formatam
cognoscendo seu contemplando, eumque
sinceriter diligendo. In eo namque quod
magis diligimus, magis delectari solemus.
Ps. LXXVI, 4. Ideo ait Psalmista : Memor fui Dei, et de-
Ps. XXXVI, 4. lectatus sum ; et rursus, Delectare in Do-
Ps. XXXIII, 9. mino ; itemque, Gustate et videte quoniam
suavis est Dominus.

Sed posset quis interrogare, qualiter po-
terimus ad divinæ suavitatis gustum inter-
num pertingere ? Et respondendum, quod

A oportet successive proficere, coram Deo *Mich.* VI, 8.
sollicite ambulare, carnalia oblectamenta
despicere, operibus insistere virtuosis, et
Deo ex caritate prompto corde servire, at-
que in omnibus Dei honorem optare, et
zelum habere justitiæ, caritatis quoque et
pietatis redundare visceribus ; sicque ad
copiosissimum ac frequentissimum divinæ
suavitatis pertingemus saporem, et Dei
amici et ei familiares efficiemur, ita quod
cum Propheta ex sententia proferemus :
Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, *Ps.* XXX, 20.
B Domine ! Præterea, quoniam unusquisque
in caritate exsistens, habet donum sapien-
tiæ secundum aliquem gradum : potest
quilibet talis aliqualiter degustare quam
dulcis est Deus, in suis orationibus, me-
ditationibus, affectionibusque ad eum, in
bonis quoque operibus delectando, jux-
ta illud, Servite Domino in lætitia. Deus *Ps.* XCIX, 2.
etiam ex sua pietate immensa, frequenter
gratiose prævenit homines, etiam imper-
fectos et incipientes, infundendo eis suæ
bonitatis dulcem saporem, consolationem
C internam, jucundæ alacritatis perfusionem :
sicque allicit eos sibi, et a terrenis car-
nalibusque avertit, quia gustato spiritu,
desipit omnis caro. Conemur ergo ad præ-
tactum divinæ dulcedinis saporem pertin-
gere, ut carnalia cordialius atque facilius
contemnamus, et spiritualibus ac divinis
stabilius immoremur : imo pro gratia ista
obtinenda Deum precemur. Propter quod
subditur :

Ad quem accedentes lapidem vivum, id 4
est, Dominum Jesum Christum, qui est
D vivus lapis, spiritualiter accedentes, cre-
dendo et desiderando gratiosam adsisten-
tiam ejus, et ejus illuminationem simpli-
citer postulando : juxta illud in Psalmo,
Accedite ad eum, et illuminamini ; et ad *Ps.* XXXIII, 6.
Hebræos, Adeamus cum fiducia ad thro- *Hebr.* IV, 16.
num gratiæ ejus, ut misericordiam conse-
quamur. Ad Deum quippe ubique præsen-
tem, non passibus pedum, sed desideriis
cordium actibusque virtutum, accedimus.
Dicitur autem Christus lapis, ratione fir-
mitatis et fundationis. Est etiam lapis vi-

vus, quia secundum deitatem suam, est A essentialiter vivens et vita, quemadmodum *Joann.* XIV, 6. ait : Ego sum via, veritas et vita ; item- *Ibid.* V, 26. que, Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso. Porro, secundum naturam assumptam, vivens est vita naturæ humanæ in optimo gradu, vita gratiæ in summo statu, vita gloriæ in excellentiæ termino possibili menti creatæ. Omnis quoque vita procedit ab ipso.

Accedentes ergo ad lapidem istum, *ab hominibus quidem reprobatum :* primo, B videlicet a Judæis incredulis, qui multas blasphemias evomuerunt in Christum, di- *Joann.* X, 20; *Matth.* XI, 19; *Luc.* XI, 15. cendo : Dæmonium habet, et insanit; homo vorax, potator vini; in Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia. Atque *Luc.* XXIII, 2. in passione, quando dixerunt : Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, etc. Deinde reprobatus est a philosophis et tyrannis ac aliis perfidis. *A Deo autem electum,* secundum naturam assumptam, ut per eum salvaretur genus humanum. *Is.* XLII, 1. De quo per Isaiam loquitur Dominus : Ec- C ce servus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. Imo Christus antonomastice vocatur Dei electus, utpote omnium electorum salva- *Joann.* III, 34. tor et caput, qui Spiritum non ad mensuram accepit, cujus merito alii electionis consequuntur effectum. *Et honorificatum.* Christum enim Deus Pater multipliciter honorificavit, id est, honore dignum effe- *Luc.* III, 22; IX, 35. cit ac demonstravit : dicendo ad eum, Tu es Filius meus dilectus; eumque omnibus præferendo; ejus quoque excellentiam per D Prophetas atque Apostolos, et per miracula insinuando; in die quoque ascensionis eum super omnes cœlos ad suam dexteram collocando.

5 *Et ipsi,* id est vos ipsi, fideles, *tanquam lapides vivi,* id est, per fidem et caritatem spiritualiter viventes ac firmi, qui tempore infidelitatis et impietatis fuistis tanquam lapides duri ac mortui : propter *Ezech.* XXXVI, 26. quod Dominus dixit per Ezechielem, Auferam a vobis cor lapideum, et dabo vobis cor carneum ; *superædificamini domos spirituales :* id est, super Christum, qui est verum Ecclesiæ fundamentum, ædificamini in domos spirituales, ita ut sitis domus seu habitacula Christi, qui per dona gratiæ suæ demoretur in vobis. Christus namque per fidem, ut loquitur Pau- *Ephes.* III, 17. lus, habitat in nobis. Hoc est : ita habete vos, ut Deus per gratiarum suarum charismata, faciat vos domos seu habitacula sua; et vos ipsi, bene vivendo, facite vos habitacula Salvatoris. Imo, proficiendo in omni bono, magis ac magis sitis habitacula Dei. Christus enim est fundamentum Ecclesiæ, super quod unusquisque ædificare, fundare et stabilire se debet per fidem, spem, caritatem, aliasque virtutes et actus ac profectus earum. Propter quod ad Corinthios scriptum est : Unusquisque *I Cor.* III, 10, 11. videat quomodo superædificet : fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Quemadmodum autem sunt multæ particulares Ecclesiæ, quæ omnes sunt una universalis Ecclesia militans, in sæculo peregrinans, ex omnibus populis constans ; ita sunt multæ particulares spiritualesque domus, quæ omnes sunt una generalis domus ac civitas Dei. Unde ad Hebræos legitur : Moyses fidelis erat in *Hebr.* III, 5, 6. tota domo Dei, tanquam famulus; Christus vero tanquam filius in domo sua, quæ domus sumus nos. Atque ad Timotheum loquitur Paulus : Scias quomodo oporteat *I Tim.* III, 15. te conversari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei vivi.

Superædificamini quoque, modo prætacto, *sacerdotium sanctum,* id est in sacerdotes sanctos Dei, ita ut sitis spiritualiter Dei sacerdotes, *offerre,* id est ad offerendum, *spirituales hostias,* id est orationes et sanctas affectiones, eleemosynas, bonaque opera, non sacrificia legis carnalia, *acceptabiles Deo,* id est ei placentes, et meritorias vitæ æternæ, quia ex caritate procedunt : acceptabiles, inquam, *per Jesum Christum,* cujus virtute, gratia et merito superædificamur modo præhabito, et

opera Deo placita operamur. Propter quod A
Joann. xv, 4. asserit Christus : Sicut palmes non potest
ferre fructum a semetipso, nisi manserit
in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis.
Ibid. 5. Et rursus ibidem : Sine me, inquit, nihil
potestis facere. Idcirco, in fine oblatio-
num et orationum Ecclesiæ communiter
dicitur : Per Dominum nostrum Jesum
Christum, etc., quia per ipsum nostræ
oblationes et orationes sunt Deo gratæ si-
ve acceptæ, et per ipsius perfectionem ac
meritum suppletur imperfectum nostrum,
dummodo illud humiliter recognoscamus, B
et actus nostros merito actuum passionis-
que Christi, capitis nostri, per fidem et
caritatem sapientialiter uniamus, rogando
Deum ut virtute ac merito conversationis
passionisque Christi in sæculo isto, pie
suscipiat actus nostros, et imperfecto no-
stro indulgeat.

Denique, sicut Christus secundum quod
homo, est templum Dei, et pontifex seu
sacerdos ac hostia : templum, quia in eo
Coloss. II, 9. habitat omnis plenitudo Divinitatis, secun-
dum Paulum ; sacerdos autem, quia ut di- C
Hebr. IX, 14. citur ad Hebræos, Ipse per Spiritum San-
ctum obtulit semetipsum immaculatum
Deo : ita fideles sunt domus, templum et
habitaculum Dei, in quantum per gratiam
habitat in eisdem. Propter quod ad Co-
I Cor. III, 16. rinthios dicitur : Nescitis quia templum
Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis ?
Sunt etiam sacerdotes et hostia Dei, in
quantum se ipsos offerunt Deo. Unde ad
Rom. XII, 1. Romanos scriptum est : Exhibeatis corpo-
ra vestra hostiam sanctam, viventem, Deo
placentem. Idcirco, quod dictum est, Sa- D
cerdotium sanctum, ad universos refertur
fideles in caritate exsistentes, non ad eos
dumtaxat qui sacramento Ordinis sacri
sunt insigniti, ut quidam exponunt. Pro-
pter quod ait venerabilis Beda : Omnem
Ecclesiam, sacerdotium sanctum appellat
Exod. XXVIII, 1. 43; XXX, 30; Num. XVI, 40. (quod nomen et officium sola domus Aa-
ron in lege Moysis habuit), quoniam om-
nes summi Capitis membra sumus, et oleo
sancto in Baptismo uncti consistimus.

6 *Propter quod continet Scriptura*, id est,
ob hoc quod Christus est lapis vivus, et
quia ad ipsum debetis accedere, Deus per
Isaiam testatur : *Ecce ponam in Sion*, id Is. XXVIII, 16.
est in Ecclesia speculante cœlestia. Sion
enim speculatio interpretatur. Unde ad He-
bræos scribitur : Accessistis ad montem Hebr. XII, 22.
Sion, et civitatem Dei viventis. *Lapidem
summum*. Nam inter eos qui ratione so-
liditatis sive constantiæ, lapides appellan-
tur, est Christus altissimus, qui est om-
nium rex Sanctorum. De quo in Daniele
habetur, quod lapis qui abscissus est de Dan. II, 34, 35.
monte sine manibus, factus est mons ma-
gnus, et implevit universam superficiem
terræ. *Angularem*. Christus vocatur lapis
angularis, quia sicut in lapide angulari
duo concurrunt et connectuntur parietes ;
sic in Christo duo populi convenerunt,
unitique sunt, et unus populus per fidem
et caritatem effectus. Propter quod loqui-
tur Paulus : Christus est pax nostra, qui Ephes. II, 14, 15.
fecit utraque unum, ut duos condat in
semetipso. Hinc in Zacharia de Christo
prædictum est : Ecce vir, Oriens nomen Zach. VI, 12, 13.
ejus, et ædificabit templum Domino, et
consilium pacis erit inter duos illos. *Ele-
ctum*, secundum naturam assumptam, in
omnium redemptorem. De quo in Canticis
Sponsa fatetur : Dilectus meus candidus Cant. V, 10.
et rubicundus, electus ex millibus. *Pre-
tiosum*, imo dignissimum : quoniam Chri-
stus secundum quod Deus, est dignitatis
prorsus incomparabilis et immensæ. Se-
cundum assumptam vero humanitatem, ut
Verbo æterno unitam, et omni gratiarum
plenitudine perornatam, dignior est toto
universo.

Et qui crediderit in eum fide formata,
et perseveraverit usque in finem, *non con-* Matth. X, 22.
fundetur, quum fuerit divino tribunali
oblatus, id est, non reprobabitur a Judice
summo : quamvis in sæculo isto a pravis
hominibus confundatur, vituperetur, di-
judicetur, quemadmodum justi fatentur
in Psalmo : Posuisti nos in similitudinem Ps. XLIII, 15, 16.
gentibus, commotionem capitis in popu-
lis ; tota die verecundia mea contra me
est, et confusio faciei meæ cooperuit me.

Ps. xxxiii, 6. Hinc in alio fertur psalmo : Accedite ad A
eum, et illuminamini ; et facies vestræ
non confundentur. Hoc est quod de se
Joann. vi, 40; xi, 26. ipso ait Salvator : Omnis qui videt Filium,
et credit in eum, non morietur in æter-
num. Unde Joannes apostolus in sua hor-
I Joann. ii, 28. tatur Canonica : Manete in eo, ut quum
apparuerit, habeamus fiduciam, et non
confundamur ab eo in adventu ejus.

7 *Vobis igitur honor credentibus,* quia in
Christum credendo meremini ad cœlestem
gloriam promoveri, atque a Deo in cœ-
lestibus honorari, videlicet angelis socia- B
Joann. xii, 26. ri. Propterea asserit Christus : Si quis mi-
hi ministraverit, honorificabit eum Pater
meus. Nam honor debetur virtuti. Hinc
perfidi, reprobi, et iniqui dicent in die
Sap. v, 4, 5. judicii : Nos insensati, vitam illorum æs-
timabamus insaniam : quomodo ergo com-
putati sunt inter filios Dei, et inter San-
ctos sors illorum est ? ut in Sapientia
inducitur. *Non credentibus autem,* id est
ceteris in incredulitate sua durantibus,
eisque nolentibus seu invitis, *lapis quem
reprobaverunt ædificantes,* id est Chri- C
stus, quem doctores et sacerdotes Judæ-
orum plebem communem instruentes, et
eam per hoc spiritualiter ædificantes, ver-
bis et factis persequebantur (juxta illud
Jer. v, 12. Jeremiæ : Negaverunt Dominum, et dixe-
runt, Non est ipse), *hic factus est in caput
anguli,* id est principium angulare, in
quo duo populi convenerunt, sicut expo-
situm est.

8 *Et lapis offensionis et petra scandali*
factus est Christus, non directe, neque ex
culpa sua, sed occasionaliter, *his qui of-* D
fendunt verbo, id est obstinatis Judæis, et
cunctis incredulis, blasphemantibus Chri-
stum, *nec credunt in quo positi sunt,* id
est, Scripturis legis et Prophetarum, se-
cundum verum earum intellectum non
credunt, quum tamen facti essent et po-
siti ad credendum : quia Scriptura legis
et Prophetarum fuit dispositiva ad Chri-
stum, et data, ut per eam Judæi præpara-
Galat. iii, 24. rentur ad Christi fidem ac legem. Propter
quod dicitur ad Galatas : Lex pædagogus
noster fuit in Christo. His excæcatis Ju-
dæis Christus in Evangelio ait : Si cre- Joann. v, 46.
deretis Moysi, crederetis forsitan et mihi ;
de me enim ille scripsit. Et rursus : Scru- Ibid. 39.
tamini Scripturas, quia illæ sunt quæ
testimonium perhibent de me. De quibus
et per Danielem prædictum est : Non erit Dan. ix, 26.
ejus (scilicet Christi) populus qui eum
negaturus est. Per Isaiam quoque : Quis Is. xlii, 19.
cæcus, nisi servus meus ? et quis surdus,
nisi ad quem nuntios meos misi ? His ita-
que fuit Christus occasionaliter lapis of-
fensionis, petraque scandali : nam ex sua
perversitate offenderunt et impegerunt in
Christum ; atque ex ejus beneficiis, in-
formationibus, increpationibus, deteriores
et damnabiliores effecti sunt. Hinc sæpe
in Evangelio leguntur scandalizati in Chri- Matth. xiii, 57; xv, 12.
sto. Et in Joanne loquitur Christus : Si Joann. xv, 22.
non venissem, et locutus eis fuissem, pec-
catum non haberent ; nunc autem excu-
sationem non habent de peccato suo.

Denique scandalum active, directe et
proprie dictum, est semper peccatum,
quum sit dictum vel factum minus re-
ctum, alteri præbens occasionem ruinæ.
Et sic Christus non fuit lapis offensionis,
petrave scandali. Scandalum vero occa-
sionaliter et indirecte, et quasi passive
dictum, non est peccatum. Sic enim scan-
dalum est, aliquod verbum aut opus bo-
num, ex quo ex propria abusione et deor-
dinatione aliqui sumunt occasionem ruinæ
ac peccant. Sicque Christus fuit lapis of-
fensionis et petra scandali. Propter quod
loquitur Paulus : Nos autem prædicamus I Cor. i, 23.
Christum, Judæis quidem scandalum, gen-
tibus autem stultitiam. Unde in libro Sa-
pientiæ dicunt iniqui : Gravis est nobis Sap. ii, 15.
etiam ad videndum, quia dissimilis est
aliis vita illius. — Postremo, quod dictum
est, Lapis offensionis et petra scandali,
sumptum est ex Isaia, ubi habetur : Do- Is. viii, 13, 14.
minum sanctificate, et erit vobis in sancti-
ficationem : in lapidem autem offensionis
et petram scandali, duabus domibus Israel.

Reprobatis itaque Judæis incredulis, po-
nit princeps Apostolorum, fidelium Judæ-

orum omniumque in Christum credenti-
9 um, sublime præconium. *Vos autem* ad Christum conversi, estis *genus electum*, id est ad specialem gratiam præ ceteris a Deo præordinatum, utpote ad fidem catholicam, ceterasque virtutes, et ecclesiastica sacramenta, vocatum atque perductum. II Thess. III, 2. Non enim omnium est fides. Et dici potest de vobis illud ex Psalmo : Ps. CXLVII, 20. Non fecit taliter omni nationi. *Regale sacerdotium*, id est sacerdotes regii seu regales, videlicet Christo summo regi ac sacerdoti assimilati et incorporati, ac pertinentes ad eum. Siquidem, ut dictum est, quemadmodum Christus homo, est templum Dei, sacerdos ac hostia ; sic Christianus fidelis, est templum, sacerdos ac hostia Dei. Et quoniam summi Regis sacerdos est, et sacerdotium ejus ad regnum ordinatur cœleste, merito regalis sacerdos vocatur. Denique omnes fideles reges dicuntur, se ipsos per rationem regendo, passiones ac vitia superando. Sacerdotes quoque dicuntur, hostiam laudis, sacrificium orationis, munera eleemosynarum, et cetera spiritualia exercitia, virtuosaque opera Domino offerendo. Propterea in Apocalypsi fatentur : Apoc. I, 6. Christus fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri suo. *Gens sancta*, id est divino cultui deputata, in Baptismo mundata, virtutibus decorata. Quemadmodum autem lex Christi, est lex totius perfectionis ; sic veri Christiani, Christi legem splendide observantes, recte præ cunctis populis sancta gens appellantur. Et tales præcipue erant Christiani in primitiva Ecclesia, quos Paulus in suis epistolis tam Rom. I, 7; XII, 13; I Cor. XIV, 33; XVI, 1; Ephes. I, 1; etc. frequenter nominat sanctos. *Populus acquisitionis*, id est Christi sanguine de manu inimicorum humanæ salutis ereptus, liberatus, adeptus. Luc. XIX, 10. Venit enim Filius hominis quærere et salvare quod perierat, ut ipsemet in Evangelio protestatur. Qui iterum ait : Ibid. XV, 6. Congratulamini mihi, quia inveni ovem quam perdideram. Unde in Act. XX, 28. Actibus loquitur Paulus : Attendite vobis et universo gregi, in quo vos posuit Spiritus Sanctus episcopos, regere Ecclesiam A Dei, quam acquisivit sanguine suo; et ad Hebræos, Non sumus subtractionis filii Hebr. X, 39. in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ.

Inductum autem præconium ait Moyses Exod. XIX, 6. ad populum Judæorum : quod multo excellentius competit plebi Christianorum, cui majora gratiarum charismata sunt collata. Quidam exponunt hæc specialiter de sacerdotibus evangelicæ legis : qui dicuntur *genus electum*, id est ad consecrationem corporis et sanguinis Christi, præ B ceteris consecrati et assumpti; quibus valde singularis dignitas, supernaturalis potestas, admirabilis ordo, collata sunt; ad quos ecclesiasticorum sacramentorum confectio et administratio pertinent. Quum enim in Numeris Moyses dicat Levitis, Num parum vobis est, quod separavit vos Num. XVI, 9. Dominus a populo, et junxit sibi, ut serviretis ei in cultu tabernaculi? multo magis istud sacerdotibus Christi poterit dici. Sacerdotibus quoque et Levitis veteris Testamenti Ezechias rex ait secundo Pa- C ralipomenon libro : Nolite negligere; vos II Par. XXIX, 11. elegit Dominus ut stetis coram eo, et ministretis ei, colatisque eum, et cremetis ei incensum. Multo ergo sublimius, constituti in sacris Ordinibus evangelicæ legis, dici possunt genus electum. Qui etiam sunt *regale sacerdotium*, id est sacerdotes Christi regis altissimi ; et *gens sancta*, quia ad eos præcipue pertinet vita perfecta, conversatio exemplaris. — Quod autem sequitur, ad utramque expositionem congrue applicatur.

D *Ut virtutes annuntietis ejus*, id est, Dei omnipotentis caritatem, pietatem, sapientiam, justitiam, potestatem laudetis ac prædicetis, seu invicem enarretis, *qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum*, id est, de caligine ignorantiæ et peccati atque perfidiæ, ad splendorem fidei lucemque gratiæ ac virtutum vos transtulit : imo ad lumen gloriæ, et ad increati luminis sui (quod ipse est, qui lucem habitat inaccessibilem) beatificam I Tim. VI, 16. visionem invitavit. Hanc enim Christus

suis promittit fidelibus, qui ad Patrem A
Joann. xvii, 24. suum ait : Pater, quos dedisti mihi, volo
ut ubi ego sum, et illi sint mecum, ut
Ibid. xiv, 21. videant claritatem meam; et alibi, Manifestabo ei me ipsum.
10 *Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei :* id est, ante conversionem vestram ad fidei veritatem, fuistis non populus Dei, secundum præsentem justitiam, quia non pertinuistis ad Deum per caritatem et gratiam ac debitam subjectionem, sed aversi fuistis ab eo, et ratione peccati attinebatis diabolo, cujus B membra ac ministri fuistis. Verumtamen per prædestinationem æternam omnes electi, quantumcumque ad tempus iniqui sunt, semper sunt populus Dei. Sed et reprobi, omnesque communiter homines, sunt populus Dei per creationem ac providentiam. Nam et de talibus loquitur Deus (Is. i, 3.) apud Isaiam : Populus meus non intellexit. In Actibus quoque Paulus de bonis (Act. xvii, 29.) et malis communiter protestatur : Genus Dei sumus. Fideles autem et justi, sunt specialiter populus Dei, juxta illud Psal- C (Ps. lxxviii, 13.) mi, Nos autem populus ejus, et oves pascuæ ejus : quia per caritatem et gratiam Deo conjuncti et subditi sunt. *Qui non consecuti misericordiam,* id est, ante conversionem vestram nondum fuistis adepti misericordiam hanc magnam, qua facti estis membra et milites Christi. Nullus tamen in isto sæculo expers est penitus misericordiæ Dei. Nam et infideles ac impii, misericorditer tolerantur et exspectantur a Deo, ut convertantur ; atque per angelos eorum custodes retrahuntur a di- D versis periculis et peccatis ; quotidianis quoque beneficiis Dei utuntur. Propter (Luc. vi, 35.) quod Salvator ait : Altissimus benignus (Matth. v, 45.) est super ingratos et malos; et alibi, Solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. Damnati etiam in inferno, aliquid misericordiæ sortiuntur, quia citra condignum torquentur. Imo in omni opere Dei misericordia et justitia ejus relucent, juxta quod scri- (Ps. xxiv, 10.) ptum est : Universæ viæ Domini misericordia et veritas. Electi tamen specialiter dicuntur misericordiam consequi, unde et (Rom. ix, 23, 22.) vasa misericordiæ appellantur; non autem iniqui et reprobi, qui vasa iræ vocantur. Ideo subditur : *nunc autem misericordiam consecuti,* id est gratiose a Deo vocati, et conversi. Donum enim Dei est, (Ephes. ii, 8, 9.) non ex operibus.

Istud ex Osee sumptum est, ubi Dominus ait : Vocabo non plebem meam, plebem meam ; et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. (Osee ii, 24; Rom. ix, 25.) Quod et Paulus ad Romanos de gentilium conversione allegat, quia de ea ad litteram loquitur Osee propheta. Inter eos vero quibus beatissimus princeps Apostolorum hanc scripsit epistolam, aliqui erant ex gentilitate conversi, ad quos istud specialiter applicatur.

Præterea, quoniam tanto spiritualior debet esse Christifidelium vita, quanto præclariora gratiarum charismata eis sunt condonata, ideo recte subjungit et hortatur nos summus Apostolus : *Carissimi,* 11
obsecro vos. Hoc suæ fuit profundissimæ humilitatis, quod eos tam affectuose rogavit quod cum auctoritate præcipere potuit. Sic et Paulus Philemoni scribens : Fiduciam, inquit, habens imperandi tibi (Philem. 8, 9.) quod ad rem pertinet, propter caritatem magis obsecro. Multi namque facilius vincuntur, flectuntur, alliciuntur humilitate et pietate, quam rigore et severitate. Obsecratio quoque est potissima species orationis. Est enim obsecratio, per sacra rogatio. Fitque interdum per sacrum increatum, ut quum ait Propheta, Secun- (Ps. xxiv, 7.) dum misericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam, Domine ; et Paulus ad Romanos, Obsecro vos, fratres, (Rom. xii, 1.) per misericordiam Dei : interdum per sacrum creatum, ut quum dicimus, Per passionem et crucem tuam libera nos, Domine. Et fieri potest pariter per utrumque, ut si dicamus : Propter infinitam pietatem tuam miserere mei, Deus, per omne meritum Christi. Fit autem per sacrum increatum, tanquam per principale et su-

perdignissimum inductivum : per sacrum autem creatum, tanquam per inductivum et medium secundarium, instrumentale ac meritorium. Et quando fit per sacrum utrumque simul, tunc est efficacissima prorsus oratio.

Itaque, Obsecro vos, *tanquam advenas et peregrinos*. Fideles dicuntur advenæ, in quantum degunt in terra non sua. Sunt enim in mundo isto quasi in exsilio ; et peregrini, quia ad cœlestem patriam gradiuntur, prout in exordio expositionis hujus epistolæ dictum est. *Abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam*, id est a concupiscentiis pravis animam impugnantibus : quia inclinant ad illicita, quæ sunt animarum saluti contraria, juxta illud ad Galatas :
Galat. v, 17. Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem ; hæc enim sibi invicem adversantur. Unde, quo lex Christi divinior spiritualiorque consistit, eo carnalia desideria, eorumque opera magis dedecent Christianos : quia brutis assimilant hominem, rationem prorsus obtenebrant, et turpitudo maxima est in eis. Pariunt quoque fastidium divinorum, et spiritualia bona faciunt homini esse insi-
Eccli xix, 2. pida. Idcirco in Ecclesiastico legitur : Vinum et mulieres apostatare faciunt etiam
Osee iv, 11. sapientes. Et in Osee habetur : Fornicatio et vinum et ebrietas auferunt cor.

Sed posset quis dicere : Si a carnalibus desideriis abstinere oportet, ergo a desiderio ciborum et potuum erit cavendum, nec licebit conjugatis se invicem cognoscere, quum hoc sine carnalibus desideriis fieri nequeat. Et respondendum, quod carnalia desideria proprie nominantur concupiscentiæ inordinatæ, seu irrefrenatæ appetitiones sensualitatis. Desideria vero gustus et tactus sub rationis ordine posita, licita sunt, et quodammodo spiritualia, utpote moderata, atque ad debitum spiritualemque finem relata. Ideo hortatur Paulus :
Rom. xiii, 14. Curam carnis ne feceritis in desideriis. Et
Ibid. viii, 12, 13. denuo : Debitores, inquit, sumus non carni, ut secundum carnem vivamus : si enim

A secundum carnem vixeritis, moriemini ; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.

Carnales igitur affectus, et eorum effectus, oscula et amplexus, ludos, jocos, cachinnos, voluptates, vanitates, vilesque consolationes despiciamus, neque in rebus sæculi hujus mentem figamus, sed ad patriam felicitatis æternæ totis properemus præcordiis : quemadmodum peregrini non quærunt in via morari aut deliciari, sed ad patriam properant et adspirant. Istud B ad omnem pertinet Christianum, quum dicat Salvator : Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram ; væ vobis qui *Luc.* vi, 24, 25. saturati estis, quia esurietis ; væ vobis qui ridetis nunc, quia plorabitis. Unde ad Galatas inducitur : Qui autem sunt Christi, *Galat.* v, 24. carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Itaque in cibo, potu, somno, vestitu, et ceteris ad corpus spectantibus, non superfluitatem aut voluptatem, sed necessitatem quæramus, quemadmodum Vas electionis hortatur : Habentes *I Tim.* vi, 8. C alimenta et quibus tegamur, his contenti simus. Propter quod Sapiens deprecatur : Tribue tantum victui meo necessaria. *Prov.* xxx, 8. Quum igitur regali ac sacerdotali simus nomine insigniti, vitiorum jugo subjici dedignemur, ne a condonata gratiæ nobilitate, promissæque gloriæ sublimitate degeneremus. Nempe, ut asserit Beda : Hoc in vita hac inter electos et reprobos solet distare, quod electi tanto minus gaudiis delectantur caducis, quanto plus perpetua gaudia præstolantur. Reprobi vero hic patriam D habent, quia terrenis et carnalibus magis quam spiritualibus inhiant. Ideo post hanc vitam in perpetuum relegantur exsilium.

Conversationem vestram inter gentes 12
habentes bonam, id est virtuosam et exemplarem, *ut in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus*. Carnales enim et impii vituperant justos, et detrahunt eis quorum virtutes assequi nolunt, quemadmodum in Proverbiis legitur : Am- *Ibid.* xiv, 2. bulans recto itinere et timens Deum, despicitur ab eo qui infami graditur via. Et

Prov. xxix, 10. rursus Salomon contestatur : Viri sanguinum oderunt simplicem. Job quoque ait : Job xii, 4. Deridetur justi simplicitas. Et in Ecclesia- Eccli. xiii, 24. stico scriptum est : Abominatio superbo humilitas. *Ex bonis operibus vos considerantes,* id est opera vestra evidenter excellenterque virtuosa pensantes, et ex eis ipsa veritate convicti, bonos vos esse recognoscentes, *glorificent Deum in die visitationis,* id est, Deum in suis servis collaudent, atque ex puritate et eminentia vitæ servorum, sanctitatem Domini pensent ac fateantur, in die visitationis, quum corda eorum irradiaverit ac visitaverit gratia Spiritus Sancti, dum scilicet ex prædicta consideratione compuncti fuerint et conversi; vel in die judicii, quum viderint remunerationem justorum, et velint nolint, fateantur sanctitatem atque justitiam Dei. Hoc est quod Christus docet ac Matth. v, 16. jubet : Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona facta vestra, et glo- A rificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Proximis enim debemus bonum exemplum, et Deo conscientiam mundam. Quia tenemur proximos spiritualiter semper diligere, idcirco tenemur eorum scandalizationem vitare, et ipsos ædificare. Deum quoque tenemur pro viribus honorare in nobis ipsis ac aliis. Ideo debemus alios pro posse ad Dei venerationem verbis et factis inducere : quod agendo, ipsum sanctificare magnificareque dicimur. Qui vero alios scandalizant, et impie conversantur, B Deum, quantum in ipsis est, vilificare et maculare feruntur, Propter quod Deus per Prophetam ait Judæis : Commaculastis nomen sanctum meum; et iterum, Polluistis nomen meum in gentibus. Jer. xxxiv, 16; Ezech. xxxvi, 22.

Denique omnia ista, videlicet a carnalibus desideriis abstinere, exemplariter conversari, Deum in se ac aliis honorare, ad prælatos et sacerdotes, ad religiosos et prædicatores potissime pertinent.

ARTICULUS V

EXPLANATIO RESIDUI HUJUS CAPITULI SECUNDI : SUBJECTI IGITUR ESTOTE.

HUCUSQUE introduxit sacratissimus Petrus documenta, ad universos fideles spectantia; nunc certis personis ac diversis suppositis, speciales tradit doctrinas ac jussiones, quatenus unusquisque secun- Ephes. iv, 1; Coloss. i, 10. dum suæ exigentiam vocationis ambulet digne Deo. Diversi namque ad diversa sunt obligati, secundum varias conditiones et proprietates quæ eis conveniunt.

13 Itaque ait : *Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum.* Hoc dupliciter explanatur : Primo, per omnem humanam creaturam intelligendo omnem ho- Gen. i, 27. minem. Nam omnis homo, in quantum ad Dei imaginem factus est, ad æternam felicitatem creatus, et Christi passione redemptus, aliquo modo est honorandus, præser- C tim quia humana natura in Dei Unigenito ad esse personale Verbi æterni assumpta est in unitatem personæ. Quilibet etiam, secundum aliquam sui considerationem, potest se alio quolibet, secundum aliquam illius considerationem, reputare inferiorem. Sicque alteri cuilibet se potest ex humilitate aliquo modo subjicere : et hoc, propter Deum, id est propter ipsius honorem, et quia hoc complacet ei, et quoniam ejus imago resplendet in homine. Hinc loquitur Paulus : Honore invicem prævenien- Rom. xii, 10. D tes ; et rursus, Per caritatem servite in invicem. Galat. v, 13. Ad Philippenses quoque : Nihil, Philipp. ii, 3. inquit, agatis per contentionem, neque per inanem gloriam, sed per humilitatem superiores sibi invicem arbitrantes. Hinc et

Joann. XIII, 14. Christus ait : Si ego lavi pedes vestros A
Dominus et magister, et vos debetis alter
Matth. XX, 26. alterius lavare pedes ; et alibi, Qui major
est vestrum, sit vester minister. Propter-
ea quoque in Ecclesiastico scriptum est :
Eccli. III, 20. Quanto magnus es, humilia te in omnibus,
et coram Deo invenies gratiam. — Se-
cundo exponitur, intelligendo per omnem
humanam creaturam, omnem præsiden-
tem. Sicque Beda exponit, dicendo : Omni
humanæ creaturæ, dicit, Omni hominum
dignitati, omni principatui. Quam exposi-
tionem sequitur Glossa. Illis ergo debet se B
omnis inferior subdere propter Deum, in
quantum ejus repræsentant personam, seu
ejus vicarii sunt in terra, et quoniam Deus
id exigit, atque ut bonum æternum con-
sequamur finaliter pro beatitudine obje-
ctali, hoc est propter Deum fruitive ac
æternaliter possidendum, et item propter
eum nunc honorandum, ut scilicet eum
in suis veneremur ministris, quibus locu-
Luc. X, 16. tus est : Qui vos audit, me audit ; et qui
vos spernit, me spernit. Ideo ad Romanos
Rom. XIII, 1, 2. dicitur : Omnis anima potestatibus subli- C
mioribus subdita sit : non enim est pote-
stas nisi a Deo. Itaque qui resistit pote-
stati, Dei ordinationi resistit ; qui autem
resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.

Sive regi quasi præcellenti : id est, re-
gi tanquam eminenti principi debent se
subditi ejus subjicere, eique obedire in
his quæ cathedram suam concernunt, seu
suum respiciunt principatum, quæ utique
non sunt contra Dei honorem, nec contra
14 bonum justitiæ ; *sive ducibus tanquam ab
eo missis :* id est, inferioribus principibus D
officiatisque regum debet se homo sub-
jicere, et eis parere in his quæ eis rite
commissa sunt, nec eorum potestatem seu
jurisdictionem excedunt. Idcirco subjun-
gitur : *ad vindictam malefactorum, lau-
dem vero bonorum,* id est ad hoc a rege
directis, ut pravorum vitia ulciscantur,
justisque laudem ac dignam mercedem re-
pendant. Ad hoc enim mittendi sunt, quam-
vis frequenter ad alia dirigantur agenda,
quia multoties reges potestate abutuntur
collata : quæ tamen eis collata est ut ma-
los per pœnas coerceant, peccata exstir-
pent, subditos ad virtutes inducant, et bo-
num conservent commune. Propter quod
ad Romanos fertur : Principes non sunt *Rom.* XIII, 3, 4.
timori boni operis, sed mali. Vis autem
non timere potestatem ? Fac bonum, et
habebis laudem ex illa : Dei enim mini-
ster est tibi in bonum. Si autem male ege-
ris, time : non enim sine causa gladium
portat. Dei enim minister est, vindex in
iram ei qui male agit.

Quia sic est voluntas, id est doctrina ac 15
jussio, *Dei, ut benefacientes,* id est præ-
fato modo obedientes, *obmutescere facia-
tis imprudentium hominum ignorantiam,*
id est, perversos ac perfidos seu impios
præsidentes per vestram obedientiam vir-
tuosamque vitam reprimatis a detractione
ac ceteris vitiis quæ inciderent, si vos
inobedientes terrenæ potestati conspice-
rent. Unde bene agendo, subtrahitis eis
obloquendi materiam, et vestra bonitate
ac sapientia eorum improbitatem insipi-
entiamque convincitis, quantum in vobis
est, ita quod rationabiliter contradicere
nequeunt. Quamobrem ad Titum loquitur
Paulus : In omnibus temetipsum præbe *Tit.* II, 7, 8.
exemplum bonorum operum ; verbum sa-
num sit et irreprehensibile, ut is qui ex
adverso est, vereatur, nihil mali habens
loqui de nobis. Ad Philippenses quoque :
Sitis, inquit, sine querela, simplices filii *Philipp.* II, 15, 16.
Dei, in medio nationis pravæ atque per-
versæ, inter quos lucetis sicut luminaria
mundi, verbum vitæ continentes. Et ali-
bi : Nemini dantes ullam offensionem, ut *II Cor.* VI, 3.
non vituperetur ministerium nostrum.

Quasi liberi, id est, ea quæ dicta sunt, 16
adimplete, quasi vere liberi libertate spi-
rituali, quæ est immunitas a jugo diaboli
et servitute peccati, a quibus per Christi
gratiam estis erepti. Propter quod ipsemet
Christus de se ipso fatetur : Si Filius vos *Joann.* VIII, 36.
liberaverit, vere liberi eritis. *Et non quasi
velamen habentes malitiæ libertatem.* Or-
do verborum et sensus sunt : Non quasi
habentes libertatem, velamen malitiæ, hoc

est, libertatem præfatam non vertatis nec
assumatis in velamen, seu excusationem
aut palliationem erroris aut pravitatis, pu-
tando quod ideo non debeatis esse sub-
jecti terrenis aut infidelibus dominis, quia
a Christo constituti estis in libertate. Hæc
enim libertas prædictæ subjectioni non
derogat, sed servituti peccati atque dia-
boli. Quidam vero dixerunt, se non obli-
gatos dare tributum, aut perfidis terrenis-
ve principibus subjacere, quoniam filii
Dei et liberi facti fuerunt per Christi Ba-
ptismum. Quod fuit erroneum, quum di-
Matth. XXII, 21. cat Salvator : Reddite quæ sunt Cæsaris,
Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo. De hac liber-
tate dicta sunt multa super illud Jacobi,
Jacob. I, 25. Qui autem perspexerit in lege perfectæ
libertatis, etc. *Sed sicut servi Dei,* id est
sicut Deo veraciter subditi. Deus namque
requirit ut potestati ab ipso collatæ recte
obediatur.

Denique libertatem suam in velamen
assumunt malitiæ, qui tanto irrefrenatius
peccant, quo minus humanæ potestati sub-
duntur : ut pravi prælati principesque ini-
qui faciunt, in quibus non est timor Dei,
Sap. VI, 6. nec pensant illud Sapientiæ : Altissimus
cito et horrende apparebit vobis, quia ju-
dicium durissimum in his qui præsunt,
fiet. Qui autem vere sapientes et timorati
sunt, tanto virtuosius conversantur, quo
minus se vident hominibus subditos, ac
magis divino judicio reservatos, quo etiam
pluribus præsident, atque pro pluribus
daturi sunt rationem. Hinc loquitur Pau-
Galat. V, 13. lus : Vos in libertatem vocati estis, fra-
tres : tantum, ne libertatem in occasionem
carnis detis.

17 *Omnes honorate,* in quantum ad Dei
Gen. I, 27. imaginem sunt creati, et propter alias ra-
tiones jam tactas. Impii tamen secundum
quod tales, sunt contemnendi, sicut de
Ps. XIV, 4. justo ait Propheta : Ad nihilum deductus
est in conspectu ejus malignus. Et in Pro-
Prov. XXIX, 27. verbiis habetur : Abominantur justi vi-
rum impium. Verumtamen judicando de
aliis, an sint tales, necesse est grandi uti
discretione atque custodia. *Fraternitatem*
A *diligite,* id est fratres seu proximos, præ-
sertim Christifideles ac virtuosos, quum
asserat Christus : Hoc est præceptum me- *Joann.* XV, 12.
um, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.
Deum timete filiali timore, ne eum offen-
datis, inhonoretis, et ne ab eo separemini,
quum ipse sit summum et incomparabile
bonum. Propter quod ait Salvator : Eum *Matth.* X, 28.
timete qui habet potestatem corpus et
animam perdere in gehennam. Et apud
Isaiam inducitur : Dominum exercituum *Is.* VIII, 13.
sanctificate; ipse pavor vester, et ipse ter-
B ror vester. Hoc sanctus Job eminenter im-
plevit, qui fassus est : Deus solus est, et *Job* XXIII, 13, 15.
cogitationem ejus nemo avertere potest :
idcirco considerans eum, timore sollici-
tor. Et rursus : Semper, inquit, quasi tu- *Ibid.* XXXI, 23.
mentes super me fluctus timui Deum. Et
certe, si consideremus quam terribilis sit *Ps.* LXV, 5.
Deus in consiliis super filios hominum,
quam incomprehensibilia sint judicia ejus, *Rom.* XI, 33.
quam horrendum sit incidere in manus *Hebr.* X, 31.
ejus, timebimus cum timore ingenti, in-
comparabili, incessanti. *Regem,* id est terre-
C num principem, *honorificate,* ei obediendo
in his quæ sui sunt officii. Quemadmo-
dum autem Deus honorandus est cultu la-
triæ, sic homines honorificentia duliæ.

Hæc autem jam dicta ab exordio hujus
articuli, secundum Bedam intelliguntur de
Christianis liberis, servos sub se haben-
tibus, tamen principi terreno et ducibus
ejus subjectis. Quæ autem sequuntur, ex-
ponenda sunt de servis dumtaxat. *Servi,* 18
o vos ministri conducticii sive empticii,
subditi estote in omni timore, id est per-
D fecta et filiali formidine, *dominis* tempo-
ralibus, *non tantum bonis,* id est virtuosis
interius, *et modestis,* id est ordinatis et
exemplaribus foris, *sed etiam dyscolis,* id
est indisciplinatis et iniquis, quamdiu non
jubent ultra quam se extendit eorum ju-
risdictio sive dominium. Unicuique nam-
que obediendum est in his quæ præsiden-
tiæ suæ respiciunt cathedram.

Sed his objici potest illud Proverbiorum,
Qui timet hominem, cito corruet; et quod *Prov.* XXIX, 25.
rursus Salomon fatur : Fili, honora Deum, *Ibid.* VII, 1.

et valebis; præter eum vero ne timueris A alienum. Ex quibus sequi videtur, quod non sit hominibus cum timore obediendum aut serviendum. — Et respondendum, quod timere hominem secundum se, non per respectum ad Deum et secundum ordinem æquitatis, vituperabile exsistit, et diversorum occasio vitiorum. Homines vero timere in Deo, secundum Deum, et propter Deum, in quantum sunt ejus vicarii, aut aliquid divinæ proprietatis participantes, est laudandum. Sicque intendit princeps Apostolorum, ut dominis tempo- B ralibus obediatur cum timore Dei filiali et casto, non cum timore carnali, humano. Illud enim meritorium est, non istud. Omnia quippe cum hujusmodi timore Dei agenda sunt, ne scilicet eum in aliquo offendamus. Unde hanc ipsam sententiam Paulus ad Ephesios clarius exprimit, dicens : Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo : non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes; sed ut servi Christi, facientes volun- C tatem Dei ex animo, cum bona voluntate, servientes sicut Domino, et non quasi hominibus : scientes quoniam unusquisque quod fecerit bonum, hoc percipiet a Domino, sive servus, sive liber. Ex quibus ostenditur, quod temporalibus dominis obediendum ac serviendum est principaliter atque finaliter propter cœlestem felicitatem et Dei honorem, ex caritate, cum divino timore.

Ephes. VI, 5-8.

Deinde subditur ratio, cur etiam sit dyscolis dominis propter Deum formidolose D
19 obediendum. *Hæc est enim gratia,* id est res Deo grata, accepta et gratiosa, *si propter conscientiam Dei,* id est propter bonam coram Deo conscientiam habendam, *sustinet quis tristitias,* id est persecutiones, pœnas, injurias, quæ solent inferre tristitias patienti, *patiens injuste,* id est eas æquanimiter tolerans absque suis de-
20 meritis. *Quæ est enim gratia,* id est, quod meritum vobis debetur, vel quid Deo acceptum peragitis, *si peccantes et colaphizati suffertis,* id est, si correctionem pro vestris peccatis patimini a dominis vestris? quasi dicat, Nihil : quia de jure pœna debetur culpæ. *Sed si bene facientes, patienter sustinetis* tribulationes vobis injuste inflictas, *hæc est gratia,* id est res valde accepta, *apud Deum.* Talis namque sustinentia, satisfactoria est pro peccatis in Deum commissis, et meritoria gratiæ amplioris in via, ac gloriæ plenioris in patria. Per eam quoque conformantur homines Christo injustissime passo. Ideo sub-
ditur : *In hoc enim vocati estis,* id est ad 21
fidem et legem Evangelii gratiose adducti, ut sitis in adversitatibus injuste inflictis patientes. Propter quod Christus ait discipulis : Si me persecuti sunt, et vos persequentur, quia non est servus major domino suo. Et denuo protestatur : Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Tanquam dicat : Sicut a Patre diligor, et nihilo minus adversis in sæculo isto affligor; ita vos diligo, et tamen tribulationibus vos expono. Hinc Paulus fatetur : Omnes qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patientur.

Joann. XV, 20. *Ibid.* 9. II *Tim.* III, 12.

Sed præinductis objici potest, quia pro peccatis propriis in hac vita puniri, meritorium esse videtur, quum non puniat Deus bis in id ipsum, ut secundum antiquam translationem habetur apud Nahum prophetam, ubi nostra habet translatio : Non consurget duplex tribulatio. Alioqui pœnitentia seu emendatio in confessione injuncta, non esset satisfactoria ac meritoria : quum tamen omne quod ex caritate quis agit aut sustinet, meritorium asseratur. — Respondetur, quod secundum rigorem justitiæ, pati debitam pœnam pro propria culpa, non est meritorium, habendo respectum ad cohabitudinem pœnæ et culpæ inter se. Verumtamen, in quantum quis pœnam illam pro suis culpis sponte ex caritate cum contritione acceptat, ac suffert ad Dei honorem, in illatæ ei injuriæ recompensam, meritorium perhibetur.

Nahum I, 9.

Quum itaque tam acceptum sit Deo, injurias absque propria culpa æquanimiter

ferre, merito obediendum est etiam dyscolis dominis cum timore, quamvis nonnunquam molesti et injuriosi sint suis ministris. — Denique triplex est patientiæ gradus : primus, pro propriis culpis correptiones et correctiones patienter sufferre; secundus, absque propria culpa pati libenter adversa, non tamen pro justitia (sicut religiosi interdum a suis patribus corripiuntur, ut probentur, exerceantur, perfectique fiant); tertius, absque propria culpa pro justitia ea æquanimiter tolerare. Primus gradus est bonus ; secundus, melior; tertius, optimus et perfectus.

Consequenter exemplo Christi docet beatissimus Petrus patientiam plenam, et beneficia Christi commemorat. *Quia et Christus passus est pro nobis,* id est pro nostra salute, pro nostris peccatis delendis, pro gratia multiplici nobis promerenda, pro gloria nobis impertienda. Propter
Joann. x, 15. quod ait apud Joannem : Animam meam pono pro ovibus meis. Et per Isaiam lo-
Is. LIII, 8. quitur Deus Pater : Propter scelus populi mei percussi eum. *Vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus,* id est, ejus intuitu et amore sustineatis libenter adversa, quoniam servi et membra suo capiti ac domino debent se conformare.
Luc. IX, 23. Propter quod ipsemet ait : Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me ;
Ibid. XIV, 27; Matth. x, 38. et rursus, Qui non bajulat crucem suam, et sequitur me, non est me dignus. Hinc
I Joann. II, 6. ait Joannes apostolus : Qui se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. Quum dixisset S. Petrus, Christus passus est pro nobis, cur adjecit, Vobis, et non potius, Nobis, nisi forsitan ut exhortatio sua cordibus eorum quibus scripsit, fortius inculcaretur?

22 *Qui peccatum non fecit, nec inventus*
Is. LIII, 9. *est dolus in ore ejus.* Hoc idem apud Isaiam scriptum est. Fuit enim Deus et homo, omniumque salvator : idcirco nequaquam decuit culpam esse in eo. Fuitque ejus humanitas ab incarnationis exordio
23 perfectissime confirmata in bono. *Qui*

A *quum malediceretur* a Judæis dicentibus, Blasphemavit, Reus est mortis, et, Cruci- Matth.
figatur, *non maledicebat* eis ; *quum pate-* XXVI, 65,66; XXVII, 23.
retur, non comminabatur. Imo pro cruci- Luc. XXIII, 34.
fixoribus suis oravit, et tanquam agnus Is. LIII, 7.
coram tondente, obmutuit. *Tradebat autem judicanti se injuste,* id est, Pilato, qui
ipsum injuste adjudicavit morti dirissi- Luc. XXIII,
mæ, permisit se tradi a Judæis. Imo et 24, 25.
sponte ac libentissime ivit ad ipsum, ex ardentissima caritate et obedientia summa, qua pro nobis pati optavit prout Deus
B Pater disposuit. Ideo loquitur Isaias : Tra- Is. LIII, 12.
didit in mortem animam suam. Et ipsemet loquitur : Nemo tollit animam meam Joann. x,
a me, sed ego pono eam. *Qui peccata no-* 18. 24
stra ipse pertulit in corpore suo super lignum, id est, pœnam amarissimam pro nostris peccatis in cruce sustinuit, in proprio corpore immaculatissimo, tenerrime ac nobilissime complexionato, ideoque maxime perceptivo doloris, et summe passivo. Hoc est quod loquitur Isaias : Vere Is. LIII, 4, 6.
languores nostros ipse tulit, et dolores no-
C stros ipse portavit : et Deus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. *Ut peccatis mortui,* id est a vitiis expurgati, *justitiæ vivamus,* id est, virtuosis actibus simus intenti ac subditi, et Christo, qui est justitia vera, in omnibus obsequamur. Ipse
enim factus est nobis a Deo justitia, et I Cor. I, 30.
sanctificatio, et redemptio, ut asserit Paulus. De quo et per Isaiam loquitur Domi-
nus : Prope est justitia mea ut reveletur. Is. LVI, 1.
*Cujus livore sanati sumus** a vitiis, quæ * estis
sunt animarum infirmitates.

D *Eratis enim aliquando sicut oves erran-* 25
tes, scilicet ante conversionem vestram ad Christum. Omnia verba ista quasi ex Isaia
sumpta sunt. Ubi et legitur : Omnes nos Ibid. LIII, 6.
quasi oves erravimus ; unusquisque in viam suam declinavit. Psalmista quoque :
Erravi, inquit, sicut ovis quæ periit. *Sed* Ps. CXVIII,
conversi estis nunc ad pastorem et episco- 176.
pum animarum vestrarum, id est ad Christum, qui multiplici alimento animas vestras alit ac roborat, videlicet proprio corpore et sanguine, pane bonæ operati-

onis, pane lacrimarum et compunctionis, A refectione contemplationis, dulcedine internæ consolationis. Qui etiam episcopus animarum vocatur, id est earum saluti intentus, seu superintentor salutis earum. Episcopus quippe superintendens interpretatur : ab ἐπί, quod est supra, et σκοπός, intentio. Alia littera habet, Ad pastorem et visitatorem animarum vestrarum. Nam
Luc. I, 78. Christus visitavit nos oriens ex alto. Qui et quotidie visitat animas electorum luce gratiæ ac miserationum suarum. Ipse quoque Salvator est rex et pontifex noster, advocatus interpellans pro nobis. De *Rom.* VIII, 34.
quo ad Hebræos fertur : Christus eo quod *Hebr.* VII, 24, 25.
maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium : unde et salvare potest in perpetuum, accedens per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis.

ARTICULUS VI

EXPOSITIO TERTII CAPITULI : SIMILITER ET MULIERES SUBDITÆ SINT VIRIS SUIS.

1 POST instructionem dominorum et ser- B vorum, jam informantur conjugati. *Similiter et mulieres subditæ sint viris suis.*
I Cor. XI, 3. Vir enim, ut asserit Paulus, caput est mulieris. Idcirco spectat ad virum regere mulierem. In rebus domesticis, et in regimine domus ac dispensatione possessionum, vir est principalis. Nam naturaliter, atque ut plurimum, viri sunt mulieribus prudentiores, constantiores, et fortiores in ratione. Mulieres autem plerumque molles sunt et mente instabiles, ac inopes in consulendo. Unde in Genesi dictum est mu- C
Gen. III, 16. lieri : Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui. Verumtamen subjectio uxoris sub marito, non est penitus talis, qualis servi sub domino suo ; sed inter talem subjectionem et æqualitatem, medio modo se habet, ut etiam docet Philosophus. In quibusdam namque æquales sunt, præsertim quoad debiti petitionem et redditionem. Propter quod Deus in exordio fecit
Ibid. II, 22. mulierem non de capite aut pede viri, sed de latere ejus, ut eam haberet pro socia, et juxta se collocaret in lecto et mensa. D Hinc feminæ sine virorum consensu, non possunt magnas eleemosynas facere, aut multum abstinere, et vovere, vel peregrinari. Debent ergo viris suis esse subjectæ in licitis et honestis, prout jus matrimonii exigit, quantum ad ea in quibus superioritas viri super suam conjugem se extendit, puta in pertinentibus ad regimen domus.

Denique subditur ratio hujus subjectionis, utputa fructus inde proveniens. *Ut si qui non credunt verbo,* id est, si aliqui viri verbo evangelicæ prædicationis non credunt, nec per prædicationem converti possunt, *per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant,* id est, per virtuosam suarum uxorum vitam, sine prædicatione,
convertantur ad Christum, *considerantes in* 2
timore sanctam conversationem vestram, id est, viri pensantes sanctam vitam vestram, quam in Dei timore filiali habetis, o mulieres ; sicque ex consideratione virtuosæ conversationis, perpendant veritatem fidei christianæ, ac puritatem evangelicæ legis : quoniam sicut operatio arguit formam, sic conversatio fidem ac legem.

Possent hic aliqua introduci de cohabitatione conjugatorum disparis cultus, an licita sit. Ad quod ex dictis doctorum est respondendum, quod dispar cultus impedit matrimonium, ita quod impedit contrahendum, dirimitque contractum. Qui autem in infidelitate pariter contraxerunt,

ita quod tempore contractus conjugalis
ambo infideles fuerunt, in Ecclesia primi-
tiva simul habitare permittebantur, quam-
vis alter eorum, videlicet vir aut mulier,
convertebatur ad Christum (et hoc, ex spe
alliciendi comparem ad fidei veritatem),
dummodo infidelis compar seu conjux si-
ne blasphemia Christi voluit commanere.
Tamen fidelis conjux non fuit præcepto
adstrictus ad commanendum, sed fuit con-
silium, præsertim quamdiu fuit spes de
comparis conversione. Si vero infidelis as-
seruit se velle converti, non licuit fideli
conjugi contoralem infidelem relinquere
intra tempus determinatum. Nunc autem
obduratis Judæis atque gentilibus, sacri
canones prohibent cohabitationem conju-
gum disparis cultus, præsertim dum non
est certitudo nec spes multum probabilis
de infidelis contoralis conversione. Si au-
tem esset certitudo aut spes multum pro-
babilis, possent sustinere simul ad ali-
quantulum tempus. De hac re scribit ad
Corinthios Paulus multa, inter cetera di-
I Cor. vii, 12-14. cens : Si quis frater, id est Christianus,
uxorem habet infidelem, et hæc consentit
habitare cum illo, non dimittat illam. Et
si qua mulier (supple, fidelis) virum ha-
bet infidelem, et hic consentit habitare
cum illa, non dimittat virum. Sanctifica-
tus est enim, id est ad fidem conversus,
vir infidelis per mulierem fidelem ; et
sanctificata est mulier infidelis, id est con-
versa, per virum fidelem.

3 *Quarum sit non extrinsecus capillatura,*
id est crinium compositio seu convolutio,
aut circumligatio foris apparens ad ocu-
lum, quum hoc sit pompæ et curiositatis
indicium, ac libidinis provocativum; *aut
circumdatio auri,* id est decoratio ex au-
ro, argento, aut margaritis : quæ humi-
litati et simplicitati christianæ religionis
non consonat, quia ut sanctus ait Basi-
lius, Quidquid in talibus ad necessitatem
vel utilitatem non attinet, vanum super-
fluumque censetur. Ideo subditur : *aut
indumenti vestimentorum cultus,* id est,
mulieres non habeant cultum, hoc est im-

A moderatum ornatum indumenti, id est
tegumenti vestimentorum quæ induunt.
Circa hoc venerabilis Beda allegat verba
S. Cypriani, dicentis : Serico et purpura
indutæ, Christum induere non possunt.
Auro et margaritis et monilibus decoratæ,
ornamenta cordis et pectoris perdiderunt.
Quod si B. Petrus mulieres admonet coer-
cendas, atque ad ecclesiasticam disciplinam
religiosa observatione moderandas, quæ ex-
cusare cultus suos solent per suos mari-
tos : quanto plus id observare virginem
B fas est, cui nulla ornatus sui competit ve-
nia, nec derivari in alterum possit men-
dacium culpæ, sed sola ipsa remaneat in
crimine ?

Sed qui absconditus est cordis homo, id 4
est homo interior, videlicet anima ratio-
nalis. Unde et Paulus fatetur : Licet is qui II Cor. iv, 16.
foris est noster homo, corrumpatur, ta-
men is qui intus est, renovatur de die in
diem. Hic, inquam, homo interior, orne-
tur *in incorruptibilitate quieti et modesti
spiritus,* id est, in parte sua superiori, vi-
C delicet intellectuali, quæ incorruptibilis
est atque perpetua : ita ut mens spiritua-
liter pura et integra sit, atque per fidem,
spem et caritatem virgo et sponsa sit Chri-
sti. Virginitas siquidem mentis potest quo-
tidie recuperari : ut quæ adultera fuit
diaboli per peccata, sponsa fiat Dei per
virtutes et dona, quæ faciunt animam spi-
ritualiter incorruptam, virginalem et in-
tegram. De qua incorruptione scriptum
est : Incorruptio facit proximum esse Deo. Sap. vi, 20.
Qui spiritus rationalis *est in conspectu*
D *Dei locuples,* id est vere et spiritualiter di-
ves, quando prætacto modo virtutibus ea-
rumque actibus perornatur. Veræ namque
divitiæ hominis sunt, gratia, sapientia, vir-
tutes, dona, et actus copiosi procedentes
ex illis : quæ divitiæ homini invito au-
ferri non valent. Unde Corinthiis loquitur
Paulus : In omnibus divites facti estis in I Cor. i, 5.
Christo, et in omni verbo, et in omni sa-
pientia. Hinc taliter diviti, puta homini
virtuoso, dicitur in Apocalypsi : Scio tri- Apoc. ii, 9.
bulationem et paupertatem tuam, sed di-

ves es. Similiter ad Corinthios habetur :
II Cor. viii, 9. Altissima paupertas eorum abundavit in
divitias simplicitatis eorum. Econtrario homini
defectuoso rursus in Apocalypsi dicitur
Apoc. iii, 17. : Dicis, Quia dives sum, et nullius
egeo; et nescis quia tu es miser et miserabilis,
pauper, cæcus et nudus. — Porro
spiritus hominis rationalis, seu animus,
est quietus, quando tumultu caret passionum
ac strepitu vitiorum, utpote virtutibus
moralibus decoratus ac reformatus.
Dicitur quoque quietus, in quantum est
divinorum contemplativus, atque in Deo
fixus ac stabilis. Nam vita contemplativa
vocatur vita quieta et secreta. Dicitur item
modestus, quando in actibus suis discretionem
observat, et moderate se habet,
I Cor. xiv, 40. quemadmodum admonet Paulus : Omnia,
inquiens, decenter et secundum ordinem
Philipp. iv, 5. fiant in vobis. Qui iterum exhortatur : Modestia
vestra nota sit omnibus.

Denique hanc ipsam principis Apostolorum
doctrinam ponit et Vas electionis,
I Tim. ii, 9, 10. quum ait ad Timotheum : Volo mulieres
esse in habitu ornato (id est humili et decenti),
cum verecundia et sobrietate, ornantes
se, non in tortis crinibus, aut auro,
aut margaritis, vel veste pretiosa, sed
quod decet mulieres, promittentes pietatem
per opera bona. Hinc et Pythagoras
philosophus dixit, vera matronarum ornamenta
pudicitiam esse, non vestes. — Præterea,
quam detestanda sint prætacta feminarum
ac virginum decoramenta, constat
Is. iii, 18-24. ex eo quod apud Isaiam legitur : In die
illa auferet Deus ornamenta calceamentorum,
et lunulas, et torques, et monilia, et
armillas, et mitras, et discriminalia, et
periscelides, et murænulas, et olfactoriola,
et inaures, et annulos, et gemmas in
fronte pendentes, et mutatoria, et palliola,
et specula, et theristra; et erit pro suavi
odore fœtor, et pro zona funiculus, et pro
crispanti crine calvitium, et pro fascia
pectorali cilicium.

Circa præhabita quæritur, an mulieres
mortaliter peccent in ornamentis præfatis,
et pretiosis curiosisque vestibus. Ad hoc

A respondet Albertus : Quædam mulieres se
ornant exterius atque interius; et excusantur
quatuor modis : primo, si ornent
se quatenus viros suos ab adulterio retrahant;
secundo, si ornent se quatenus viris
suis præcise complaceant ; tertio, si
ornent se propter decentiam status maritorum
suorum, ne viri sui reputentur
viliores; quarto, si ornent se propter commune
bonum, sicut ornavit se Judith qua- Judith x, 2-4.
tenus populum Israeliticum de manibus
erueret Holofernis. Quædam vero mulieres
B se ornant interius : quarum magna est virtus
et laus. Quædam autem se ornant solum
exterius : quæ in præfatis ornamentis
et vestimentis non excusantur a culpa,
quoniam negligunt ad quæ tenentur, nec
ad debitum finem referunt suos ornatus,
atque carnaliter complacere, et alios provocare
intendunt. — Insuper, secundum
Albertum, in prædictis contingit peccare
quinque modis : Primo, in nimia pretiositate,
dicente Gregorio : Nemo putet in
studio pretiosarum vestium deesse pecca-
C tum. Secundo, in mollitie et suavitate, eo
quod vita hominis debeat esse in pœnitentia
et ploratu. Hinc Veritas protestatur :
Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus Matth. xi, 8.
regum sunt. Tertio, in nimia speciositate.
Quarto, in nimia curiositate : propter quod
in Ecclesiastico inducitur, Averte faciem Eccli. ix, 8.
tuam a muliere compta. Quinto, in superfluitate
: propter quod ait beatissimus Joannes
Baptista, Qui habet duas tunicas, det Luc. iii, 11.
non habenti. Potest autem addi et sextus
modus, puta in exquisita novitate, quum
D per Sophoniam Dominus dicat : Visitabo Soph. i, 8.
super omnes qui induti sunt veste peregrina.
Imo sunt et alii modi diversi quibus
peccatur in vestibus, puta in nimia
longitudine, similiter in nimia brevitate,
item in amplitudine immoderata, atque in
constrictione valde arcta, sed et in coloribus
exquisitis, aut mixtis seu variis, et
in laciniis, aliisque scissuris seu fissuris.

Nec putandum quod solis feminis ista
prohibeantur, imo prohibentur et viris ac
juvenibus, etiam magis quam feminis :

quoniam in eis magis peccant quam mu-
lieres ac virgines, quemadmodum in ce-
teris, quum sint fortiores in ratione quam
feminæ, et plura a Deo sortiti sint dona
quam feminæ, teneanturque feminis esse
in omnibus exemplares, tanquam caput
earum. Idcirco ait Gregorius : Pensate, quæ
culpa sit hoc viros appetere, a quo pastor
Ecclesiæ curavit feminas prohibere. Imo
universaliter omnibus Christianis utrius-
que sexus, vitandæ sunt omnes immo-
deratæ curiositates, pompositates, preti-
ositates, superfluitates in ornamentis ac
vestibus, quum dicat Hieronymus : Si vir
aut mulier se ornaverit, et vultus homi-
num in se provocaverit, quamvis nullum
malum inde sequatur, tamen æternum sup-
plicium patietur : quia venenum propina-
vit, si fuisset qui biberet. Ex quo inno-
tescit, quod sit mortale peccatum. Nam et
talis discrimini se committit, nec veretur
Matth. xviii, 7. quod ait Salvator : Væ homini per quem
scandalum venit. Non ergo quærat Chri-
stianus vestibus complacere, sed moribus,
Eccli. xi, 4. quum in Ecclesiastico scriptum sit : In
vestitu ne glorieris unquam. Qui autem
se ornant aut liniunt intentione ac desi-
derio complacendi hominibus, aut quem-
piam provocandi, animas suas diabolo
offerunt.

Spiritualiter ergo ornent se feminæ de-
5 core virtutum. Nam subditur : *Sic enim
aliquando,* utpote tempore legis naturæ,
et sanctæ mulieres, sperantes in Domino,
non in ornatu vanissimo, aut divitiarum
incerto, *ornabant se* virtuosis operibus,
subjectæ propriis viris (juxta sensum ex-
6 positionis inductæ); *sicut Sara obediebat
Abrahæ, dominum eum vocans,* dicens :
Gen. xviii, 12. Postquam consenui, et dominus meus ve-
tulus est, voluptati operam dabo? *Cujus
estis filiæ* per imitationem virtutum. Ideo
sequitur : *bene facientes, et non timentes
ullam perturbationem,* id est per vos ori-
turam in domibus vestris, eo quod pa-
cifice, virtuose et discrete, instar Saræ,
habeatis vos cum maritis vestris ac ce-
teris. Vel, non immoderate formidantes
perturbationes quæ ab aliis poterunt con-
citari, nec tribulationes quæ vobis possunt
inferri, quum multæ sint tribulationes ju- *Ps.* xxxiii, 20.
storum, et omnes in Christo pie viventes *II Tim.* iii, 12.
patiantur interdum persecutiones : contra
quas debemus clypeo patientiæ semper
esse armati. Si ergo in lege naturæ tam
virtuose habebant se feminæ, multo ma-
gis in lege gratiæ ita habere se debent.
Legitur quoque secundo Regum, quod *II Reg.* xiii, 18.
filiæ David regis vestibus utebantur ta-
laribus.

Consequenter docet princeps Apostolo-
rum maritos, qualiter ad suas se habeant
conjuges. *Viri similiter,* id est virtuose, 7
cohabitantes secundum scientiam, id est,
cum uxoribus demorantes discrete et cir-
cumspecte, ne eas scandalizetis, quia ad
malum proclives sunt, *quasi infirmiori
vasculo muliebri,* id est mulieribus ve-
stris, tanquam vasculis naturaliter fragi-
lioribus et imperfectioribus in donis na-
turæ, quam sunt viri : nam et corpore
sunt communiter viris debiliores propter
mollitiem complexionis; *impertientes ho-
norem,* non solum quia ejusdem secum
sunt speciei, utpote ad Dei imaginem si- *Gen.* i, 26; ii, 21-24.
militudinemque productæ, sed etiam *tan-
quam coheredibus gratiæ vitæ,* id est,
participibus gratiæ vobis collatæ, et ad
eamdem beatitudinem ordinatis. Ad eam-
dem namque felicitatem creati sunt viri
et feminæ, eademque gratiarum charisma-
ta utrisque sunt præstita. Sed et hono-
randæ sunt feminæ intuitu et amore Virgi-
nis gloriosæ, ex qua Deus verus incarnari
dignatus est. Sunt itaque coheredes gratiæ
vitæ, id est gratiæ per quam vere spiri-
tualiter vivitur, atque ad vitam gloriæ per-
venitur. Quanto itaque sexus femineus fra-
gilior verecundiorque consistit, tanto a
viris magis sunt feminæ honorandæ, sal-
vo tamen ordine disciplinæ, et caritativa
correptione servata : quia a viris sunt in-
struendæ, et dum excedunt, corripiendæ,
a femineis quoque levitatibus et loquaci-
tatibus compescendæ. Istud sacratissimus
Petrus inducit, docet et præcipit, quoniam

viri feminas suas tempore procedente fa- A ciliter solent contemnere, dure affari, et quasi ancillas tractare : quod pessimum est. Debent etiam viri uxoribus suis honorem impendere, eis moderate utendo, et eas reverenter, solo maritali affectu, ex causa rationabili accedendo, nec impudice eas tangendo, aut cum eis turpiter lasciviendo : quæ omnia observando, merentur frequenter copiosam bonamque sobolem ex conjuge procreare. Verumtamen non debet maritus conjugi suæ nimiam contribuere libertatem, quum in Ecclesia- B Eccli. xxv, 30. stico scriptum sit : Mulier si primatum habeat, contraria est viro suo.

Sic ergo, o conjugati, vos simul habere debetis, tam decenter, caritative atque concorditer, *ut non impediantur orationes vestræ*, id est, ne a Deo juste despiciantur, et suo priventur effectu. Nam qui impie conversantur, exaudiri indigni sunt, juxta Joann. IX, 31. illud : Peccatores Deus non audit; sed si quis cultor est Dei, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit. Salomon quoque fate- Prov. XXVIII, 9. tur : Qui declinat aures suas ne audiat C legem, oratio ejus erit exsecrabilis. Vel, Non impediantur orationes, id est, ne ab actu orandi impediamini : quia ut ait Sal- Luc. XVIII, 1. vator, oportet semper orare, et non deficere. Ab oratione autem frequenti, continua et devota, impedit hominem carnalium vacatio voluptatum, non solum tempore commixtionis, sed et postmodum usque ad tempus, eo quod obtusum et gravem efficiat sensum. Propter quod scribit Corin- I Cor. VII, 5. thiis Paulus : Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis D orationi.

Jam post specialia documenta ad speciales personas spectantia, introducit sanctissimus Petrus generales doctrinas ad
8 universos fideles pertinentes. *In fide autem omnes unanimes*, id est, in his quæ sunt fidei christianæ, estote concordes, acquiescentes sacræ Scripturæ, secundum expositionem Ecclesiæ. Fides namque est totius spiritualis structuræ ac vitæ fundamentum. Idcirco necesse est ut fideles sint in fide valde unanimes et constantes, ne modicus error in principio, paulatim invalescat et grandis fiat in fine. Ideo ad Romanos loquitur Paulus : Deus det vobis Rom. XV, 5, 6. id ipsum sapere in alterutrum, secundum Jesum Christum, ut unanimes uno ore honorificetis Deum; et ad Corinthios, Id I Cor. I, 10. ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata. Quod vero in aliquibus libris hic additur, In oratione estote, non est de textu.

Compatientes, id est mutuo condolentes, prout caritas exigit. Unde sanctus Job protestatur : Flebam super eo qui afflictus Job XXX, 25. erat, et compatiebatur anima mea pauperi. Paulus quoque : Alter, inquit, alterius Galat. VI, 2. onera portate; et rursus : Quis infirmatur, II Cor. XI, 29. et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror? Errantibus ergo et lapsis cordialiter compatiamur, orantes pro eis. Similiter in quacumque tribulatione et angustia constitutis, tentatis, afflictis, oppressis intime condoleamus. Et sicut incomparabiliter majus malum est culpa quam pœna, sic multo plus compatiamur proximis peccato dejectis, quam temporali pœna afflictis. Denique sicut corporale grave pondus ferens relevatur, si alter secum onus supportat; sic afflictus et miser relevamen sortitur, si alterum sibi conspicit condolere. Quumque, juxta Pauli doctrinam, fideles sint unum mysticum Rom. XII, 5; I Cor. XII, 25-27; Eph. IV, 15, 16, 25; etc. corpus, cujus caput est Christus, ita quod sumus invicem membra; idcirco debemus invicem compati, sicut in corpore naturali, uno membro patiente, alia compatiuntur.

Fraternitatis amatores, id est proximorum, seu boni communis, socialisque vitæ dilectores sinceri. *Misericordes*, id est, tam corporalia quam spiritualia misericordiæ opera pro viribus exsequentes : quia ut Salomon ait, Qui pronus est ad misericor- Prov. XXII, 9. diam, benedicetur. Et Christus : Beati, inquit, misericordes, quoniam ipsi miseri- Matth. V, 7. cordiam consequentur; et denuo, Estote Luc. VI, 36. misericordes, sicut et Pater vester cœlestis misericors est. Non igitur in alterius

lapsu quis rideat, nec de aliorum dissensione quis gratuletur : quia ut ait Scri- *Prov.* xvii, 5. ptura, Qui in ruina lætatur alterius, non erit impunitus. *Modesti,* id est disciplinati, exemplares, discreti, prout admonet *Coloss.* iv, 5. Paulus : Honeste et in sapientia ambulate ad eos qui foris sunt. *Humiles,* ut sitis parvi et viles in oculis vestris. Non enim *Judith* ix, 16. superborum, sed mansuetorum et humilium vita, mens, oratio placet Deo. Et Chri- *Matth.* xi, 29. stus in Evangelio jubet : Discite a me quia mitis sum et humilis corde.

9 *Non reddentes malum pro malo,* id est injuriæ opus pro illata injuria, *nec maledictum pro maledicto,* id est verbum maledictorium pro verbo maledico, hoc est, non vindicetis vos ipsos inordinate : quamvis interdum secundum processum et ordinem juris, sit inferenda vindicta ex caritate et zelo justitiæ propter bonum commune, atque ut impii refrenentur, et ne supplantetur justitia. Sed hoc non est reddere malum pro malo, sed potius bonum pro malo. Quandoque tamen laudabilius est pœnam et culpam propter Deum dimittere, quando videlicet hoc non cedit in derogationem justitiæ, nec adversatur paci communi, et forefactor ex hoc non fit ad peccandum proclivior. *Sed econtrario* sitis *benedicentes* maledicentibus vobis, id est bonum eis cupientes et depre- *Ibid.* v, 44. cantes, sicut Dominus loquitur : Diligite inimicos vestros; benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et *Luc.* vi, 28. calumniantibus vobis. Et alio loco : Benedicite maledicentibus. Hinc in Prover- *Prov.* xx, 22. biis scriptum est : Ne dicas, Reddam malum pro malo ; exspecta Dominum, et liberabit te. Et denuo Salomon loquitur : *Ibid.* xxiv, 29. Ne dicas, Quomodo fecit mihi, sic faciam *Lev.* xix, 18. ei. Sed et in Levitico præcipitur : Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ *Ps.* vii, 5. civium tuorum. Propterea David dixit : Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis. Itaque non inferre injuriam alteri, bonum est; illatam æquanimiter pati, melius; pro injuria reddere gratiam, optimum. Ad quod nos Paulus hortans : Noli, inquit, vinci a *Rom.* xii, 21. malo, sed vince in bono malum. Quid ad hæc dicent, qui nec unum verbum durum volunt propter Deum sufferre, nec pro suis excessibus corripi, nec contenti sunt pro malo malum rependere, sed pro modica forsitan injuria, magnam retribuunt aut retribuere cupiunt ultionem ? Advertant miseri isti, quam longe distant a doctrina Christi, seque emendent.

Quia in hoc vocati estis, id est, idcirco ad legem et fidem Christi estis perducti, quatenus ista adimpleatis : quæ nisi impleveritis, infidelibus damnabiliores eritis. Ideo autem ad hæc implenda estis vocati, *ut benedictionem hereditate possideatis,* id est, a Deo benedicamini in æternum, percipiendo ab eo dona gratiæ in præsenti, et munera gloriæ in futuro. Benedictio etenim Dei, est collatio munerum ejus, et multiplicatio eorumdem. Unde ad Ephesios Paulus fatetur : Deus benedixit nos *Ephes.* i, 3. omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo Jesu.

Deinde confirmat ista Archiapostolus testimonio prophetali. Ait quippe Psalmista,
quantum ad sensum : *Qui enim vult vi-* 10
tam diligere, id est, qui voluntate impe- *Ps.* xxxiii, 13 *et seq.* rativa et efficaci diligit vitam gratiæ in hoc mundo, cupitque vitam beatam obtinere in cœlo, *et videre dies bonos,* id est æternitatis gloriam experiri. Dies namque dicuntur boni aut mali, sicut et tempus, propter ea quæ sunt aut fiunt in eis. Ideo dies hujus vitæ dicuntur mali, et tempus malum vocatur, propter mala culpæ et pœnæ quibus repletur hæc vita. Interdum tamen tempus bonum asseritur (juxta illud, Ecce nunc tempus acceptabile), pro- *II Cor.* vi, 2. pter dona gratiæ Dei in eo. Dies vero æternitatis in patria simpliciter boni et optimi sunt, quia in eis nulla unquam invenitur admixtio pœnæ aut culpæ. *Coerceat linguam suam a malo,* id est, ab omni verbo illicito, præsertim a verbis dolosis : quæ non solum loquenti, sed aliis quoque nociva sunt; *et labia ejus ne loquantur dolum,* id est, labia sua a dolosis reprimat

Is. XXXII, 7. verbis : quia ut in Isaia habetur, Fraudu- A
Ps. V, 7. lenti vasa pessima sunt; et Psalmista, Vi-
rum, inquit, sanguinum et dolosum abomi-
nabitur Dominus. Vitanda sunt ergo omnia
verba iniqua, detractoria, mendosa, pun-
gitiva, derisoria, vana, scurrilia, nociva,
fraudulenta, juramenta, perjuria, falsa te-
Matth. XII, 36. stimonia; imo et verba otiosa, de quibus
reddenda est ratio in die novissimo : quan-
to igitur magis de verbis præfatis, iniquis,
mortalibus ? Unde loquitur Augustinus :
Quomodo irasceris alteri, quando de te
male loquitur, ita irascere tibi, quando de B
altero male loqueris; itemque, Non aliud
cor tegat, et aliud lingua proferat. Neces-
saria igitur ad salutem est refrenatio lin-
Prov. XXI, 23; XIII, 3. guæ, Salomone dicente : Qui custodit os
suum et linguam, custodit ab angustiis
animam suam; qui autem inconsideratus
est ad loquendum, sentiet mala.
11 *Declinet autem a malo,* id est, peccata
in opere vitet, *et faciat bonum,* implendo
præcepta. Et istæ sunt duæ quasi integra-
les partes justitiæ. Nam primo oportet a
malo recedere, deinde bonum accedere. C
Inquirat pacem, id est, pacem pectoris
nunc cum Deo, et pacem temporis cum
proximo habere conetur, *et persequatur*
eam, id est, eam perfecte sequatur et con-
servet, quatenus per pacem pectoris ac
temporis, pertingat ad pacem æternitatis.
II *Cor.* V, 20. Hinc loquitur Paulus : Obsecramus pro
Rom. XII, 18. Christo, reconciliamini Deo; et rursus, Si
fieri potest, quod ex vobis est, cum om-
nibus hominibus pacem habentes. Deni-
que, quum pax pectoris sit tranquillitas
ordinis, et quies mentis in Deo, non potest D
quis hanc pacem habere, nisi in primis
declinet a vitiis : quia ut loquitur Isaias,
Is. XLVIII, 22. Non est pax impiis. Secundo oportet bona
peragere ex dilectione, cum promptitudi-
ne et delectatione. Propter quod ait Psal-
Ps. CXVIII, 165. mista : Pax multa diligentibus legem tu-
am. Hæc etenim pax realiter est gaudium
imperturbatum, operationi virtuosæ anne-
xum. Tertio, necesse est ut in homine sit
debita subjectio carnis sub anima, sensua-
litatis sub ratione et voluntate, rationis
quoque et voluntatis sub Deo, per obedi-
entiam et observantiam legis divinæ. Hinc
mali pacem istam non habent, quoniam
saluti propriæ adversantur, et dissident,
dissentiuntque a se ipsis, atque inordina-
tum cor habent. Quia ergo pax ista diffi-
culter acquiritur, faciliterque amittitur,
necesse est eam inquirere, et adeptam
diligentissime custodire.
Quia oculi Domini super justos : ideo 12
adversa æquanimiter sustinere, et bona
strenue debent implere, quia a summo Ju-
dice indesinenter adspiciuntur, qui justum
eis aget judicium. Et recte oculi Dei su-
per justos esse dicuntur, quia ubi amor,
ibi oculus. Idcirco ad rem dilectam diri-
gitur visus. Justos autem Deus specialiter
diligit, quum similitudo, amoris sit ratio.
Propter quod ait Scriptura : Justus Domi- *Ps.* X, 8.
nus, et justitias dilexit, æquitatem vidit
vultus ejus. Hinc sanctus Job contestatur :
Nonne Deus considerat viam meam, et om- *Job* XXXI, 4.
nes gressus meos dinumerat ? Et justo
Deus ait in Psalmo : In via hac qua gra- *Ps.* XXXI, 8.
dieris, firmabo super te oculos meos. Por-
ro oculi Domini sunt intellectus et sapi-
entia ejus. *Et aures ejus in preces eorum,*
id est, ad exaudiendum preces justorum
paratæ sunt, dum orent salubriter et in-
stanter. Idcirco in Ecclesiastico scriptum
est : Oratio justi penetrat cœlos; in Pro- *Eccli.* XXXV, 21.
verbiis quoque, Longe est Deus ab impiis, *Prov.* XV, 29.
et orationes justorum exaudiet. Justi et-
enim sunt amici Dei. Amicorum autem
est, eadem velle et nolle. *Vultus autem*
Domini, id est respectus divinæ justitiæ,
est *super facientes mala,* et similiter su-
per omittentes bona fieri jussa, quia eo-
rum peccata ulcisci paratus est, nisi pœ-
niteant. Unde fertur in Psalmo : Pones eos *Ps.* XX, 10.
ut clibanum ignis in tempore vultus tui.
Et alio in psalmo, ubi præallegata verba
conscripta sunt, semiversiculo huic adji-
citur : Ut perdat de terra memoriam eo- *Ps.* XXXIII, 17.
rum. Memoria enim justi cum laudibus; *Prov.* X, 7.
nomen vero impiorum putrescet.
Postremo, præinductis consonat illud
Deuteronomii : Dominus Deus tuus, est *Deut.* VII, 9, 10.

Deus fortis et fidelis, custodiens pactum
et misericordiam diligentibus se, et his
qui custodiunt præcepta ejus, et reddens
A odientibus se statim, ita ut disperdat eos,
et ultra non differat, protinus eis restituens quod merentur.

ARTICULUS VII

PROSECUTIO EXPOSITIONIS HUJUS CAPITULI TERTII, AB EO LOCO : ET QUIS EST QUI VOBIS NOCEAT ?

ABUNDAVIT in primitiva Ecclesia Christianorum persecutio copiosa, ferox,
assidua. Idcirco conversi ad fidem, indigebant confortatione et informatione ad
patientiam. Et hoc nunc agit Apostolorum
13 dignissimus vertex. *Et quis est qui vobis*
noceat, si boni æmulatores fueritis? Tanquam dicat : Nullus vobis potest nocere,
si æmulatores, hoc est amatores seu imitatores, estis boni, hoc est Dei seu Christi
essentialiter boni; vel, Boni, id est virtutis. Nam qui hujusmodi boni est æmulator, non dejicitur per adversa, sed Deo
firmiter est inhærens. Idcirco tribulatio cooperatur ei in meritorum augmentum;
et si lædatur in corpore, si spolietur substantia, si diffametur, non ei hæc nocent,
sed mirabiliter prosunt, si ea æquanimiter ferat, quemadmodum ægro non nocet
amara potio, sectio sive adustio. Ideo dictum est : Nulla nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas. Eis vero qui inferunt ista justis, maxime nocet horum
illatio, quum peccent mortaliter. Uniuscujusque siquidem malum in proprium
redundat auctorem. Et cui hæc nocent, ex propria impatientia, ira, seu alia culpa no-
Eccle. x, 8. cent. Ideo in Ecclesiaste dicitur : Qui fodit foveam, incidet in eam ; et qui dissipat
sepem, mordebit eum coluber.

Sed his objici potest, quoniam, ut videtur, impiissimi hæresiarchæ valde nocuerunt multis bonis Catholicis, quorum
fidem pestiferis persuasionibus everterunt. Nonne sacrilegus et damnatissimus Arius
totum pene orbem infecit? Unde et Beda
B hic ait : Constat plurimos boni æmulatores, læsos esse ab aliis, dum in veritatis,
quam diligunt, cognitione male instructi sunt. Quantos enim in Deum catholice credere et recte in Ecclesia vivere cupientes,
Arii vesania, quantos Sabellii aliorumque hæreticorum nequitia nescientes seduxit?
Lege Joannis Chrysostomi librum quem scripsit de eo, videlicet, Neminem posse
lædi ab alio, nisi a semetipso. Hæc Beda. Verum de isto longa posset disputatio introduci. Sed brevitati studendum est, et
C breviter respondendum, quod sicut diabolus tentando inclinat, non compellit, homines ad peccata, ipsi vero libere consentiendo tentanti, se ipsos præcipitant : sic
hæresiarchæ potuerunt inclinare, non cogere, ad errores; nec persecutores, absolute loquendo, compulerunt fideles ad sacrificandum, sed qui sacrificaverunt ex
pœnis inducti, ex propria infirmitate et imperfectione cesserunt et perierunt. Hinc
subditur :

Sed et si quid patimini propter justi- 14
D *tiam, beati* estis nunc in merito et spe,
beati futuri in præmio et re : sicut ait
Salvator, Beati qui persecutionem patiun- Matth. v,
tur propter justitiam, quoniam ipsorum 10.
est regnum cœlorum. Et rursus, loquens diffusius, et justos plenissime recreans ac
consolans, ait ibidem : Beati estis quum Ibid. 11, 12.
maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me; gaudete in illa hora et exsultate, quoniam
merces vestra copiosa est in cœlis. Pati-

endo namque æquanimiter aspera propter A justitiam, purgamur a culpis, implemur potioribus gratiæ donis, Christo assimilamur, a futuris eripimur pœnis, propinquamus ad regnum, et gloriæ promeremur augmentum. Denique, qui correptionem et correctionem pro suis peccatis gratanter suscipiunt, ut in vita præsenti purgentur ac Deo complaceant, quamvis pro suis patiantur demeritis, tamen aliquo modo, puta finaliter, propter justitiam pati dicuntur, et reputatur eis hoc ipsum ad meritum, suntque beati. Miseri vero sunt, et miseri B vehementer, qui corripi ac corrigi dedignantur.

Timorem autem, id est causam timoris, videlicet crudelitatem et persecutionem, *eorum* qui adversa infligunt, *ne timueritis,* immoderato timore a virtutum constantia retrahente. Ideo subditur : *ut non conturbemini,* id est, ne ordinationem rationis tranquillitatemque mentis perdatis, et ita aliorum pravitate vincamini. Hinc
Matth. x, 28. jubet Salvator : Nolite timere eos qui corpus occidunt. Et in Proverbiis habetur : C
Prov. xxviii, 1. Justus quasi leo confidens, absque terrore
Is. li, 12. erit; et in Isaia, Quis tu, ut timeas ab homine mortali, et a filio hominis, qui quasi fœnum arescit? Verumtamen timor adversitatum et mortis, naturalis dumtaxat, ex-
Matth. xxvi, 38. cusatur a culpa, quum et Christus timuerit mortem ex prævio rationis judicio. Aliqui vero timent se formidaturos tribulatione instante : qui quod evadere cupiunt, ante tempus assumunt. Quibus consulitur ut Dominum deprecentur, quatenus eos ab omni inordinato expurget pavore, cum D
Ps. lxiii, 2. Psalmista orantes, A timore inimici eripe animam meam : non ut me non occidat inimicus, sed ut non timeam occidentem inimicum. Considerent etiam quam salubre sit pati adversa, quamque proficuum, et quam brevis sit omnis tribulatio vitæ præsentis, et quanta sustinuerunt Christus et Sancti. Ex quorum omnium intuitione constantes ac fortes, imo et læti sint in tribulationibus et tormentis.

15 *Dominum autem Christum sanctificate,* id est, magnifice honorate, firmiterque tenete, et sanctum esse sentite, *in cordibus vestris,* videlicet in intellectu et voluntate, eum sinceriter contemplando, fervide diligendo, et totis viribus honorando. Juxta hunc sensum oramus assidue : Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen *Matth.* vi, 9.
tuum. Et Propheta hortatur : Magnificate Dominum mecum. *Ps.* xxxiii, 4.
Per Ezechielem quoque Dominus fatur : Quum sanctificatus fuero in vobis. *Ezech.* xxxvi, 23.
Et Isaias ait : Dominum exercituum sanctificate. *Is.* viii, 13.

Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est, fide et spe, id est, tam instructi et sapientes in evangelica lege sitis, ut jugiter prompti sitis ad dandam rationabilem responsionem et causam universis a vobis quærentibus rationes fidei vestræ ac spei : cur scilicet tam incomprehensibilia credatis, tamque supernaturalem beatitudinem, et secreta ac invisibilia bona adipisci speretis.

Potest autem quis rationem fidei ac spei interrogare a Christiano dupliciter : primo, fideliter; secundo, infideliter. Qui fideliter quærit, caritative informandus est, et potest faciliter contentari. Qui vero infideliter sciscitatur, non ita faciliter contentatur; sed opponit et arguit quousque vincatur. Utrisque tamen eædem rationes fidei ac spei sunt assignandæ, quod scilicet ita credimus et speramus : quoniam Deus altissimus, omnipotens, verax, qui nec fallere potest nec falli, huic nostræ fidei et spei testimonium perhibuit, primo per Christum, deinde per sanctos Apostolos ceterosque Christi discipulos et viros sanctos, imo per utriusque sexus personas innumerabiles, usque in præsens, per innumera et præclara miracula soli omnipotentiæ suæ possibilia : quæ partim in Scripturis canonicis sunt descripta, partim in chronicis, aliisque historiis et legendis authenticis. Secundo, quoniam quidquid de Christo credimus et speramus in evangelicæ legis Scripturis, in veteris Testamenti Scripturis per Moysen et beatos

Prophetas copiose legimus prophetatum. A Tertio, quia lex Christi, est lex totius sanctitatis et honestatis ac perfectionis. Quarto, per finalem istam Judæorum relictionem probamus Christum venisse. Quinto, ostenditur veritas fidei per hoc, quod quanto adversarii et tyranni atrocius nitebantur fidem christianam prorsus exstinguere, tanto plus crevit atque invaluit. Ex quibus omnibus, multisque aliis rationibus, sufficienter et certe probatur, quod fidei nostræ ac spei Deus sit auctor ac testis : quamvis per ea fidei veritates B supernaturales ita probari non queant ut comprehendantur per rationem, certitudinemque evidentiæ habeant.

Verumtamen, fidem contra adversariorum disputationem defendere, et eam diversis argumentationibus rationabiliter persuadere ac declarare, non est omnium, sed specialiter eruditorum. Nec est præceptum ut unusquisque fidelis paratus sit ad satisfaciendum quærentibus rationem fidei ac spei, quum multi sint idiotæ et penitus simplices; sed istud est magis con- C silium. Prælati tamen et superiores atque doctores, seu prædicatores, tenentur aliquo modo esse parati ad satisfactionem hujusmodi, quum apud Malachiam dica-

Malach. II, 7. tur : Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent de ore ejus, quia angelus Domini exercituum est. In primitiva quoque Ecclesia, præparatio et eruditio ista ad satisfactionem talem magis necessaria fuit, quam nunc : quia tunc fideles inter perfidos undique morabantur, et sæpe inde interrogabantur, etiam D a tyrannis. Fuitque eis necesse fidem contra adversarios ejus defendere.

16 *Sed cum modestia et timore,* id est, postulantibus a vobis rationem fidei vestræ ac spei, respondete modeste et timorate, humiliter et decenter, ne interrogatores scandalizentur in vobis, et se despici arbitrantes, contra fidem et ejus professores gravius accendantur. Hinc ad Romanos lo-

Rom. XIV, 1. quitur Paulus : Infirmum in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum. Timotheo quoque scribens : Noli, inquit, verbis contendere : ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. II Tim. II, 14.

Itemque : Servum Domini non oportet litigare, sed patientem esse, et cum modestia corripientem eos qui resistunt. Ibid. 24, 25. Denique, quum ea quæ fidei sunt, sint tam sublimia, incomprehensibilissima ac profunda, non nisi cum casto Dei timore de eis loqui et disputare debemus, ne forsitan Dominum offendamus, irreverenter et præsumptuose loquendo de ipso et mysteriis ejus : quia ut in Proverbiis asseritur, Sicut qui mel comedit multum, non est ei bonum, sic qui perscrutator est majestatis, opprimetur a gloria. Prov. XXV, 27. Propter quod, ut divinus Dionysius et Damascenus affirmant, non est audendum aliquid dicere de superessentiali Deitate, præter ea quæ nobis sunt in sacris eloquiis tradita. *Conscientiam habentes bonam,* ita ut vobis non sitis conscii de aliqua simulatione, nequitia aut culpa occulta, quemadmodum ad Corinthios asserit Paulus : Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate et sinceritate Dei, non in sapientia carnali, conversati sumus in hoc mundo. II Cor. I, 12.

Ut in eo quod detrahunt de vobis, confundantur qui calumniantur vestram bonam conversationem, id est, detractores vestri, vobis incaute obloquentes, ex vestra rationabili responsione quam eis assignatis de fide et spe vestra, atque ex sancta vita vestra, confundantur, ipsa evidentia veritatis ac virtutis convicti, aut etiam tandem conversi. Vel, Confundantur in die judicii, quando justi stabunt in magna constantia adversus persecutores, irrisores, detractoresque suos. Sap. V, 1. Unde per Jeremiam ait vir justus : Confundantur qui persequuntur me, et non confundar ego; paveant illi, et non paveam ego : induc super eos diem afflictionis. Jer. XVII, 18. Hinc ad Titum habetur : Verbum sanum sit et irreprehensibile, ut is qui ex adverso est, vereatur, nihil mali habens loqui de vobis. Tit. II, 8.

Hæc igitur agite cum bona conscientia,

nec ex timore persecutionum omittite ea.
17 *Melius est enim,* id est magis laudabile, magisque meritorium, *benefacientes (si velit voluntas Dei) pati* adversa, *quam malefacientes :* hoc est, virtuosius fuerit ut absque demerito vestro, utpote bene viventes, sustineatis adversa, quam ut ea pro vestris demeritis sustineatis, utpote
Tob. II, 12. male viventes : quemadmodum Job et Tobias amplius commendantur pro eo quod tanta perpessi sunt non pro suis excessibus, sed pro sua exercitatione et coronatione gloriosiori, atque ut aliis in ex-
Act. XIII, 8-11; II *Par.* XXI, 12-19. empla patientiæ ponerentur, quam Elymas magus et Joram, qui pro suis criminibus sunt plagati. Hac quoque auctoritate, secundum Bedam, reprehenditur eorum stultitia qui æquanimiter ferunt correptionem et correctionem quando culpabiles sunt, si vero absque culpa sua patiantur adversa aut arguantur, ægre accipiunt; et qui hactenus videbantur innoxii, per propriam iram, impatientiam, murmurationem, se noxios reddunt.

Porro, quod virtuosius sit absque proprio demerito pati, probat exemplo Chri-
18 sti. *Quia et Christus semel pro peccatis nostris mortuus est :* sicut ait in Psalmo,
Ps LXVIII, 5. Quæ non rapui, tunc exsolvebam. Et Je-
Thren. IV, 20. remias in Threnis testatur : Spiritus oris nostri, Christus Dominus, captus est in peccatis nostris. Mortuus ergo est pro peccatis nostris tollendis, sicut prædixit san-
Joann. I, 29. ctissimus Joannes Baptista : Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Crucifixus est enim ut merito suæ acerbissimæ passionis, in quantum illam ex ferventissima caritate atque plenissima obedientia acceptavit ac pertulit, pro nostris satisfaceret culpis, et copiosissimam nobis gratiam plenamque beatitudinem prome-
Hebr. IX, 14. reretur, juxta illud ad Hebræos : Sanguis Christi, qui semetipsum per Spiritum Sanctum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi ; et
Ibid. 28. rursus, Semel oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata. Recteque additur, Se-
A mel, quia ut Paulus fatetur : Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur : quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel. *Rom.* VI, 9, 10. — Itaque, mortuus est pro nobis, *justus pro injustis,* videlicet ipse sanctus et innocens pro nobis transgressoribus, *ut nos offerret Deo,* id est, ei reconciliaret, et ad cœlestem introduceret patriam, quemadmodum ipse dixit, passione instante : Vado parare vobis locum, ut ubi sum ego, *Joann.* XIV, 2, 3. et vos sitis. Christus quippe est qui for-
B tem armatum, puta diabolum, ligavit, et *Matth.* XII, 29; *Luc.* XI, 21, 22. spolia ejus distribuit, auferens ei quos ille decepit, et ad Deum eos reducens; atque in altum ascendens, captivam duxit captivitatem. *Ps.* LXVII, 19; *Ephes.* IV, 8. Propter quod per Isaiam Deus Pater ait de homine Christo : In scientia sua justificabit ipse servus meus multos, et *Is.* LIII, 11, 12. iniquitates eorum ipse portabit : ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia. Etenim spolia fortium erant peccatores, a dæmonibus victi et capti : quorum multos, omnes scilicet electos, Chri-
C stus sua passione, non solum sufficienter, sed et efficienter salvavit. Hinc scriptum est ad Ephesios : Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro ea, ut *Ephes.* V, 25, 27. exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam neque rugam. — Offerret, inquam, nos Deo, *mortificatos quidem carne,* id est a carnalibus desideriis et inquinamentis abstractos, et spiritualiter mortuos, *vivificatos autem spiritu,* id est mente viventes in caritate et gratia; vel, Vivificatos spiritu, id est a Spi-
D ritu Sancto, per dona gratiæ ejus spiritualiter vivos effectos. Hanc enim mortificationem vivificam merito passionis Christi a Deo consequimur, nec sine ea finalem fructum dominicæ passionis, videlicet æternam salutem, adipiscemur. Qui enim sunt *Galat.* V, 24. Christi, carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigunt, ut loquitur Paulus ad Galatas. Qui denuo ad Corinthios fatetur : Pro omnibus mortuus est Christus, *II Cor.* V, 15. ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit.

Itaque, qui tribulationes et persecutiones
absque suis demeritis sibi illatas æqua-
nimiter ferunt, Christo assimilantur. Qui
vero eas pro suis peccatis tolerant pati-
enter, conformantur latroni ad dexteram
Luc. XXIII, 41. Christi suspenso, qui dixit, Digna factis
recipimus; qui et cum Christo paradisum
de cruce introivit. Qui vero nec pro suis
excessibus corripi corrigique dignantur,
latroni ad sinistram Salvatoris suspenso
æquantur.

Consequenter commemorat princeps
Apostolorum antiquum opus misericordiæ
Christi quod tempore Noe fecit : per quod
præfiguravit effectum pietatis quem post
suam incarnationem, in mundo hoc vi-
vens, per se ipsum ac suos discipulos im-
pendit hominibus. Est autem locus hic
intricatus, et satis obscurus, ac variis mo-
dis translatus. Nam Beda ponit hunc tex-
tum : In quo et eis qui in carne conclusi
erant, spiritu veniens, prædicavit. Quem
textum sequitur et exponit Albertus. Alia
vero translatio, teste Beda, sic habet : In
quo spiritu et eis qui in carne erant, præ-
dicavit, etc. Communiter vero ita habe-
19 mus : *In quo et his qui in carcere erant,
spiritu veniens,* vel, spiritualiter adveni-
ens, *prædicavit.*

Exponendo ergo hanc litteram, primo
iste est sensus : *In quo,* id est ad hoc ut
homines a se conversos Deo offerret; vel,
In quo, id est in Spiritu Sancto, de quo
(secundum unam expositionem) immedia-
te præmisit, Vivificatos spiritu. Itaque, In
quo *et his qui in carcere erant, spiritu
veniens,* id est, Christus verus Deus per
Spiritus Sancti immissionem seu inspira-
tionem adveniens, his qui erant in carce-
re, id est, in profundo vitiorum et igno-
rantiarum, et consuetudine vitiosa erant
ligati, propriisque iniquitatibus quasi cu-
stodia carcerali detenti, prout in Proverbiis
Prov. v, 22. habetur : Iniquitates suæ capient impium,
et funibus peccatorum suorum constrin-
getur. Unde et Paulus loquens de impiis :
II *Tim.* II, 26. Resipiscant (inquit) a laqueis diaboli, a
quo captivi tenentur. His ergo Christus
per suæ miserationis effectum spiritua-
liter veniens, et Spiritu Sancto operante
adveniens, *prædicavit* per Noe, ut infra
innuitur : quem Noe Christus per inspi-
rationem Spiritus Sancti instigavit ad præ-
dicandum verbis et factis futurum esse
diluvium propter scelera hominum, quia
tunc omnis caro corruperat viam suam, ut *Gen.* VI, 12.
dicitur in Genesi. *Qui increduli fuerant* 20
aliquando, scilicet tempore Noe, cujus
prædicationi non crediderunt, nec a suis
cessaverunt criminibus, *quando exspecta-
bat Dei patientia,* id est, Deus diu et pa-
tienter exspectavit pœnitentiam emenda-
tionemque hominum : quia per centum
annos et amplius prænuntiavit diluvium
esse futurum. Nam et Noe centum annis
occupatus fuit cum suis in arcæ fabrica-
tione, sicut ex Genesi trahitur. Hinc sub- *Ibid.* v, 31; VII, 6.
ditur : *in diebus Noe quum fabricaretur
arca,* Deo dicente ad Noe : Fac tibi arcam *Ibid.* VI, 14.
de lignis lævigatis. Quidam textus habent,
Quando exspectabant Dei patientiam : quia
iniqui illi distulerunt et neglexerunt se
emendare, videntes comminationem Dei
de adventu diluvii tam diu differri. Sic-
que exspectabant patientiam Dei, non de-
siderando gratiam emendationis, sed diu
manendo in suis peccatis, putantes quod
pius et patiens Deus non esset eis dilu-
vium inducturus. Sicque unicuique eorum
dici poterat illud ad Romanos : Existimas *Rom.* II, 3-5.
quia tu effugies judicium Dei ? An divitias
bonitatis Dei et patientiæ et longanimitatis
contemnis ? Ignoras quoniam benignitas
Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum
duritiam autem tuam et impœnitens cor
tuum, thesaurizas tibi iram in die iræ et
revelationis justi judicii Dei.

Porro prætacta littera qua utitur Beda,
sic intelligitur : Eis qui in carne erant
conclusi, id est, carnalibus concupiscen-
tiis devincti ac victi. Qui enim carnalibus
magis quam Deo et spiritualibus rebus
inhæret, recte in carne dicitur esse con-
clusus, quia non levat se supra se. De qui-
bus ad Romanos asseritur : Qui in carne *Ibid.* VIII, 8.
sunt, Deo placere non possunt. Virtuosis

Rom. VIII, 9. autem hominibus ibi mox additur : Vos in A carne non estis, sed in spiritu. Cetera exponuntur ut habitum est.

Vult itaque princeps Apostolorum asserere quod Christus, qui nostris temporibus carne indutus, veniens prædicavit hominibus iter salutis, ipse etiam et ante diluvium eis qui tunc increduli erant, spiritu veniens prædicavit. Ipse namque per Spiritum Sanctum erat in Noe et in aliis Sanctis qui tunc erant, per quos tunc prædicavit iniquis illius temporis, ut converterentur. Sicque beatissimus Petrus in B verbis istis apertissime innuit Christi divinitatem, et utriusque naturæ unam esse personam in ipso. Quamvis enim tunc nondum fuerit incarnatus, tamen vere tunc, imo et æternaliter fuit et est, quia suppositum est æternum. Et Christus supponit personam æternam et increatam. Propter Joann. VIII, 58. quod ait in Joanne : Antequam Abraham fieret, ego sum. Ad quod insinuandum, Judæ 5. Judas apostolus in sua ait Canonica : Jesus populum salvans de terra Ægypti, secundo eos qui non crediderunt, perdidit. C Hebr. XIII, 8. Ad Hebræos quoque fertur : Jesus Christus heri et hodie, ipse et in sæcula.

Insuper quidam per carcerem intelligunt limbum patrum, ut sit sensus : In quo, ut scilicet plures Deo offerret ipse Christus, veniens spiritu, id est secundum animam suam, in carcerem, id est in limbum ubi sancti patres detinebantur (in quem Christus, ut spiritum tradidit, secundum animam mox descendit); prædicavit his qui detinebantur ibidem, id est, mysterium suæ incarnationis et passionis D impletum esse annuntiavit; qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabat Dei patientia in diebus Noe, quum fabricaretur arca, etc. : quia (ut pie speratur) quidam qui ante diluvium increduli erant verbis Noe, veniente ipso diluvio, suæ perfidiæ cognoverunt errorem, et pœnituerunt ac salvabantur, ita quod in purgatorio plene purgati, venerunt in limbum patrum, sicque eis cum ceteris ibi manentibus Christus, ut dictum est, prædicavit.

— Quidam vero incaute, imo et insipienter dixerunt, quod Christus in infernum descendens, prædicavit ibi detentis pœnitentiam et viam salutis, seque mundi salvatorem consistere, et quod tunc credentes in eum salvabantur : inter quos quidam dixerunt Platonem fuisse primum credentium. Istud inter apocryphorum computandum est somnium. Et S. Cyrillus atque Chrysostomus huic contradicunt assertioni. Tempus quippe et status merendi ac demerendi, finem accipiunt in cujuslibet hominis morte. Propter quod asserit Damascenus : Quod angelis est ruina, hoc hominibus est mors. Et in Ecclesiaste legitur : Si ceciderit lignum ad austrum aut Eccle. XI, 3. ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. Idcirco de lege communi post vitam præsentem non est reditus ad pœnitentiam salutarem. Sed Deus omni lege sublimior est; et quibusdam, ut vult, privilegium facit.

In qua arca pauci, id est octo animæ, sumendo partem pro toto, id est octo homines, utpote Noe et uxor ipsius, tres quo- Gen. VI, 18; VII, 7; VIII, 18. que filii Noe, et tres eorum uxores, *salvæ factæ sunt,* id est a periculo diluvii, scilicet submersione et morte, *per aquam,* id est per hoc quod aqua diluvii elevavit arcam in altum, ne mergerentur. Sumitur autem in Scripturis multoties pars pro toto : sicut in Psalmo, Ad te omnis caro ve- Ps. LXIV, 3. niet; et in Actibus, Eramus omnes animæ Act. XXVII, 37. in navi ducentæ septuaginta sex.

21 *Quod et vos nunc similis formæ salvos facit Baptisma.* Ordo verborum in constructione hic est : *Quod* (supple, dico quia) *Baptisma similis formæ,* id est sacramentum Baptismatis Christi exsistens similis formæ, id est comparis modi cum aquis diluvii. Nam, sicut per aquam diluvii salvi facti sunt valde pauci, comparatione eorum qui perierunt diluvio ; ita electi qui per Baptismum salvantur, perpauci sunt, comparatione fidelium reproborum et aliorum incredulorum. Propterea ait Salvator : Arcta est via quæ ducit Matth. VII, 14. ad vitam, et pauci inveniunt eam ; et rur-

Luc. xii, 32. sus, Nolite (inquit) timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Rursus, sicut aqua diluvii elevando arcam, salvavit exsistentes in ea, sic aqua Baptismi salvat, levando ad cœlum. Itaque, Baptisma similis formæ *salvos vos facit,* id est, purgat a vitiis atque ad alia sacramenta deducit. Est enim primum inter sacramenta, et janua ad alia. *Non carnis depositio sordium,* id est, corporalium fœditatum seu immunditiarum depositio non vos salvat, sed spiritualis interiorque ablutio. Ideo subditur : *sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum,* id est interrogatio quæ fit a baptizando adulto : interrogatio, inquam, bonæ conscientiæ in Deum, id est inquisitio an habeat conscientiam bonam in Deo, ita ut non fictus accedat, sed catholice credens, et boni propositi. Hæc interrogatio salvat, id est, per eam fit baptizandi salvatio. Aliter enim non consequitur quis Baptismi effectum, si adultus exsistat. Tunc enim ab ipso fit interrogatio, personaliterque respondet. Si autem sit infans, patrinus respondet pro eo. *Per resurrectionem Jesu Christi,* id est, an habeat conscientiam bonam in Deo per resurrectionem Jesu Christi, id est per vivam et formatam fidem resurrectionis Jesu Christi, recte credendo in eum. Qui enim credit Christum resurrexisse a mortuis, alia ejus mysteria facilius credere potest. Sicque resurrectio Christi valde specialem habet difficultatem credendi. Ideo scriptum est in Acti-
Act. iv, 33. bus : Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri.

22 *Qui est ad dexteram Dei Patris :* juxta
Marc. xvi, 19. illud Marci : Dominus Jesus postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei. Dicitur autem Christus ad Dei dexteram esse, dupliciter : primo, in quantum est Deus, sedet et regnat Deo Patri æqualis; sed in quantum homo, dicitur ad Patris dexteram residere, id est in potioribus ejus bonis consistere, quia præ universis electis fruitur Deitate sublimiter, et omni felicitate impletus est, quantum capere potest natura creata. *Deglutiens mortem :* quia in primis sua benedicta passione sibi ipsi plenam corporis immortalitatem promeruit, deinde genus humanum a morte culpæ redemit, imo et a morte æternæ damnationis salvavit. Plenam quoque animæ et corporis beatitudinem, quæ omnem mortalitatem excludit, promeruit nobis : quam virtute et merito Christi tandem sortientur electi, puta in die judicii, quando mortale hoc induerit *I Cor.* xv, 53, 54.
immortalitatem, et juxta quod loquitur Paulus, implebitur sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Hinc sub- *Ibid.* 54.
ditur : *ut vitæ æternæ heredes efficeremur,* id est, æternam salutem hereditate consequeremur. Unde per Osee prophetam ait Salvator : De manu mortis liberabo eos, *Osee* xiii, 14.
de morte redimam eos : ero mors tua, o mors; morsus tuus ero, inferne.

Profectus in cœlum in die ascensionis. Per quod nobis dedit fiduciam præbuitque exemplum beatificæ ascensionis in cœlum cum corpore glorificato et anima, obtinendæ in die judicii, quando dicet : Venite, benedicti Patris mei, percipite re- *Matth.* xxv, 34.
gnum, etc. *Subjectis sibi angelis, et potestatibus, et virtutibus :* quia super omnium angelicorum ordinum dignitatem, hierarchiam et excellentiam, elevatus est Christus in ascensione, secundum naturam assumptam. Quocirca sciendum, quod eo ipso quo Christi humanitas, in incarnatione Verbi æterni, unita est Verbo hypostatica unione, videlicet ad personale et increatum esse Verbi assumpta in unitate personæ, prælata est omni creaturæ, et toto universo dignior sublimiorque effecta. Tamen in quantum mortalitati et passibilitati fuit subjecta, erat quodammodo angelis sanctis inferior. Sed quia ad immortalem vitam surrexit, et super omnes cœlos usque ad dexteram Patris ascendit, idcirco in ascensione dicuntur angeli et ceteri chori cœlestes, ei subjecti.

Et exprimuntur hic tres chori angelici, seu tres ordines angelorum, per quos

ceteri dantur intelligi. Quocirca pensandum, quod gloriosissimus apostolici agminis vertex, paulatim ascendendo, primo exprimit Angelos, deinde Potestates, et tertio loco Virtutes. Ex quo sumitur argumentum, quod Virtutes pertineant ad

A secundam hierarchiam angelicam, et supra Potestates exsistant, prout divinus Dionysius a Paulo apostolo informatus, edocuit : quanquam Gregorius et Bernardus ponant Virtutes in infima hierarchia chorum supremum.

ARTICULUS VIII

EXPOSITIO CAPITULI QUARTI : CHRISTO IGITUR PASSO IN CARNE.

QUUM in imitatione conversationis passionisque Christi tota nostra consistat perfectio, ubertim princeps Apostolorum ad dominicæ passionis imitationem nos admonet, per adversitatum et tribulationum tolerantiam virtuosam. Idcirco nunc loquitur :

1 *Christo igitur passo in carne,* id est, quia Christus in carne propria passus est, non in deitate sua, quæ fuit impassibilis prorsus. Nec solum in carne sua patiebatur Salvator, sed in anima quoque. Habuitque corporales et spirituales, exteriores C et interiores dolores, ita quod in omnibus exterioribus et interioribus suis sensibus affligebatur, atque in appetitu sensitivo tam concupiscibili quam irascibili. Nam et timorem et tristitiam habuit. Cœpit quippe contristari, et pavere, et tædere, dixitque : Tristis est anima mea usque ad mortem. (*Matth.* xxvi, 37, 38; *Marc.* xiv, 33, 34.) Nec solum in prædictis organicis viribus, sed in potentiis quoque superioribus intellectivis graviter patiebatur, videlicet intellectu et voluntate. Quamvis enim anima ejus, quantum ad superiores D has vires, fuerat tempore passionis in gaudio beatificæ fruitionis, ita quod non patiebatur in potentiis illis ad increatum objectum relatis, tamen in quantum potentiæ illæ erant fundatæ in essentia animæ, et respectum habebant ad objectum creatum afflictivum, sic erant in grandi afflictione, prout Thomas in tertia parte Summæ suæ

B hæc plenius docet. Imo, ut Bonaventura et alii bene deducunt, in Christo tempore passionis dolor compassionis excessit passionis dolorem. Sicque tota Christi humanitas vehementissime patiebatur, et tota natura humana in ipso, fuit in dolore summo ac maximo, quia tenerrimæ erat complexionis et summe perceptiva doloris, et erat maxime recens, vivax, nobilis, ac robusta. Nec fuit tunc in ea a superioribus viribus in inferiores redundantia consolatoria, doloris relevativa. Merito igitur debemus compati Christo, tantum et tanta propter nos passo, et ejus passioni nos conformare. Propter quod subditur :

Et vos eadem cogitatione armamini, id est, meditatione dominicæ passionis armate vos contra impugnationem deliciarum, seu concupiscentiarum, et vitiorum, et clypeo pœnitentiæ vos munite, passionemque Christi sequi proponite, carnem vestram cum vitiis et concupiscentiis crucifigendo. (*Galat.* v, 24.) *Quia qui passus est in carne, desiit a peccatis.* Si Desinere, accipiatur pro Cessare ab actu præterito seu incepto, certum est istud de Christo non posse exponi, eo quod nunquam peccaverit. Si autem Desinere, accipiatur pro Abstinere, potest de Christo intelligi. Nam ipse Christus in carne propter nos passus, abstinuit semper a culpis. Communiter vero exponitur istud de imitatoribus dominicæ passionis, ut sit sensus : Quia qui passus est in carne, id

est, tribulationes corporales patienter sus-
tinuit, et carnem suam affligendo per abs-
tinentias, jejunia, disciplinas, vigilias, eam
in animæ servitutem redegit, juxta illud :
I *Cor.* IX, 27. Castigo corpus meum, et in servitutem
redigo ; desiit a peccatis, id est, a præte-
ritis vitiis pœnituit, et se emendavit, nec
carnalibus inquinamentis se fœdat. Unde
Cant. V, 3. Sponsa in Canticis : Lavi, inquit, pedes
meos, quomodo inquinabo illos ?
2 *Ut jam non hominum desideriis,* id est
de cetero non carnalibus et humanis inor-
dinatis affectibus, *sed voluntati Dei,* id est
observationi divinorum præceptorum ad
gloriam Creatoris, *quod reliquum est in
carne vivat temporis,* id est, residuum
temporis vitæ præsentis in hac carne mor-
tali vivat et obediat, hoc est, vos ipsi de
cetero per omne tempus vitæ vestræ ser-
viatis obediatisque Deo. Tempus quippe
dicitur agere vel pati, quod exsistentes
in tempore agunt aut patiuntur, sicut in
Matth. VI, 34. Evangelio ait Salvator : Crastinus dies si-
bi ipsi erit sollicitus. Et in primo libro
I *Mach.* XII, 1. Machabæorum habetur : Videns Jonathas
quia tempus eum juvat.
3 *Sufficit enim præteritum tempus ad vo-
luntatem gentium consummandam,* id est,
satis et plus quam satis est quod elapsis
temporibus vixistis carnaliter, et irratio-
nabilium hominum voluntatibus acquie-
vistis. Idcirco de reliquo, non solum a
consuetis peccatis cessetis, sed præterito-
rum quoque temporum negligentias re-
cuperetis, et vitia deploretis, semperque
fructuose vivatis. *Qui ambulaverunt* ad
infernum, *in luxuriis, desideriis* irrefre-
natis, *vinolentiis,* id est assiduis et super-
fluis vini potationibus, quæ non solum
animæ, sed et corpori maxime nocent (qui-
Is. V, 11. bus dicitur apud Isaiam : Væ qui consur-
gitis mane ad ebrietatem sectandam, et
potandum usque ad vesperam), *comessati-
onibus, potationibus,* quantum ad aliorum
poculorum sumptionem immoderatam, *et
illicitis idolorum cultibus,* idololatriis ma-
xime vitiosis. Hæc namque et consimilia
scelera in gentibus regnaverunt, prout in

A libro Sapientiæ diffuse conscriptum est,
ubi inter cetera fertur : Omnia commixta *Sap.* XIV, 25, 26.
sunt, sanguis, homicidium, furtum et fi-
ctio, corruptio, infidelitas, turbatio, per-
jurium, tumultus, bonorum Domini imme-
moratio, animarum inquinatio, inordinatio
mœchiæ et impudicitiæ.
In quibus nunc admirantur, non con- 4
*currentibus vobis in eamdem luxuriæ con-
fusionem :* id est, dum vitia ista exercent,
mirantur quod vos qui olim fuistis so-
cii eorum in talibus, nunc abstrahitis vos
B ab eis, *blasphemantes* Christum et fidem
quam accepistis. Non enim cognoscunt vi-
am justitiæ, ideo justos reputant fatuos.
De talibus scriptum est per Sapientem :
Dixerunt impii, cogitantes non recte : Ve- *Ibid.* II, 1, 6-8.
nite, fruamur bonis quæ sunt, et utamur
creatura tanquam in juventute celeriter ;
vino pretioso et unguentis impleamus nos ;
nullum pratum sit, quod non pertranseat
luxuria nostra. Denique multi sunt Chri-
stiani ita carnales et excæcati, ut miren-
tur si quis ad vitam claustralem et pœ-
C nitentialem confugiat, et ipsorum vitet
consortia. Admiratio quippe consurgit ex
hoc, quod insolitus effectus conspicitur
cujus causa ignoratur. Hi autem obtene-
brati pravi, non sciunt nec pensant quid
moveat justos, et qualiter inspirentur a
Deo. Propter quod ad Corinthios habetur :
Animalis homo non percipit ea quæ sunt I *Cor.* II, 14.
Spiritus Dei : stultitia enim est illi, et non
potest intelligere. *Qui reddent,* id est, red- 5
dere exigentur, *rationem ei qui paratus
est judicare vivos et mortuos,* utpote Chri-
D sto, de quo scriptum est : Ipse est qui *Act.* X, 42.
constitutus est a Deo judex vivorum et
mortuorum. Siquidem Pater omne judi- *Joann.* V, 22.
cium dedit Filio. Salomon quoque prote-
statur : Cuncta quæ fiunt, adducet Deus *Eccle.* XII, 14.
in judicium pro omni errato, sive bonum
sit, sive malum.
Propter hoc enim et mortuis evangeli- 6
zatum est, id est, exsistentibus in pecca-
tis et perfidiis prædicata est lex Christi ab
ejus discipulis. De taliter mortuis ait in
Evangelio Christus : Dimitte mortuos se- *Matth.* VIII, 22.

I Tim. v, 6. pelire mortuos suos. Et Paulus : Vidua, inquit, quæ in deliciis vivit, vivens mortua est; et rursus, Surge, qui dormis, et Ephes. v, 14. exsurge a mortuis. *Ut judicentur quidem secundum homines in carne,* id est, ipsi mortui seu iniqui jam ad Christum conversi, et impiorum consortia devitantes, dijudicentur et reprobentur ab ipsis carnalibus et excæcatis hominibus, secundum hominum hujus sæculi sensum judicantibus, quorum judicia sunt perversa. Ista tamen dijudicatio conversorum ab impiis, est præter intentionem prædicantium, et ex eorum prædicatione occasionaliter sequitur. Sicque quod ait, Ut, tenetur concomitanter, non causaliter, sicut in Psal-
Ps. L, 6. mo : Tibi soli peccavi, etc., ut justificeris in sermonibus tuis, etc. *Vivant autem secundum Deum,* id est in observantia præceptorum, *in spiritu,* id est recta mentis intentione et ex caritatis affectione : ad quod prædicatio directe ordinabatur. Unde
Galat. v, 16. ad Galatas fertur : Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis. Et meri-
7 to sic vivendum est. *Omnium enim finis appropinquabit,* id est, dies judicii incessabiliter appropinquat; vel, Omnium hominum finis, id est mors, indesinenter propinquat, quum tota hæc vita sit quasi cursus ad mortem.

Estote itaque prudentes, id est discreti,
Hebr. x, 31. circumspecti et providi : quia horrendum est incidere in manus Dei viventis. Atque in medio laqueorum et invisibilium hostium omni ferocitate, calliditate, invidia repletorum ambulatis : qui tam fortitudine quam experientia et astutia nos valde excedunt, nec aliud machinantur nisi ut æterna felicitate, quam perdiderunt, nos spolient, infernalibusque nos secum involvant suppliciis. Idcirco oportet nos jugiter esse maxime circumspectos, timoratos, custoditos, sollicitos, prout in Deuterono-
Deut. IV, 9. mio sanctus Moyses exhortatur : Custodi temetipsum et animam tuam sollicite; ne obliviscaris verborum Domini, et ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ.

Sed quia non sufficit diligentia nostra A sine continua divinæ subventionis adsistentia, recte subjungitur : *et vigilate in orationibus.* Quod dupliciter potest intelligi, et debet impleri : Primo, ut orando vigilemus, id est, cum cordis vigili attentione oremus. Non enim corde hinc inde vagante invocandus est Deus, sed animo recollecto, advertente et custodito, cum omni reverentia, humilitate et sancto timore. Propter quod in Ecclesiastico scriptum est : Ante orationem præpara animam tuam; et noli esse quasi homo tentans Deum. Eccli. XVIII, 23.
B Secundo, ut protrahamus vigilias in orando, non solum in die, sed nocturnis quoque temporibus orationibus insistendo, juxta illud in Psalmo : Media nocte surgebam Ps. CXVIII, 62.
ad confitendum tibi; et rursus, In die tribulationis meæ Deum exquisivi manibus Ps. LXXVI, 3. meis nocte contra eum. Hujus siquidem rei Christus (cujus omnis actio nostra est instructio) nobis dedit exemplum. De quo scriptum est : Exiit Jesus in montem solus orare, et erat pernoctans in oratione Luc. VI, 12. Dei. Hanc doctrinam etiam Christus ex-
C pressit, apud Marcum loquens : Vigilate Marc. XIII, 35, 36, 33. (nescitis enim quando Dominus veniat : sero, an media nocte, an galli cantu, an mane), ne, quum venerit repente, inveniat vos dormientes ; videte, vigilate et orate.

Sed quoniam absque caritate nihil est meritorium, subditur : *Ante omnia autem,* 8
id est potissime et in primis ante exercitia cuncta, *mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habentes,* id est caritatem fraternam indesinentem, et quantum pos-
D sibile est, etiam actualem, ut tam in interiores quam exteriores caritatis actus assidue procedamus, quum signum caritatis sit exsecutio actus. Unde et Dominus ait : Hoc est præceptum meum, ut diligatis in- Joann. XV, 12. vicem sicut dilexi vos. — Sed quum pri- Matth. XXII, 37, 38. mum maximumque præceptum sit, ut Deus toto corde ametur : quid est quod princeps Apostolorum hortatur, ut ante omnia mutuo diligamus? Et respondendum, quod eadem est caritas habitualis qua Deum proximumque diligimus, eo quod Deus sit

ratio proximos diligendi. Sicque dilectio
Dei et proximi se mutuo complectuntur.
Idcirco, in eo quod ante omnia ad mutuam
caritatem monemur, datur intelligi ut su-
per omnia et ante omnia Deum amemus :
sicque ad fraternam caritatem ante omnia
nos hortatur Scriptura, in quantum ista
dilectio fraterna caritatem Dei includit ac
præsupponit. *Quia caritas operit multi-
tudinem peccatorum,* id est, universa pec-
cata ignis sanctæ dilectionis consumit et
delet, non solum quantum ad culpam, sed
etiam quantum ad pœnam, in toto aut in
parte, secundum quod fervor amoris in-
tensior fuerit sive remissior. Propter quod
Christus dixit de beatissima Maria Magda-
Luc. vii, 47. lene : Dimissa sunt ei peccata multa, quo-
niam dilexit multum. In Proverbiis quo-
Prov. x, 12. que Salomon ait : Universa delicta operit
caritas. De hujus autem verbi expositione
Jacob. v, 20. dicta sunt plura super illud Jacobi : Qui
converti fecerit peccatorem ab errore viæ
suæ, salvabit animam ejus a morte, et
operit multitudinem peccatorum.

9 *Hospitales invicem* estote *sine murmu-
ratione,* id est, patienter et gaudiose, gra-
tis et caritative unus hospitet alium, et
bene tractet eumdem. Præsertim autem
religiosi peregrini et pauperes, sunt ho-
spitandi et taliter repausandi. Istud nam-
que est unum de operibus misericordiæ,
quæ ad Christianos præcipue pertinent, et
ad quæ caritas mutua specialiter obligat,
Matth. vii, 12. ut scilicet unusquisque faciat alteri prout
vult fieri sibi. Unde istud non observanti-
bus Christus in die judicii est dicturus :
Ibid. xxv, 43. Hospes fui, et non collegistis me. Hinc
Hebr. xiii, 1, 2. ad Hebræos dicitur : Caritas fraternitatis
maneat vobiscum, et hospitalitatem nolite
Is. lviii, 7. oblivisci ; et Isaias, Egenos (inquit) vagos-
que induc in domum tuam. Quod sanctus
Job xxxi, 32. Job implesse se pandit : Foris (inquiens)
non mansit peregrinus ; ostium meum via-
tori patuit.

Nec solum hospitalitatem debet quilibet
exercere, sed cetera quoque beneficia sibi
a Deo collata, proximis communicare pro
10 posse. Ideo sequitur : *Unusquisque, sicut*
A *accepit gratiam, in alterutrum illam ad-
ministrantes,* id est, quilibet vestrum do-
na sibi desuper præstita, proximis suis
pie et caritative diffundat, impendat, com-
municet : ut per ea fructificet Deo, im-
pleatque quod Dominus ait, Negotiamini *Luc.* xix,
dum venio ; et sic talenta sibi tradita vir- 13.
tuose multiplicet ; et ita se habeat circa
proximum quemadmodum Deus se habuit
circa ipsum. Hoc totum est, ut opera mi-
sericordiæ, tam spiritualia quam corpora-
lia, proximis impendat unusquisque pro
B posse. Cui ergo a Deo collata est major
sapientia, aut major gratia exhortandi, aut
major virtutum perfectio, libenter infor-
met ac moneat alios, et eos conetur con-
vertere. Propter quod ait Scriptura : Sapi- *Eccli.* xx,
entia abscondita et thesaurus occultus, quæ 32.
utilitas in utrisque ? Unde ad Colossenses
dicitur : Docentes et commonentes vosmet- *Coloss.* iii,
ipsos in hymnis et psalmis. In Apocalypsi 16.
quoque scriptum est : Qui audit, dicat, *Apoc.* xxii,
Veni. Hæc itaque agite, *sicut boni dispensa-* 17.
tores multiformis gratiæ Dei, id est amoro-
C si erogatores et communicatores multipli-
cium charismatum aut donorum Spiritus
Sancti, quo uni datur sermo sapientiæ, *I Cor.* xii,
alteri sermo scientiæ, alii gratia sanitatum, 8-10.
alii discretio spirituum, etc., prout ad Co-
rinthios dicitur. Propter quod denuo lo-
quitur Paulus : Unusquisque proprium *Ibid.* vii, 7.
donum habet a Deo. Ad hanc communi-
cationem hortatur nos Salomon, dicens :
Deriventur fontes tui foras. Et Christus : *Prov.* v, 16.
Luceat, inquit, lux vestra coram homini- *Matth.* v,
bus. Est itaque Dei gratia multiformis, id 16.
D est varia ac diversa, multipliciterque di-
stincta.

Et potest per gratiam Dei hoc loco in-
telligi omne donum gratis a Deo impen-
sum, per quod unus potest alteri aliquo
modo prodesse. Specialiter tamen potest
hic locus exponi de donis gratiæ gratis
datæ, quæ ad aliorum dantur utilitatem.
Specialiter quoque administratio seu com-
municatio ista ad prælatos, prædicatores,
doctoresque pertinet, ut cum Psalmista
dicere valeant Deo : Justitiam tuam non *Ps.* xxxix, 11.

abscondi in corde meo, veritatem tuam et A salutare tuum dixi; et illud Sapientiæ : Sap. vi, 24, 25. Non abscondam a vobis sacramenta Dei, neque cum invidia tabescente iter habebo, sed dona Dei communico vobis.

11 *Si quis loquitur, quasi sermones Dei,* id est, non nisi de Deo loquatur, ita ut ad minus verba sua ad Dei referat gloriam et honorem, sintque utilia, juxta illud ad Ephes. iv, 29. Ephesios : Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed qui utilis est ad ædificationem, ut det gratiam audienti. Vel, Quasi sermones Dei, id est, non aliud quis B loquatur aut doceat, quam quod consonum est Scripturis vel continetur in eis. Propter quod Timotheo scripsit apostolus Paulus : I Tim. vi, 20. Profanas vocum novitates devita. Vel, Quasi sermones Dei, id est, Deo adscribat II Cor. iii, 5. quidquid boni aut salubriter dixerit. Non enim sufficientes sumus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia Sap. vii, 16. nostra ex Deo est. Hinc scriptum est : In manu Dei sumus, et nos, et sermones nostri. *Si quis ministrat,* id est, bonum quodcumque alteri exhibet seu impendit, *tanquam ex virtute quam administrat Deus,* C id est, non propria virtute, sed virtute sibi a Deo collata id se facere arbitretur, et omne bonum quod habet aut aliis impertitur, Deo tanquam superdignissimo fonti liberalissimoque datori, grata ac humili mente attribuat, quum dicat Salvator : Joann. xv, 5. Sine me nihil potestis facere; et Paulus, I Cor. iv, 7. Quid habes quod non accepisti?

Ut in omnibus honorificetur, id est, debito modo a vobis ac aliis honoretur, *Deus* Trinitas *per Jesum Christum* Dei et D I Tim. ii, 5. hominum mediatorem, hominem verum, *Dominum nostrum,* cujus virtute et merito gratiarum charismata nobis desuper infunduntur. Hoc est quod ait Salvator : Matth. v, 16. Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Vas quoque I Cor. x, 31. electionis Corinthiis scribens : Omnia, inquit, in gloriam Dei facite; et ad Colossenses, Coloss. iii, 17. Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini agite, gratias agentes Deo. *Cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.* De quo ait apostolus Paulus : Regi I Tim. i, 17. sæculorum immortali, invisibili, soli Deo honor et gloria. Ipse est enim rex omnipotens, Esther xiii, 9. in cujus ditione cuncta sunt posita. Est autem Deo gloria, id est infinita lætitia, clara quoque cum laude notitia, et immensa majestas.

Præterea, denuo redit Archiapostolus ad exhortandum fideles, ut habeant insuperabilem patientiam in adversis. *Carissimi, nolite peregrinari,* id est a fide fieri 12 alieni, aut a Deo alienatos et exteros vos putare, *in fervore,* id est persecutionum impetu vehementi seu furioso, *qui ad tentationem vobis fit,* id est, vobis ab incredulis ac perversis, Deo permittente, infligitur ad vestri probationem et coronationem : quamvis impii alia intentione vos persequantur. Sed Deo disponente, omnia cooperantur Rom. viii, 28. electis in bonum. De hoc dicta sunt multa super illud Jacobi : Beatus vir Jacob. i, 12. qui suffert tentationem, quoniam quum probatus fuerit, etc. Itaque ex hac re, Nolite peregrinari; vel (ut alia littera, qua utitur Beda, habet), Nolite mirari; *quasi novi aliquid vobis contingat.* Istud enim novum non est, sed ut dixit Judith : Omnes Judith viii, 23. qui Deo placuerunt, per multas tribulationes transierunt fideles; et Sapiens, Tanquam aurum in fornace probavit electos Sap. iii, 6. Dominus. Psalmista quoque : Multæ, Ps. xxxiii, 20. inquit, tribulationes justorum. Hoc est quod in Proverbiis scribitur : Sicut igne Prov. xvii, 3. probatur argentum, et aurum camino, ita corda probat Dominus. Hinc ait venerabilis Beda : In Ecclesia a protomartyre Abel, usque ad ultimum qui in fine mundi nascetur electum, nunquam persecutio deest. Imo, ut electionis Vas protestatur, per multas tribulationes oportet nos intrare in Act. xiv, 21. regnum Dei.

Sed quum in secunda ad Corinthios dicatur, Dum sumus in corpore, peregrinamur II Cor. v, 6. a Domino : quid est quod princeps nunc ait Apostolorum, Nolite peregrinari in fervore, etc., quum fervor iste non nisi in corpore isto mortali eveniat? Ad hoc

respondetur ex verbis Alberti, quod aliquis dicitur peregrinari quatuor modis : Primo, propter distantiam loci. Et isto modo in hoc sæculo dicimur peregrinari, quoniam multum distamus a cœlo empyreo, quod est locus et patria electorum. *Ps.* CXIX, 5. Hinc ait Propheta : Heu mihi ! quia incolatus meus prolongatus est. Secundo, propter corporis hujus corruptibilitatem, et statum mortalem ac corpulentum. Sicque II *Cor.* V, 6. loquitur Paulus : Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino. Verius tamen intelligitur peregrinatio ista propter spiritualem distantiam cognitionis hujus imperfectæ a perfecta notitia Dei, quam habent Beati. Propter quod præallegatis verbis *Ibid.* 7. protinus addit Apostolus : Per fidem enim ambulamus, non per speciem. Tertio, propter temporis elongationem. Propter quod *Gen.* XLVII, 9. in Genesi ait Jacob patriarcha : Dies peregrinationis meæ super terram, centum triginta anni sunt. Quarto, propter carentiam gratiæ ac providentiæ Dei. Et sic nullus fidelis debet se reputare peregrinum a Deo propter tribulationes quas patitur, quasi ob hoc sit a Deo relictus, et quasi Deus providentiam actuum non habeat humanorum, quoniam justos ab impiis tribulari permittit : imo hoc ipsum est præcipuum signum suæ providentiæ ac prædestinationis circa electos, quum per Zachariam *Zach.* XIII, 9. protestetur : Ducam eos per ignem, et uram eos sicut uritur argentum, et probabo eos sicut probatur aurum.

Quidam hunc locum ita exponunt : Nolite peregrinari, id est ad alia loca vos transferre, in fervore, etc., id est ex timore persecutionum. Nam, quamvis interdum *Matth.* X, 23. liceat fugere, Christo dicente, Quum persecuti vos fuerint in una civitate, fugite in aliam ; tamen perfectius est manere, nisi sit persecutio certæ personæ, cujus fuga utilior est Ecclesiæ quam ejus festinatum martyrium, et propter majus bonum Ecclesiæ, non ex mortis timore, II *Cor.* XI, 33. ineat fugam, sicut Paulus de Damasco clam fugit.

13 Sequitur : *Sed communicantes Christi* A *passionibus, gaudete,* id est, imitatione, intuitu et amore Christi propter vos passi, patiendo adversa gaudete in Domino : propter multiplicem fructum vobis inde provenientem ; imo potissime, quia hoc complacet Deo in vobis, et quia hoc dignum et justum est, ut suo capiti membra assimilentur. Propter quod ait ipse : Gaudete in illa hora et exsultate, quoniam *Matth.* V, 12. merces vestra copiosa est in cœlo ; et Jacobus, Omne (inquit) gaudium existimate, *Jacob.* I, 2. quum in diversas tentationes incideritis. B *Ut et in revelatione gloriæ ejus,* id est in aperta visione excellentiæ Christi, *gaudeatis exsultantes,* id est, tam vehementer gaudentes interius, ut redundet illud gaudium internum in corpus post resurrectionem futuram. Propter quod ait Psalmista : Satiabor quum apparuerit gloria tua. *Ps.* XVI, 15.

Præterea Christi passionibus, quas pro nobis sustinuit, debemus variis modis communicare : Primo, eas in nostro corpore per imitationem assidue deferendo, corpus proprium in operibus pœnitentiæ affligen- C do, seu aliis tribulationibus propter Deum viriliter exponendo. Unde secunda ad Corinthios fassus est Paulus : In omnibus II *Cor.* IV, 8, 10, 11. tribulationem patimur, sed non angustiamur ; semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali. Et ad Philippenses : In omni, ait, fiducia ma- *Philipp.* I, 20. gnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem. Secundo, de eis gaudendo propter summos et multiplices fructus earum : quia per eas placatus D est Deus, et liberatum est genus humanum a morte æterna, purgatum quoque a morte peccati, et particeps factus est homo gratiæ in præsenti, et gloriæ in futuro ; spiritusque maligni sunt victi. Idcirco ad Galatas locutus est Paulus : Mihi absit glo- *Galat.* VI, 14. riari, nisi in cruce Domini mei Jesu Christi. Tertio, de imitatione cruciformi earum lætando, sicut Apostoli ibant gaudentes a *Act.* V, 41. conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati, ut scribitur in Actibus. Quarto, de merito

passionis Christi et imitatione ejusdem, A
beatitudinem exspectando, quemadmodum
II *Cor.* I, 7. secunda ad Corinthios inducitur : Scitote
quoniam sicut socii passionum estis, sic
eritis et consolationis. Secunda quoque
II *Tim.* II, 11, 12. ad Timotheum : Si commortui sumus,
et convivemus ; si sustinemus, et conregnabimus.
Quinto, dominicam passionem
quotidie cum pia et intima compassione
reminiscendo, secundum illud ad Hebræ-
Hebr. XII, 3. os : Recogitate eum qui talem sustinuit
a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem.
Et in Threnis scriptum est : B
Thren. III, 20. Memoria memor ero, et tabescet in me
anima mea. Sexto, pro Christo martyrium
sustinendo : qui tamen modus comprehendi
potest sub primo. — Quum ergo
Joann. XIII, 16. non sit servus major domino suo, non renuamus
exemplo Christi, et ejus intuitu
ac amore, tribulationibus exerceri, adversa
pati, castigari, ac corripi. Imo gaudeamus
in talibus, sicut in omnibus divitiis,
Galat. VI, 17. ut cum Paulo dicere valeamus : Ego stigmata
Domini Jesu in corpore meo porto ;
Ibid. II, 19. et item, Christo confixus sum cruci. C

14 Sed et *si exprobramini*, id est, per verba
contumeliosa et injuriosa vituperamini a
perfidis et iniquis hominibus, *in nomine
Christi*, id est idcirco quia in Christum
creditis, aut secundum ejus doctrinam præceptaque
vivitis, *beati eritis*, nunc in spe
et merito, deinde in re et præmio, dummodo
æquanimiter ex caritate sustineatis,
et usque in finem in bonis perseveretis.
Luc. VI, 22, 23. Hoc est quod Christus affirmat : Beati eritis
quum vos oderint homines, et quum
separaverint vos, et exprobraverint, et eje- D
cerint nomen vestrum tanquam malum,
propter Filium hominis. Gaudete in illa
hora : ecce enim merces vestra multa est
in cœlo. Hinc loquitur Augustinus : Socii
contumeliæ, erunt et socii gloriæ. Idcirco
nunc subditur :

*Quoniam quod est honoris, gloriæ et
virtutis Dei*, id est honor quem Deus retribuit
justis pro eorum actibus virtuosis
(nam honor debetur virtuti), et gloria seu
beatitudo quæ eorum meritis correspondet,
in quantum ex caritate procedunt, et
virtus seu constantia aut fortitudo qua
Deus suos in adversis confortat, *et qui est
ejus Spiritus*, id est Spiritus Sanctus, qui
est Spiritus Christi, sicut et Patris, quoniam
a Patre et Filio tanquam ex uno fonte
atque eodem principio est procedens,
quemadmodum Filius ait de Spiritu Sancto :
Ille me clarificabit, quia de meo *Joann.* XVI, 14.
accipiet. Paulus quoque fatetur : Si quis *Rom.* VIII, 9.
Spiritum Christi non habet, hic non est
ejus. *Super vos requiescit*, id est, in cordibus
vestris est unumquodque istorum.
Nam honor et gloria quæ in patria præstabuntur
electis fidelibus, sunt modo in eis
per inchoationem et spem ac meritum, et
radicaliter atque causaliter. Est item in
eis formaliter virtus a Deo infusa, et Dei
confortatio gratiosa. Sed et Spiritus Sanctus
in omni virtuoso, humili et quieto
quiescere perhibetur, prout apud Isaiam
loquitur Deus : Super quem requiescet *Cf. Is.* LXVI, 1, 2.
Spiritus meus, nisi super quietum et humilem?
— Potest et ita intelligi : Quod est
honoris, gloriæ et virtutis, id est, quod
Deus reputat honorabile, gloriosum et virtuosum,
seu triumphale, videlicet invicta
patientia in adversis, requiescit in vobis.
Requiescit etiam Spiritus Sanctus super
electos et justos, tanquam pius sessor et
ductor eorum, dirigens eos quomodo vult,
juxta illud : Justum deduxit Dominus per *Sap.* X, 10.
vias rectas. Propter quod loquitur Paulus :
Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi *Rom.* VIII, 14.
filii sunt Dei.

*Nemo autem vestrum patiatur ut homicida, 15
aut fur, aut maledicus*, id est convitiosa
verba in alium proferens, seu maledicens,
aut alienorum appetitor, id est
res aliorum auferre desiderans : hoc est,
nolite hæc aut consimilia vitia perpetrare,
nec per ea temporalem afflictionem et
mortem mereri : præsertim quia in primitiva
Ecclesia hoc fuisset valde derogativum
justorum fidelium, et causa derisionis
fidei christianæ a perfidis, blasphemationisque
Christi. Si tamen (quod absit) quis
vitia ista commiserit, debet debitam puni-

tionem pro eis patienter sufferre, ut in A
futuro misericordiam consequatur.
16 *Si autem ut Christianus*, id est, si pa-
titur quia in Christum credit et ei obedit,
non erubescat, quum non sit inhonestum
seu erubescibile, sed justum et honore
dignissimum, taliter pati. Ideo subditur :
glorificet autem Deum in isto nomine, id
est, Deum collaudet, et ei regratietur quod
ei concessit hanc gratiam, ut scilicet pro
justitia patiatur, et Christo sic conforme-
tur. Nam et in Christum credere, et bona
agere, ac pro justitia pati, dona sunt Dei, B
Philipp. I, 29. prout ad Philippenses asseritur : Vobis
donatum est pro Christo, non solum ut
credatis in eum, sed etiam ut pro illo pa-
17 tiamini. *Quoniam tempus est ut incipiat
judicium a domo Dei*, id est, in sæculo
isto electi et justi, qui sunt vera et viva
membra domus Dei, puta Ecclesiæ mili-
tantis, variis modis exercentur adversis,
secundum ordinationem occulti judicii Dei,
qui interdum per angelos sanctos castigat
electos, interdum permittit eos a pravis
hominibus atque dæmonibus flagellari si- C
ve occidi. In primitiva quoque Ecclesia
tempus fuit persecutionis gravissimæ Chri-
stianorum, qui ab impiis morti adjudica-
bantur quotidie et trucidabantur. Propter
Joann. XVI, 2. quod ait Salvator : Venit hora, ut omnis
qui interficit vos, arbitretur obsequium se
Apoc. III, 19. præstare Deo; et alibi, Ego (inquit) quos
amo, arguo et castigo. Per Ezechielem
Ezech. IX, 6. etiam loquitur Dominus : A sanctuario
meo incipite percutere.
Si autem primum a nobis, id est, si
justi, fideles, electi in primis ita quotidie D
patiuntur adversa, et dijudicantur ab im-
piis ; *quis finis eorum qui non credunt
Dei Evangelio?* id est, qualis et quanta
erit incredulorum et reproborum damna-
Job XXI, 9. tio, super quos non est virga Dei in vita
præsenti, sed eorum vita est impunita ne-
Prov. II, 14. quitia, et lætantur quum malefecerint ?
quasi dicat : Valde dura erit illorum pu-
nitio in futuro, et quanto nunc diutius
tolerantur, tanto tunc gravius damnabun-
Joann. III, 18. tur. Unde in Joanne legitur : Qui non cre-
dit, jam judicatus est, quia non credit in
nomine unigeniti Filii Dei. Hinc secunda
ad Thessalonicenses habetur : Gloriamur II Thess. I, 4-10.
pro patientia vestra in omnibus persecu-
tionibus quas sustinetis in exemplum ju-
sti judicii Dei : si tamen justum est apud
Deum, retribuere tribulationem his qui
vos tribulant, in revelatione Domini Jesu
Christi de cœlo, cum angelis, in flamma
ignis dantis vindictam his qui non obedi-
unt Evangelio, qui pœnas dabunt in in-
teritu æternas a facie Domini, et a gloria
virtutis ejus, quum venerit glorificari in
Sanctis suis.
Denique ex his sumitur evidens argu-
mentum veritatis fidei christianæ. Vide-
mus enim homines pessimos sanitate et
prosperitate usque ad senectutem potiri,
homines vero timoratos, justos ac devo-
tissimos, omni tempore tribulationibus et
adversitatibus exerceri. Si ergo non est
vita post præsentem alia, in qua fiat re-
tributio justa, ubi est justitia Dei, aut pro-
videntia ejus ? Hanc rationem tangit Salo-
mon in Ecclesiaste, ubi ait : Peccator ex Eccle. VIII, 12.
eo quod centies peccat, et per patientiam
sustentatur, ego cognovi quod erit bonum
timentibus Deum, qui quærunt faciem
ejus. De qua re subtilissime fatur, dispu-
tatque Psalmista, dicendo : Dixerunt, Quo- Ps. LXXII, 11, 12.
modo scit Deus ? et, Si est scientia in Ex-
celso ? Ecce ipsi peccatores et abundantes
in sæculo obtinuerunt divitias. Deinde sub-
dit in persona viri justi fidelis : Et dixi, Ibid. 13.
Ergo sine causa justificavi cor meum, et
lavi inter innocentes manus meas. Tan-
quam dicat : Si iniqui sic prosperabun-
tur, nec judicabuntur a Deo, ergo inaniter
juste innocenterque vixi. Quod quam ab-
surdum sit dicere, innuit subdens : Si Ibid. 15.
dicebam, Narrabo sic : ecce nationem fili-
orum tuorum reprobavi, etc. Et alia mul-
ta profunda addit de isto ibidem.
Et si justus vix salvabitur, id est, diffi- 18
culter ad salutem pertinget finaliter, quum
arcta sit via salutis, atque per multas tri- Matth. VII, 14.
bulationes oporteat nos salvari, difficile Act. XIV, 21.
quoque sit perseverare usque in finem,

hostiumque evadere laqueos, et vincere
tentationes, quæ et in extremis acrius sæ-
viunt; *impius,* id est infidelis, *et pecca-
tor,* id est malus Christianus, *ubi pare-
bunt?* id est, quo modo a vultu Dei et a
rigore sui judicii se abscondere poterunt?
Matth. xxv, 41. Parebunt utique in judicio a sinistris, sed
in malum ipsorum, et mallent non appa-
rere. Et statim in lacum projicientur tar-
tareum, ubi manebunt in æternum abs-
conditi. — Porro, ut asserit Beda, hanc
sententiam princeps Apostolorum ex Pro-
verbiis Salomonis, secundum antiquam
translationem, accepit. Pro quo S. Hiero-
Prov. xi, 31. nymus transtulit : Si justus in terra re-
cipit, quanto magis impius et peccator?
hoc est, si justus in præsenti vita affli-
gitur, quanto magis iniqui qui hic non
castigantur, nec emendantur, post vitam
hanc damnabuntur?

Matth. x, 22. Verumtamen certum est justos usque
in finem perseverantes salvari. Idcirco
quod ait, Si justus vix salvabitur, accipi
potest per modum hyperbolicæ locutionis,
qua aliquid dicitur per excessum, ad de-
signandum magnitudinem rei insolitam.
Sicque per verba ista insinuatur quam
difficile sit hominem mortalem salvari :
Prov. xxi, 1. non ex parte omnipotentis Dei, in cujus
manu sunt omnium corda, et quocumque
voluerit, vertit ea absque omni difficultate
ex parte sua, quum infinitæ virtuti om-
nia sint æque facilia; sed ex humana fra-
gilitate, et multitudine ac magnitudine
impugnationum atque tentationum oritur
difficultas. Et quamvis Deus in hominis
salvatione præsupponit liberum arbitri-
um, quod non cogitur, non tamen ex par-
te Dei est difficultas, ut aliqui somniant :
A quoniam Deus omnipotens superfacile,
quando vult, infundit gratiam quamdam,
quæ omnem cordis duritiam obicemque
repellit ac tollit, ut sanctus loquitur Au-
gustinus, et Thomas in Summa contra gen-
tiles allegat.

Quum igitur justus vix salvetur, ob ri-
gorem divini judicii, in quo quæ homini
justa videntur, sæpe injusta reperiuntur,
congrue subditur : *Itaque et hi qui pati-* 19
untur secundum voluntatem Dei, id est,
pro justitia patiuntur adversa pie, æqua-
B nimiter et constanter, secundum quod
complacet Deo, vel etiam correptiones et
correctiones pro suis peccatis modo li-
benter suscipiunt, *fideli Creatori commen-
dant animas suas,* id est, se ipsos Deo
humiliter fiducialiterque committunt, non
præsumendo de propriis viribus aut me-
ritis, sed Deo omne bonum attribuentes,
cujus dona sunt merita nostra. Idcirco
subjungitur : *in benefactis,* id est in vir-
tuosis suis operibus, quæ cupiunt pie ac-
ceptari a Deo, in quo totam suam figunt
C fiduciam, ejus subventioni, conservationi,
protectioni jugiter inhærentes. De quo ad
Corinthios loquitur Paulus : Fidelis Deus, I *Cor.* x, 13.
qui non patietur vos tentari supra id quod
potestis, sed faciet etiam cum tentatione
proventum. Dicitur autem Deus fidelis, a
fidelitate quæ est pars justitiæ, quia fide-
libus suis servat fidelitatem, prout in Scri-
pturis testatur. Propter quod ait Prophe-
ta : Fidelis Deus in omnibus verbis suis. *Ps.* cxliv, 13.
De quo in Deuteronomio scribitur : Deus *Deut.* vii, 9.
fortis et fidelis, custodiens pactum et mi-
D sericordiam diligentibus se. Non autem
vocatur fidelis, a fide quæ est theologica
virtus, quæ ei non convenit.

ARTICULUS IX

EXPLANATIO CAPITULI QUINTI : SENIORES ERGO QUI IN VOBIS SUNT.

INTRODUCTIS documentis ac jussioni-
bus, ad quosdam specialiter pertinenti-
bus, scilicet ad conjugatos ac servos, nunc
specialiter instruit prælatos ac subditos.
1 *Seniores ergo qui in vobis sunt,* id est ma-
jores, videlicet prælatos et aliorum instru-
ctores, sive presbyteros : qui in primitiva
Ecclesia communiter etiam corporali æta-
te fuerant seniores ; *obsecro, consenior,*
quia officio et senio consors, *et testis Chri-
sti passionum,* id est testificator suppli-
ciorum quæ pro nobis sustinuit Christus :
quæ partim propriis oculis vidi, idcirco
de eis possum testari. Hinc ait Christus
Joann. XV, 27. Apostolis : Vos testimonium perhibebitis,
quia ab initio mecum estis. *Et ejus, quæ
in futuro revelanda est, gloriæ communi-
cator,* id est annuntiator seu prædicator
felicitatis ac gloriæ sempiternæ, in futu-
ro sæculo electis propalandæ et dandæ :
quam instrumentaliter vobis communico,
ad ejus adeptionem vobis cooperando meis
prædicationibus, orationibus, meritis et
exemplis. Vel dicitur sanctissimus Petrus
communicator gloriæ Christi, quia in mon-
Matth. XVII, 1 *et seq.* te Thabor interfuit transfigurationi ipsius,
in qua vultus Christi instar solis resplen-
duit, et qualis nunc est in cœlo empyreo,
qualis etiam apparebit in judicio, de-
monstravit. Vidit quoque Christum post
resurrectionem, et ascendentem in cœlum
conspexit.

2 *Pascite qui in vobis est gregem Dei :*
id est, unusquisque vestrum plebem si-
bi commissam diligenter spiritualibus ali-
moniis nutriat, utpote sapientia quæ est
cognitio divinorum, et scientia quæ est
rerum notitia creatarum, vel morali peri-
tia. Pascenda est quoque plebs virtutum
exemplis, fama laudabili, oratione assidua,
A prædicatione continua, ecclesiasticis sa-
cramentis. De talibus pastoribus loquitur
Dominus per Jeremiam : Dabo vobis pa- *Jer.* III, 15.
stores juxta cor meum ; et pascent vos sci-
entia et doctrina. Paulus quoque in Acti-
bus episcopis loquitur : Attendite vobis et *Act.* XX, 28.
universo gregi in quo vos Spiritus San-
ctus posuit episcopos, regere Ecclesiam.
Præterea dulce fuit in ore sanctissimi Pe-
tri verbum hoc, Pascite, quoniam Christus
dixerat ei : Pasce agnos meos. Et sicut *Joann.* XXI,
Christus præfecit Petrum universali Eccle- 15, 16.
B siæ et populo universo, sic Petrus fuit sol-
licitus pro totius salute Ecclesiæ, hortando
tum inferiores, tum prælatos, ut unusquis-
que digne exsequatur suum officium.

Providentes, id est salubria procuran-
tes subditis vestris, et provide vos haben-
tes ad illos, futura pericula præcavendo
pro posse, *non coacte, sed spontanee,* id
est caritative et libere, non ex necessita-
te, aut sola indigentia rei terrenæ. Coacte
enim hæc agit, qui aliunde non habens
quo sustentetur, propter temporale com-
C modum dumtaxat populo prædicat, ac spi-
ritualia alimenta impendit. Hinc loquitur
Paulus : Si volens hoc ago, mercedem ha- *I Cor.* IX, 17.
beo ; si autem invitus, dispensatio mihi
credita est. Providendum est ergo spon-
tanee, *secundum Deum,* id est recta in-
tentione ad Dei honorem propter vestram
ac subditorum salutem. *Neque turpis lu-
cri gratia,* non intuitu proprii quæstus,
sed voluntarie, propter commodum spiri-
tuale. *Neque ut dominantes in clero,* id 3
est non ex fastu superbiæ, sed ex humi-
D litate. Nempe prælati qui ex consideratio-
ne suæ dignitatis seu præsidentiæ extol-
luntur, et pompatice jubent, atque faciliter
indignantur, ac subditos spernunt, hi ta-

les sunt ut dominantes in clero : qui magis proprium quam Dei honorem respiciunt, nec curant de Dei inhonoratione, dummodo ipsi a subditis honorentur. Non enim habent sincerum zelum justitiæ, sed ad se ipsos vitiose reflexi sunt. Et istud prohibuit Christus in Cœna novissima,
Luc. XXII, 24-26. quia apud Lucam habetur : Quum facta fuisset inter discipulos contentio, quis eorum videretur esse major, respondit Salvator : Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic; sed qui major est in vobis, fiat sicut junior, et qui præcessor est, sicut ministrator.

Denique duplex est dominium : Unum ordinatum, videlicet dignitas principatus, sive prælatio ad inferiorum profectum relata. Et istud dominium competit præsidentibus, sicque domini possunt vocari.
Num. XI, 28. Unde et Josue dixit : Domine mi Moy-
Exod. XXXII, 22. ses, prohibe eos; et Aaron ad Moysen, Ne indignetur, inquit, dominus meus : cui et
Num. XXXII, 25. tribus Ruben et Gad loquebantur, Servi tui sumus. Sic et S. Clemens vocavit beatissimum Petrum dominum suum, ut in Itinerario Clementis habetur. Et filii Is-
Judic. VIII, 22. rael dixerunt ad Gedeonem : Dominare tu nostri. In Actibus quoque Apostolorum cu-
Act. XVI, 30. stos carceris dixit Paulo atque Silæ : Domini, quid me oportet facere, ut salvus fiam? Sic et Anselmus in epistola de incarnatione Verbi, scribit Romano Pontifici : Domino et patri universæ Ecclesiæ peregrinantis in terra. — Aliud est dominium inordinatum, utpote præsidentia ad proprium commodum ex fastu relata : quæ prælatis atque principibus prohibetur, quum in Deuteronomio Dominus di-
Deut. XVII, 20. cat de rege : Non elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram vel sinistram. In Ec-
Eccli. XXXII, 1, 2. clesiastico quoque habetur : Rectorem te posuerunt? Noli extolli; esto in illis quasi unus ex eis; curam illorum habe, et ita considera. De hac re multa scribit Bernardus in libro de Consideratione. — Per hanc quoque distinctionem multa verba Sanctorum ad invicem concordantur, quæ

A inter se repugnantiam quamdam habere videntur.

Præterea, quia ordinatum dominium, et recta prælatio, non ad proprium commodum seu honorem, sed ad subditorum utilitatem refertur, idcirco prælationes et dignitates ecclesiasticæ, servitutes vocantur; et ipsi qui præsunt, servos se veraciter reputant eorum qui suæ gubernationi commissi sunt. Unde et Pontifex summus appellat se servum servorum Dei. Propterea prælati et principes debent tanto humilio-
B res, timoratiores et custoditiores consistere, quanto pluribus præsident, utpote districtius judicandi, atque pro pluribus rationem daturi.

Sed forma facti gregis, id est gregi vobis credito exemplares effecti. Nempe, quum unusquisque debeat proximorum scandala devitare, eosque ædificare, dicente Apostolo, Quæ ædificationis sunt, in- *Rom.* XIV, 19.
vicem custodiamus ; et item, Hoc judicate, ne ponatis fratri offendiculum vel *Ibid.* 13.
scandalum : multo magis ista ad præla-
C tos superioresque pertinent, qui ex officio specialiter obligantur subditos a vitiis expurgare, et ad virtutes inducere. Propter quod Timotheo antistiti præcipit Paulus :
Esto exemplum fidelium in verbo, in con- *I Tim.* IV, 12.
versatione, in caritate; et rursus : Solli- *II Tim.* II, 15.
cite cura te ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis. Tito quoque ar-
chiepiscopo scribens : In omnibus, in- *Tit.* II, 7.
quit, te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gra-
D vitate. Teste quippe Gregorio : Quum pastor per abrupta graditur, grex ejus in præcipitium labitur; et cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur. Ex virtuosa siquidem et exemplari conversatione ac informatione superiorum, in tantum dependent profectus et salus inferiorum, ut per Jeremiam Dominus pro-
testetur : Quoniam stulte egerunt pasto- *Jer.* X, 21.
res, et Dominum non exquisierunt, propterea omnis grex eorum dissipatus est.
In Ecclesiastico etiam dicitur : Secundum *Eccli.* X, 2.

judicem populi, sic et ministri ejus ; et qualis est rector civitatis, tales et inhabitantes in ea. Væ ergo, et væ æternum atque gravissimum præsidentibus, vitam carnalem, negligentem, scandalosam ducentibus, quoniam universa subditorum peccata in eos redundant.

Et *ex animo*, id est, integro corde, prompto affectu, recta intentione, firmo proposito, pastorale officium adimplete, cum omni diligentia et fervore, quum hi vobis commissi sint pro quibus sanguinem suum Dei Filius fudit, qui his quorum negligentiis et vitiis tam pretiosissime a se redemptos amisit, implacabiliter et supergravissime irascetur, juxta illud Sapientiæ : *Sap.* VI, 6, 4. Cito et horrende apparebit vobis Altissimus, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes vestras scrutabitur.

4 *Et quum apparuerit princeps pastorum*, videlicet Christus, qui est princeps pastorum supremus et principalis. Romanus vero Pontifex, est princeps pastorum et totius universalis militantis Ecclesiæ prælatus ac præsul vicarialis. *Percipietis immarcescibilem gloriæ coronam*, id est æternam et indeficientem felicitatis remunerationem, beatitudinis bravium, salutis triumphum. Apparebit autem Christus, non solum in finali judicio, sed in particulari quoque judicio singulorum, quos suo sisti præcipit tribunali. Propter quod ait : *Matth.* XXV, 13. Vigilate, quia nescitis diem neque horam. Quemadmodum autem gravissima est negligentium carnaliumque pastorum damnatio; sic fidelium, diligentium, exemplariumque præsidentium copiosissima erit felicitas, et præmium inæstimabiliter gloriosum : quia non solum pro suis actibus virtuosis, sed pro subditorum etiam meritis coronabuntur. Propter quod ad Thessalonicenses loquitur Paulus : *I Thess.* II, 19. Quæ est enim spes nostra, aut gaudium, aut corona gloriæ? nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum, in adventu ejus?

5 *Similiter, adolescentes, subditi estote senioribus*, id est, superioribus vestris obedite, quomodo eis præcepi vobis præesse, A videlicet non coacte, sed spontanee, secundum Deum, sincera intentione et ex animo, quemadmodum ad Hebræos dicitur : Obedite præpositis vestris, et subjacete eis : *Hebr.* XIII, 17. ipsi enim pervigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes. Subditi itaque circa suos superiores habere se debent reverenter, obedienter, pacifice et amorose. Hinc ad Thessalonicenses loquitur Paulus : Rogamus vos, fratres, *I Thess.* V, 12, 13. ut noveritis eos qui laborant inter vos, et B præsunt vobis in Domino, et monent vos, ut habeatis illos abundantius in caritate propter opus illorum; et pacem habete cum eis. Etenim, quam salubre sit superioribus obedire, quam item damnabile sit eis non obedire, Christus breviter pandit, dicendo suis vicariis, utpote his qui præsunt : Qui vos audit, me audit; et qui *Luc.* X, 16. vos spernit, me spernit. Nec solum senioribus præsidentibus, sed et omnibus senioribus aliquis honor debetur. Propter quod in Levitico scriptum est : Coram ca- *Lev.* XIX, 32. C no capite consurge, et honora personam senis; et in Ecclesiastico habetur, In mul- *Eccli.* VI, 35. titudine presbyterorum prudentium sta, et sapientiæ illorum ex corde conjungere. In antiquis namque est sapientia, et in multo tempore prudentia, ut in libro Job fertur. *Job* XII, 12.

Omnes autem invicem humilitatem insinuate, id est, unusquisque circa alterum se gerat humiliter. Nec subditi tantum humiliter pareant, sed prælati quoque humiliter præsint. Nec solum verbis, sed et exemplis in humilitate instruant sibi com- D missos, quum in Ecclesiastico scriptum sit : Quanto magnus es, humilia te in om- *Eccli.* III, 20, 21. nibus, et coram Deo invenies gratiam, quoniam ab humilibus honoratur. Et Christus testatur : Nisi conversi fueritis, et ef- *Matth.* XVIII, 3. ficiamini sicut parvuli, id est humiles, non intrabitis in regnum cœlorum. Subditi ergo circa superiores suos, tanquam circa Dei vicarios, suos patres, judices ac dominos, humilitatem demonstrent. Superiores vero circa inferiores, tanquam circa Christi membra, adoptionisque Dei filios,

Christi sanguine liberatos, summæ Trini- A
tatis imagine insignitos, se humiliter habe-
ant. Denique, quamvis prælatus sit major
ecclesiastica dignitate, pie tamen putare
habet quod subditi sui, vel saltem qui-
dam eorum, majores sint eo caritate et
gratia ac perfectione virtutum : quod mul-
to salubrius est. Ideo circa eos se humi-
liter gerat, et se eis viliorem arbitretur,
salvo tamen disciplinæ vigore ac strenua
pastoralis officii exsecutione. Hinc loqui-
Rom. XII, 10. tur Paulus : Honore invicem prævenien-
Philipp. II, 3. tes ; et denuo, Per humilitatem sibi in- B
vicem superiores arbitrantes. *Quia Deus*
superbis resistit, humilibus autem dat gra-
Jacob. IV, 6. *tiam* : quod super Jacobi Canonicam ex-
positum est. Et est verbum hoc omnibus
nobis semper valde pensandum, quum
tanti sit ponderis ut tam princeps Apo-
stolorum, quam frater Domini Jacobus, il-
lud in suis allegent epistolis. Quod quum
ita sit, merito subditur :
6 *Humiliamini igitur sub potenti manu*
Esther XIII, 9. *Dei*, id est, sub omnipotente Deo, cui
nullus valet resistere, humiliter incedite, C
defectuositates vestras perpendite, in eo
confidite, ejus misericordiam jugiter im-
plorate, ei in omni humilitate servite, om-
nem arrogantiæ tumorem jugiter abhorren-
tes, *ut vos exaltet*, id est, in regno æternæ
beatitudinis collocet, *in tempore visitatio-*
nis, id est in hora judicii vestri particula-
ris, quantum ad animam; in hora quoque
universalis judicii, quoad corpus et ani-
mam. Sicque exaltatio ista loco et digni-
tate, statu et gradu excellentior est, quum
fiat de terra super cœlos, de imperfectio- D
ne ad perfectionem, de mortalitate ad im-
mortalitatem, de peregrinatione et exsilio
ad felicitatem ac patriam. Hinc ait Salva-
Luc. XIV, 11; XVIII, 14. tor : Qui se humiliat, exaltabitur ; et qui
se exaltat, humiliabitur. Quod etiam in
Proverbiis expressit Salomon, loquens :
Prov. XXIX, 23. Superbum sequitur humilitas, et humilem
spiritu suscipiet gloria. Unde et rursus in
Ibid. XV, 33. Proverbiis contestatur : Gloriam præcedit
Job XXII, 29. humilitas. In Job quoque asseritur : Qui
humiliatus fuerit, erit in gloria.

Omnem sollicitudinem vestram proji- 7
cientes in eum, id est Deo committentes,
quoniam ipsi cura, id est providentia, *est*
de vobis. Hoc sumptum videtur ex illo
Psalmistæ versiculo : Jacta super Domi- *Ps.* LIV, 23.
num curam tuam, et ipse te enutriet. Hoc
est quod ait Salvator : Nolite solliciti esse, *Matth.* VI, 31-33.
dicentes, Quid manducabimus, aut quid
bibemus, aut quo operiemur ? Scit enim
Pater vester cœlestis, quia his omnibus
indigetis. Quærite ergo primum regnum
Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adji-
cientur vobis. Unde et Paulus : Nihil, ait, *Philipp.* IV, 6.
solliciti sitis.
Verumtamen ita non sunt hæc intelli-
genda, quasi homo debeat negligere sive
omittere quod in se est, quum hoc esset
Deum tentare; sed ideo dicta sunt, ut in
Deo quasi in piissimo ac sapientissimo pa-
tre ac domino confidamus, atque per ejus
opem ac providentiam necessaria vitæ con-
sequi nunc speremus, non immoderatam,
sed moderatam curam, conatum et di-
ligentiam apponentes. Quæ cura dicitur
moderata, quando non est mentis per-
turbativa, angustiativa ac impeditiva de-
votionis. Immoderata vero, ex opposito
prohibetur. Immoderata enim sollicitudo,
diffidentiæ filia est, quoniam venit ex hoc
quod homo non satis confidit in Deo, nec
providentiæ ejus innititur. Denique du-
plex est sollicitudo, videlicet : spiritualis,
quæ est pro vitiis repellendis virtutibus-
que adipiscendis. Quæ commendatur, juxta
illud Deuteronomii : Custodi temetipsum *Deut.* IV, 9.
et animam tuam sollicite ; et illud Mi-
chææ : Indicabo tibi quid sit bonum : *Mich.* VI, 8.
utique sollicitum ambulare cum Deo tuo.
Alia est sollicitudo temporalis, quæ est
circa terrena acquirenda aut conservanda
seu dispensanda. Et ista est duplex, ut ta-
ctum est, utpote : moderata, de qua lo-
quitur Paulus, Sollicitus fui hoc ipsum *Galat.* II, 10.
facere, puta, eleemosynas congregare pro
sanctis pauperibus qui in Jerusalem erant;
et immoderata, de qua in Proverbiis legi-
tur, Exspectatio sollicitorum peribit. *Prov.* XI, 7.
Est demum specialiter Deo cura seu

providentia de hominibus, præsertim fidelibus, et maxime de electis : quorum Ps. LXXII, 24. quilibet dicere potest Deo, Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me.

8 *Sobrii estote,* in cibo, potu, somno, et ceteris corpori necessariis moderamen servantes, sicut ait Salvator : Luc. XXI, 34. Non graventur corda vestra crapula, vel ebrietate, aut curis hujus sæculi. Ibid. VI, 25. Qui iterum ait : Væ vobis qui saturati estis. *Et vigilate,* id est, virtuosis operibus diligenter intenti sitis. Non enim dormientibus, et otio desidiaque torpentibus, provenit regnum cœlorum, sed sollicite ambulantibus coram Deo. Jer. XLVIII, 10. Imo maledictus qui facit opus Dei negligenter. Vigilandum est quoque, ut quantum rationabiliter fieri potest, abstrahamus nobis de somno, et paucas horas dormitioni indulgeamus, quatenus plus de tempore in virtuosis operibus expendamus, quum in Prov. XIX, 15. Proverbiis Salomon dicat : Pigredo immittit soporem ; Ibid. XXVI, 14. et rursus, Sicut ostium vertitur in cardine suo, sic piger in lectulo ; Ibid. VI, 9. itemque, Usquequo, piger, dormies ? In Eccli. XXXI, 1. Ecclesiastico quoque habetur : Vigilia honestatis tabefaciet carnes, et cogitatus illius auferet somnum. Et certe vehementissima ac copiosissima ratio nobis est taliter vigilandi. Nam subditur : *quia adversarius vester diabolus,* qui est atrocissimus, implacabilis et infatigabilis hostis noster, *tanquam leo rugiens,* id est crudeliter, *circuit* homines (prout ait in libro Job I, 7; II, 2. Job : Circuivi terram et perambulavi eam), *quærens quem devoret,* id est, spiritualiter necet, et sibi incorporet, atque infernali ergastulo ingerat absorbendum. Dum enim ad mortale vitium pertrahit hominem, spiritualiter perimit eum, facitque eum membrum ac vernam suum.

9 *Cui resistite fortes in fide.* Fides namque est propugnaculum Christianorum contra universas insidias dæmonum. Propter quod Ephes. VI, 16. ad Ephesios fertur : In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere. Et in S. Joannis Canonica legitur : I Joann. V, 4. Hæc est victoria A quæ vincit mundum, fides nostra. Fides namque est fundamentum virtutum, præcipuique vigoris, ac magni meriti apud Deum. Propter quod in Evangelio loquitur Christus : Matth. IX, 29. Secundum fidem vestram fiat vobis ; et, Marc. IX, 22. Omnia possibilia sunt credenti ; et, Ibid. V, 34; X, 52. Fides tua te salvum fecit. Quæ de fide formata sunt accipienda. Insuper, diabolo resistere semper debemus, nos ipsos in omnibus humiliando, in Deo plenarie confidendo, et gratiosam adsistentiam indefesse rogando, dominicam passionem intime B atque assidue revolvendo, considerando quoque quatuor novissima, et invocando Virginem gloriosam, angelos sanctos, et Sanctos ad quos majorem habemus devotionem, quilibet etiam angelum sui custodem. *Scientes eamdem passionem ei quæ in mundo est, vestræ fraternitati fieri,* id est, hoc cognoscentes, quod passio, tribulatio sive tentatio quæ vobis infligitur ab invisibilibus seu visibilibus hostibus, etiam ubique terrarum infligitur Christianis seu toti Ecclesiæ : quoniam omnes qui II Tim. III, 12. C volunt pie vivere in Christo, persecutionem patiuntur. Ideo non putetis vobis aliquid insolitum evenire : imo erubescite, si præ ceteris tentationibus tribulationibusque victi fueritis.

Circa verba inducta scribit doctor, præsul et martyr gloriosus, S. Cyprianus, qui in Decreto inter doctores catholicos primus exprimitur : Circuit (diabolus) nos singulos, et tanquam hostis clausos obsidens muros, explorat et tentat an sit aliqua pars membrorum minus stabilis et D minus fida, cujus aditu ad interiora penetretur. Offert oculis formas illicitas et faciles voluptates, ut visu destruat castitatem ; aures per canoram musicam tentat, ut soni dulcioris auditu solvat et emolliat Christiani vigorem ; linguam ad convitium provocat ; manum, injuriis lacessentibus, ad petulantiam cædis instigat. Ut fraudatorem faciat, lucra opponit injusta ; ut animam pecunia capiat, ingerit perniciosa compendia. Honores terrenos promittit, ut cœlestes adimat ; ostentat falsa, ut vera

subripiat. Et quum latenter non potest fallere, exserte atque aperte minatur, terrorem turbidæ persecutionis intentans. Ad debellandos Dei servos inquietus semper, et semper infestus; in pace subdolus, in persecutione violentus. Quamobrem, fratres dilectissimi, contra omnes diaboli vel fallaces insidias, vel apertas minas, stare debet instructus animus et armatus, tam paratus semper ad repugnandum, quam est ad impugnandum semper paratus inimicus.

Consequenter princeps Apostolorum animat, firmat, et consolatur eos quibus scripsit, ex spe atque intuitu pietatis divinæ.
10 *Deus autem omnis gratiæ,* id est, a quo gratia omnis procedit, *qui* per inspirationem internam, et prædicationem externam, atque miracula, *vocavit vos in æternam gloriam suam,* id est, ad perpetuam felicitatem vos invitavit, virtuosaque opera, quibus illam promeruistis, vobis lar-
Is. xxvi, 12. gitus est (juxta illud Isaiæ : Omnia opera nostra operatus es in nobis), *in Christo Jesu modicum passos,* id est propter Christum et secundum ejus doctrinam pauca
Rom. viii, 18. perpessos : quia non sunt condignæ passiones hujus temporis, ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Unde et
II Cor. iv, 17. Paulus : Id, inquit, quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ. Siquidem quæcumque et quantumcumque quis patiatur in sæculo isto pro Christo, nullius quasi momenti est respectu eorum quæ pro nobis passus est Filius Dei. Pro quo si quotidie millies moreremur, adhuc permodicum esset, propter incomparabilem dignitatem ipsius, passionisque ejus : quia ut Climacus loquitur, aliud est sanguis Dei, aliud est sanguis servorum. Permodicum quoque est, comparatione æternæ felicitatis : quæ talis ac tanta est, quod pro ea uno die obtinenda, mille annorum labores non essent condigni. *Ipse perficiet* in vobis quod incepit, *confirmabit* in via per gratiam, *solidabitque* in patria per gloriam. Vel : Ipse perficiet intellectum vestrum rationibus

A credendorum, et purificatæ mentis intelligentia; confirmabit voluntatem per caritatis fervorem, ut neque mors, neque Rom. viii, 38, 39.
vita poterit vos separare a Deo; solidabitque memoriam, ut fixa et stabilis sit in
Deo, nec undique evagetur. *Ipsi gloria et* 11
imperium in sæcula sæculorum, Amen, sicut in præcedenti capitulo est expositum. I Petr. iv, 11.

Deinde Archiapostolus certificat eos quibus scripsit, hanc epistolam vere ab ipso editam ac transmissam. In primitiva nam-
B que Ecclesia pseudoapostoli interim sub persona et nomine verorum Apostolorum aliqua conscripserunt et direxerunt. Propter quod ad Thessalonicenses loquitur Paulus : Nemo vos seducat, neque per epi- II Thess. ii, 2, 3.
stolam, tanquam per nos missam. In fine quoque ad Thessalonicenses epistolæ dicitur : Salutatio mea manu Pauli : quod Ibid. iii, 17.
signum in omni epistola ita scribo. Subditur ergo : *Per Silvanum fidelem fra-* 12
trem vobis, ut arbitror, id est, quem pro vestra salute sollicitum judico seu confi-
C do, *breviter scripsi* vobis, id est, compendiosam istam vobis direxi epistolam : quæ brevis est verbis, sententiis vero diffusa, mirabiliterque præclara.

Quis fuerit iste Silvanus, nec Beda, nec Albertus, nec alius quispiam expositorum quos legi, exprimit in hoc loco. Porro Paulus apostolus in ambabus ad Thessa- I Thess. i, 1; II Thess. i, 1.
lonicenses epistolis exprimit et annumerat sibi in salutatione Silvanum. Et ibi dicunt expositores, quod ille Silvanus fuerit Silas, de cujus excellentia atque virtutibus
D multa in Actibus Apostolorum leguntur : quia inter cetera dicitur, quod ipse et Ju- Act. xv, 22, 32.
das, qui cum Paulo et Barnaba ab Apostolis a Jerusalem Antiochiam missi sunt, fuerunt viri primi in fratribus, et prophetæ; deinde, quod Paulus secum assumpsit Silam, qui cum Paulo varias persecutiones Ibid. 40; xvi, 19 et seq.
perpessus est, et fortiter prædicavit : propter quod meruit apostolus appellari. Itaque, an iste Silvanus fuerit idem ille Silvanus, certum non habeo, præsertim quia (ut asserit Beda, et paulo post tangetur)

ista epistola scripta et missa est tempore A Claudii imperatoris : quo tempore Silam Romæ fuisse non constat. Imo tunc potius videtur fuisse cum Paulo, nisi dicatur ad tempus Romam profectus. Certum est tamen, hunc Silvanum sanctum virum fuisse.

Itaque, per hunc scripsi, *obsecrans,* id est, ad observanda quæ scripsi, per sacra vos rogans magis quam jubens. Unde su-
I Petr. II, 11. perius : Obsecro, inquit, vos tanquam peregrinos et advenas. *Et contestans hanc esse veram gratiam Dei, in qua statis,* id B est, mente ad Deum erecti estis, ita quod estis vere in caritate et gratia gratum faciente, atque in fide catholica. Quod Deo revelante, princeps Apostolorum cognovit certitudinaliter, aut aliunde per evidentia signa scivit hoc multum probabiliter, vel cognovit illud de eis in generali, quamvis
Rom. I, 7; I Cor. I, 2; etc. non ita in particulari. Hinc et Paulus eos quibus scripsit, sæpe appellavit sanctos.

13 *Salutat vos Ecclesia,* id est, plebs christiana salutem vobis optat, orat et dicit, *quæ est in Babylone,* id est in Roma, se- C cundum expositores concorditer. Romam quippe nominat Babylonem : Primo, propter nominis interpretationem, quoniam Babylon interpretatur confusio, et in Roma fuit vitiorum omniumque idololatriarum ingens confusio. Omnium enim deorum colebant Romani portenta. Atque, ut asserit Leo Papa, magnam sibi Roma videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuerat falsitatem. Secundo, propter conformitatem ejus cum Babylone. Quemadmodum enim Babylon illa Chaldaica fuit D suo tempore urbs possidens monarchiam, et magna valde ac idolis plena, in qua pauca congregatio fuit Israeliticæ plebis, illuc translata : sic Roma tempore conscriptionis hujus epistolæ, fuit metropolis mundi, civitasque monarchica idololatriis plena, in qua adhuc modica fuit Ecclesia. De qua subjungitur : *coelecta,* vel, ut alii qui textus habent, *collecta.* Fuit enim instar aliarum Ecclesiarum particularium, simul cum eis Deo electa : quæ et per fidem ac caritatem fuit collecta, unumque in Deo effecta. *Et Marcus filius meus.* Iste est Marcus evangelista, baptizatus a beatissimo Petro, et instructus ab eo. Ex hoc loco elicit Beda, quod Archiapostolus hanc scripsit epistolam antequam misit Marcum ad Alexandriam, utpote Claudio imperante, sub cujus imperio beatissimus Petrus et Marcus Romam venerunt.

Salutate invicem in osculo sancto. Hoc 14
in suis epistolis sæpe scripsit et Paulus. Rom. XVI, 16; I Cor. XVI, 20; II Cor. XIII, 12; I Thess. V, 26.
Fuit siquidem in primitiva Ecclesia, caritate adhuc abundante ac superfluente, consuetudo, quod fideles se invicem cum osculo receperunt ac salutaverunt, quia et Christus suos discipulos sic osculari solitus fuit. Unde et proditor : Quemcumque, Matth. XXVI, 48. inquit, osculatus fuero, ipse est. Itaque, Salutate in osculo sancto, spirituali, caritativo, pacifico ; non carnali, blando, fallaci, iniquo, quemadmodum Joab osculatus II Reg. XX, 9; Matth. XXVI, 49; III Reg. XI, 1, 2. est Amasam, proditor Salvatorem, Salomon alienigenas mulieres. Quidam vero sub specie osculi spiritualis, suam palliant carnalitatem, et osculo utuntur carnali : quod prorsus cavendum est.

Gratia vobis omnibus sit, *qui estis in Christo Jesu,** id est, ei per fidem et caritatem estis uniti et incorporati, quemad- * [Amen]
modum ipse Joannes fatetur : Omnes unum Joann. XVII, 21. sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint. Sed quum isti essent in gratia, sicut jam paulo superius dixit, Contestans hanc esse veram vers. 12. gratiam in qua statis : cur eis nunc gratiam imprecatur? Sed respondendum, quod gratiam communicantem et consummantem eis exoptat, atque assiduum divinorum charismatum incrementum. Ad laudem et gloriam Omnipotentis, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

ENARRATIO

IN EPISTOLAM SECUNDAM

BEATI PETRI

ARTICULUS PRIMUS

ENARRATIO CAPITULI PRIMI : SIMON PETRUS, SERVUS ET APOSTOLUS JESU CHRISTI.

PRIMITIVAM Ecclesiam impugnabant A tyranni gladio materiali persecutionibusque diversis, hæretici autem doctrinis pestiferis. Quemadmodum ergo in prima epistola excellentissimus apostolici chori vertex, hortatus est fideles ad patientiam in adversis, ne persecutionibus cederent; ita in hac eos hortatur epistola, ne hæreticorum decipiantur figmentis. Scripsit autem beatissimus Petrus istam epistolam eis qui-
II Petr. III, 1. bus et præcedentem. Nam infra ait : Hanc vobis, carissimi, secundam scribo epistolam.

1 Itaque ait : *Simon Petrus, servus* ser- B vitute filialis, non servilis, timoris. Quemadmodum enim duplex est timor, ita duplex est servitus, puta servilis et filialis. De servo servitute servilis timoris fertur
Joann. VIII, 35. in Joanne : Servus non manet in domo in
Ibid. XV, 15. æternum; et alibi, Jam non dicam vos servos. Servo autem servitute filialis timoris
Matth. XXV, 21, 23. dicitur apud Matthæum : Euge, serve bone et fidelis, intra in gaudium domini tui. *Et apostolus Jesu Christi :* quem Christus ascensurus ad Patrem, reliquit sui amoris et suæ auctoritatis vicarium, dans ei ple- C nitudinem ecclesiasticæ potestatis super universalem Ecclesiam.

His qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidem, id est, eamdem a Deo per infusionem acceperunt fidem, quam et nos a Deo suscepimus : quia, ut dicitur ad Ephesios, Unus Dominus, una fides, unum *Ephes.* IV, 5.
Baptisma. Dicitur autem fides una, unitate specifica, a suo objecto; sed ex parte subjectorum numeraliter multiplicatur. Denique princeps Apostolorum de se, et aliis ad fidem conversis, in generali jam loquitur. Nam ipsi gloriosi Apostoli habuerunt fidem perfectiorem, seu magis illuminatam, et ferventiore dilectione formatam ac firmiorem, quam ceteri Christiani : quia primitias Spiritus acceperunt, atque in *Rom.* VIII, 23.
omni virtute mirabiliter præfulgebant. Nihilo minus multi eorum quibus hæc scripsit, habuerunt fidem valde illuminatam, et æqualem in perfectione fidei plurimorum qui cum beatissimo erant Petro. *In justitia Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi*, id est cum justitia nobis per creationem a Deo salvatore infusa : quia non fidem dumtaxat, sed et alias quoque virtutes Deus infudit fidelibus. Et possunt ceteræ virtutes illæ infusæ, sub justitiæ appellatione intelligi, prout justitia est virtus

communis : et omnis virtus, quædam ju-
stitia est, quia per eam habet se homo re-
cte atque ut debet. Porro quod ait, Dei et
Salvatoris nostri, quomodo referri possit
ad eamdem increatam Personam, et quo-
In Jacob. I, 1. modo ad distinctas Personas, dictum est in
expositione præcedentis epistolæ.

Vel quod ait, In justitia Dei, exponen-
dum est de increata justitia Dei, ut sit sen-
sus : His qui coæqualem nobiscum sortiti
sunt fidem in justitia Dei, ita quod ju-
sto Dei judicio fides illorum reputata est
æqualis fidei nostræ. Sicque quod ait, In
justitia, determinat quod dixerat, Coæqua-
lem. Potest etiam determinare participi-
um istud, Sortiti sunt : ita quod sit sen-
sus, quod justo Dei judicio data est eis
fides talis ac tanta. Quamvis enim ex mi-
sericordia Dei principaliter data sit eis fi-
des tanta, tamen in quantum se præpara-
runt ad eam, faciendo quod in ipsis fuit,
justum quodammodo fuit, seu decens et
Matth. XXV, 15. congruum, ut Deus, qui dat unicuique se-
cundum propriam virtutem, dispositionem
seu capacitatem, infunderet eis fidem tam
magnam.

2 *Gratia vobis et pax adimpleatur,* id
est, perfectam gratiam plenamque pacem
Deus vobis largiri dignetur, ut quantum
possibile est, habeatis in vita ista pacem
perfectam, loquendo de pace mentis. Sicut
enim quis dicitur in vita hac esse aliquo
modo perfectus in contemplatione, sapien-
tia, caritate, ita et in pace interna. Non ta-
men potest pax vitæ præsentis esse inde-
sinenter actualiterque continua. Ideo optat
sanctissimus Petrus ut gratia et pax no-
bis adimpleatur, quatenus per gratiam et
pacem viæ, ad gloriam patriæ, quæ est
Philipp. IV, 7. gratia consummata, atque ad pacem Chri-
sti, quæ exsuperat omnem sensum, quæ
est pax continua nunquam finienda, post
vitam hanc perducamur. Adimpleatur, in-
quam, *in cognitione Domini nostri Jesu
Christi,* id est in contemplatione ipsius.
Pax enim, quæ est gaudium imperturba-
tum, in contemplatione fundatur, et ex ea
causatur, sicut et gaudium, mediante ta-

A men dilectione, cujus gaudium et pax im-
mediati effectus et fructus dicuntur. Si-
quidem Deum contemplando, non in eo
gaudemus, nec in ipso mente quiescimus,
nisi eum sinceriter diligamus. Vel, Gratia
et pax adimpleatur in cognitione, id est
per cognitionem, Christi, ut per eam tan-
quam per medium directivum, ad pacem
patriæ pertingatis : juxta illud Lucæ : Il- *Luc.* I, 79.
luminare his, id est, eos illumina, qui in
tenebris et in umbra mortis sedent, ad
dirigendos pedes, id est affectus nostros,
B in viam pacis.

Insuper, quæ sequuntur, ad verba jam
habita condependent, ut sit sensus : Pax
vobis in Christi cognitione adimpleatur,
ita ut Christo vos illustrante, etiam cogno-
scatis *quomodo omnia nobis divinæ vir-* 3
tutis suæ, supple, dona sive gratiarum
charismata, *quæ ad vitam* gratiæ jam ha-
bendam, et vitam gloriæ in futuro obti-
nendam, *et pietatem,* id est Dei cultum,
seu benignitatem, vel misericordiam, (de
qua loquitur Paulus : Pietas ad omnia uti- I *Tim.* IV, 8.
C lis est), supple, necessaria sunt, *donata
sunt :* hoc est, cognoscatis qualiter, quam
gratiose, quam liberaliter Deus vobis do-
navit omnia dona gratiæ ac virtutum, quæ
sunt dona ipsius divinæ virtutis, id est
omnipotentiæ ejus qua ea per creationem
infundit ac tribuit, quæ requiruntur et
nobis sufficiunt ad bene vivendum in sæ-
culo isto, atque ad vitam beatam adipi-
scendam in cœlo, et ad pietatem in omni-
bus exercendam, juxta illud : Exerce te *Ibid.* 7.
ipsum ad pietatem. Donata sunt autem *per*
D *cognitionem ejus,* id est per fidem ipsi-
us, et per fidelem ipsius notitiam : quia
per fidem creverunt ad tantam perfectio-
nem, et Christum cognoscendo ac invocan-
do adepti sunt charismata meliora. Vel
quod ait, Per cognitionem ejus, refertur
ad id quod dixerat, Quæ ad vitam et pie-
tatem, supple, sufficiunt, aut necessaria
sunt : quia non nisi per Christi fidelem
cognitionem dona illa sufficiunt ad salu-
tem. Oportet namque in primis fidei ve-
ritatem, et Christum per fidem cognoscere,

sicque ex vera notitia ad actus virtuosos procedere.

Qui vocavit nos, id est, ad statum salutis apicemque virtutum perduxit, *propria gloria et virtute,* id est sui ipsius excellentissima majestate et omnipotentia, seu in propria persona gloriosa ac omnipotente. Siquidem non legatum, non angelum, ad redimendum nos misit, sed ipsemet venit, et salvos nos fecit : et hoc, per assumptam humanitatem, quæ salvandi efficaciam habuit a virtute increata divina, cui totum est principaliter adscribendum, [*Is.* xxxiii, 22; xxxv, 4.] juxta illud Isaiæ : Dominus judex noster, Dominus legifer noster; ipse veniet et salvabit nos. De quo loquitur evangelicus [*Luc.* i, 68.] Zacharias : Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ.

4 *Per quem,* scilicet Jesum Christum; vel, ut alii habent, *Per quam,* videlicet Christi fidelem cognitionem; *maxima et pretiosa nobis promissa donavit,* id est, excellentissima dona Spiritus Sancti et munera præclarissima, tam gratiæ gratis datæ, quam gratiæ gratum facientis, præsertim in die [*Act.* ii, 1-4.] Pentecostes, quando in visibili signo copiosissime datus est Spiritus Sanctus per infusionem munerum ejus : quæ Christus tam in veteri Testamento per Prophetas, quam per se ipsum in sermone quem fecit post Cœnam, danda prænuntiavit atque spopondit. Prædixit quippe per Joelem : [*Joel.* ii, 28.] Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ. Et in Psalmo : [*Ps.* lxvii, 12, 19, 36.] Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa; accepisti dona in hominibus; Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ. Christus quoque ait : [*Joann.* xiv, 26.] Paracletus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis. Ascensurus autem ad cœlum, dixit eis : [*Luc.* xxiv, 49.] Sedete in civitate quoadusque induamini virtute ex alto; et ego mittam promissum Patris mei in vos.

Ut per hæc efficiamini divinæ consortes A *naturæ,* id est, per hæc supernaturalia gratiæ dona Deo supernaturaliter conformemini, et tandem ad plenam cum Deo assimilationem pertingatis in patria. Quum enim sit homo ad summæ Trinitatis imaginem similitudinemque productus, et per consequens, per dona naturæ aliqualiter consors divinæ naturæ, seu particeps perfectionis ac bonitatis proprii Creatoris : certum est quod per dona gratiæ altiori perfectiorique modo Deo assimiletur, quia dona naturæ perficiuntur a donis gratiæ. B Et quo dona gratiæ fuerint eminentiora, eo sublimius dicuntur hominem Deo conformare, eumque deificare, seu divinum ac deiformem efficere : non quod esse creatum amittat, et induat esse increatum; sed quia per dona, virtutes ac habitus supernaturales, eminentes, perfectos, eorumque actus assiduos et præclaros, valde supernaturaliter, mirabiliter ac gratiosissime Creatori reddatur conformis. Et istud fit maxime per caritatem ardentem et sapientiæ donum, et actus ex eis pro- C cedentes; deinde per alia dona ac virtutes, eorumque actus, secundum quod insunt viris heroicis et perfectis. Unumquodque siquidem dicitur ei potissimum conformari, atque cum illo quasi societatem et communionem habere, cujus opera magis exsequitur, et cui in actibus suis amplius assimilatur. Propter quod homines carnales dicuntur brutales, et luxuriosi dicuntur porcini.

Merito igitur qui actibus virtuosis insistunt, qui actionibus intellectualium vi- D rium (in quibus summæ Trinitatis imago resplendet) intenti sunt, qui contemplando, ferventer amando, pietatem et justitiam exercendo, se Deo conformant, et spiritualem, internam cœlestemque vitam ducunt in terra, dicuntur divinæ naturæ consortes sive participes effici, Dei quoque amici ac filii fieri. Filiorum namque est, suo patri assimilari; et amicitia in quadam communione fundatur. Et isti communionem, consortium, seu societatem quamdam habent cum Domino, cui

familiares effecti sunt. Habent, inquam, A societatem cum Deo, quia hoc agunt quod ipse, veritatem amando ac contemplando, aliosque actus divinos ac Deo placitos exercendo, et ei intenti sunt, ejusque perfectionem et beatitudinem aliquo modo participant : per quæ omnia Deo assimilantur. Hæc vero communio, assimilatio atque conjunctio, consortium seu societatem efficiunt. Propter quod in Ecclesia- *Eccli.* XIII, 20. stico dicitur : Omnis homo simili sibi associabitur; et in prima Joannis Canonica *I Joann.* I, 3. habetur, Societas vestra sit cum Patre et B Filio ejus Jesu Christo. Et quia communio, assimilatio et unio jam præfatæ cum Deo, multo perfectius habentur in patria quam in via, idcirco electi et Sancti, dicuntur Deo in cœlo perfecte assimilari et consociari. Propter quod in prima sua Ca- *Ibid.* III, 2. nonica scribit Joannes : Similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Et alio loco *Joann.* I, 12. idem Joannes asserit : Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Quod exponitur de filiatione perfecta, quæ habetur per similitudinem gloriæ, C per quam electi fiunt præcipue consortes divinæ naturæ, et societatem sortiuntur cum Deo, ejus beatitudinem usque ad satietatem participantes, et ipsomet Deo beatifice perfruentes, quo et nunc per dona gratiæ aliqualiter fruimur, ei propter se inhærendo, atque ad eum alia cuncta finaliter referendo.

Denique præinductam hanc beatissimi Petri sententiam de maximis et pretiosis donis desuper nobis collatis, et cognitione, ponit et Paulus ad Ephesios, dicens : D *Ephes.* I, 17-19. Pater gloriæ det vobis spiritum sapientiæ, ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus, et quæ divitiæ gloriæ hereditatis ejus in Sanctis, et quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos qui credidimus.

Sic ergo, Efficiamini divinæ consortes naturæ, *fugientes ejus quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem,* id est vitiositatem et infectionem mundanæ ac carnalis concupiscentiæ, cupiditatis, libidinis, et omnis inordinatæ affectionis, quæ spiritualiter corrumpit ac destruit hominem; sed et cetera peccata mortalia, quoniam omni spirituali esse gratiæ ac virtutum spoliant eum. Hujus concupiscentiæ corruptionem fugimus, concupiscentiæ non consentiendo, sed eam frenando ac repellendo, juxta illud Ecclesiastici : Quasi a fa- *Eccli.* XXI, 2. cie colubri fuge peccata. Nam sicut fugimus serpentes inficere nos volentes, sic fugere nos oportet concupiscentias corrumpentes : imo tanto plus, quo deterior est spiritualis quam corporalis interitus. Hæc corruptio opponitur sanitati interiori, seu integritati virtutum, qua homo tota mente Deo adhæret absque divisione, ita quod non partim mundo. Præterea recte ait, Ejus quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem. Est enim et alia concupiscentia spiritualis et munda, videlicet desiderium Dei et sapientiæ ac virtutum, quæ non est in mundo, id est mundanis hominibus, sed in virtuosis, de quibus ait Salvator : De mundo non estis. De qua *Joann.* XV, 19. concupiscentia in Ecclesiastico scriptum est : Auris bona cum omni concupiscentia *Eccli.* III, 31. audiet sapientiam; et Psalmista, Concu- *Ps.* LXXXIII, 3. piscit et deficit anima mea in atria Domini. Unde Sapientia : Concupiscentia (inquit) *Sap.* VI, 21. sapientiæ deducit ad regnum perpetuum. Hæc concupiscentia parit incorruptionem, de qua fertur ibidem : Incorruptio facit *Ibid.* 20. esse proximum Deo.

Sed quia in vita præsenti oportet semper proficere, otiositatem vitare, tempus omne fructuose expendere, recte subjungitur : *Vos autem curam omnem subinfe-* 5 *rentes,* id est, omnem spiritualem sollicitudinem seu diligentiam apponentes, et ab intimo corde introducentes, ac assumentes ad virtuose vivendum, *ministrate,* id est, ministerialiter exercete. Deus enim est auctor principalis omnis operis boni; homo autem tanquam Dei minister et instrumentum, agit sive exsequitur id ad quod a Deo movetur. Propter quod loquitur Paulus : Deus operatur in vobis velle *Philipp.* II, 13. et perficere; itemque, Dei cooperatores su- *I Cor.* III, 9. mus. Quia tamen libere facimus istud, re-

putatur nobis in meritum, quamvis sit Dei donum. Itaque, Ministrate et facite *in fide vestra virtutem*, id est opera virtuosa, quoniam fides sine operibus mortua est in se ipsa. (*Jacob.* II, 17.) Et istud cum omni agendum est cura, quoniam Salomone testante, (*Prov.* XVIII, 9.) Qui mollis et dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis. Apud Jeremiam quoque inducitur : (*Jer.* XLVIII, 10.) Maledictus qui facit opus Dei negligenter. Ideo admonet Paulus : (*Hebr.* XII, 28.) Serviamus Deo cum metu et reverentia ; et rursus, (*Philipp.* II, 12.) Cum timore, inquit, et tremore vestram salutem operamini. *In virtute autem scientiam*, id est discretionem, quæ est directrix et auriga virtutum, docens observare moderamen, congruum locum, tempusque aptum, ut omnia ordinate agantur, (*Rom.* XII, 1.) et regia via tendamus, ut sit rationabile obsequium nostrum. Ideo dicitur in Isaia : (*Is.* I, 17.) Discite bene agere.

6 *In scientia autem* habete, ministrate, seu exercete, *abstinentiam*, a carnalibus voluptatibus vos reprimendo, præsertim a delectabilibus gustus et tactus, et vitia gulæ atque luxuriæ fugiatis, juxta illud ad Thessalonicenses : (*I Thess.* IV, 3-5.) Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum suum vas (id est proprium corpus) possidere in sanctificatione et honore, non in passione desiderii, sicut et gentes quæ ignorant Deum. *In abstinentia autem patientiam :* quæ castis et sobriis, suumque corpus castigantibus, valde est necessaria, ne ex corporali afflictione ad impatientiam sive tristitiam moveantur. Propter quod ait Salvator : (*Matth.* VI, 16, 17.) Quum jejunatis, nolite fieri, sicut hypocritæ, tristes ; tu autem quum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava. Hinc ad Hebræos fertur : (*Hebr.* X, 36.) Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. *In patientia autem pietatem*, ne sitis circa alios nimium rigidi, sed condescendentes. Solent enim nonnulli, qui sibi ipsis rigorosi sunt, etiam aliis duri esse, non satis compassivi et succurrentes. Rursus, non sufficit adversa illata ab aliis,

A patienter sufferre, nisi et illis caritatis ac pietatis impendamus affectum, et oremus pro ipsis, quum dicat Salvator : Benefacite (*Matth.* V, 44.) his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos.

In pietate autem amorem fraternitatis, 7
id est, fraternam dilectionem habete, quatenus opera pietatis ex vera et fraternali exhibeatis dilectione. *In amore autem fraternitatis caritatem*, id est, Dei dilectionem habeatis sinceram : quoniam caritas Dei, ceterarum virtutum vita et forma, vertex

B et finis, regina et motrix est. Et amor fraternus, Dei amore est condiendus, formandus ac perficiendus, atque ad Dei actualem dilectionem finaliter referendus. Propter quod ad Colossenses dicitur : Super omnia caritatem habete, (*Coloss.* III, 14.) quod est vinculum perfectionis.

His octo virtutibus, tanquam per octo gradus, ad felicitatem et cœlestem Jerusalem ascenditur ac pervenitur. Ad quod præsignandum, in visione Ezechielis de templo asseritur, quod per octo gradus as- (*Ezech.* XL, 31, 49.)

C cendebatur ad ipsum. Et Psalmista loquitur Deo de homine virtuoso : Beatus vir (*Ps.* LXXXIII, 6.) cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit. Et subditur ibi : Ibunt (*Ibid.* 8.) de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion.

Hæc enim, id est hæ præfatæ octo vir- 8
tutes, *si vobiscum adsint*, id est, cordibus vestris semper inhæreant, *et superent*, id est, vitia sibi opposita vincant; vel, Superent, id est, invalescant atque abundent; *non vacuos, nec sine fructu vos constituent*

D *in Domini nostri Jesu Christi cognitione*. Minus dicit, et majus significat, ut sit sensus : Prædictæ virtutes plenos meritoriis actibus vos efficient, et in regno cœlesti vos exaltabunt in aperta ac beatifica divinitatis Christi visione. De qua idem ait : Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, (*Joann.* XVII, 3.) et quem misisti Jesum Christum ; et alibi, Manifestabo ei me ipsum. (*Ibid.* XIV, 21.)
Cui enim non præsto sunt hæc, id est, cui 9
præfatæ virtutes præsentes non sunt, *cæcus est*, id est, mente obtenebratus, utpote

infidelis et indiscretus, *et manu tentans,* id est, quo eat ignorans, nec qualiter ad beatitudinem progredi debeat sciens. Ideo similis est cæco qui manu extenta tentat et scire conatur quo tendere debeat. Idcirco mox cadit in præceps, et peccat, ac perit. Propterea, teste Ambrosio, ignorantia est maximum vitiorum, non utique magnitudine enormitatis, sed periculositatis, quum in primis scire oporteat qualiter sit vivendum. Propter quod ait et
I Cor. xiv, 38. Paulus : Qui ignorat, ignorabitur. Et apud
Baruch iii, 14. Baruch scriptum est : Disce ubi sit sapientia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus, ut scias ubi sit longiturnitas vitæ, ubi sit lumen oculorum et pax. *Oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum,* id est, peccata sua pristina et antiqua purgare et emendare obliviscitur, negligit, seu omittit; et si baptizatus est, per negligentiam suam ostendit se esse oblitum purgationis quam in Baptismo accepit, quoniam tantum Dei beneficium non attendit, nec gratias agit Deo.

10 *Quapropter, o fratres, magis satagite,* id est, diligentius insistite et studete, *ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis,* id est, vos ipsos in primis, et quodammodo alios certificetis, vos esse a Deo ad statum gratiæ ac salutis vocatos, deductos, atque ab ipso electos, seu æternaliter prædestinatos. Hoc enim suo modo agnoscitur, si quis Creatori serviat diligenter, peccata abhorreat, Deo semper placere intendat, desideret et conetur, ac perseveret in bonis.

Posset hic quæri, an quis in vita hac certitudinaliter scire valeat, se esse in caritate et gratia, seu esse electum. Et possent pro utraque parte multæ ex Scripturis auctoritates, et ex verbis Sanctorum allegari. Sed prolixitatem vitando (quia hæc quæstio alibi copiose invenitur discussa), in hoc stat vis responsionis, secundum doctores præcipuos, quod tanta est conformitas amoris naturalis acquisiti, et amoris infusi, ceterarumque virtutum infusarum et acquisitarum, inter se et in

A actibus suis, quod nemo absque divina revelatione certitudinaliter scire potest ex quibuscumque actibus suis, se esse in caritate et gratia : quamvis conjecturaliter posset hoc scire, et probabiliter valde ; alioqui periculose agerent sacerdotes devoti assidue celebrando. Et quanto quis in virtutibus amplius proficit, tanto probabilius potest cognoscere se esse in caritate. Sed et Spiritus Sanctus testimonium Rom. viii, 16.
perhibet spiritui nostro, quod filii Dei sumus : quod tamen testimonium diversi-
B mode potest intelligi, et multipliciter perhiberi. Nec verum est quod quidam scribit hoc loco, dicens, Eo ipso quod aliquis est in gratia, oportet quod sit vocatus et electus : si de electo sit proprie sermo, secundum quod ait Salvator : Multi vocati, Matth. xx, 16; xxii, 14.
pauci electi. Multi etenim reprobi et præsciti, sunt ad tempus in gratia.

Unde quod princeps Apostolorum hic ait, Per bona opera certam faciatis vocationem vestram et electionem, valde pensandum est : quia videtur innuere, quod
C per bona opera posset quis certificare se quod sit electus. Quocirca sciendum, quod eo modo quo per quotidiana opera bona certi efficimur quod sumus de facto vel in præsentiarum in gratia, ita perseverando in eis, certificamur de nostra electione. Sed utraque certificatio intelligenda est, non de certitudine absoluta, qualis habetur in mathematicis, sed de certitudine verisimili, conjecturali, probabili, quæ habetur in moralibus. Unde Aristoteles Boetiusque affirmant, quod sensati ac di-
D sciplinati viri est, in omni materia certitudinem quærere, prout materia sustinet, et natura rei admittit. Idcirco et sapientissimus Archiapostolus loquitur modo de certitudine hujusmodi, quæ in genere seu proposito isto atque materia hac potest haberi.

Hæc enim facientes, id est, per opera virtuosa certam vestram vocationem electionemque facientes, *non peccabitis aliquando.* Hoc tripliciter potest intelligi : Primo, quia sic conversando, ad æternam

beatitudinem pertingetis, in qua nunquam A
peccabitis. Secundo, quia manendo in gra-
tia, non peccabitis, quum peccatum contin-
gat gratiam amittendo, vel ab ejus perfe-
ctione deficiendo. Sicque in prima Joannis
I *Joann.* III, 6. Canonica fertur : Qui manet in eo, non
peccat. Tertio, quia hæc faciendo, homo
meditatur novissima sua, quorum medi-
tatio frequens expellit peccata, secundum
Eccli. VII, 40. illud Ecclesiastici : In omnibus operibus
tuis memorare novissima tua, et in æter-
num non peccabis. Itaque, Non peccabitis,
loquendo de peccatis mortalibus. Nam ve- B
nialia prorsus vitare non potest homo in
hac vita fragili : quorum etsi singula, non
tamen omnia queunt vitari, eo quod quum
homo intentus est vitare unum, subito ex
fragilitate et instabilitate propriæ mentis,
incidat in aliud. Propter quod tertio Re-
III *Reg.* VIII, 46. gum habetur, Non est homo super terram,
qui faciat bonum, et non peccet : quoni-
am ipsis bonis operibus venialia se com-
miscent.

Deinde subjungitur alia ratio, cur sic
11 agere debeamus. *Sic enim abundanter mi-* C
nistrabitur vobis introitus, id est, prom-
pte et copiose præstabitur vobis a Judice
summo facultas intrandi, *in æternum re-*
gnum Domini nostri et Salvatoris Jesu
Luc. I, 33. *Christi,* cujus regni non erit finis. De
Dan. VII, 14. quo in Daniele scribitur : Potestas ejus
potestas æterna, quæ non auferetur, et re-
gnum ejus quod non corrumpetur; atque
Ps. CXLIV, 13. in Psalmo, Regnum tuum, regnum omni-
um sæculorum. Vel, Ministrabitur vobis
abundanter introitus in regnum Christi,
quia sic faciendo, proficietis quotidie in D
omni gratia ac virtute, et abundabitis me-
ritis, per quæ habebitis causam intran-
di regnum cœleste. Quemadmodum enim
unum peccatum trahit ad aliud, sic una
actio virtuosa disponit et trahit ad aliam.
Et quanto quis diligentius ac frequentius
bonis insistit operibus, tanto fit ei facilius
et delectabilius talibus immorari.

12 *Propter quod incipiam vos semper com-*
monere de his : id est, quia tam fructuo-
sum est et salubre taliter conversari, id-
circo indesinenter exhortabor vos ut ita
agatis. Quamvis enim beatissimus Petrus
corporaliter præsens non fuerit eis quibus
hæc scripsit, tamen per hæc sua scripta
et per discipulos suos, assidue eos de his
adimplendis admonuit. Recteque ait, In-
cipiam semper, quia quotidie desideravit
eos ista perpendere, et quasi de novo cum
recenti fervore implere. Ipse quoque af-
fectuosissimus ac ferventissimus Petrus,
tam ferventer hæc egit, quasi jugiter in
facti hujus principio fuisset. Siquidem
principium fervet. Unde in Ecclesiastico
legitur : Quum consummaverit homo, tunc *Eccli.* XVIII, 6.
incipiet. Propter quod S. Franciscus di-
cere consuevit : Fratres, incipiamus Deo
servire. *Et quidem scientes et confirmatos*
vos in præsenti veritate : id est, incipiam
vos hortari qui estis scientes ea quæ sunt
legis divinæ, et estis jam radicati per
exercitia diuturna in hac ipsa fidei veri-
tate, quam doceo et tenetis. Sic et Pau-
lus : Scientibus (inquit) legem loquor. Et *Rom.* VII, 1.
Joannes in prima sua Canonica : Non scri- I *Joann.* II, 21.
psi vobis quasi ignorantibus veritatem,
sed quasi scientibus eam. — Sed si ista
noverunt, et habituati erant in bonis, cur
indesinenter voluit eos hortari de istis,
nisi ut ea quæ noverunt, factis exseque-
rentur, et fortius accenderentur, copiosius
quoque illuminarentur, actualiter consi-
derando quæ habitualiter cognoscebant, et
ne a bonis torperent aut laberentur? Hinc
enim in Proverbiis inducitur : Audiens sa- *Prov.* I, 5.
piens, sapientior erit. Et rursus Salomon
ait : Da sapienti occasionem, et addetur *Ibid.* IX, 9.
ei sapientia. Si igitur præsidenti molestum
non est salubria sæpe repetere, non pi-
geat subditos ea frequenter audire. Siqui-
dem beati qui audiunt verbum Dei, et *Luc.* XI, 28.
custodiunt illud.

Justum autem arbitror, quamdiu sum 13
in hoc tabernaculo, id est, in mortali hoc
corpore dego, *suscitare vos in commoni-*
tione, id est per exhortationem vos pro-
vocare ad opera virtuosa. Ad hoc quippe
electissimus Petrus ratione pastoralis te-
nebatur officii ; et quia Christus præce-

Joann. xxi, 17. perat ei, Pasce oves meas ; et alibi, Tu
Luc. xxii, 32. aliquando conversus, confirma fratres tu-
os. Quod etiam ex fervidissima dilectione
strenuissime adimplevit. Nam ut S. Cle-
mens testatur, immensa caritate erat re-
pletus. Unusquisque quoque proximum
suum loco et tempore opportuno debet
hortari, corripere, informare pro posse,
Eccli. xvii, 12. juxta illud Ecclesiastici, Unicuique man-
Tob. iv, 16; davit Deus de proximo suo : ut utique
Matth. vii, 12. faciat ei sicut velit sibi fieri.
14 *Certus quod velox est depositio taber-*
naculi mei, id est, quod cito recedam a
corpore isto, ingressurus regnum cœle-
ste, *secundum quod Dominus noster Jesus*
Christus significavit mihi per revelatio-
nem, sive per angelum, sive immediate
per se ipsum. Circa hunc locum scribit
venerabilis Beda : Tabernaculo solent ho-
mines in itinere aut in prælio uti : idcirco
fideles, quamdiu sunt in corpore, et pe-
regrinantur a Domino, ac contra verita-
tis adversarios certant, in tabernaculis se
esse rite testantur. Pulcherrime quoque
S. Petrus obitum suum non mortem, sed
depositionem tabernaculi sui dicit : quoni-
am sic est perfectis Dei famulis mortalem
carnem exuere, sicut viatoribus comple-
to itinere, propriam domum pro taberna-
culi habitatione adire, et sicut bellatoribus
hoste prostrato, ad patriam regredi, quia
non nisi in cœlis reputant sibi esse do-
mum ac patriam.
15 *Dabo autem operam,* id est, diligenti-
am efficaciamque impendam, *et frequen-*
ter vos habere post obitum meum, id est,
ut ita vos habeatis post recessum meum
a corpore, *ut horum memoriam faciatis,*
id est, ea quæ scribo, doceo ac jubeo,
memoriter teneatis, et opere compleatis.
Siquidem felicissimus Petrus tam virtuo-
sissime in sua se habuit vita, tam con-
stantissime in passione, tam ferventer in
prædicando, tam sapienter in scribendo,
tam potenter in miraculis, quæ in vita,
in morte, et post martyrii palmam per-
egit, quod omni memoria et imitatione fuit
dignissimus. — Præterea, sicut in fine

A expositionis præcedentis epistolæ tactum
est, gloriosissimus Petrus primam scripsit In I Petr. v,
epistolam Claudio imperante, antequam 13.
S. Marcum evangelistam misit Alexandri-
am ; hanc vero, ut ipse jam innuit, scri-
psisse videtur passioni propinquus : sic-
que longum fuit temporis intervallum
inter harum conscriptionem epistolarum.
Consequenter tangit Christianæ fidei
fundamenta seu argumenta, et quam di-
gna sit ejus doctrina omni memoria. *Non* 16
enim indoctas, id est falsas et imperitas,
B *fabulas secuti, notam fecimus vobis Do-*
mini nostri Jesu Christi virtutem, id est
omnipotentiam et deitatem, *et præscien-*
tiam, id est æternam ejus scientiam, qua
invariabiliter ac æternaliter universa in-
tuetur, præterita, præsentia et futura, imo
et infinita quæ nec fuerunt, nec sunt, nec
erunt. Christus quoque secundum assum-
ptam humanitatem, omnia ab incarnatio-
nis exordio novit quæ scit secundum quod
Deus, scientia visionis, utpote universa
quæ fuerunt, sunt, aut erunt. Hæc autem
C summus Apostolus notificavit fidelibus,
prædicando, miracula faciendo, Scripturas
allegando, et ea quæ vidit atque audivit
narrando. Pagani autem indoctas poeta-
rum fabulas sequentes, varia deorum por-
tenta finxerunt. Similiter Manichæi et alii
quidam hæretici, diversas, inanissimas et
mendacissimas fabulas sunt secuti. *Sed*
speculatores facti illius magnitudinis, id
est, nos effecti contemplatores majestatis
et excellentiæ Christi, notificamus virtu-
tem et præscientiam ejus. Unde in Joanne
D habetur : Vidimus gloriam ejus, gloriam Joann. i, 14.
quasi Unigeniti a Patre. Viderunt sancti
Apostoli oculo corporali Christi humani-
tatem atque miracula ; interiorique oculo
per fidem illuminatam et sapientiæ do-
num, conspexerunt ejus divinæ excellen-
tiam majestatis. Similiter post resurre-
ctionem viderunt eminentiam Christi in
multis : quomodo januis clausis ad eos Ibid. xx,
ingressus est, et Spiritum Sanctum per 26, 22.
insufflationem contulit eis. Ipsis quoque Act. i, 9;
videntibus ascendit in cœlum, deinde in ii, 1-4.

signo visibili, et abundantissima gratiæ A
copia misit eis Spiritum Sanctum. Hinc in
Actibus præstantissimus loquitur Petrus :
Act. IV, 20. Non possumus ea quæ audivimus et vi-
dimus, non loqui.

17 *Accepit enim a Patre honorem et glo-
riam,* id est honorificam et gloriosam
attestationem, seu testimonium honorabili-
tatis et gloriæ, *voce delapsa,* id est desu-
per veniente, *ad eum a magnifica gloria,*
id est a magnificentia et excellentia Dei
Patris.

Et quæ fuerit illa vox, id est complexio B
Matth. XVII, 5. vocum, subjungitur : *Hic est Filius meus
dilectus,* id est naturalis et unicus, con-
substantialis, coæqualis, coæternus, non
adoptivus : quem, secundum quod Deus
est, diligo non minus quam me ipsum,
utpote dilectione intensiva, immensa, quum
infinitæ sit bonitatis, et mihi vere æqua-
lis. Porro, in quantum est homo, prout
ejus humanitas unita est hypostatica uni-
one Verbo æterno, diligo eum magis quam
totum universum. Sic enim Pater contu-
lit Christi humanitati, in eodem esse per- C
sonali subsistere in quo consistit Verbum
æternum : quod subsistere, reliquum om-
ne bonum creatum excedit. *In quo mihi
complacui,* id est, beneplacitum fuit mi-
Ps. CXLIX, 4. hi. Si enim beneplacitum est Domino in
Ps. CIII, 31. populo suo, et lætatur Dominus in ope-
ribus suis : quanto magis in unigenito
Filio suo, in quo utique Pater habet com-
placentiam penitus infinitam? In se ipso
quoque Pater complacentiam habet pror-
sus immensam. Et complacet sibi in Filio
suo, id est, de hoc Pater sibi ipsi com- D
placet infinite, quod talem ac tantum ge-
nuit Filium, et quod in se ipso tantæ
bonitatis ac fecunditatis consistit, ut con-
substantialem sibi peperit natum, sibi om-
nino simillimum, in nullo a se discor-
dem, quum ejusdem secum sit voluntatis,
quemadmodum et unius essentiæ. Fertur
autem hæc vox ministerio prolata angeli-
co, in Dei Patris persona. *Ipsum audite*
auribus cordis et corporis, et credite obe-
diteque ei. Unde ipse Christus testatur :
Omnis qui est ex veritate, audit vocem *Joann.* XVIII, 37.
meam.

Et hanc vocem nos audivimus de cœlo 18
allatam, id est cœlesti virtute formatam,
atque in cœlo aerio factam, *quum essemus
cum ipso in monte sancto.* Hæc enim vox
facta est in Christi transfiguratione in
monte Thabor, qui propter transfiguratio-
nem Christi in eo peractam, vocatur mons
sanctus. Cui transfigurationi interfuerunt
Apostoli præclari, Petrus, Jacobus et Joan-
nes filii Zebedæi. De qua transfiguratione
et apparitione, super Matthæum et Lucam *Matth.* XVII,
diffusius scripsi : idcirco nunc transeo. 1-8; *Luc.* IX, 28-36.

Consequenter Christi divinitatem probat
testimonio prophetali irrefragabili. *Et ha-* 19
bemus firmiorem, id est valde firmum,
propheticum sermonem, id est testimoni-
um David regis de Christi divinitate in
psalmo ubi loquitur Filius : Dominus di- *Ps.* II, 7.
xit ad me : Filius meus es tu, ego hodie
genui te. Imo in pluribus psalmis loquitur
David inde : ut est illud, Ex utero ante *Ps.* CIX, 3.
luciferum genui te; et, Eructavit cor me- *Ps.* XLIV, 2.
um verbum bonum. Quamvis autem te-
stimonio principis Apostolorum de Chri-
sto, non sit, absolute loquendo, firmius
ac magis authenticum testimonium David
prophetæ, aut cujuslibet in veteri Testa-
mento, sed magis econtra (quoniam glo-
riosi Apostoli magis illuminati fuerunt de
Christo quam Prophetæ veteris Testamen-
ti, et majori gratia erant repleti, Chri-
sti quoque mysteria clarius conspexerunt
multipliciusque noverunt quam vates Mo-
saicæ legis : propter quod præferuntur
Prophetis in sapientia, virtute, fructuosi-
tate, sanctitate, miraculis, gratia et gloria);
nihilo minus quantum ad aliquos, fir-
mius fuit testimonium David de Christo,
quam testimonium beatissimi Petri, scili-
cet quantum ad Judæos et cavillatores, qui
dicere potuerunt quod Petrus magistrum
suum zelo immoderato præferre conatus
est, et ea quæ narrat, vel ficta sunt, vel
in secreto audita, ideo minus credibilia
quam David prophetæ oracula, quum ta-
men sanctissimus Petrus per plura et

eminentiora miracula ostenderit, se esse A
locutum ex Spiritu Sancto, quam David.
*Cui benefacitis attendentes, quasi lu-
cernæ lucenti in caliginoso loco.* Ordo
verborum est : *Cui* sermoni prophetico
*quasi lucernæ lucenti in caliginoso lo-
co attendentes,* et fidem adhibentes, *be-
nefacitis,* quia hoc bonum ac meritorium
est. Locus autem tenebrosus est mundus
iste, seu genus humanum, ignorantiarum
et vitiorum tenebris obfuscatum. Est au-
tem attendendum sermoni prophetico, *do-
nec dies illucescat,* id est, dies æternitatis B
vobis resplendeat, atque ad claram ac bea-
tificam Dei visionem perveniatis. De quo
Zach. xiv, 9. scriptum est in Zacharia : In illa die erit
Dominus unus, et nomen ejus unum. *Et
lucifer,* id est Christus, *oriatur in cor-
I Cor. xiii, 12. dibus vestris,* id est, per speciem se vobis
facie ad faciem manifestet ; vel, Lucifer,
id est lumen gloriæ, vobis infundatur, et
cognoscatis Deum, sicut et cogniti estis ab
eo. Dicitur autem Christus lucifer, quum
Sap. vii, 26; Hebr. i, 3; I Cor. i, 24. ipse sit oriens lucis æternæ candor, et
splendor gloriæ, sapientia Patris, cui lux, C
sapientia, ars, idea, species, pulchritudo,
appropriantur.
20 *Hoc primum intelligentes,* id est in pri-
mis agnoscentes, *quod omnis prophetiæ
scriptura,* id est omnis scriptura prophe-
tica ; vel, ut alii textus habent, Omnis
prophetia Scripturæ, id est omnis prophe-
tia in sacra Scriptura contenta ; *propria
interpretatione non fit,* id est, humana
adinventione non patuit, nec sensu pro-
prio Prophetarum inventa est. *Non enim* 21
*voluntate humana allata est aliquando
prophetia,* id est, Prophetæ ex propria sua
libertate et potestate non habuerunt no-
titiam ac gratiam prophetalem, vel quod
Spiritus Sanctus eorum tangeret corda :
quia futurorum pure contingentium certa
præcognitio, eorum quoque quæ soli Deo
patescunt, et ex ejus libertate dependent,
notitia, ipsi omnipotenti supersapientissi-
mo Creatori est propria, nec aliis nisi eo
revelante, patescit. Propter quod per Isa-
iam scriptum est : Quæ ventura sunt an- Is. xli, 23.
nuntiate nobis, et sciemus quia dii estis
vos. *Sed Spiritu Sancto inspirati,* id est
instincti et illuminati, *locuti sunt sancti
Dei homines,* id est sancti Prophetæ va-
ticinati. Propter quod loquitur et Paulus :
Alii per Spiritum datur gratia prophetiæ. I Cor. xii, 8, 10.
In libro Job quoque habetur : Inspiratio Job xxxii, 8.
Omnipotentis dat intelligentiam. Dicunt
item doctores, quod gratia prophetiæ dicit
actum, non habitum. Idcirco in potestate
Prophetarum non est, vaticinari ad libi-
tum, aut de quibuscumque ; sed tunc,
quando a Spiritu Sancto tanguntur, et de
quibus ab ipso illuminantur.

ARTICULUS II

EXPLANATIO CAPITULI SECUNDI : FUERUNT VERO ET PSEUDOPROPHETÆ, ETC.

POSTQUAM præcedenti capitulo glori- D
osus apostolici ordinis vertex moralia
documenta induxit, et Dei beneficia com-
memoravit, nunc contra hæreticorum er-
rores pestiferos armat et præmunit fideles.
1 Nam ait : *Fuerunt vero et pseudoprophetæ
in populo* veteris Testamenti. De quibus
in Jeremia, Ezechiele, Michæa, aliisque lo-
cis Scripturarum veteris Testamenti, fre-
quenter fit mentio. Et parum ante Christi
prædicationem fuerunt Theodas et Judas Act. v, 36, 37.
Galilæus, de quibus in Actibus scribitur.
*Sicut et in vobis erunt magistri menda-
ces,* puta hæresiarchæ, *qui introducent se-
ctas perditionis,* id est speciales et falsas
doctrinas, hæreticas pravitates, erroneas

collectiones, ad æternam damnationem tendentes : *et eum qui emit eos, Dominum,* I Petr. I, 18, 19. id est Christum (qui non corruptibilibus auro vel argento, sed proprio sanguine eos redemit : de quo ait Vas electionis, I Cor. VI, 20. Empti estis pretio magno), *negabunt,* id est, prave de ipso sentient, et non credent, nec prædicabunt eum sicut in veritate consistit, sed talem qualem eum esse confingent ; *superducentes sibi celerem perditionem,* id est, festinatam damnationem, seu damnationis causam, sibi ipsis accumulantes. De talibus ait Christus : Matth. VII, 15. Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Et Paulus in Actibus : Act. XX, 29, 30. Scio, inquit, quia post discessionem meam intrabunt in vos lupi graves, non parcentes gregi ; et ex vobis ipsis surgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.

2 *Et multi sequentur eorum luxurias,* id est tam corporales quam spirituales eorum fornicationes. Nam multi illorum hæresiarcharum quatenus plures sibi allicerent, concupiscentiis frena laxabant ; qui etiam spiritualiter fornicando, cor suum averterunt a Deo, et animas suas dæmonum fecerunt adulteras, verbumque Dei adulteraverunt, false exponendo Scripturas : in quibus omnibus innumerabiles sibi attraxerunt perditionis discipulos. *Per quos via veritatis,* id est Christus, qui Joann. XIV, 6. ait : Ego sum via, veritas et vita. Vel, via veritatis est fides catholica, sana doctrina, conversatio veraciter christiana. De qua loquitur Dominus : Matth. VII, 14. Arcta est via quæ ducit ad vitam. Is. XXX, 21. Unde et Isaias ait : Hæc via, ambulate in ea ; et non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram. *Blasphemabitur :* quia et ipsi eam blasphemarunt, hæreses et schismata inducendo et suos infelices discipulos ad idem alliciendo, infidelibus quoque dando occasionem blasphemandi Christum, ejusque legem ac fidem. Videntes namque infideles turpem vitam et varias abusiones hæreticorum, putaverunt Christum talia

A docuisse, et omnes Christianos hujusmodi esse. Ideo Christum et ejus cultores, fidem catholicam, legemque evangelicam blasphemaverunt. *Et in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur,* 3 id est, ex cupiditate per callida et adulatoria verba vos fallent, et quasi contractum quemdam de vobis efficient, temporalia bona vestra a vobis fallaciter auferendo, non violenter, sed fraudulenter : quia ut asserit Paulus, Per benedictiones et dulces sermones Rom. XVI, 18. decipiunt innocentium corda ; et Christus, B Hi sunt qui devorant domos viduarum. Luc. XX, 47. Itemque, hujusmodi operarii subdoli non II Cor. XI, 13 ; Rom. XVI, 18. serviunt Christo, sed suo ventri.

Quibus judicium jam olim non cessat, id est, reprobationis judicium dudum de eis prænuntiatum in sanctis Scripturis, non est revocatum, neque finitum, quoniam pœna eis instans ac debita, est æterna, et in perpetuum reprobati manebunt ; *et perditio eorum non dormitat,* quia eorum damnatio non quiescet, et nunc in vita hac perditi sunt per demerita propria.

C De his perversis hæreticisque magistris multa in B. Pauli leguntur epistolis : ut quum ait ad Galatas, Quicumque volunt Galat. VI, 12. placere in carne, hi cogunt vos circumcidi. De quibus et ad Timotheum multa II Tim. III, 1-9. effatur. Denique tempore Apostolorum cœperunt exsurgere, ut Paulus testatur. Inter quos fuerunt Ebion et Cerinthus, qui Christi deitatem negabant. Et Marcion, qui eum phantasticum corpus asseruit assumpsisse : cujus perfidiam postmodum auxit sacrilegus Manichæus. Arius quoque et D Photinus atque Nestorius, negabant Christum esse verum Deum. Sabellius vero mentitus est eamdem personam esse Patrem et Filium et Spiritum Sanctum. Apollinaris rudissimus, negabat Christum animam habuisse rationalem. Itaque isti et eis consimiles, Christum et ejus fidem atque doctrinam blasphemaverunt.

Insuper, per exempla ostendit hos esse acriter puniendos. *Si,* pro Quia, *Deus angelis peccantibus non pepercit :* 4 de quibus in libro Job habetur, In angelis suis re- Job IV, 18.

perit pravitatem ; *sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit in judicium cruciandos reservari.* Littera hæc intricata, sic ordinanda est et exponenda : *sed* ipsos angelos qui peccaverunt, *detractos rudentibus inferni,* id est infernalibus funibus seu vinculis, quæ sunt eorum peccata, juxta quod in Proverbiis
Prov. v, 22. asseritur, Iniquitates suæ capient impium, et funibus peccatorum suorum constringetur. His, inquam, funibus angelos detractos, id est deorsum projectos, et tractos a rigore divinæ justitiæ *in tartarum,* utpote in aerem caliginosum, qui quibusdam illorum pro carcere infernali est deputatus ad exercitium hominum ; vel, In tartarum, id est infernum inferiorem sub terra situm, in quem multi projecti sunt. Illuc ergo detractos *tradidit,* id est, præcepit sive disposuit vel dedit, eos *reservari cruciandos,* quia ignem suum secum ferunt ubique, *in judicium,* id est usque in diem judicii : quia tamdiu reservantur hinc inde in aere sive inferius, et in die judicii graviter affligentur, quoad Judicis deducti præsentiam, qui tunc eos inferno inferiori sine fine adjiciet. Tuncque augebitur pœna eorum accidentalis ex infelicium societate et condemnatione quos deceperunt, quemadmodum accidentale præmium angelorum sanctorum tunc crescet ex eorum consortio quos custodierunt. Quemadmodum ergo angelis peccantibus Dominus non pepercit, ita nec hæreticis parcet, quamvis omnes citra condignum torqueantur. Tametsi enim angeli boni et mali sint in termino, nec mereantur quantum ad essentialem felicitatem sive calamitatem, tamen quantum ad accidentale præmium seu tormentum, possunt interim mereri aut demereri.

Deinde inducit secundum exemplum, in quo evidenter terribiliterque apparuit ri-
5 gor divinæ justitiæ. *Et originali mundo,*
id est generi humano quod fuit in prima mundi ætate, puta hominibus qui ante diluvium exstiterunt, *non pepercit ; sed octavum Noe justitiæ præconem custodivit.* In Canonica S. Judæ apostoli scriptum est : Prophetavit septimus ab Adam Enoch, *Judæ* 14.
etc. Posset itaque aliquis forsitan opinari, quod sicut Enoch fuit in ordine genealogiæ septimus ab Adam, sic Noe vocetur octavus quasi ab Adam octavus in ordine habeatur. Quod dici non potest, quia decimus fuit ab Adam. Siquidem in Genesi fertur, quod Enoch genuit Mathusalem, de quo natus est Lamech pater istius Noe. Dicitur ergo Noe octavus, quia inter eos qui erant in arca, fuit octavus, incipiendo numerationem ab inferiori usque ad supremum, videlicet ipsum Noe. Fuerunt namque in arca tres filii ejus cum tribus *Gen.* vii, 7.
uxoribus, uxor quoque Noe et ipse. Vocatur quoque præco justitiæ, quia justitiam Dei et pœnitentiam, veritatisque viam, hominibus illius temporis denuntiavit, sicut in expositione præcedentis epistolæ *In I Petr.* iii, 19, 20.
patuit. Custodivit vero Deus Noe, quia a submersione diluvii eum eripuit. *Diluvium mundo impiorum inducens,* id est hominibus impiis tunc in mundo morantibus, qui viam suam corruperunt. Quorum tanta fuit malitia, ut in Genesi dicatur : Videns Deus quia multa malitia *Gen.* vi, 5-7.
hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis humani intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quod fecisset hominem in terra ; et præcavens in futurum, tactus dolore cordis intrinsecus : Delebo, inquit, hominem quem creavi, a facie terræ. Quemadmodum ergo illis Deus non pepercit, ita nec hæreticis parcet.

Deinceps exemplum tertium subditur.
Et civitates Sodomorum et Gomorrhæorum in cinerem redigens, 6
id est, Sodomam et Gomorrham redegit in pulverem, quoniam ignem et sulfur abundantissime *Ibid.* xix, 24, 25.
pluit super eas et habitatores, imo super totam Pentapolim : cujus civitates in Deuteronomio exprimuntur, *Deut.* xxix, 23.
videlicet Sodoma et Gomorrha, Adama et Seboim. Quinta urbs fuit Segor. Quibus in pulverem ex sulfureo igne redactis cum adjacentibus terris, operuit terram illam mari Mortuo,

in quo nihil vivere potest. Suntque ibi A
arbores poma apparatu pulcherrima de-
ferentes : quæ poma si manu tractentur,
in cinerem resolvuntur, et fumum emit-
tunt, quasi adhuc essent ardentia. Unde
Sap. x, 6, 7. in Sapientiæ libro legitur : Hæc justum
a pereuntibus impiis liberavit fugientem,
descendente igne in Pentapolim : cujus in
testimonium nequitiæ fumigabunda con-
stat deserta terra, et incerto tempore fru-
ctus habentes arbores. *Eversione damna-
vit,* id est, præfatas urbes ita evertens seu
destruens, habitatores ejus sic punivit et B
condemnavit. *Exemplum eorum qui im-
pie acturi sunt ponens,* id est, per illam
combustionem et eversionem exemplari-
ter pandens, qualiter igne æternali sint
puniendi iniqui, præsertim hæretici.

7 *Et justum Lot :* cujus justitiam innuit
Hebr. xiii, 2. Paulus ad Hebræos : Hospitalitatem, in-
quiens, nolite oblivisci ; per hanc enim
placuerunt quidam (videlicet Abraham et
Lot) angelis hospitio susceptis (ut patet
Gen. xviii, 3; xix, 2. in Genesi) : *a nefandorum injuria,* id est
violentia, *et luxuriosa conversatione eri-* C
puit, id est, a turpissimis Sodomitarum
Ibid. xix, 15 et seq. inquinamentis præservavit, atque per an-
gelos ex Sodoma duxit. Et recte Sodomi-
tæ, qui vitiis contra naturam sordebant,
vocantur nefandi, tanquam penitus dete-
stabiles et inhumani. Qui verbis et factis
injuriam intulerunt beato Lot, juxta illud
Ibid. 9. Genesis : Ingressus es, inquiunt, ut ad-
vena, numquid ut judices? Te ipsum ergo
magis quam hos affligemus. Vimque fa-
ciebant Lot vehementissime.

8 *Adspectu enim et auditu justus erat.* D
Quod dupliciter potest intelligi : Primo,
quod Lot tam custodite se habuit, quod
nec ex visis, nec ex auditis Sodomitarum
flagitiis a sua puritate et æquitate colla-
psus est, quum tamen dicat Scriptura :
Ps. xvii, 27. Cum perverso perverteris. Secundo, quod
tam virtuose vixit, quod impii illi nihil
iniquum viderunt in eo, nec perceperunt
Judith viii, 8. de ipso, sicut de Judith vidua fertur : Me-
tuebat Dominum valde, nec erat qui lo-
queretur de ea verbum malum. De beatis-
simi quoque Joannis Baptistæ parentibus
venerandis ac sanctis scriptum est : In- Luc. i, 6.
cedebant in omnibus justificationibus Do-
mini sine querela. Sic et sanctus Job de
se ipso fatetur : Auris audiens beatifica- Job xxix, 11.
bat me, et oculus videns testimonium per-
hibuit mihi. Denique istud arduum fuit,
et magnæ perfectionis indicium in Lot,
quoniam teste Gregorio, inter imperfectos
perfecte conversari, et inter iniquos juste
se habere, est valde laudabile. Et quo-
niam justis grave est injustitiam cernere,
subditur : *habitans apud eos,* id est Lot
habitans inter Sodomitas, *qui de die in
diem animam justam iniquis operibus
cruciabant,* id est, quotidie ipsum Lot
suis pravissimis afflixerunt sceleribus. Ju-
stus namque, tam ex Dei amore, quam
ex proximorum dilectione atque ex zelo
suæ justitiæ, de impiorum vitiis contri-
statur, præsertim quum ea emendare non
potest ; et dicere potest Domino cum Pro-
pheta : Tabescere me fecit zelus meus, Ps. cxviii, 139.
quia obliti sunt verba tua inimici mei.

Ex quibus concludit Archiapostolus :
Novit Deus pios de tentatione eripere, id 9
est de omni tribulatione eruere, quum
dicat in Psalmo : Cum ipso sum in tribu- Ps. xc, 15.
latione, eripiam eum, et glorificabo eum.
Eripit autem eos loco, modo et tempore
sibi placente, et prout saluti expedit ele-
ctorum. Idcirco in tribulationibus et ten-
tationibus constituti, patienter et longa-
nimiter ferre debent, et Dominum exorare
ut eos indesinenter roboret et conservet,
atque quum ei placuerit, ipsisque expe-
dit, finem tribulationi dignetur impone-
re. Unde quum Ozias princeps Judæorum Judith vii, 23, 25.
dixisset, quod nisi infra quinque dies ve-
niret eis a Deo auxilium, urbem traderet
in manus Assyriorum, virtuosa ac sapiens
Judith dixit : Qui estis vos, qui tentatis Ibid. viii, 11, 13.
Deum? Posuistis vos tempus miserationi
Domini, et in arbitrio vestro diem con-
stituistis ei. *Iniquos vero in diem judicii
cruciandos reservare.* Non est hoc ita in-
telligendum quasi iniqui ante diem ge-
neralis judicii non sint damnandi et cru-

ciandi, sed quia tunc in corpore et anima
damnabuntur, qui interim in die particu-
laris sui judicii condemnantur in anima.
Gravissime vero punientur hæresiarchæ,
10 sicut subjungitur. *Magis autem eos reser-
vat in judicio cruciandos, qui post carnem
in concupiscentia immunditiæ ambulant,*
id est, carnales et fœdas concupiscentias
assequuntur, *dominationemque contem-
nunt,* id est, tam Christo omnium domina-
tori, quam ejus vicariis, sanctis Apostolis,
imo et summo Antistiti renuunt obedire;
audaces, id est temerarii ac præsumptuosi,
confingendo dogmata nova; *sibi placentes,*
id est magni et sapientes in oculis suis.
Rom. xv, 1-3. Quocontra ad Romanos dicitur : Debemus
nos firmiores, imbecillitates infirmorum
sustinere, et non nobis placere; unusquis-
que proximo suo placeat in bonum, ad
ædificationem : etenim Christus sibi non
Is. v, 21. placuit. Et apud Isaiam ait Scriptura : Væ
qui sapientes estis in oculis vestris, et co-
ram vobismetipsis prudentes. Idcirco in
Prov. iii, 7, 5. Proverbiis Salomon loquitur : Ne sis sa-
piens apud temetipsum, et ne innitaris
prudentiæ tuæ. *Sectas non metuunt in-
troducere,* id est hæreticas pravitates et
schismata invenire ac spargere : quia Scri-
pturas secundum proprium ingenium præ-
sumunt exponere, et de sua subtilitate
atque peritia stulte impiissimeque confi-
dunt, quum Scripturæ eo spiritu sint in-
telligendæ quo et primum sunt revelatæ;
blasphemantes (ut dictum est) Christum et
ejus doctrinam.
11 *Ubi,* id est, in eo quod dominationem
contemnunt, et audaces sibimet placent,
angeli, scilicet mali, *fortitudine* naturæ,
et virtute potentiæ, *quum sint majores*
hominibus, id est naturaliter altiores. Sunt
enim speciei eminentioris quam homo, et
per consequens naturaliter fortioris natu-
ræ, utpote incorruptibiliores et in natura-
libus viribus vigorosiores, puta intellectu
et voluntate, præsertim quum (divino Dio-
nysio testante) naturalia in dæmonibus
manserint integra. *Non portant,* id est,
sufferre vix valent, *adversus se exsecra-*

A *bile judicium,* id est districtum Dei judi-
cium contra eos jam datum : quod quam-
vis sit in se ipso justum et sanctum, tamen
patientibus durum est et exsecrandum vi-
detur. Similiter supplicium eis inflictum,
exsecrabile eis est. Si ergo angelis tam
potentibus ac potentioribus ipsis homi-
nibus, tam intolerabilia sunt inflicta tor-
menta, sequitur quod intolerabiliora erunt
impiis hæreticisque hominibus, maxime
hæresiarchis, de quibus ad litteram agitur.
Itaque ex prædictis sequi apparet, quod
B major damnatio sit hæresiarcharum, quam
eorum qui perierunt diluvio et Sodomita-
rum, imo et dæmonum, saltem quorum-
dam. Nam et Christus in Evangelio pro- *Matth.* xi, 24; *Luc.* x, 12.
testatur, quod in die judicii remissius erit
terræ Sodomorum, quam civitatibus quæ
prædicationem ejus non receperunt, nec
per ejus miracula sunt conversæ. Per Eze-
chielem Dominus quoque testatur, quod
Sodoma non peccavit dimidium peccato- *Ezech.* xvi, 49-51.
rum quæ perpetraverunt Judæi. Dæmones
etiam non sunt omnes æque iniqui, quum
C de singulis ordinibus aliqui credantur ruis-
se. Et sicut homines electi ad singulos an-
gelorum ordines assumuntur, et eis parifi-
cantur in gloria, sic probabiliter creditur
quod diversi reprobi secundum suorum
diversitatem ac gradum demeritorum, sin-
gulorum chororum dæmonibus coæqua-
buntur in pœnis. Præterea, loquendo in
genere, peccata spiritualia graviora sunt
peccatis carnalibus, et peccata in Deum,
peccatis in proximum. Peccata autem hæ-
resiarcharum sunt inter spiritualia vitia et
D inter facinora in Deum gravissima, præ-
sertim quia et tot homines involvunt er-
roribus, quorum omnium peccata et tor-
menta redundant in hæresiarchas. Peccata
autem Sodomitarum et diluvio eversorum
fuerunt carnalia atque in proximum. In-
terim dæmones una transgressione positi
fuerunt in termino, nec interim demerue-
runt : sicut nec angeli sancti post primam
ad Deum conversionem (qua positi fue-
runt in termino) promeruerunt, loquendo
de merito ac demerito quantum ad præ-

mium essentiale, seu calamitatem princi-
palem. Hæresiarchæ vero plurimis et quasi
innumeris transgressionibus demeruerunt,
et ad sui cursus terminum pervenerunt.
12 *Hi vero* hæresiarchæ qui sectas intro-
ducunt, *velut irrationabilia pecora natu-
raliter in captionem et in perniciem,* id
est, sicut bruta naturaliter omni ratione
carentia faciliter seducuntur, ita quod ca-
dunt in lacum quo capiuntur et occidun-
tur, sic et hæretici *in his quæ ignorant
blasphemantes,* id est, in his quæ fidei
sunt, quæ non intelligunt, committunt
blasphemias, Christi divinitatem, seu alias
fidei veritates negando, *in corruptione sua
peribunt,* id est, propter suos errores et
excessus (per quos eorum intellectus et
voluntas spiritualiter corrumpuntur, infi-
13 ciuntur, necantur) condemnabuntur, *per-
cipientes mercedem injustitiæ,* id est de-
bitam punitionem suæ perversitatis.

*Voluptatem existimantes diei delicias
coinquinationis et maculæ,* id est, hære-
tici isti in tantum obtenebrantur, quod
delicias coinquinationis et maculæ, id est,
delectationes carnales, fœdas, venereas,
præsertim ad tactum et gustum pertinen-
tes, reputant esse voluptatem diei, id est
tam licitas et honestas, quasi alia et me-
lior voluptas haberi non possit in die. Sic-
que per voluptatem diei designatur volu-
ptas licita et sincera. — Quemadmodum
enim duplex est concupiscentia, utpote
carnalis et inordinata, et spiritualis ac or-
In II Petr. I, 4. dinata, ut dictum est, sic duplex est vo-
luptas, vel delectatio sequens eam. Volu-
ptas bona et licita, est delectatio actui
virtuoso annexa. Quælibet etenim virtus
propriam habet delectationem operationi
suæ conjunctam, quemadmodum in Pro-
Prov. XXI, 15. verbiis scriptum est : Gaudium est justo
facere justitiam. Et Aristoteles ait : Si-
gnum virtutis est delectatio contingens in
Ps. XCI, 5. opere. De hac voluptate ait Propheta : De-
lectasti me, Domine, in factura tua; et,
Ps. XXXV, 9. Torrente voluptatis tuæ potabis eos. Vo-
luptas prava et vitiosa est omnis delectatio
actui illicito juncta. De qua in Ecclesiaste

A asseritur : Adolescentia et voluptas vana Eccle. XI, 10.
sunt; et in Ecclesiastico, Post concupiscen- Eccli. XVIII, 30.
tias tuas non eas, et a voluptate tua aver-
tere. Quum ergo passiones et vitia, præ-
sertim perfidiæ et delectationes venereæ,
mentem obtenebrent, quidam his vitiis sic
excæcantur, ut de sua turpitudine non ve-
recundentur, sed potius glorientur, et qua-
si licitas et honestas reputent delectationes
impuras ac sordidas. De quibus scriptum
est : Exsultant in rebus pessimis; et in Prov. II, 14.
Isaia, Peccatum suum quasi Sodoma præ- Is. III, 9.
B dicaverunt. — Itaque per voluptatem diei
intelligitur lucis voluptas. Lux enim si-
gnificatur appellatione diei, ut quum as-
serit Paulus : Nos qui diei sumus, sobrii I Thess. V, 8.
simus. Nam, ut ait Salvator, qui facit ve- Joann. III, 21.
ritatem, venit ad lucem.

Deliciis carnalibus et vitiosis *affluentes.*
Tales namque non solum in venereis, sed
in suis quoque perfidis documentis, adin-
ventionibusque vanissimis delectantur, *in
conviviis suis luxuriantes vobiscum,* juxta
vos corporaliter commorando, aut prave
C agendo, aut vos ad eadem attrahendo pro
posse. *Oculos habentes plenos adulterii et* 14
incessabilis delicti, id est signis et incita-
mentis adulterationis : quia in oculis lasci-
via mentis præsertim apparet, et per cor-
poralem intuitum provocatur libido. Quæ
incessabilis dicitur, quia quo amplius per-
vagatur seu exercetur, eo plus incitatur
et infrenis ac vaga efficitur. Hinc impu-
dicus oculus impudicæ mentis est nun-
tius. Et in Ecclesiastico habetur : Virginem Eccli. IX, 5, 7-9.
ne conspicias, ne scandalizeris in decore
D ejus; noli circumspicere in vicis civitatis;
averte faciem tuam a muliere compta;
propter speciem mulieris multi perierunt.
Idcirco timoratus et sanctus Job dixit : Pe- Job XXXI, 1.
pigi fœdus cum oculis meis, ne cogitarem
quidem de virgine.

Pellicientes animas instabiles. Secun-
dum Bedam, pellices dicuntur meretrices,
sumpto vocabulo a pollutione, vel a pellis
suæ formositate, qua incautos alliciunt.
Pelliciunt ergo animas instabiles, qui ho-
mines in fidei veritate et virtutum con-

stantia non bene fundatos pestifere in- A
struunt, ac seducunt. Quocontra loquitur
Ephes. IV, 14. Paulus : Non circumferamur omni vento
doctrinæ. Et in Ecclesiastico præcipitur :
Eccli. V, 12. Esto firmus in via Domini, et in veritate
Prov. I, 10. sensus tui; et in Proverbiis, Fili mi, si te
lactaverint peccatores, ne acquiescas il-
lis. *Cor exercitatum*, id est habituatum, *in*
avaritia habentes, quia assidue cogitant
qualiter temporalia sibi accumulent. Quo-
Eccli. X, 10. contra in Ecclesiastico fertur : Nihil ini-
Ibid. 9. quius quam amare pecuniam; et : Avaro
nihil est scelestius; hic enim animam su- B
am habet venalem. *Maledictionis filii*, id
est maledictione digni : quemadmodum
I Reg. XXVI, 16. primo Regum David ait ad Abner : Filii
mortis estis vos, qui non custodistis do-
minum vestrum regem, id est morte digni.
15 *Derelinquentes rectam viam*, id est di-
vina præcepta, Scripturarum documenta,
fidem et legem Christi, exercitia virtuosa,
per quæ omnia itur ad Deum, et recto
tramite pertingitur ad salutem, *erraverunt*
per vitiorum abrupta, juxta illud Prover-
Prov. II, 13. biorum : Relinquunt iter rectum, et am- C
bulant per vias tenebrosas. De quibus Vas
II Tim. III, 13. electionis fatetur : Impii proficient in pe-
jus, errantes et in errorem mittentes. *Se-*
cuti viam, id est iniquitatem, *Balaam ex*
Bosor, id est ex urbe sic dicta venientem,
ut tangit Beda, *qui mercedem iniquitatis*
amavit, quoniam propter munera dedit
regi Balac consilium decipiendi filios Is-
Num. XXIV, 14. rael, juxta illud Numerorum : Pergens ad
populum meum, dabo consilium, quod po-
16 pulus tuus faciat populo huic. *Correptio-*
nem vero habuit suæ vesaniæ, id est, pro D
sua insipientissima impietate debite est
Ibid. XXXI, 8. punitus. Fuit enim occisus a filiis Israel.
Correptus quoque fuit ab angelo atque ab
asina, ut subditur. *Subjugale mutum ani-*
mal, scilicet asina cui insidebat, loquendi
facultatem ex natura sua non habens, *voce*
hominis loquens, prohibuit prophetæ in-
sipientiam. Asina quippe virtute divina
insipientiam ipsius Balaam (qui fuit pro-
pheta, aliqua ex divina revelatione prænun-
tiando) redarguit, et eum a cœpto itinere,

quantum in se erat, compescuit, dicens :
Cur percutis me ecce jam tertio? Quæ Num. XXII, 28.
omnia in Numerorum libro plenius sunt
descripta. — Creditur autem quod ange-
lus Dei per os asinæ verba illa formavit,
nec asina verba illa intellexit, quum et
numerare opus sit rationis, et in verbis
illis numeratio fuit, quum dixit, Tertio.
Unde, ut asserit Avicenna, gallina nu-
merum pullorum suorum non noscit, sed
multitudinem percipit. Dicitur tamen asi-
na reprehendisse Balaam, quoniam verba
reprehensoria protulit.
Hi sunt fontes sine aqua, id est docto- 17
res ficti carentes vera doctrina : quia do-
ctores se esse præsumunt et jactant, quum
deceptores exsistant, sicque assimilantur
fonti siccato; *et nebulæ turbinibus exagi-*
tatæ, id est similes nebulis a ventis hinc
inde commotis : quoniam dæmonum sug-
gestionibus et vitiorum impulsibus cir-
cumferuntur ; *quibus caligo tenebrarum*
reservatur : quia ut ait Salvator, projici- Matth. VIII, 12; XXII, 13.
entur in tenebras exteriores, ut de tene-
bris vitiorum præcipitentur in tenebras
tormentorum. Et recte obscuritas infer-
nalis caligo tenebrarum, quasi caligo ca-
liginum, appellatur, quum sit vehemen-
tissima, quemadmodum rosa flos florum
vocatur.
Superba enim vanitatis loquentes, id 18
est verba falsitatis pomposa; vel, ut alii
legunt, Superbia vanitatis, id est ex arro-
gantia propriæ vanitatis, loquentes : *pelli-*
ciunt in desideriis carnis luxuriæ, id est,
per concessionem et approbationem con-
cupiscentiarum carnalium fallunt, *eos qui*
paululum effugiunt, id est imperfectos,
qui aliqualiter se ab erroribus ac peccatis
cœperunt abstrahere; *qui* deceptores *in*
errore conversati, id est assuefacti, *liber-* 19
tatem illis promittunt, id est, deceptis a
se affirmant quod libere sine peccato pos-
sint carnalia desideria adimplere. Per quod
illos ad talia pronos, faciliter fallunt, *quum*
ipsi hæretici et iniqui, *servi sint corru-*
ptionis, id est falsitati ac impietati sub-
jecti. *A quo enim quis superatus est, hu-*

jus et servus est. Ipsi autem a vitiis et
a diabolo victi sunt, idcirco vitiorum et
dæmonum servi censentur. Propter quod
II *Tim.* II, 26. loquitur Paulus : Resipiscant a laqueis
diaboli, a quo captivi tenentur. Et apud
Joann. VIII, 34. Joannem asserit Christus : Omnis qui facit peccatum, servus est peccati.

20 *Si enim refugientes coinquinationes mundi,* id est, mundana et carnalia vitia evitantes, *in cognitione,* id est per veram fidem et fidelem notitiam, *Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi, his rursus implicati superantur,* id est, recidivando pristinis vitiis involvuntur ; *facta sunt eis posteriora deteriora prioribus,* id est, peccata quæ recidivando et post recidivum commiserunt aut inciderunt, enormiora sunt peccatis ante recidivum commissis, aut per omissionem contractis. Nam vulnera repetita sunt magis periculosa. Et recidivatio ista, propter ingratitudinem sibi annexam, qua quis de priore remissione, illuminatione et gratia Deo ingratus est, et propter præhabitam veritatis notitiam, valde auget et gravat peccata sequentia. Propterea subditur :

21 *Melius enim,* id est minus malum sive culpabile, *erat illis non cognoscere viam justitiæ,* id est divina præcepta et ea quæ necessaria sunt saluti, *quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato,* id est ab observantia legis ac fidei christianæ divertere. Nempe quo quis plura a Deo beneficia est sortitus, eo plus obligatus est Deo gratus esse ac deservire. Idcirco doctus gravius peccat quam indoctus, ceteris paribus, præsertim quia qui viam agnoscit justitiæ, nec tamen observat, plus videtur Deum contemnere, quam justitiæ viam ignorans. Propter quod Christus disseruit :
Luc. XII, 47, 48. Servus qui cognovit voluntatem domini sui, et non fecit, plagis vapulabit multis ; qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis. Hinc dictum est
Jacob. IV, 17. per Jacobum : Scienti bonum facere, et non facienti, peccatum est illi. Imo quam enorme sit istud, constat ex eo quod ad
A Hebræos legitur : Voluntarie peccantibus *Hebr.* X, 26.
nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia. Et rursus ad Hebræos terribiliter loquitur Paulus : Impossibile est eos qui semel sunt *Ibid.* VI, 4, 6.
illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritus Sancti, et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes. Hinc etiam Veritas contestatur : Si cæci esse- *Joann.* IX, 41.
tis, non haberetis peccatum ; nunc autem
B dicitis, Quia videmus ; peccatum vestrum manet.

Sed si ista ita se habent, videtur ignorantia hominem excusare. Imo apparet quod quum homo sit fragilis, tutius sit non discere neque agnoscere viam justitiæ, quam eam cognoscere, ne forte post ejus cognitionem contingat peccare, et graviorem reatum incurrere. Respondetur, quod ignorantia juris quod quis scire tenetur, non excusat a culpa, nec ignorantia crassa, seu affectata ; sed ignorantia facti, ad-
C hibita diligentia bona, ignorantia quoque invincibilis, prorsus excusant. Et quamvis malum sit post veritatis notitiam cadere, ipsa tamen notitia in se bona est et optanda, et frequenter a variis malis præservat, et confert ad hoc ut homo resurgat celerius. Porro, qui viam nescit justitiæ, sine retinaculo errat, nec surgit.

Cur autem enormius sit post justitiæ
agnitionem peccare, subjungitur. *Contin-* 22
git enim illis, scilicet recidivantibus, *id veri proverbii.* Idcirco ait, Veri proverbii,
D quia quod sequitur, ex libro Proverbiorum Salomonis acceptum est. *Canis reversus ad suum vomitum.* Sic siquidem Salomon in Proverbiis loquitur : Sicut canis qui *Prov.* XXVI, 11.
revertitur ad vomitum suum, ita stultus qui iterat stultitiam suam. Nam, sicut id quod per vomitum est ejectum, resumere est valde abominabile, fœtens ac turpe ; sic peccata pœnitendo deleta reiterare. Quod vero adjungitur, *et, Sus lota in volutabro luti,* princeps Apostolorum de suo apposuit, valdeque apte : nam sicut ex

tali lotione efficitur porca sordidior quam A fuerat ante, ita ex recidivo gravius homo coinquinatur. Itaque sicut vomens superfluam ejicit materiam qua premebatur : sic peccator confitendo effundit mentis venenum quod animam pressit; dum vero post pœnitentiam recidivat, instar canis redit ad vomitum, id est, quod salubriter evomuit, damnabiliter repetit. Postremo, in Scripturis per stultum designatur quicumque in mortali est vitio, et per stultitiam omnis mortalis intelligitur culpa. Sic in Ecclesiaste asseritur : Stultorum *Eccle.* I, 15.
infinitus est numerus.

ARTICULUS III

EXPOSITIO CAPITULI TERTII : HANC ECCE VOBIS, CARISSIMI, SECUNDAM SCRIBO EPISTOLAM.

HOC ultimo capitulo gloriosissimus apo- B
stolici chori hierarcha plenius de-
struit hæreticas pravitates, et fideles in
1 fide confortat. *Hanc ecce vobis, carissimi,*
secundam scribo epistolam, in quibus pri-
ma et secunda epistolis, *vestram excito in*
commonitione, id est per hanc caritativam
exhortationem, *sinceram mentem* a vitiis
2 expurgatam, *ut memores sitis* memoria
virtuosis actionibus juncta, *eorum quæ*
prædixi, verborum Prophetarum et Apo-
stolorum sanctorum, id est verborum a
sanctis Prophetis Apostolisque prolatorum, C
videlicet documentorum ac mandatorum
quæ tradiderunt. Aliqui textus habent,
Verborum a Prophetis, et redit in idem :
nam sensus est, Verborum dictorum a Pro-
phetis. Memores quoque estote *præcepto-*
rum Domini et Salvatoris nostri, id est
præceptorum quæ Christus Dominus et
Salvator in Evangelio dedit, qui decem
præceptis aliqua addidit. Hæc memoria ad
exsecutionem operis est ordinanda, juxta
Ps. CII, 18. illud in Psalmo : Memores sunt mandato-
rum ipsius ad faciendum ea. D
3 *Hoc primum scientes,* inter ea quæ
jam scienda commemoro, *quod venient*
in novissimis diebus, præsertim circa An-
tichristi adventum, *in deceptionem,* id est
ad introducendum deceptionem, *illusores*
Scripturarum ac fidei christianæ atque
fidelium, *juxta proprias concupiscentias*
ambulantes, id est vitiose carnaliterque
viventes; *et dicentes : Ubi est promissio* 4
aut adventus ejus? id est, ubi manent,
aut quando apparebunt et implebuntur,
quæ Jesus Nazarenus promisit suis culto-
ribus? Et quando ad judicium veniet ipse,
prout prædixit? tanquam dicant : Omnia
vana sunt et conficta, nec erit judicium,
nec resurrectio mortuorum. *Ex quo enim*
patres nostri *dormierunt, omnia sic per-*
severant ab initio creaturæ : id est, ab ex-
ordio sæculi et generationis humanæ, et a
temporibus antiquissimis, in quibus obie-
runt progenitores nostri primævi, mundus
juxta solitum cursum naturæ processit,
duravit, nec notabiliter est mutatus : er-
go nec in futuro mutabitur, nec genera-
tionum cessabit successio. Quemadmodum
ergo Paulus secunda ad Thessalonicenses
redarguit eos qui tunc secundum adven-
tum Christi de proximo imminere asse-
ruerunt, Non terreamini, inquiens, quasi II *Thess.* II, 2.
instet dies Domini; sic princeps Apostolo-
rum nunc eos condemnat qui de nimia
dilatione secundi adventus Domini causa-
bantur. Præinductis demum sanctissimi
Petri verbis consonant, quæ ad Timothe-
um scripta sunt, ubi Vas electionis fate-
tur : In novissimis diebus instabunt tem- II *Tim.* III, 1, 2.
pora periculosa, et erunt homines amantes
se ipsos, etc.

Consequenter probat summus Apostolus

falsum esse quod illi dicent, omnia a prin-
5 cipio creaturæ sic perseverare. *Latet enim*
eos hoc volentes, id est, qui illud dicturi
sunt, nesciunt, *quod cœli erant prius, et*
terra de aqua et per aquam consistens Dei
6 *verbo : per quæ ille tunc mundus inun-*
datus periit. Oportet advertere, quod bea-
tissimus Petrus non loquitur hic de su-
perioribus cœlis, supra sphæram actionis
et passionis subsistentibus, qui ex sua na-
tura sunt incorruptibiles quantum ad su-
um esse substantiale, sed loquitur de cœ-
lis aeriis, id est partibus aeris superiori
et inferiori. Unde per Jeremiam Dominus
Jer. VIII, 7. loquitur : Milvus in cœlo cognovit tempus
IV *Reg.* II, 11. suum. Et quarto Regum asseritur : Ascen-
dit Elias per turbinem in cœlum. Hinc et
aves cœli vocantur, quia in aere volant.
Porro, quod de his cœlis solummodo jam
loquatur sacratissimus Petrus, hinc con-
stat, quia intendit probare quod mundus
Gen. VII, 17-24. semel per diluvium periit, et rursus in
fine igne peribit. Idcirco non loquitur
nisi de cœlis quos attigit aqua, et ignis
attinget. Certumque est quod aqua sphæ-
ram lunæ non attigit, nec ignis conflagra-
tionis creditur altius ascensurus quam il-
la ascenderat aqua. Et istud Thomas super
quartum affirmat Sententiarum. Beda quo-
que, Albertus, et alii expositores concor-
dant in isto.

Est igitur sensus : *Cœli erant prius,* id
est, ab exordio ante diluvium fuerunt cœli
aerii, quantum ad suam substantiam, ut-
pote inferior pars aeris, et pars ejus su-
perior quæ est supra cacumina montium :
quam superiorem aeris partem aqua dilu-
Ibid. 20. vii partim occupavit, quoniam quindecim
cubitis altior fuit altissimis montibus ter-
ræ, ut scribitur in Genesi. *Et terra* etiam
prius, scilicet ante diluvium, fuit *de aqua,*
id est, per separationem aquarum a su-
perficie terræ apparuit terra, juxta illud
Ibid. I, 9. Genesis : Congregentur aquæ in locum
unum, et appareat arida, et factum est
ita. *Et* hæc eadem terra est *per aquam*
consistens Dei verbo, id est, ex omnipo-
tentis Dei decreto sive præcepto terra sub-
A sistit, et permanet in esse per hoc, quod
partibus ejus undique supra superficiem
ejus, et intra viscera ejus aqua miscetur,
ut partes terræ sibi cohæreant : aliter re-
digerentur in pulverem. Propter quod as-
serit Avicenna : Ex terra pura non fit la-
pis, quia requiritur aqua, per quam fit
continuatio partium terræ. Hinc loquitur
Beda : Divina dispositione venis aquarum
terra tota intrinsecus plena est, quemad-
modum corpus animalium sanguinis ve-
nis repletur, ne ariditate terra deficiat, si
B aquarum cesset rigatio. Videmus namque
æstatis calore terras consumpto earum hu-
more flaccentes, atque in pulverem quem
projicit ventus, esse redactas. *Per quæ,*
hoc est per cœlos præfatos aerios et per
terram, *ille tunc mundus inundatus,* id
est inferior regio mundialis aquis perfu-
sa, operta et occupata, *periit,* quantum ad
viva contenta in terra et aere, præter ea
quæ erant in arca. Nam omnia mortua
tunc fuerunt. Periit etiam ille mundus, vi-
delicet terra, aqua et aer, scilicet regio
C illa elementaris, quantum ad multa. Nam
pristinum fructificandi vigorem perdidit
terra, atque in variis locis ac partibus ali-
am dispositionem accepit. Sed et magna
pars aeris corrumpebatur et vertebatur in
aquas. Tunc quoque rupti sunt omnes *Gen.* VII, 11.
fontes abyssi magnæ, puta Oceani.

Cœli autem qui nunc sunt, id est præ- 7
tacti cœli aerii, *et terra* quæ nunc est, id
est, jam in rerum natura subsistunt, *eo-*
dem verbo repositi sunt, id est, ex divino
præcepto ad convenientem naturalemque
D formam et statum quos nunc habent, re-
ducti sunt, per hoc quod aquæ diluvii ces-
saverunt, et terra et ignis ad pristinum
statum ac modum, quantum ad multa,
tunc redierunt, *igni reservati in diem ju-*
dicii et perditionis iniquorum hominum,
id est, igne conflagrationis sunt exurendi
atque purgandi in die judicii, qui est dies
perditionis seu condemnationis hominum
iniquorum. De quo die scriptum est : In *Job* XXI, 30.
diem perditionis servatur malus, et ad
diem furoris ducetur; et de furore Omni-

Prov. xvi, 4. potentis bibet. In Proverbiis quoque : Om-
nia propter se ipsum operatus est Domi-
nus, impium quoque ad diem malum.

Consequenter princeps Apostolorum bre-
viter probat, quod propter dilationem fu-
turi judicii æstimare nequaquam debe-
mus futurum non esse judicium illud,
quum omnis dilatio ista sit modica in Dei
conspectu, et comparatione perpetuæ du-
rationis eam sequentis. Nam subditur :
8 *Unum vero hoc non lateat vos, carissi-
mi ;* et quid sit hoc unum, subjungit :
*quia unus dies apud Dominum sicut mil-
le anni, et mille anni sicut dies unus :* id
est, spatium quod Deus comparatione suæ
æternitatis atque futuræ retributionis re-
putat quasi unum diem, est sicut mille
anni, id est spatium multo longissimum
secundum nostram computationem ac ap-
parentiam ; et mille anni apud nos, id
est spatia temporum quantumlibet diu-
turna, sunt coram Deo quasi dies unus,
quia suæ æternitatis respectu quasi mo-
mentum est. Propter quod ait Psalmista :
Ps. lxxxix, 4. Quoniam mille anni ante oculos tuos, tan-
quam dies hesterna quæ præteriit. Vel
sensus verborum istorum est, quod super-
sapientissimus Deus omnia in suæ æter-
nitatis nunc seu momento conspiciens, ita
contemplatur unum diem ut mille an-
nos, et mille annos ut diem unum, quo-
niam cuncta præterita, præsentia et futura
invariabiliter intuetur. — Porro, ut Beda
refert, quidam prætacta verba sic intelli-
genda putarunt, quasi dies judicii per mil-
le annos sit duraturus, non attendentes
quod non simpliciter ait, Erit unus dies
sicut mille anni, sed, Unus dies apud
Dominum ut mille anni. Si autem dicere
vellet quod dies judicii mille annorum
spatio tenderetur, non opus fuisset po-
nere, Apud Dominum, quoniam dies il-
la etiam apud homines tantæ longitudinis
esset.

Vult ergo beatissimus Petrus insinuare,
quod omnium dierum et annorum finem
certissime noscat Deus, certissime quoque
prænoverit quando adventus sit adimplen-

A dus, et quando promissa præmia sint San-
ctis reddenda. Idcirco subjungitur : *Non* 9
tardat Dominus promissum, id est, pro-
missa sua implere non differt ultra tem-
pus præfixum ac debitum. Sic et in Ha-
bacuc habetur : Apparebit Dominus in Habac. ii, 3.
finem, et non mentietur ; si moram fe-
cerit, exspecta eum, quia veniens veniet,
et non tardabit. *Sed patienter agit,* id est,
longanimiter præstolatur, et differt judi-
cium, *propter vos,* id est propter melius
vestrum, *nolens aliquem perire, sed omnes*
B *ad pœnitentiam reverti.* Sic et Christus
testatur : Non est voluntas ante Patrem Matth. xviii, 14.
ut pereat unus ex his pusillis. Et ad Ti-
motheum asseritur : Deus omnes homines I Tim. ii, 4.
vult salvos fieri, et ad agnitionem veri-
tatis venire. In Ezechiele quoque habe-
tur : Numquid voluntatis meæ est mors Ezech. xviii, 23.
impii, dicit Dominus, et non ut converta-
tur a viis suis, et vivat ?

Sed quomodo possunt hæc stare, quum
per Isaiam Deus testetur, Consilium me- Is. xlvi, 10.
um stabit, et omnis voluntas mea fiet ?
C Quum enim Dei voluntas omnipotens sit,
utique adimplebitur. Propter quod in li-
bro Esther legitur : Domine, Rex omnipo- Esther xiii, 9.
tens, in ditione tua cuncta sunt posita, et
non est qui tuæ resistere possit volun-
tati. Denique si tanta est felicitas civium
supernorum, ut quidquid velint, præsto
sit eis : quanto magis superbeatissimi Dei
infinita exigit beatitudo, ut nil divinæ vo-
luntati contrarium possit accidere ? — Ad
hæc duplex est responsio : Prima, quod
Deus quantum in se est, non vult quem-
D quam perire, sed omnes salvari. Nam om-
nes ad pœnitentiam ac salutem hortatur,
et pœnitentibus semper paratus est in-
dulgere, nec alicui quod in se est facienti,
denegat gratiam, imo per angelos sanctos
custodit ac dirigit homines ; nec ex par-
te Dei est defectus salutis cujuscumque
pereuntis, quum Deus variis modis ho-
mines ad meliora invitet. Secunda respon-
sio est, quod Deus non vult quemquam
perire, sed omnes salvari : loquendo de
voluntate antecedente, hoc est, conside-

rando homines secundum quod homines sunt, utpote rationalis naturæ, felicitatis capaces, non autem loquendo de voluntate consequente, utpote considerando eos ut tales aut tales : quemadmodum rex terrenus vult omnes subditos suos prosperari ac vivere, in quantum sunt subditi sui, non autem in quantum quidam eorum malefici sunt, et rebelles, fures, homicidæ, latrones.

Insuper, ut recitat Beda, qui dixerunt diem judicii per mille annos duraturum, ideo hoc dixerunt, quia putabant necesse ut electi qui in fine mundi in peccatis aliquibus morientur, intra spatium tantum purgentur : non attendentes quantæ sit impudentiæ dicere, quod ceteri universi electi et justi suis corporibus in oculi ictu resumptis, per tot annos in terra aut aere præstolabuntur finem judicii, atque a præparata ac debita eis beatitudine differentur. — Quod quum ita sit, quam sacrilegum et mendosum est quod sceleratissimus asserit Mahometus in scriptis suis, diem judicii per quinquaginta millium annorum spatium duraturum!

Itaque Deus differt judicii diem, ut interim compleatur numerus electorum, et homines per pœnitentiam se expurgent,
Hebr. xi, 13, 40. quemadmodum ad Hebræos scribitur : Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, Deo melius aliquid providente de nobis, ut non sine nobis consummarentur. Unde ut in Apoca-
Apoc. vi, 10, 11. lypsi inducitur, animabus martyrum diem ultionis optantibus, respondetur divinitus, ut requiescant tempus adhuc modicum, donec compleatur numerus conservorum eorum.

10 *Adveniet autem dies Domini*, id est dies judicii, qui specialiter dicitur dies Domi-
Matth. xii, 8. ni seu Christi judicis summi, qui est Dominus sabbati et temporis universi. Dies, inquam, judicii specialiter dicitur dies Domini, quia in eo ipse præcipue suam omnipotentiam, sapientiam, justitiam declarabit, suam operationem efficiet, suam
* Ut voluntatem complebit. *Tanquam* fur*, id

A est repente et improvise, Paulo testante : Quum dixerint, Pax et securitas, tunc re- I Thess. v, 3.
pentinus eis superveniet interitus ; et rursus, Dies Domini, tanquam fur in nocte, Ibid. 2.
ita veniet. Ideo ait Salvator : De die illa Matth. xxiv, 36.
et hora nemo scit ; et in Actibus, Non Act. i, 7.
est vestrum nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate. *In quo cœli magno impetu transient*, id est, cœli aerii, de quibus jam locutus est, grandi impulsu per ignem conflagrationis alterabuntur, atque a statu quem nunc habent,
B deficient. Aliquæ etiam partes aeris illo igne tunc corrumpentur. Denique aer terræ proximus, in Scripturis interdum vocatur cœlum, quum in Job dicatur : Amici Job Job ii, 12.
sparserunt pulverem super capita sua in cœlum. *Elementa vero calore* ignis, quo conflagrabitur et purgabitur mundus inferior, *solventur* eo modo quo cœli tunc transibunt. Elementa namque transibunt et solventur : Primo, quoad cessationem motus et operationis eorum, quia non movebuntur ut modo, nec erit in eis gene-
C ratio sive corruptio. Secundo, quantum ad mutuam transmutationem, quia per qualitates suas contrarias non alterabunt se invicem, nec in se mutuo agent ut nunc : quia cessante primi mobilis motu, cessabunt ista in inferioribus. Tertio, quantum ad innovationem, quia tunc transferentur ad dispositionem nobiliorem, et claritatem mirificam sortientur : quia ut creditur, terra splendebit ut aurum, aqua sicut crystallus, aer ut cœlum, ignis ut astra.

D *Terra autem et quæ in ipsa sunt opera, exurentur :* quia non solum terra igne purgabitur, partimque caloris vehementia consumetur, sed et plantæ, ac bruta, ac cetera mixta, secundum se tota corruptibilia, penitus corrumpentur. Elementa vero, quia secundum se tota corruptibilia non sunt, secundum substantiam et modo præfato manebunt, præsertim quum sint de integritate consistentiæ ac ordinis universi : quamvis Beda videatur aliter hic sentire. Nam ait : Quatuor sunt elementa,

quibus mundus iste consistit, ignis, aer,
aqua, et terra : quæ cuncta ignis maxi-
mus ille absumet. Nec cuncta in tantum
consumet ut funditus non sint, sed duo
in totum consumet, duo vero in meliorem
restituet faciem. Duo autem quæ dicit
penitus consumenda, sunt ignis et aqua.
Augustinus quoque in libro de Civitate
Dei, relinquit sub dubio de aqua, quum
Apoc. xxi, 1. in Apocalypsi legatur : Mare jam non est.
Sed doctores scholastici asserunt, elemen-
ta omnia secundum substantiam perman-
sura, præsertim quum ignis et aqua nobi-
liora sint terra. Porro quod dicitur, Mare
jam non est, intelligitur sicut et illud :
Matth. xxiv, 35. Cœlum et terra transibunt.

11 *Quum ergo hæc omnia* jam prædicta
solvenda sint, id est corrumpenda seu al-
teranda, vel immutanda, juxta sensum
præhabitum, *quales,* id est, quam diligen-
tes, assiduos, et constantes, *oportet vos es-
se in sanctis conversationibus,* id est vir-
tuosis operibus ? præsertim in operibus
misericordiæ, tam corporalibus quam spi-
Ibid. xxv, 34 et seq. ritualibus, de quibus specialiter fiet ju-
dicium, ut in Matthæo habetur. Ideo ad-
ditur, *et pietatibus :* quod etiam potest
exponi de duplici pietate, utpote de ea
quæ est virtus moralis, et subvenit pro-
ximo in quantum est indigens, et ea quæ
Is. xi, 2. est unum de septem donis Spiritus San-
cti, et subvenit proximo in quantum ad
Dei imaginem et similitudinem est crea-
12 tus, ut quidam distinguunt. *Exspectantes*
districtum Dei judicium, *et properantes in
adventum,* id est, celeriter ac ferventer
vos præparantes ad secundum adventum,
qui erit in fine : adventum, inquam, [*diei*]
Domini nostri Jesu Christi, per quem, id
est cujus imperio ac virtute, *cœli ardentes,*
id est cœli aerii igne calefacti, *solven-
tur,* secundum sensum inductum, *et ele-
menta,* videlicet aqua et terra, *ignis ar-
dore tabescent,* id est, a suo statu et modo
deficient, partimque desinent, sicut expo-
situm est.

Quasi diceret : Valde virtuosos, timora-
tos, exemplares oportet vos esse, consi-
A deratione rigoris divini judicii. Si enim
tam horribilia signa illud præcedent, et
si tantam horribilitatem ac districtionem
omnipotens, justus, metuendus Creator in
rebus inanimatis monstrabit, certum est
quod illud judicium in se ipso incompa-
rabiliter ineffabiliterque durissimum erit.
Et in ipsis hominibus impiis ineffabilem
Deus ostendet severitatem, tanto certe ma-
jorem, quanto nunc clementius diuturni-
usque exspectat. Propter quod sanctus Job
loquitur : Quis mihi hoc tribuat, ut in Job xiv, 13.
B inferno protegas me et abscondas me, do-
nec pertranseat furor tuus, et constituas
mihi tempus in quo recorderis mei ? Et
Psalmista : Nubes et caligo in circuitu Ps. xcvi, 2, 3.
ejus, justitia et judicium correctio sedis
ejus ; ignis ante ipsum præcedet, et in-
flammabit in circuitu inimicos ejus. Apud
Isaiam quoque fertur : Ecce nomen Do- Is. xxx, 27, 28.
mini venit de longinquo, ardens furor ejus
et gravis ad portandum ; labia ejus reple-
ta sunt indignatione ; spiritus ejus velut
torrens inundans ad perdendas gentes.

C *Novos vero cœlos et novam terram, et* 13
promissa ipsius exspectamus. Non ait, Ali-
os cœlos et aliam terram, sed, Novos, id
est quantum ad modum et proprietates
innovatos ac meliores effectos, et simili-
ter terram novam et meliorem effectam.
Cetera quoque Dei promissa, quæ nec ocu- I Cor. ii, 9.
lus vidit, nec auris audivit, nec in cor
hominis ascenderunt, dotesque corporum
glorificatorum et animarum felicium, præ-
stolamur : quia et ipsa creatura liberabi- Rom. viii, 21.
tur a servitute corruptionis in libertatem
D gloriæ filiorum Dei, ut dicitur ad Roma-
nos octavo. Hinc apud Isaiam Dominus
contestatur : Ecce ego creo cœlos novos Is. lxv, 17.
et terram novam. In Apocalypsi quoque
ait Joannes : Vidi cœlum novum et ter- Apoc. xxi, 1, 5.
ram novam ; et dixit qui sedebat in thro-
no : Ecce nova facio omnia. *In quibus
justitia habitat,* id est habitabit, ut sit
sermo propheticus, de futuro per modum
præsentis, propter certitudinem prophe-
tiæ, loquens. Tunc enim in corporeis illis
cœlis ac terra, divina præclarissime re-

lucebit justitia, universis tunc tribuens quod promeruerunt, et electorum gloriam augens in cœlorum ac elementorum innovatione, in quorum inspectione gaudebunt. Habitabit etiam in illis justitia :
Apoc. xxi, 27. quia ut in Apocalypsi habetur, non intrabit in civitatem cœlestem ac patriam Beatorum aliquid coinquinatum, sed soli justi, in quibus nunquam injustitia locum poterit obtinere, quia confirmati erunt in bono ; et erunt tunc omnia ad justitiæ æqualitatem plene redacta.

Ex quibus infertur salubris monitio,
14 dum subditur : *Propter quod, carissimi, hæc exspectantes, satagite immaculati et inviolati*, id est mente et corpore purificati, fide et opere integri, a mortalibus et venialibus vitiis emundati, *ei inveniri*, id est ad Dei honorem ac gloriam veraciter apparere [*in pace*]. Tanta enim felicitas omni diligentia et labore est dignissima, nec Deus cernetur nisi a purgatissimis mentibus. Propter quod loquitur Judæis :
Matth. v, 8. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum
Hebr. xii, 14. videbunt. Et ad Hebræos dicitur : Pacem sequimini et sanctimoniam, sine qua nemo Deum videbit. Hanc sententiam introduxit Vas electionis secunda ad Corinthi-
II Cor. vii, 1. os : Has, inquiens, habentes promissiones, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctifica-
Ps. cxviii, 1. tionem in timore Domini. Itaque, Beati immaculati in via, qui ambulant in le-
Ps. xxxi, 2. ge Domini ; beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum. Hinc ait Salvator :
Luc. xii, 37. Beati servi illi, quos, quum venerit Dominus, invenerit vigilantes.

15 *Et Domini nostri Jesu Christi longanimitatem*, id est diuturnam seu piam præstolationem, ac dilationem suæ remunerationis, *salutem arbitramini*, id est, salutarem vobis esse sentite : quia confert vobis ad gloriæ incrementum, ut et interim quotidie proficiatis, et plures salventur. *Sicut et carissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam*,
II Cor. xii, 2, 4. id est ei infusam in raptu suo usque ad tertium cœlum, quando vidit Deum per

A speciem, secundum Augustinum, et audivit verba arcana quæ non licet homini loqui, *scripsit vobis*. Quod enim scripsit uni Ecclesiæ, omnibus scripsit, quemadmodum Christus in Evangelio ait : Quod Marc. xiii, 37.
vobis (vel uni) dico, omnibus dico. Et quia beatissimus Petrus ambas suas scripsit epistolas electis advenis dispersionis I Petr. i, 1.
Ponti, Galatiæ, Asiæ, etc., videtur quod eisdem scripsit et Paulus, qui Galatis Asianisque scripsit, ut certum est : quod et verba sequentia videntur prætendere. Nam
B subditur :

Sicut et in omnibus epistolis, id est, ce- 16
teris universis, *loquens in eis de his* de quibus ego jam scripsi vobis, utpote primo et secundo Christi adventu, innovationeque mundi, moralibus documentis, salutaribusque præceptis, et de vitandis hæreticis, de patientia quoque et constantia ad martyrium ; *in quibus* Pauli epistolis *sunt quædam difficilia intellectu*, id est ad intelligendum : quia in singulis ejus epistolis sunt talia multa, ea quæ
C Philemoni scripta est exempta. Præsertim in epistola ad Romanos, aliquot locos reperias quovis labyrintho magis extricatu difficiles. *Quæ indocti et instabiles*, præsertim hæretici, *depravant*, id est, false exponunt, male intelligunt, pervertunt, corrumpunt, addendo, subtrahendo, seu aliis modis, *sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem*, id est ad propriam condemnationem gravissimam : quia non Paulo, sed sibi ipsis enormiter nocuerunt sic faciendo. Qui recte indocti
D vocantur, quoniam veris atque catholicis caruerunt doctrinis. Et erant instabiles, quoniam suis erroribus, vitiis et passionibus undique fluctuabant, nec in Deo, nec in ratione, nec in virtutibus fixi. De quibus ait Propheta : In circuitu impii Ps. xi, 9.
ambulant ; et, Impii tanquam pulvis ante Ps. i, 4.
faciem venti. Unde in Proverbiis fertur :
Quasi tempestas transiens, impius non Prov. x, 25.
erit ; justus autem, quasi fundamentum æternum.

Denique beatissimus et sapientissimus

princeps Apostolorum, epistolas Pauli specialiter commendat et approbat: tum, quia tam Judæi obstinati quam hæretici specialiter detraxerunt Paulo, et epistolis ejus; secundo, quoniam Paulus diffusius ac difficilius scripsit, idcirco de suarum depravatione epistolarum majus fuit periculum. Præterea, in his resplendet profundissima gloriosissimi archiapostoli Petri humilitas, qui Paulum tam excellenter collaudat, quum Paulus in sua ad Galatas epistola reprehenderit Petrum : quod eum non latuit. Sancti etenim viri non proprias quærunt aut diligunt laudes, sed veritatis præconia, virtutum sublimia, justitiæ zelum, Dei honorem, animarum salutem; propriam quoque reprehensionem beneficium arbitrantur præcipuum. Non enim ad se ipsos reflectuntur inordinate, sed in Deum firmiter sunt conversi.

Galat. II, 11-14.

Deinde finalis exhortatio subinfertur.

17 *Vos ergo, fratres, præscientes* Christum judicem esse venturum, hæreticos quoque diversa falsitatum portenta esse docturos, *custodite*, id est, ea quæ scripsi, memoriter retinete, et opere adimplete : juxta illud Psalmi, In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Quod autem aliqui libri habent, Vosmetipsos, non est de essentia veri textus, sed additum. *Ne insipientium errore traducti*, id est hæreticorum aut aliorum pravis doctrinis infecti, atque extra veritatis limites ad falsa translati, *excidatis a propria firmitate*, id est, a fidei ac virtutum constantia deficiatis. Hinc ad Thessalonicenses loquitur Paulus : Ne quis vos seducat ullo modo; itemque : Stabiles, inquit, et immobiles estote, abundantes in opere Domini semper. Unde et Christus hortatur : Videte ne quis vos seducat : surgent enim pseudoprophetæ et pseudochristi, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.

Ps. CXVIII, 11. — II Thess. II, 3. — I Cor. XV, 58. — Matth. XXIV, 4, 24.

18 *Crescite vero in gratia*, bene agendo, viriliter laborando, mentem assidue custodiendo, proficite in omni virtute, ac dono Spiritus Sancti, præsertim quum non crescere sit decrescere, *et cognitione Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi*, id est in formata ipsius notitia, et in contemplatione suæ divinitatis sincera, in intelligentia mysteriorum ipsius, et in omnibus quæ sacra Scriptura docet de eo. In quorum cognitione proficit homo, legendo, ab aliis audiendo, per se diligenter considerando, præsertim divinam illuminationem suscipiendo, in dono sapientiæ donoque intellectus proficiendo, angelicam instructionem sumendo. Hinc ad Colossenses loquitur S. Paulus : Postulamus ut impleamini agnitione voluntatis Dei, in omni sapientia et intellectu spirituali, per omnia crescentes in scientia Dei. Ad Philippenses quoque : Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Domini nostri Jesu Christi. Per Osee quoque ait Deus : Scientiam Dei volo plus quam holocausta. Siquidem hæc est vita æterna, ut cognoscamus Patrem verum Deum, et quem misit Jesum Christum. *Ipsi gloria*, id est majestas, beatitudo, lætitia, et clara cum laude fama, *et nunc et in diem æternitatis*,* id est in militanti et triumphanti Ecclesia, in præsenti et in futuro, in via ac patria, qui cum Patre et Spiritu Sancto unus est Deus super omnia sublimis et benedictus. Amen.

Coloss. I, 9, 10. — Philipp. III, 8. — Osee VI, 6. — Joann. XVII, 3.

* [Amen]

INDICES

LOCA S. SCRIPTURÆ PRÆCIPUA

QUÆ AD ILLUSTRANDUM COMMENTARIUM

AB AUCTORE PASSIM ALLEGANTUR

GENESIS.

II, 4. Istæ sunt generationes cœli et terræ, quando creata sunt, 564 A'.

— 23. Hæc (Eva) vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est, 176 D.

III, 16. Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui, 368 D.

IV, 4. Respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus, 515 B', 615 D'.

VII, 11. Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, 693 C'.

XIV, 18. Melchisedech... erat... sacerdos Dei altissimi, 490 B.

XXI, 9. Quum .. vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo..., 285 A.

XXII, 12. Nunc cognovi quod times Deum, 581 D.

— 18. Benedicentur in semine tuo omnes gentes, 278 B.

XXIV, 57. Vocemus puellam, et quæramus ipsius voluntatem, 159 A.

XXV, 22. Perrexit... (Rebecca) ut consuleret Dominum, 496 B.

XLIX, 10. Non auferetur sceptrum de Juda et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est; et ipse erit exspectatio gentium, 623 A'.

EXODI.

II, 14. Num occidere me tu vis, sicut heri occidisti Ægyptium? Timuit Moyses, et ait : Quomodo palam factum est verbum istud? 519 A'.

VII, 1. Ecce constitui te deum Pharaonis, 160 D'.

XII, 40, 41. Habitatio autem filiorum Israel qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum, quibus expletis, eadem die egressus est omnis exercitus Domini, 278 B'.

XIV, 31. Timuit... populus Dominum, et crediderunt Domino et Moysi servo ejus, 169 A.

XVI, 18. Nec qui plus collegerat, habuit amplius; nec qui minus paraverat, reperit minus, 240 A.

XXIII, 20, 21. Ecce ego mittam angelum meum qui præcedat te,... observa eum,... quia non dimittet quum peccaveris, 170 C'.

XXXII, 31, 32. Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti, 73 C'.

LEVITICI.

X, 9, 10. Vinum et omne quod inebriare potest, non bibetis tu et filii tui, quando intratis in tabernaculum testimonii..., ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum et... pollutum, 419 B.

XI, 43, 44. Nolite contaminare animas vestras... Ego enim sum Dominus Deus vester. Sancti estote, quia ego sanctus sum, 385 B'.

XIX, 13. Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum, 385 A'.

— 18. Diliges amicum tuum sicut te ipsum, 287 D'.

XXI, 17. Homo de semine tuo per familias qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, 452 C.

NUMERORUM.

XII, 7. Servus meus Moyses... in omni domo mea fidelissimus est, 483 B.

XIV, 22. Tentaverunt me jam per decem vices, 484 A.

XVIII, 26. Quum acceperitis a filiis Israel decimas quas dedi vobis, primitias earum offerte Domino, id est decimam partem decimæ, 497 A'.

DEUTERONOMII.

IV, 8. Quæ est... alia gens sic inclyta, ut habeat cærimonias justaque judicia et universam legem ? 24 A.
— 23, 24. Cave ne quando obliviscaris pacti Domini Dei tui quod pepigit tecum, quia Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus æmulator, 527 B'.
VI, 13. Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies, 156 B.
X, 16. Circumcidite... præputium cordis vestri, et cervicem vestram ne induretis amplius, 363 B.
XXV, 2. Pro mensura peccati erit et plagarum modus, 477 D'.
— 4. Non ligabis os bovis terentis, 163 C'.
XXX, 20. Ipse est... vita tua et longitudo dierum tuorum, 336 B'.

I REGUM.

XV, 29. Triumphator in Israel non parcet, et pœnitudine non flectetur ; neque enim homo est, ut agat pœnitentiam, 500 C.
XXV, 27. Suscipe benedictionem... quam attulit ancilla tua, 299 A'.

II REGUM.

XXIII, 2. Spiritus Domini locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam, 370 A.
XXIV, 14. Melius est ut incidam in manus Domini (multæ enim misericordiæ ejus sunt), quam in manus hominum, 513 B.

IV REGUM.

V, 26. Nonne (ait Eliseus) cor meum in præsenti erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tui ? Nunc igitur accepisti argentum, et accepisti vestes, 361 C'.

I PARALIPOMENON.

XI, 19. Absit ut... sanguinem istorum virorum bibam, 59 B.

II PARALIPOMENON.

XIX, 7. Non est... apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum, 27 B', 576 C.

JUDITH.

III, 13. Præceperat... illi (Holoferni) Nabuchodonosor rex ut omnes deos terræ exterminaret, videlicet ut ipse solus diceretur deus, 402 B'.
VIII, 22, 23. Memores esse debent quomodo pater noster Abraham tentatus est,... et omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles, 214 D'.

JOB.

V, 24. Visitans speciem tuam, non peccabis, 570 A'.
XIII, 7. Numquid Deus indiget vestro mendacio, ut pro illo loquamini dolos ? 380 A.
— 15. Etiam si occiderit me, in ipso sperabo, 41 C.
XIX, 25, 26. Scio... quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum, 49 B, 205 D.
XXIV, 12. Deus inultum abire non patitur, 287 A.
XXVI, 14. Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum ejus ; et quum vix parvam stillam sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri ? 190 A.
XXVII, 6. Justificationem... quam cœpi tenere, non deseram, 347 B.
XXIX, 14. Justitia indutus sum, et vestivi me, sicut vestimento et diademate, judicio meo, 326 B.
XXXVI, 25. Omnes homines vident eum (Deum), unusquisque intuetur procul, 429 A'.
XLII, 10. Addidit Dominus omnia quæcumque fuerant Job, duplicia, 386 D'.

PSALMORUM.

II, 11. Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore, 324 B'.
IV, 7. Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, 15 A.
VIII, 6. Minuisti eum paulo minus ab angelis, 473 A'.
IX, 2. Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, 552 B'.
X, 14, *sec. Hebr.* Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor, 602 D'.
XXI, 18. Dinumeraverunt omnia ossa mea, 339 B'.

XXI, 21. Erue a framea, Deus, animam meam, et de manu canis unicam meam, 490D.
XXIV, 10. Universæ viæ Domini misericordia et veritas, 578B'.
XXXII, 6. Verbo Domini cœli firmati sunt, 130A.
XLIX, 3. Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit ; ignis in conspectu ejus exardescet, 400A'.
L, 7. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, 35D', 304C'.
— 12. Cor mundum crea in me, Deus, 305B'.
LXI, 11. Divitiæ si affluant, nolite cor apponere, 602A.
LXIII, 2. A timore inimici eripe animam meam, 653D.
LXVII, 19. Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus, 313C'.
LXVIII, 22. Et dederunt in escam meam fel, 89B.
LXXXIX, 4. Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna quæ præteriit, 694C.
XC, 15. Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum, 687C'.
XCV, 5. Omnes dii gentium dæmonia, 172D.
XCVI, 3. Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus, 139D, 512A'.
CX, 4, 5. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus ; escam dedit timentibus se, 179D.
CXV, 11. Ego dixi in excessu meo : Omnis homo mendax, 26C'.
CXVIII, 46. Et loquebar in testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar, 13A.
CXLII, 10. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, 62C'.

PROVERBIORUM.

I, 8, 9. Audi, fili mi, disciplinam patris tui..., ut addatur gratia capiti tuo, 211, 409.
IV, 23. Omni custodia serva cor tuum, 260C, 524A'.
V, 22. Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur, 441B'.
VI, 23. Mandatum lucerna est, et lex lux ; et via vitæ, increpatio disciplinæ, 449.
VIII, 23. Ab æterno ordinata sum, et ex antiquis, antequam terra fieret, 133C.
IX, 9. Da sapienti occasionem, et addetur ei sapientia ; doce justum, et festinabit accipere, 375.
X, 25. Quasi tempestas transiens, non erit impius ; justus autem quasi fundamentum sempiternum, 331.
XI, 2. Ubi... est humilitas, ibi et sapientia, 590C.
— 7. Exspectatio sollicitorum peribit, 348A'.
— 31. Si justus in terra recipit, quanto magis impius et peccator ? 667B.
XIII, 3. Qui... inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala, 571D'.
XIV, 15. Innocens credit omni verbo ; astutus considerat gressus suos, 116C'.
XV, 32. Qui abjicit disciplinam, despicit animam suam ; qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis, 433.
XVI, 4. Universa propter semetipsum operatus est Dominus, 15C', 302A, 480C.
— 32. Melior est patiens viro forti ; et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium, 552D.
— 33. Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur, 301A.
XX, 3. Honor est homini qui separat se a contentionibus, 149C'.
XXI, 23. Qui custodit os suum et linguam suam, custodit ab angustiis animam suam, 571D'.
XXII, 9. Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur, 461.
— 11. Qui diligit cordis munditiam..., habebit amicum regem, 51C'.
XXVII, 2. Laudet te alienus, et non os tuum, 247A.
— 6. Meliora sunt vulnera diligentis quam fraudulenta oscula odientis, 144B'.
— 8. Sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir qui derelinquit locum suum, 512B.
XXVIII, 23. Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet apud eum, magis quam ille qui per linguæ blandimenta decipit, 353.
XXX, 8. Divitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria, 427B'.

ECCLESIASTÆ.

XI, 3. Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit, 657B'.
XII, 11. Verba sapientium sicut stimuli et quasi clavi in altum defixi, 121.

CANTICI CANTICORUM.

V, 1. Comedite, amici, et bibite; et inebriamini, carissimi, 541.

SAPIENTIÆ.

I, 5. Spiritus... sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu, 318 C.
— 11. Os... quod mentitur, occidit animam, 366 C'.
— 13. Deus mortem non fecit, 481 B'.
II, 24. Invidia... diaboli mors introivit in orbem terrarum, 481 B'.
III, 6. Tanquam aurum in fornace probavit illos (electos) Deus, 550 A'.
IV, 10, 11. Placens Deo factus est dilectus, et vivens inter peccatores translatus est; raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, 516 A.
— 12. Fascinatio... nugacitatis obscurat bona, 275 A'.
VI, 6. Judicium durissimum his qui præsunt fiet, 97 D.
— 13. Clara est, et quæ nunquam marcescit sapientia, et facile videtur ab his qui diligunt... et... quærunt illam, 397.
— 16. Cogitare... de illa (sapientia), sensus est consummatus, 193 D.
— 20. Incorruptio... facit esse proximum Deo, 204 B', 392 A'.
VII, 26. Candor est... lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius, 69 A', 472 C.
— 27. (Sapientia) in animas sanctas se transfert, 140 B.
— 30. Sapientiam... non vincit malitia, 44 C'.
IX, 10. Mitte illam (sapientiam) de cœlis sanctis tuis,... ut mecum sit, et mecum laboret, 281 C'.
— 15. Corpus... quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem, 229 C.
XI, 24. Misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam, 20 C'.
XII, 18. Tu..., dominator virtutis, cum tranquillitate judicas, et cum magna reverentia disponis nos, 484 C'.
XIII, 5. A magnitudine... speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri, 15 C'.

ECCLESIASTICI.

II, 14. Væ... peccatori terram ingredienti duabus viis, 556 A'.
III, 20. Quanto magnus es, humilia te in omnibus, 142 A'.
IV, 25. Est confusio adducens gloriam et gratiam, 589 D'.
— 33. Pro justitia agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro justitia, et Deus expugnabit pro te, 522 B.
V, 12. Esto firmus in via Domini, et in veritate sensus tui, 263.
— 13. Esto mansuetus ad audiendum verbum, ut intelligas, 567 D'.
VIII, 2. Non contendas cum viro locuplete, ne forte contra te constituat litem tibi, 149 C'.
IX, 11. Colloquium.... illius (mulieris) quasi ignis exardescit, 418 A.
X, 9, 10. Avaro... nihil est scelestius;... nihil est iniquius quam amare pecuniam, 319 C'.
XI, 27. In die bonorum, ne immemor sis malorum; et in die malorum, ne immemor sis bonorum, 157 D.
— 30. Ante mortem ne laudes hominem quemquam, 247 A'.
XVII, 12. Mandavit (Deus)... unicuique de proximo suo, 610 C'.
XXI, 2. Quasi a facie colubri fuge peccata, 678 A'.
— 30. Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam, 18 D.
XXII, 33. Quis dabit ori meo custodiam, et super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis, et lingua mea perdat me? 587 C'.
XXIV, 5. Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam, 472 D'.
XXVIII, 3, 5. Homo homini reservat iram, et a Deo quærit medelam?... Quis exorabit pro delictis illius? 417 A'.
XXXV, 2. Sacrificium salutare est, attendere mandatis, et discedere ab omni iniquitate, 529 D'.
— 11. In omni dato hilarem fac vultum tuum, 242 B'.
XLI, 17. Sapientia... abscondita et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? 12 A.
XLIV, 20. Non est inventus similis illi, 152 B'.

ISAIÆ.

I, 16. Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, 147 B'

VI, 6. Volavit ad me unus de Seraphim, 476 B'.
VIII, 3. Accelera spolia detrahere, festina prædari, 364 A.
IX, 6. Vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis, 75 D, 283 B.
XI, 4. Spiritu labiorum suorum interficiet impium, 403 A'.
XIII, 11. Visitabo super orbis mala, et contra impios iniquitatem eorum ; et quiescere faciam superbiam infidelium, et arrogantiam fortium humiliabo, 14 D'.
XXVIII, 9. Quem docebit scientiam ? et quem intelligere faciet auditum ? Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus, 136 C'.
XXX, 10. Dicunt... adspicientibus : Nolite adspicere nobis ea quæ recta sunt ; loquimini nobis placentia, videte nobis errores, 444 B.
— 26. Erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum, 66 B'.
XLII, 6, 7. Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut... educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris, 357 D.
XLIII, 27. Pater tuus primus peccavit, 38 D'.
XLV, 25. Ad eum venient, et confundentur omnes qui repugnant ei, 200 B.
XLVI, 10. Consilium meum stabit, 495 C.
LI, 4. Lex a me exiet, et judicium meum in lucem populorum requiescet, 469.
LIII, 1. Quis credidit auditui nostro ? 381 C.
LVI, 1. Juxta est... justitia mea ut reveletur, 13 D'.
LVII, 19. Creavi fructum labiorum pacem, pacem ei qui longe est, et qui prope, 307 C.
LXI, 1. Spiritus Domini super me, eo quod unxerit... me, 548 C.
LXIII, 2. Quare ergo rubrum est indumentum tuum ? 511 B'.
LXIV, 4. Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti exspectantibus te, 134 A.
— 6. Facti sumus ut immundus omnes nos;... quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ, 627 C'.
LXV, 20. Puer centum annorum morietur, 632 B'.
LXVI, 19. Mittam ex eis qui salvati fuerint, ad gentes in mare, in Africam et Lydiam, tendentes sagittam, in Italiam et Græciam, ad insulas longe,... et annuntiabunt gloriam meam gentibus, 9 C', 360 A.

JEREMIÆ.

III, 3. Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere, 370 A'.
IV, 2. Jurabis : Vivit Dominus, in veritate et in judicio et in justitia, 606 A'.
XV, 19. Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris, 320 A'.
XXIII, 6. Hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster, 75 D.
— 24. Numquid non cœlum et terram ego impleo ? 313 D.
— 28. Quid paleis ad triticum ? 234 B'.
XXXI, 22. Creavit Dominus novum super terram : Femina circumdabit virum, 281 A'.
XXXII, 39. Dabo eis cor unum et viam unam, 313 A.
XLVIII, 10. Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter, 356 D.

THRENORUM.

III, 27, 28. Bonum est viro, quum portaverit jugum ab adolescentia sua ; sedebit solitarius, et tacebit, 566 B.
IV, 20. Spiritus oris nostri, Christus Dominus, captus est in peccatis nostris, 274 D'.

EZECHIELIS.

XVIII, 24. Si... averterit se justus..., et fecerit iniquitatem..., omnes justitiæ... quas fecerat, non recordabuntur ; in prævaricatione qua prævaricatus est... morietur, 577 D.
XX, 25. Dedi eis præcepta non bona, et judicia in quibus non vivent, 83 B.
XXXVI, 20. Ingressi sunt ad gentes... et polluerunt nomen sanctum meum, 24 D'.
— 26, 27. Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum, et spiritum meum ponam in medio vestri, 63 C', 222 B'.

DANIELIS.

II, 34, 35. Abscissus... lapis de monte sine manibus..., factus est mons magnus, et implevit universam terram, 81 D', 635 A'.
VIII, 25. Sine manu conteretur (Antichristus), 403 D.
IX, 27. In dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium, 510 B'.
X, 1. Intelligentia enim est opus in visione, 253 D.

OSEE.

II, 20. Sponsabo te mihi in fide, 247 D'.

III, 4, 5. Dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari, et sine ephod, et sine theraphim ; et post hæc revertentur filii Israel, et quærent Dominum Deum suum, et David regem suum ; et pavebunt ad Dominum et ad bonum ejus in novissimo dierum, 92 B, 224 C'.

IV, 8. Peccata populi mei comedent, 59 A.

XIII, 14. De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos ; ero mors tua, o mors ; morsus tuus ero, inferne, 44 D, 364 B, 436 D'.

JOEL.

II, 13. Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra, 126 C.

III, 12. Consurgant et ascendant gentes in vallem Josaphat, quia ibi sedebo ut judicem omnes gentes in circuitu, 388 A.

AMOS.

V, 12. Cognovi multa scelera vestra et fortia peccata vestra, 17 C'.

VI, 4. (Væ) qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris, 103 A.

MICHÆÆ.

III, 11. Sacerdotes ejus in mercede docebant, et prophetæ ejus in pecunia divinabant, 427 C.

NAHUM.

I, 9. Non consurget duplex tribulatio, 181 B', 643 C'.

HABACUC.

II, 4. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso ; justus autem in fide sua vivet, 14 B, 276 D'.

ZACHARIÆ.

III, 9. Auferam iniquitatem terræ illius in die una, 49 C.

VI, 13. Ipse portabit gloriam, et sedebit... ; et erit sacerdos super solio suo,... consilium pacis erit inter illos duos, 306 D, 490 A.

MALACHIÆ.

I, 6. Filius honorat patrem, et servus dominum suum : si ergo pater ego sum, ubi est honor meus ? et si dominus ego sum, ubi est timor meus ? 324 A, 527 A', 628 B'.

II, 7. Labia... sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est, 176 C'.

IV, 5, 6. Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis ; et convertet cor patrum ad filios et cor filiorum ad patres, 92 A.

I MACHABÆORUM.

XII, 9. Habentes solatio sanctos libros, 110 A.

II MACHABÆORUM.

VII, 9. Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit, 520 D'.

XII, 44. Nisi... eos qui ceciderant resurrecturos speraret (Judas), superfluum videretur et vanum orare pro mortuis, 200 C'.

MATTHÆI.

I, 20. Quod... in ea natum est, de Spiritu Sancto est, 9 C.

V, 10. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, 652 D'.

— 37. Sit... sermo vester : Est, est ; Non, non ; quod autem his abundantius est, a malo est, 11 D.

— 39. Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram, 99 A'.

— 44, 45. Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos,... ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, 319 B.

VI, 7. Orantes... nolite multum loqui, sicut ethnici, 571 C', D'.

VII, 15. Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, 421 B.

— 21. Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, 182 C'.

— 24. Omnis... qui audit verba mea hæc et facit ea, assimilabitur viro sapienti qui ædificavit domum suam supra petram, 297.

VIII, 22. Dimitte mortuos sepelire mortuos suos, 424 B.
X, 16. Estote... prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ, 556 B.
— 28. Nolite timere eos qui occidunt corpus, 100 C'.
XVIII, 3. Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum, 632 D.
XX, 28. Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, 502 C.
XXII, 40. In his duobus mandatis universa lex pendet et Prophetæ, 287 C'.
XXIII, 8, 10. Nolite vocari Rabbi : unus est enim magister vester... ; nec vocemini magistri : quia magister vester unus est, Christus, 583 C.
XXIV, 13. Qui... perseveraverit usque in finem, hic salvus erit, 569 D'.
— 37-39. Sicut... in diebus Noe, ita erit et adventus Filii hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes et nuptui tradentes usque ad eum diem quo intravit Noe in arcam, et non cognoverunt donec venit diluvium et tulit omnes, ita erit et adventus Filii hominis, 390 C.
XXV, 13. Vigilate..., quia nescitis diem neque horam, 389 B'.
— 29. Omni... habenti dabitur, et abundabit ; ei autem qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo, 367 D', 554 B.
XXVII, 33. Et venerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus, 529 A'.
— 52, 53. Multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt, et exeuntes... venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis, 8 B'.
XXVIII, 19. Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, 47 A', 127 D, 128 A.

MARCI.

III, 5. Circumspiciens eos (Pharisæos) cum ira, contristatus (fuit) super cæcitate cordis eorum, 566 B'.
XIV, 33. Et cœpit (Jesus) pavere et tædere, 216 B.
XVI, 16. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, 580 A.
— 19. Dominus quidem Jesus... assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei, 340 A'.

LUCÆ.

I, 48, 49. Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus, 134 C'.
VI, 24. Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram, 557 D'.
— 37. Nolite judicare, et non judicabimini, 19 A'.
— 38. Mensuram bonam et confertam et coagitatam et supereffluentem dabunt in sinum vestrum, 228 A'.
VIII, 14. Quod... in spinas cecidit, hi sunt qui audierunt, et a... divitiis... suffocantur, 428 C.
— 17. Non... occultum, quod non manifestetur, 426 B'.
X, 7. Dignus est... operarius mercede sua, 438 B'.
XI, 28. Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud, 541.
— 41. Quod superest, date eleemosynam, et... omnia munda sunt vobis, 239 B'.
XII, 2. Nihil... opertum..., quod non reveletur, 426 B'.
XIV, 26. Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem et uxorem,... non potest meus esse discipulus, 156 D.
XVI, 9. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut quum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula, 508 D.
— 16. Lex et Prophetæ usque ad Joannem, 280 C'.
XVIII, 1. Oportet semper orare, et non deficere, 11 B'.
XXI, 15. Ego... dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri, 131 C.
— 19. In patientia vestra possidebitis animas vestras, 552 C.
XXIV, 25. O stulti et tardi corde ad credendum ! 275 A.
— 44. Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysis et Prophetis et Psalmis de me, 6 D'.

JOANNIS.

I, 29. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi, 655 C.
— 42. Tu vocaberis Cephas, 163 D.
II, 19. Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud, 630 B.

III, 23. Erat... Joannes baptizans in Ænnon juxta Salim, 496 C.
V, 17. Pater meus usque modo operatur, et ego operor, 564 D.
— 19. Quæcumque... ille fecerit, hæc et Filius similiter facit, 472 B.
VI, 54. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis, 180 D'.
— 57. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo, 171 D'.
VII, 17. Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina utrum ex Deo sit, an ego a me ipso loquar, 96 B, 379 B'.
VIII, 25. Dicebant (Judæi)... ei : Tu quis es? Dixit eis Jesus : Principium, qui et loquor vobis, 358 D.
— 36. Si... vos Filius liberaverit, vere liberi eritis, 155 D'.
IX, 31. Scimus... quia peccatores Deus non audit, 555 B'.
X, 29. Pater... quod dedit mihi, majus omnibus est, 338 D'.
XIV, 1. Creditis in Deum, et in me credite, 526 B'.
— 6. Ego sum via, et veritas, et vita, 336 A', 685 C.
— 21. Qui... diligit me, diligetur a Patre meo ; et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum, 626 D.
XV, 9. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos, 643 B'.
— 24. Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, 403 D'.
XVIII, 37. Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati, 428 C'.
XX, 17. Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum, 110 A'.

ACTUUM.

II, 11. Judæi quoque et proselyti, 613 B'.
IV, 11. Hic est lapis qui reprobatus est a vobis ædificantibus, 81 B'.
V, 41. Illi (Apostoli)... ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati, 233 A', 664 D'.
VII, 5. Dominus non dedit illi (Abrahæ) hereditatem in ea, nec passum pedis, 516 C'.
VII, 53. Accepistis legem in dispositione angelorum, 477 C'.
IX, 15. Vas electionis est mihi iste, 3 A'.
X, 15. Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris, 107 B.
— 44. Cecidit Spiritus Sanctus super omnes qui audiebant verbum, 30 C'.
XIII, 19, 20. Destruens gentes septem in terra Chanaan, sorte distribuit eis (Israelitis) terram eorum, quasi post quadringentos et quinquaginta annos, 278 A'.
— 46, 47. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei ; sed quoniam repellitis illud,... ecce convertimur ad gentes : sic enim præcepit nobis Dominus, 89 B'.
XVI, 8, 9. Quum... pertransissent (Paulus et Timotheus) Mysiam, descenderunt Troadem ; et visio per noctem Paulo ostensa est : Vir Macedo quidam erat stans et deprecans eum, et dicens : Transiens in Macedoniam, adjuva nos, 221 A.
XVII, 11. Susceperunt (Thessalonicenses) verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, 375.
XVIII, 2. (Invenit) Aquilam... et Priscillam uxorem ejus, 115 C'.
— 24. Apollo... vir eloquens,... potens in Scripturis, 126 B'.
XX, 35. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Jesu... : Beatius est magis dare quam accipere, 318 A.
XXII, 3. Ego sum... secus pedes Gamaliel eruditus juxta veritatem paternæ legis, 4 B'.
— 17. Factum est... revertenti mihi (Paulo) in Jerusalem, et oranti in templo, fieri me in stupore mentis, 254 A'.
— 21. Vade, quoniam ego in nationes longe mittam te, 89 D'.
— 28. Paulus ait : Ego autem et natus sum (civis Romanus), 445 A.
XXV, 11. Cæsarem appello, 113 B'.

JACOBI.

I, 6, 7. Postulet... in fide nihil hæsitans : qui enim hæsitat, similis est fluctui maris... Non ergo æstimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino, 340 D'.
— 17. Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, 414 C.
III, 16. Ubi... zelus et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum, 338 B.

I JOANNIS.

III, 2. Quum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est, 190B.
— 16. In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit; et nos debemus pro fratribus animas ponere, 258B.
V, 4, 5. Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Jesus est Filius Dei? 128D.

III JOANNIS.

4. Majorem horum non habeo gratiam, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare, 530C.

JUDÆ.

12, 13. Hi sunt in epulis... convivantes sine timore, semetipsos pascentes,... quibus procella tenebrarum servata est in æternum, 346C.
14. Prophetavit... septimus ab Adam Enoch, dicens : Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis, 6C', 686A'.

APOCALYPSIS.

I, 5. (Jesus Christus est) primogenitus mortuorum..., qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, 69C', 300A'.
I, 6. (Christus) fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri suo, 637C.
— 8. Ego sum et principium et finis, 208B'.
II, 4, 5. Habeo adversum te, quod caritatem tuam primam reliquisti; memor esto itaque unde excideris, et age pœnitentiam, et prima opera fac, 436A.
— 7. Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei, 254A'.
III, 19. Ego quos amo, arguo et castigo, 523B, 549D'.
IV, 8. Requiem non habebant, die ac nocte dicentia : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, 487C.
VI, 16. Cadite super nos, et abscondite nos a facie Sedentis super thronum, et ab ira Agni, 400B'.
VII, 3. Nolite nocere terræ et mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum, 245A.
XII, 7. Draco pugnabat et angeli ejus, 148B.
XIII, 8. Non sunt scripta nomina (impiorum) in libro vitæ Agni qui occisus est ab origine mundi, 508C'.
XXI, 1. Mare jam non est, 696A.
— 2. Ego Joannes vidi sanctam civitatem Jerusalem novam, descendentem de cœlo, 585B'.
— 8. Pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure : quod est mors secunda, 400A'.
— 14. Murus civitatis habens fundamenta duodecim, 138B'.
— 27. Non intrabit in eam (Jerusalem novam) aliquod coinquinatum, 618A.

INDEX ANALYTICUS

A

AARON. Ejus sacerdotium erat temporale ac typicum, 490 A. — Virga ipsius quare fronduerit, 505 A'.
ABBA est nomen Hebræum, patrem significans, 281 D'.
ABDIAS, procurator regis Achab, abscondit centum Prophetas, 88 B.
ABEL, qui protomartyr dicitur, 663 D', Christi figura fuit, 403 A. — Quale testimonium ejus muneribus perhibuerit Deus, 515 A'. — Quomodo defunctus adhuc loquatur, 515 B'. Sanguis Christi melius loquitur quam sanguis Abel, quo sensu, 526 D.
ABORTIVUM quid sit, 196 A', et quare illi se comparet S. Paulus, 196 B'.
ABRAHAM primo vocabatur Abram, id est pater excelsus, 516 B'. — Quomodo justificatus sit, 33 C, per fidem, non per opera legis, 33 C', 36 C, 276 D. Quo sensu ex operibus justificatus dicatur, 581 A et seq. — Quanta fuerit ejus obedientia, 581 A. Contra spem in spem credidit, 38 A, 518 A et seq. Utrum aliquando dubitaverit, 38 D'. — Quænam promissiones illi factæ sint, 277 D', 494 C', et quo juramento confirmatæ, 494 D'. Qualiter sit pater omnium credentium, 36 A', 37 B', 276 A', 280 C', etc., et heres mundi, 36 D'. Quo sensu ejus semen fuerit sicut stellæ cœli, 38 B. — Certo cognovit se filium Dei, id est, in gratia esse, 64 A. — Mortua Sara, Ceturam duxit, 38 D, de qua plurimos genuit filios, 517 C, 518 A. — Post nativitatem Jacob adhuc vixit, 516 D'.
ABSTINENTIA quo sensu commendetur, 679 B. — Quam fructuosa sit abstinentia a carne et a vino, 108 B.
ABYSSUS magna. Per illam intelligitur Oceanus, 693 C'.
ACCEPTIO personarum, quæ in lege Mosaica atque evangelica prohibetur, 574 A', quid sit, 572 C', et in quibus committatur, 575 B'; quomodo justitiæ distributivæ sit contraria, 572 D', et utrum peccatum mortale, 574 C' et seq. — Apud Deum non est, quo sensu, 22 C, 576 C. — Non personas sed causas debemus accipere, 574 B'.
ACEDIA quid sit, et quibus remediis curetur, 607 C'.
ACHAIA, Græciæ provincia, 213 B'.
ACHAICUS inter primitias Achaiæ laudatur, 207 A'.
ACTORES antiquitus quanto tempore heredibus præfuerint, 281 A. — Quo sensu legalia Judæis fuerint quasi actores, 281 C.
ACTUS sunt boni, mali, vel indifferentes, 413 A. — Actus exteriores quare vestigia dicantur, 258 D.
ADAM qualiter conditus fuerit, 57 B, 203 A', in justitia originali, quam peccato suo amisit, 57 C, non seductus a serpente, 418 B, sed propter amorem conjugis de fructu vetito manducans, 418 A'. De terra terrenus quo sensu dicatur, 204 A. — In illo qualiter omnes fuerimus, 43 B', et proinde deformati, 95 D, ac mortui, 198 B. Peccatum ejus quare posteris imputetur, 43 B'. — Propheta erat, 6 C', et figura Christi, 44 B', qui novissimus Adam vocatur, 203 B', quare, 203 C'. — Christus homo in Adam non peccavit, 43 C', et potentior est ad reparandum quam fuit Adam ad destruendum, 198 B. — *Cf.* Christus, Peccatum.
ADJURATIO quatenus liceat, 392 D'.
ADJUTORES Dei quinam vocentur, 137 D'.
ADMIRATIO unde oriatur, 660 C'.
ADOPTIO filiorum Dei in quo sistat, 67 D, et qualiter fiat, 300 B et seq.
ADORATIO soli Deo deferenda est, 474 C'. — Adoratio crucis in die Parasceves, ex ordinatione Apostolorum observatur, 182 A'.
ADULTERI dicuntur, mente a Deo aversi, 592 C'.

ADVENÆ. Ita vocantur proselyti Judæorum, 613B', vel etiam omnes Christiani, quo sensu, 614B, 639A.
ADVENTUS Christi quotuplex sit, 125B', et quinam illum diligant, 444B'.
ADVERSA. In illis gloriandum est, 550B. — An propter illa mortem optare liceat, 216B. — *Cf.* Tribulatio.
ÆDIFICATIO seu ædificium Dei quo sensu dicatur congregatio fidelium, 138B, et qualiter in fide sit, 412A.
ÆGIDIUS de Roma (Colonna), Ord. S. Augustini, Bituricensis episcopus, librum contra errores philosophorum scripsit, 275A'.
ÆMULATIO Dei quid sit, 247A'. — Æmulari quotuplici modo accipiatur, 247B'.
ÆNIGMA. Videmus nunc per speculum in ænigmate, quo sensu, 189D'.
ÆQUIVALENS reddi non potest Deo, magistris, et parentibus, 441C'.
AER sæpius cœlum vocatur, 326A, 693C. — Quomodo in fine mundi innovandus sit, 695C'. — *Cf.* Cœlum.
ÆTAS mundi ultima in nos pervenit, 170D'.
ÆTERNITAS quid sit, 564D. — Omnem temporis differentiam comprehendit, 474B, et in illa semper est hodie, quo sensu, 473C'. — Ejus comparatione tempus præsens brevissimum est, 514A.
AFFECTIO et Affectus. Quinam sine affectione dicantur, 18A'. — Affectus per dorsum designatur, quare, 89D. — Ex pravis affectibus procedunt mali effectus, 591C'.
AGAR, Ægyptia ancilla Abrahæ, ipsius uxor facta est, 284A. — Figurat servitutem legalem, 284D. — Ejecta cum filio, quid signaverit, 285C.
AGATHA (S.) quid dixerit de Christi servitute, 6C, 155D', 569C'.
AGATHON abbas quid senserit de homine iracundo, 567A. (Migne *Patrol. lat.* tom. 73, col. 914.)
AGNUS paschalis quomodo a Moyse immolatus, 519B', et Christi figura fuerit, 146B.
AGRICULTURA Dei dicitur homo, quo sensu, 138A.
ALBERTUS Magnus (B.) Ord. Præd., Ratisbonensis episcopus, allegatur, 551D', 570C', 574D', etc. — Aliqua ejus sententia improbatur, 624C' et seq.
ALEXANDER ærarius quantum peccaverit, 445B, et quo sensu per excommunicationem Satanæ traditus sit, 414C'.
ALLEGORIA indicat quid sit credendum, 284C.
ALTARE incensi ubi situm fuerit, 505B. — Per altare intelligi potest corpus Christi, vel crux, aut altare materiale ecclesiæ, 528D', in quo Christus quotidie immolatur, 529A.
ALTUM. « Noli altum sapere, sed time », quo sensu, 90D', 91A, 99A.
AMARITUDO cordis, sermonis, et operis vitanda est, 318A'.
AMBROSIUS (S.), Mediolanensis episcopus, plantavit devotos sacerdotes, 387A. — Sæpe citatur, 8C', 13C, 19D, etc. — Aliqua ejus sententia contra quosdam defenditur, 254B'. — (Migne *Patrol. lat.* tom. 14-17.)
AMEN quid significet, 266B', et quo sensu Deo ad gloriam nostram dicatur, 218C.
AMICI. Illorum est eadem velle et nolle, 651C'.
AMOR, primum donum, 41A', hoc in spiritualibus efficit quod in corporalibus pondus, 522A; tendit in amatum, et quiescit in ipso, 237B'. Ubi amor, ibi oculus, 651B'. — Nihil amari potest nisi aliquo modo sit cognitum, 621C. Similitudo est amoris causa, 166C', 385B', 651B'. — Amanti cura est de præcavendis amati periculis, 383A'; et fervidus amator gaudet operari quidquid dilecto salubre est, 343B. — Amor fraternus amore Dei est condiendus, 679B'. — Amor privatus est radix universorum vitiorum, 428B, 560B'. — *Cf.* Caritas, Dilectio.
ANATHEMA quid sit, 208B, et quo sensu a S. Paulo pronuntiatum, 208A', 267C. — Anathema Jesu quis dicat, 182D.
ANCORA spiritualis est spes, quo sensu, 495A'.
ANDREAS (S.) apostolus in Achaia prædicavit, 86A.
ANDRONICUS quo sensu fuerit nobilis in Apostolis, 116B.
ANGELI, qui pene innumerabiles sunt, 526A, a principio mundi in termino fuerunt positi, quo sensu, 148C; proficiunt tamen in præmio accidentali, 148C, 686C. — Illorum quæ sit triplex hierarchia, 254C, cum variis ordinibus, 303B, quorum quinque foras mittuntur, alii adsistunt, 72A, 476B' et seq.; ubicumque autem fuerint angeli, Deum contemplantur, 124C. — « Angeli » specialiter nuncupantur, qui sunt de infimo choro infimæ hierarchiæ, 71D'. — Superiorum angelorum est inferiores purgare, illuminare, et perficere, 121, 409. — Quomodo ad invicem loquantur angeli, 187D'; utrum cœlestia corpora moveant, 478C'. Illis gemitus non

competit nisi metaphorice, 69 A. — Quo sensu Deus faciat angelos suos spiritus, 474 D', et in Spiritum Sanctum angeli desiderent prospicere, 624 C. — Angelorum et hominum una est Ecclesia, cujus caput est Christus, 303 D', qui angelos omnes purgat, illuminat, ac perficit, 362 D', eorumque ordines in se ipso instaurat, 300 D'. — Angeli orantibus adsistunt, eosque exhilarant, 607 D', et unusquisque hominum pro custodia sua angelum recipit, 595 C', quem debet invocare, 672 B', habens etiam, ut creditur, angelum malum pro sua exercitatione, 595 D'. — Angeli in specie hominum apparuerunt Abrahæ et Lot, 527 D. — Per angelos factæ sunt revelationes propheticæ, 471 A', 623 B, illorumque ministerio lex Moysis edita est, 279 D, et interdum Deus ultiones suas exercuit, 170 B'. — Angeli venient cum Christo judice, 14 B', eisque ministrantibus peragetur mortuorum resurrectio, 387 B'. Illis non subjecit Deus orbem terræ futurum, quo sensu, 478 B', 479 A. Qualiter judicandi sint per electos, 148 A, qui ad singulos eorum ordines assumentur, 688 C'. — Sacerdotes quare « angeli » nominentur, 176 D'. — « Panis angelorum » cur dicatur manna, 169 B. — Angelica vita est, in carne sine carne vivere, 151 D, et major est victoria virginum quam angelorum, quo sensu, 156 C'.

ANIMA hominis est tota in qualibet corporis parte, 176 B, ejusque vita in corpore non penitus est velut in carcere, 342 A'. — Anima quomodo a spiritu distinguatur, 392 A'. — Imago Creatoris resplendet in superiori parte animæ rationalis, 366 D'. — Confutantur errantes de animarum origine, 76 D. — Omnis anima, aut Dei sponsa est, aut diaboli adultera, 592 C', 630 B'. — *Cf.* Homo, Spiritus.

Anima fidelis, quæ est domus, templum, sacerdos et hostia Dei, 635 C, qualiter illi assimiletur, 263, 627 B', appropinquet, 596 A', militet, 438 C, vivat, 49 D, et divinæ naturæ consors efficiatur, 677 D'. — Deo debet se ipsam, 151 B, et omnia sua, 594 C'. Illi attribuens bonum quod habet aut aliis impertitur, 663 C, universa ejus beneficia diligenter consideret, 134 B', 338 A', ut donis amplioribus adimpleatur, 134 C'. — Deo serviat cum reverentia, 527 A', et timore, 629 A, sub potenti ejus manu humiliata, 671 B. — In illo, non in bonis carnalibus, ultimum finem constituens, 60 D', et illi super omnia placere optans, 556 A', ad ipsum cuncta referat, 105 A, 620 B, ac illi se ipsam per sanctam obedientiam immolet, 49 D'. Quomodo agnoscat voluntatem suam Deo esse unitam, 96 B. — In sola Dei bonitate suadetur sperare, 4 C', firmiter et inviolabiliter, 41 C, et ab eo cum fiducia gratiam postulare, 10 D, nec illam in vacuum recipere, 232 A, sed in ipsa quotidie proficere, 321 B'; Deum portare in corpore suo, 151 A', quod est templum Spiritus Sancti, 150 D'; ad Deum in omni necessitate confugere, 553 D, ad illum pacem habere, 40 A, in illo gloriari, 131 C', 246 B', gaudere, 347 C', defigi ac firmari, 604 B', totam intentionem et affectionem habere, 552 C', ita ut in ejus amore sit immobilis, 72 B, toto corde cupiens eum ab omnibus glorificari, 94 C'. — Qualiter ab æterna sapientia illustretur, 344 A, et sit in Spiritu Sancto, 61 A, cujus donis dirigitur, 62 C'. — Crescat in cognitione Christi, 698 A', cujus particeps effecta est, 484 B'; ejus nomen in omni loco invocet, 124 C; illum induatur, quo sensu, 103 B; illi se conformet, 204 A', vivat, 53 A, 230 D', omnia in nomine ejus faciens, 368 C. — Quantum a Christo dilecta sit contempletur, 488 C', ut cum fiducia ad thronum ejus gratiæ pergat, 488 D'. In illa exsultet pax Christi, 367 C', ad quem exire debet extra castra, 529 A', improperium ejus portans, 529 B', et cuncta adversa lætanter sustinens, 522 C'. — Ejus morte empta, 151 B, cum illo compatiatur, 65 A, ut cum ipso conglorificetur, 65 A'. Dominicam passionem quotidie recogitans, 665 A, doloribus Christi qualiter communicet, 664 D et seq., cruci ejus affigatur, 274 B, ejusque amore succensa, in semetipsa moriatur, 274 D. — Ad Eucharistiam sumendam quomodo se disponat, 180 B', 181 A, et quam sæpe accedat, 181 B.

Proximum spiritualiter ædificet, 107 D', 240 C', et ad Dei venerationem inducat, 640 A', pro aliorum laborans conversione, 640 B', loco et tempore opportuno illos exhortans, 682 A, ac illis communicans dona sibi concessa, 96 D', 662 D. — Errantibus cordialiter compatiatur, orans pro eis, 649 B'; nec erga alios nimium sit rigida, sed condescendens, 679 D. In melius interpretetur proximorum actus, 104 C, eorumque imperfectiones sustineat, 109 A, discretum habens

justitiæ zelum, 589 D. Non alios curiose scrutetur, 512 A, sed moderate admoneat, 512 B. — Caritatem fraternitatis diligens, 97 C', in verbis et factis sit misericors, 578 D, omnibus benefaciat, sed maxime veris Christianis, 292 D, et de bono proximi Deo gratias agat, 11 B. — Studeat gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, 98 C', nulli malum pro malo reddere, 99 C, 391 D', non vinci a malo, sed vincere in bono malum, 99 D', persequentibus se benedicere, 98 B', cum omnibus pacem sequi, 524 A', non quod suum est quærere, sed quod alterius, 173 B, 338 D, neminem aspernari, 549 B', vel offendere, dummodo licite fieri possit, 174 A, et singularitatem vitare, 417 D. — Inimicos quomodo debeat tractare, 99 B'; iniquos et perfidos qualiter fugiat, 234 A; quo sensu hominibus placere jubeatur, 267 C', vel prohibeatur, 267 D. — Christi vicariis, tanquam Christo obediat, 385 C'; superioribus propter Deum subjiciatur, 641 A, et contra illos non murmuret, 170 A'. — Prudenter et exemplariter vivat coram extraneis, 370 C, 386 A'. Ad magisterium non se inordinate ingerat, 583 A, sed velox ad audiendum, tarda ad loquendum, 565 A', et præmeditans quid et qualiter sit dicendum, 587 D, reprehensibilia vitet verba, 318 A, 586 D, et sine querela exsistat, 341 A. Audiens detractionem, quid agat, 599 B. — Virtutes aliorum imitetur, 392 A, quos roget ut pro ipsa orent, 609 D. — De morte proximorum flere potest, et aliquando debet, 386 D'.

Plus tenetur propriæ quam alienæ saluti providere, 106 B'. — Quo sensu ad sanctitatem teneatur, 627 B. Se ipsam judicet, 19 A', mundet, 235 B, 600 A, et castificet, 630 D, puritatem mentis jugiter exquirens, 568 A', ac indefessæ cordis custodiæ insistens, 260 B. — Spiritum non exstinguat, 392 C, et ab omni specie mala se abstineat, 392 D. Spiritu vivens, spiritu et ambulet, 290 B', in novitate vitæ, 48 A. — Cibo multiplici recreatur, specialiter sacra Scriptura, 541, cujus studio libentissime applicari debet, 543, in mansuetudine suscipiens evangelicam doctrinam, 567 C'. — Mores suos convertat, 51 B, quia si non proficit, deficit, 345 B. Non solum mortalia, sed et venialia peccata fugiat, 628 A'. Vitiorum jugo subjici dedignetur, 639 C', malum odiens, et bono adhærens, 97 B', ita ut redeat ad pristinam Baptismi innocentiam, 95 A', et immaculatæ sit vitæ, 259 B', 570 B', 571 D'. — Auferat de corde suo cogitationes malas, 147 B', et inordinatas concupiscentias fugiat, 170 A; carnem domet et affectum purget, 126 B; corpus suum exhibeat hostiam viventem, quo sensu, 94 D', et qua discretione, 95 B. Propriis vitiis irascatur, et ea ulciscatur, 567 D. — Non tepescat, 292 C, nec se negligens, 103 B', locum det diabolo, 317 B', sed illi resistat, 594 C', 672 A', non etiam post victoriam, secura, 595 D'. Dei armaturam gestet, 325 D, 326 B, et angelum custodem quotidie invocet, 554 C'. Orationi instet, 369 C, libenter, 369 D, et semper, quo sensu, 327 A, 392 B. Qualiter exaudiri mereatur, 555 C'. — Satagat nunquam de se præsumere, 77 A', 393 A', videre ne cadat, 171 A, non in se gloriari, 305 A', amorem privatum exstinguere, 99 C, operibus utilibus vacare, 386 C, in rebus corporalibus non superfluitatem sed necessitatem quærere, 639 B', puerorum innocentiam non insipientiam sectari, 193 C, 632 D, negotiis sæcularibus non se implicare, 438 C, stabilitatem cordis assequi, 204 B', 528 B', et contemplatione divinorum transformari, 225 A'. — Non apud semetipsam prudens, 99 B, nec sibi placens, 109 B, semper timorata, 91 D, obediens, 626 A', circumspecta, 661 D, quieta, 386 B, pacifica, 591 A, 651 C, sapiens in bono, 116 D', et simplex in malo, 117 A, non in sensu suo pertinax, 441 A, nec inanis gloriæ cupida, 290 C', sed semper vilis in propriis oculis, 338 C, 594 B', 598 B, in fide, spe et caritate firma, 627 B, caute ambulet, 321 B, cum omni humilitate et mansuetudine, 312 D; non erubescat suum fateri imperfectum, 345 B, et amet nesciri, 140 A'. Humana præsidia non deserat, 252 C', faciens quod in se est, 252 B'. — In quibus gaudere debeat, 256 B', vel lugere, 597 D. — Qualiter ad divinæ suavitatis gustum pertingere possit, 633 D. Pro spirituali consolatione deprecetur, eamque longanimiter præstoletur, 608 A, carnalia despiciens solatia, 215 B. In orationibus vigilet, quo sensu, 661 A'. — Nec in prosperis erigatur, nec in adversis dejiciatur, 233 B. Patientiam, quæ illi necessaria est, 513 B', in quibus servet, 232 B' et seq. Ad bene agendum et patiendum divino amore inducatur, 519 D. Per patientiam currat ad propositum certamen, 522 B, et tentationibus mortiferis viriliter renita-

tur, 171 C. — In adversis pacem teneat, 616 D, et Deum exoret, 687 C', qui eam consolatur, 214 A', 215 B. Tribulationes sponte sustineat pro suis excessibus, 597 D, 619 B', ac propter æternam remunerationem, 604 A'; imo in illis glorietur, 40 B', et exsultet, 98 C, 549 C', Deo gratias agens, 619 C', a quo castigatur quia diligitur, 523 A et seq., ut instar auri ex adversitate inveniatur splendidior, 620 A'. — Ad æternam beatitudinem infatigabiliter properet, 102 A', 622 D, 639 A', ita utens bonis præsentibus ut futuris fruatur, 429 D'. Jugiter ad mortem parata, 378 D', certa sit de præmio acquirendo, quo sensu, 167 D'.

ANIMALIA quomodo ab hominibus domentur, 585 B'.

ANIMUS inordinatus sibi ipsi est gravis, 588 D'.

ANNUS. Unus dies apud Dominum sicut mille anni, quo sensu, 694 B.

ANSELMUS (S.), Cantuariensis episcopus, qualiter Papam salutaverit in epistola de Incarnatione Verbi, 669 C. — Allegatur, 13 A', 151 A', 339 B'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 158.)

ANTICHRISTUS quando venturus sit, 402 D, et a quibus figuratus, 402 B', 403 A. Homo peccati quare dicatur, 402 D. — Quanta ejus superbia, 402 A', et potentia, 403 B'. Quot variis modis mundum decepturus sit, 404 B, an vera miracula facturus, 403 C' et seq. Deum et Dei filium se vocabit, 402 B'. In quo templo sessurus sit, 402 C'. — Ejus tempore qualem persecutionem passura sit Ecclesia, 441 C, et circa ejus adventum quinam illusores exorturi sint, 692 D. — Occidet Enoch et Eliam, 403 A. Ipse autem qualiter interficiendus sit, 403 D. Illo mortuo totus orbis ad Christum convertetur, quo sensu, 390 B'. — Ejus ministri utrum aliquot diebus gavisuri sint post ejus necem, 390 A et seq.

ANTIOCHIA. Ibi S. Paulus restitit S. Petro, quare, 271 D, et quid de utriusque Apostoli facto sentiendum, 272 B, 273 A.

ANTIOCHUS Illustris figura fuit Antichristi, 403 A.

ANTONIUS (S.) abbas, sæpe a dæmonibus cæsus, semper prævaluit, 595 B'.

ANUS, id est vetulæ, quomodo obsecrandæ, 423 D, et ad quas virtutes hortandæ, 454 A.

APOCRYPHI libri. Non eorum auctoritati innitebantur Apostoli, 442 C.

APOLLINARIS, hæresiarcha « rudissimus », negabat in Christo fuisse animam rationalem, 685 D'.

APOLLO, vir potens in Scripturis et eloquens, 207 C, 457 B, ut dicitur, erat episcopus Corinthiorum, 126 C'. — Ab illis quare recesserit, 207 C, et qualiter ad ipsos, rogante S. Paulo, reversus sit, 240 D'.

APOSTOLI, summi et primi Christi vicarii, 187 A, summi prophetæ et primi Ecclesiæ doctores, 187 B, dispensatores mysteriorum Dei, 141 B, spectaculum facti sunt mundo et angelis et hominibus, quo sensu, 142 D'. — Apostolatum acceperunt a Deo per Jesum, 10 A. Quomodo Christi majestatem contemplati sint, 682 C'. Omnes Apostoli immediate a Spiritu Sancto edocti fuerunt, 504 A. A die Pentecostes confirmati sunt in gratia, 72 B, in qua se esse certo cognoverunt, 64 A. — Quanta illorum fides, 675 A', sapientia, 300 B', gloria et dignitas, 223 D', 224 B. Eis data est omnium linguarum notitia, 187 D, 193 A, et subjecta sunt animata ac inanimata, 233 B'. Non solum dæmones ejicere poterant, sed et tradere illis enormiter delinquentes, 145 D. Prophetis quare præferantur, 683 C'. — Quo sensu Ecclesiæ sint fundamenta, 138 B'. Non sunt principaliter missi ad baptizandum, sed ad prædicandum, 128 A. Ubi prædicaverint, 85 D'. Mulieres circumducebant exemplo Christi, 163 D. — Quantas tribulationes passi sint, 143 C, 233 C, quibus virtutibus splendentes, 143 D. Stulti propter Christum, 143 B, tanquam purgamenta hujus mundi facti sunt, 143 A'. — Certum est fidem apostolicam esse a Deo, quare, 4 C. — Apostolorum tempore, multi non idonei conabantur evangelium scribere aut prædicare, 583 A. — Quædam ex ordinatione Apostolorum observantur, quæ scripta non sunt, 182 A'.

AQUA. Quo sensu terra per aquam consistat Dei verbo, 693 D. — Aqua diluvii superiorem aeris partem occupavit, 693 D. — Aqua quæ de petra profluxit in deserto, quare potus spiritualis dicatur, 169 C. — Aqua in fine mundi qualiter innovanda sit, 695 C'.

AQUILA, vir Priscæ, cum uxore laudatur, 115 C', 207 D', 208 A.

ARATOR spiritualis quisnam sit, 164 B.

ARCA testamenti quomodo facta, et quid in illa asservatum fuerit, 505 D.

ARCHANGELI sunt medii inter Angelos et Principatus, 71 D'. — Quæ vox Archangeli futura sit in die judicii, 387 A'.

ARCHIPPUS, filius Philemonis, 463 B, S. Pauli

discipulus, Colossensium fuit episcopus, 353. — Illum qualiter exhortandum jusserit S. Paulus, 371 C'.

ARETAS rex Damascum occupavit, 252 C.

ARGENTUM quid designet, 138 D'.

ARISTOTELES, antonomastice dictus « Philosophus », 219 C', de Deo multa agnovit, 15 B'. — Allegantur ejus Ethicorum libri, 568 D, et Metaphysica, 564 B. — Citatur passim, 73 B', 85 B, 316 A', etc.

ARIUS, qui Christi deitatem negavit, 548 D, totum pene orbem infecit, 652 D. — Ariani refelluntur, 75 C.

ARMA lucis quænam sint, 102 C'. — Arma justitiæ sunt virtutes seu opera virtuosa, 233 A.

ARMATURA Dei qualis sit, 325 D, 326 B et seq., 391 C.

ARRHA felicitatis nostræ est Spiritus Sanctus, 301 A', qui utrum convenientius dicatur arrha quam pignus, 301 C'.

ASINA Balaam ipsum corripuit, 690 D, quomodo loquens, et utrum sua verba intelligens, 690 A'.

ASPIS quædam immanissima in Ægypto domita est, 585 D'.

ASTUTIA quo sensu accipiatur, 225 C'.

ATHANASIUS (S.), Alexandrinus episcopus. Allegatur Vita S. Antonii ab illo conscripta, 595 B'. (Migne *Patrol. gr.* tom. 25-32.)

ATHENÆ. Ibi scripta est prima ad Thessalonicenses epistola, 375.

ATTRITIO ad contritionem disponit, 582 B.

AUDITUS. Fides ex auditu est, quo sensu, 85 B et seq.

AUGUSTINUS (S.), Hipponensis episcopus, sæpe citatur, 19 B', 32 C, 44 A, etc. — Allegantur ejus libri de Civitate Dei, 696 A, de Videndo Deum, 254 B, et epistola ad Dioscorum, 203 A.

AURIS. Per illam intelligitur qui habet gratuitum donum scientiæ, 185 C'. — Prurientes auribus quinam dicantur, 444 A.

AURUM mystice est amor vel contemplatio divinorum, 138 C'.

AUXILIUM humanum non est contemnendum, quo sensu, 252 C'.

AVARITIA est rerum temporalium inordinatus appetitus, 18 A. — Quare idololatriæ comparetur, 319 C', 366 A'. — Avari quatenus peccent, 427 C'.

AVICENNA (Ibn-Sina), Arabus philosophus, quid sentiat de fascinatione, 275 D. — Allegatur, 690 A'.

AZYMA quid sit et quid designet, 146 D. — In azymis sinceritatis et veritatis quomodo epulandum, 146 D.

B

BABYLON. Quare hoc nomine designetur Roma, 674 C.

BALAAM, qui propheta fuit, 690 D, mercedem iniquitatis amavit, quo sensu, 690 C. — Correptus est ab asina sua, 690 D, cujus verba quomodo formata sint, 690 A'.

BAPTISMUS, lavacrum regenerationis, 456 D, et janua sacramentorum, 456 A', 658 A, a Christo institutus est, 631 A, quandonam, 47 A'. — Triplex est, videlicet, fluminis, flaminis, et sanguinis, 492 D. Quo sensu unus sit Baptismus, 313 C. — Solus Deus intus baptizat, 127 A, 631 A, et Baptismus efficaciam non habet nisi merito Christi, 126 D', 127 D, cujus sepulturam ac resurrectionem repræsentat, 197 B'. — Forma ejus quid operetur, 631 B, et quomodo a Græcis mutata sit, 127 B. Utrum Apostoli in nomine Christi baptizaverint, 127 D. Quid significet trina immersio baptizati, 47 B'. Character qui in Baptismo imprimitur, est indelebilis, 631 C'. Baptismus iterari nequit, 493 B, estque ejusdem valoris, a quocumque ministretur, 313 C. — Quomodo diluvio assimiletur, 657 D' et seq. Per illum deletur originale peccatum, 35 C'; aufertur pœna sicut et culpa, 49 A, 231 B; Christum induimur, 280 A', cujus nobis meritum applicatur, 629 D'; ipsi incorporamur, 150 C, et spiritualiter ejus sanguine adspergimur, 615 C, ac mundamur, 507 C'; ex Ecclesia et Spiritu Sancto renascimur, 284 B'. In morte Christi baptizati sumus, quo sensu, 47 B'; in ipso unum sunt baptizati cujusque generis, conditionis et sexus, 280 B'. — In Baptismo renuntiamus pompis diaboli, 150 D', et nos ipsos obligamus ad præcepta Evangelii, 286 B. Quid petatur ab adulto baptizando, 658 B. Patrinus respondet pro baptizato infante, 658 C. — Quinam baptizentur pro mortuis, 200 C', 201 A. — *Cf.* Sacramenta.

BARBARI quinam appellentur, 12 B', 192 D. — Legibus non reguntur, 52 C. — Barbarum vocamus quod non intelligimus, 192 D.

BARNABAS (S.) an cum Tito Corinthum missus sit, 240 B'.

BARTHOLOMÆUS (S.) apostolus in Armenia

prædicavit, 86 A. — Quædam ejus verba refert S. Dionysius Areopagita, 543.

BASILIUS (S.), Cæsariensis episcopus, risum damnat, 597 B'. (In Regula fusius explicata, interrog. 17.)

BEATI quo sensu sint Dei filii, 40 D, 66 C, et heredes, 64 C', coheredes autem Christi, 64 D'. — Quomodo regnent, 45 A'; quanta sit eorum gloria, 65 C, et felicitas, 133 D', 621 A', 622 B. Omnes immediate Deum conspiciunt, 503 D', et unusquisque illorum contentus est suo præmio, quod est ultra condignum, 242 D. Quare comprehensores vocentur, 345 A. — Illorum locus et palatium est cœlum empyreum, 229 A. — *Cf.* Comprehensio, Electi, Patria, Sanctus.

BEATITUDO quid sit, 302 C', 563 C', 617 B' et seq. — Beatitudines quid sint, et qualiter a fructibus Spiritus Sancti differant, 290 C. — *Cf.* Heredes.

BEDA (S.) Venerabilis, Ord. S. Benedicti, citatur, 111 A', 278 D', 390 B', etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 90-95.)

BELIAL interpretatur apostata, et diabolum significat, 234 C.

BENEDICTIO frequenter pro dono liberali accipitur, 299 A'. — Quomodo a maledictione corrumpatur, 587 C. — Benedictio Dei est collatio et multiplicatio munerum ejus, 650 B'. — Qui benedictionem consecrationis largitur, inter Deum et eum qui benedicitur, medius est, 498 A.

BENEFICIA. Illorum exhibitio caritatem accendit, 72 B. — Beneficia Dei recolere quantum prosit, 134 B'.

BERNARDUS (S.), Claræ Vallis abbas, citatur, 71 B, 358 B, 587 B'. — Allegatur ejus liber de Consideratione, 669 D. (Migne *Patrol. lat.* tom. 182-185.)

BILINGUES quinam sint, 419 C'.

BOETIUS (B.) philosophus passim citatur, 155 C', 167 A, 225 B, etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 63, 64.)

BONAVENTURA (S.), Albanensis episcopus, O. M., allegatur, 659 B'.

BONI possunt scire se esse filios Dei, sed tantum probabiliter, 64 B. — Boni prius confirmandi sunt quam mali torquendi, 245 A. — Quare stellis comparentur, 38 C. — *Cf.* Justus, Perfectus, Sanctus.

BONUM in bono sectandum est, quo sensu, 283 D. — Ejus causa occasionaliter est malum, 46 C'. — Bonum quanto communius, tanto divinius perhibetur, 609 C. — Diversi generis distinguuntur bona, 106 A' et seq. — Bona temporalia, quæ spiritualibus comparari nequeunt in dignitate, 164 A', quomodo liceat repetere, 150 A. — Quænam bona propter vitandum scandalum sint omittenda, 106 B', vel deserenda, 106 C'. — Bonum nullum Deus relinquit irremuneratum, 324 D'. — *Cf.* Malum.

BRAVIUM supernæ vocationis Dei, quid sit, 345 A'.

C

CAIUS, Corinthiorum episcopus. Ad illum scripta est tertia S. Joannis epistola canonica, 117 D.

CALIGO tenebrarum dicitur obscuritas inferni, quare, 690 C'.

CANDELABRUM aureum pluraliter dicitur candelabra, quare, 505 A.

CANONES sacri prohibent cohabitationem conjugum disparis cultus, 154 D. — *Cf.* Conjuges.

CAPITULUM unde nomen accipiat, 501 D.

CAPUT, cujus ordo, perfectio et virtus describuntur, 303 B', omnes sensus continet, 501 D. — Illud velare non debet vir orans aut prophetans, 175 A', debet vero mulier, quare, 175 B' et seq. — Caput mulieris est vir, quo sensu, 174 D'. — Christus est caput Ecclesiæ, 303 C', et angelorum, 303 D'. — Per caput significantur prælati, 186 C.

CARITAS, omnium virtutum regina, origo, motrix ac finis, 101 D', 367 B', 679 A', est animæ decor, 300 A, atque vita, 54 A', 188 C, 290 C', 300 A. An realiter differat a gratia gratum faciente, 187 D. Ejus subjectum est voluntas, 41 D. — Exponitur caritatis excellentia, 187 D et seq. Sine caritate mortua est fides, 582 B', nihil prodest donum linguarum, vel prophetia, 188 B, nulla est actio meritoria, 558 A', 630 D. Caritas ædificat, quo sensu, 160 A, operit multitudinem peccatorum, 662 A, omnia suffert, credit, sperat, sustinet, 188 B', non quærit quæ sua sunt, 188 A', voluntatum unionem parit, 178 B, cuncta facit communia, 287 B'; et major fide ac spe, 190 C', nunquam excidit, 188 D', 189 B'. Quænam sint ejus latitudo, longitudo, 311 D, sublimitas et profundum, 311 A'. In illa tota spiritualis fundatur et consummatur constructio, 315 B'. — Ejus actus dignior est quam actus timo-

ris, 181B. Ejus fervori respondet præmium essentiale, 137D'; et qui stat in caritate, meretur de condigno vitam æternam, quo sensu, 65D. Durante vita præsenti, quilibet potest in caritate proficere, 112B. An quis viator certo scire valeat se in caritate esse, 680D. Potissime ad salutem necessaria, 582A, caritas non potest in terra indesinenter esse in actu, 582C', sed præceptum ejus in patria perfecte implebitur, 189A. — Caritas quomodo sectanda sit, 590D, et quibus signis dignoscatur, 188D et seq. Procedens de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta, 412B, est finis præcepti, 412A. Illam accendit exhibitio beneficiorum, 72B. Ad ipsam qualiter ordinetur Decalogus, 101B', 324B. Duo sunt ejus præcepta, sed una caritas, 287C', nam eadem est caritas habitualis qua Deum proximumque diligimus, 661D'. — Caritas Dei quid sit, 41C, et quo sensu diffusa sit in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, 41D. Caritas fraterna commendatur, 661C'. Caritas agens quid mereatur, 35C. — *Cf.* Amor, Dilectio.

CARO quotuplici modo sumatur, 202D, 204A', 273B', etc. — Concupiscit adversus spiritum, 288B, quare, 57C. Crucifigatur, 290A', et spiritui non dominetur, 49B', sed serviat, 62B. — Virginitas carnis quid sit, 247D'. In carne sine carne vivere, angelica est vita, 151D. — Omnis caro fœnum, quo sensu, 631C. — Christus venit in similitudinem carnis peccati, 58B'. — *Cf.* Corpus, Homo.

CARTUSIENSES carnes non comedunt, 202D.

CASSIODORUS (Aurelius), Vivariensis abbas, allegatur, 595C'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 70. col. 391.)

CASTITAS quid sit, et qua ratione a continentia distinguatur, 289A'. — Illam promittentes non solum nubere, sed et velle nubere prohibentur, 424D'. — *Cf.* Continentia, Virginitas.

CAUSA principalis a causa instrumentali secernitur, 59D'. — Omnis effectus est quædam participata similitudo suæ causæ, 15A'. — Deus est causa efficiens, formalis et finalis, 94B; ab illo tanquam a prima causa est omnis actus, 560D, ipsique adscribitur effectus causæ secundæ, quo sensu, 183B'. Opus naturæ ac intelligentiæ est opus causæ primæ, 202B. — Liber de Causis (David Judæi, sæc. XI) sub nomine Procli allegatur, 62D, 563D.

CENCHRÆ. Ibi fuit portus Corinthi, 115C.

CEPHAS interpretatur caput, estque nomen Petro a Christo impositum, 163D. *Vide* Petrus.

CERINTHUS hæresiarcha Christi divinitatem negavit, 685C'.

CERTITUDO quæ habetur in mathematicis differt ab illa quæ in moralibus invenitur, 680C'.

CETURA post mortem Saræ facta est Abrahæ uxor, 38D.

CHARISMATA Spiritus Sancti enumerantur et explicantur, 182B et seq. *Cf.* Donum.

CHERUBIM gloriæ obumbrabant propitiatorium, quo sensu, 505A.

CHLOE utrum sit nomen loci vel personæ, 126A'.

CHRISTIANUS qui vere talis est, mysticum Christi membrum dicitur, 150C, et sanctus vocatur, 355A'. Quanta ejus felicitas, 40A', 98B, et dignitas, 637A et seq. Quomodo ceteris hominibus præferatur, 565B. — Ad quantam vitæ perfectionem teneatur, 577C', filiis Belial non se jungens, 234C. In vestibus quid debeat vitare, 648A. Illum quantum dedeceant carnalia desideria, 639B. Qui patitur ut Christianus, non erubescat, quare, 666A. — Christiani quo sensu sint filii promissionis, 284D', advenæ et peregrini, 639A. — Christiana libertas in quo sistat, 285A', 287D. — Quinam Christiani fugiendi sint, 146D', 405C'. — Mali Christiani sæpe gentilibus deterius vivunt, 565D, et gravius condemnantur, 579D. — Primi Christiani pro magna parte simplices et ignobiles fuerunt, 131B.

CHRISTUS est Deus et homo, 44D', verus Creator ac Deus, 7A', 170D, 526B', Verbum increatum, 7A', 631A', Veritas, 564D. Principium, 358D, Dei sapientia, 133B, Sol justitiæ, 557D', Dominus gloriæ, 133B', Dominus omnium, 161B, Filius Dei non adoptivus sed naturalis, 9C, 473D, 480C'; splendor gloriæ Patris, 472B, et figura substantiæ ejus, 472D, virtus Dei et Sanctus Sanctorum, 41D', imago Dei, 226C, 357A', 472A'; Patris imago, 69D, virtus, sapientia, 130A, manus et brachium, 129D'; primogenitus mortuorum, 69C', 358D, primitiæ dormientium, 197D', 198D, primogenitus omnis creaturæ, 357C', primogenitus in multis fratribus, 69C', heres universorum, 471B', Dei ac hominum mediator, 10C', 40B, 279A', 416C', sanctorum minister, 502A, Dei electus, 634C; princeps pastorum, 613A, 670B, pastor magnus ovium, 530B', pontifex futurorum bo-

norum, 506B', pontifex confessionis nostræ, 482D'; pontifex magnus, 488B, secundum ordinem Melchisedech, 491A; Dei templum, pontifex et hostia, 635B, episcopus animarum, 644D', 645A; agnus Dei, 146A, agnus incontaminatus et immaculatus, 629D; magni consilii Angelus, 283B, radix Jesse, 111B', novus Adam, 44B', 203B', lucifer, 684B, justus, 603C', auctor fidei et consummator, 522C, finis noster, 208B', pax nostra, 306C, thronus gratiæ, 488B'; lapis vivus, 633D', lapis summus, 307C', 635A', angularis, 635B', 636C, etsi ab hominibus reprobatus, 634B, 636C; fundamentum Ecclesiæ, 138A', 634B', Apostolorum et Prophetarum, 307B'; caput angelorum, 175A, 303D', et omnium electorum, 59D, 582A. — In nomine Christi quomodo intelligatur Trinitas, 127A'. Nomen ejus quo sensu sit super omne nomen, 340B, et quando illi datum sit, 340C.

De Christi divinitate et humanitate. — Qualiter probetur Christi divinitas, 10A', 75C, 133B', 657B. Idem est Deus cum Patre et Spiritu Sancto, 279A'. In persona sua, quæ est æterna, 170D, duas habet naturas, 129C'. Quomodo demonstretur coæternus Patri, 475D', qui cum illo unius est essentiæ, 338C', 472B'. Qualis sit ejus unio cum Patre, 411A; quomodo ab illo generetur, 473C', et diligatur, 683B. Duæ sunt ejus generationes, sed una dumtaxat filiatio, quare, 7C'. — Qualiter ejus humana natura Verbo juncta sit, 339A, et quo sensu ad illud se habeat sicut vestis ad hominem, 339C. Personaliter in illo unitæ sunt natura divina et humana, 362B', ita ut divinitas vere ac immediate conjuncta sit ejus corpori sicut et animæ, 362C'. — Ut Deus, causa est efficiens et objectum vitæ æternæ, 52A'. Ante omnes est, et omnia in ipso constant, 358C, omnia per ipsum facta sunt, 472A, seu in ipso condita, quo sensu, 357D', 358D. Quomodo portet omnia verbo virtutis suæ, 472B' et seq., et unctus sit oleo exsultationis, 475C', 548C. Omnia et in omnibus Christus, quo sensu, 367B. — Ejus humanitas, toto universo præstantior, 303D, 635C', et instrumentum divinitatis, 59D', a primo instanti unionis suæ cum Verbo prælata est cunctis creaturis, 105C, 479B', ita ut illæ ipsi subjiciantur, 303D, 358A'. — Angelis quantum præstet, 473C, 478B', etsi dicatur paulo minus ab illis minoratus, 473A', 479D. Angeli a Christo homine purgantur, illuminantur, et perficiuntur, 304A, 362D'. — Quanta ejus perfectio, 504B', sapientia, scientia, 361A', 488A, 682B', potestas, 303D. A principio incarnationis fuit comprehensor perfectus, 9B, 361B', 630B, et perfectissime confirmatus in bono, 644D. Quid sit in illo gratia unionis, et gratia capitis, 45A. Quo sensu caput ejus sit Deus, 175D. — Ceteris hominibus quomodo Christus assimilatus sit, 339A, 482B. Quosnam defectus non assumpserit, 482C. Fuit mortalis atque passibilis, 339B, sed corpus ejus erat immaculatum, et rationi obedientissimum, 510A; dicitur velamen, quare, 511B'. In illo fuit ira per zelum, 566B', non autem fides, 483A, nec spes, quo sensu, 481B. Cur incarnatus sit, 7A', 231C', et natura humana per ejus humanitatem fuerit reparanda, 480B'. — Quo sensu prædestinatus sit, 8D et seq., et utrum creatura dici valeat, 7D.

De Christi adventu et gestis. — Quotuplex sit ejus adventus, 125B'. — Qualis fuerit primus ejus adventus, 455B, in ultima mundi ætate, 629B', et quomodo cœlum et terram moverit in eodem adventu, 526B'. — Per Prophetas prænuntiatus, 6B', 622C', 623C, 625A, quomodo præfiguratus sit, 146B, 169D, 403A. Fides de ejus adventu ab exordio necessaria fuit, 582A, ita ut sine illa nemo unquam salvatus sit, 59D, 81D. — Quo sensu descendat de Adam, 480C', 482B, et in ejus lumbis fuerit, 498D. In Noe erat et in aliis Sanctis qui tunc vivebant, 657A. Ex semine David factus, 7C, de tribu Juda ortus est, 499C. — Naturam humanam assumpsit ex B. V. Maria, 7B, 44B', cujus vere filius est, 7C'. In utero Virginis creata est ejus anima et corpori suo unita, 316C'. — Ingrediens mundum quid dixerit, 509D' et seq. Quomodo apparuerit ejus gratia, 454D', et benignitas, 456B. Humillimus ac patientissimus, 338B', 339D, venit ad salvandos peccatores, 413D'. Illum mittens Pater in similitudinem carnis peccati, 58B', de peccato damnavit peccatum, quo sensu, 58C'.

Christus non sibi placuit, 109C. Quanta ejus paupertas, 239C, quæ est nostra opulentia, 239D. Ejus conversatio est nostra perfectio, 239D. Homo de cœlo cœlestis, 204B, segregatus a peccatoribus, 501A, omnia retulit ad Patris gloriam, 214B, et per miracula exaltatus est, 340A. Doctrina ejus, quæ dili-

gentissime est observanda, 477 C, dicitur consummans et abbrevians in æquitate, quo sensu, 80 B. Lex ejus est lex totius sanctitatis, 654 A. — Circumduxit feminas religiosas quæ illi de facultatibus suis ministrabant, 163 D. — Quam bonus erga ingratos Judæos fuerit, 86 C'. — Instituit sacramenta novæ legis, 564 C', Baptismum, 47 A', Eucharistiam, quomodo, 179 A et seq. Utrum ejus oratio semper exaudita fuerit, 490 B'. — Quibusnam factus sit lapis offensionis et petra scandali, 81 A', 636 D. Qualiter illum cognoverint Judæi, 86 D', et dæmones, 87 A'. Quo sensu dicatur minister circumcisionis, 110 C', 111 A, et finis legis, 82 B', 364 D. Moyse excellentior demonstratur, 484 B et seq. — Tentatus est per omnia pro similitudine, 488 D, absque peccato, 488 A', et promeruit nobis gratiam tentationibus reluctandi, 482 C'. — Nobis in exemplum proponitur, 522 C', ejusque omnis actio, nostra est instructio, 661 B'.

Deus ab æterno decrevit mundum redimere per Christi passionem, 629 B', quæ qualiter prænuntiata sit, 196 B, 623 A', 655 C, et hoc fecerit futura quod facit impleta, 59 D. — Potentior ad reparandum quam Adam ad destruendum, 198 B, Christus sua passione et morte, quæ est causa nostræ salutis, 31 D, figuralia implevit, 270 A, nos a peccatis absolvit, 266 C, ab ira ventura eripuit, 379 A, januam aperuit patriæ, 507 C, et vitæ, 511 A'; diabolum ligavit, et spolia ejus distribuit, 655 B', mortem destruxit, 436 D', ejusque regnum, 44 D, per sanguinem suum pacificans sive quæ in cœlis sunt, sive quæ in terris, quo sensu, 358 D'. Quam conveniens fuerit ejus passio, 480 D, et quantum promerens, 623 B'. Hostia pro peccato factus, 231 C', et maledictum, 277 C, delens quod adversum nos erat chirographum decreti, 363 A', semetipsum in odorem suavitatis tradidit Deo, 319 C, qui illum propitiatorem proposuit, 31 D, et per ipsum nos sibi reconciliavit, 231 C. Quo sensu Christum tradiderit Pater, 70 A', et cum illo omnia donaverit, 70 B'. — Qualiter imminente passione, pro se Christus oraverit, 490 B, et pro corpore suo mystico, 490 C, cum clamore valido et lacrimis, 490 D. — Passus est libentissime, 644 A', pœnas amarissimas, 644 B', 659 B, in anno ætatis suæ tricesimo tertio, 315 A, extra portam Jerusalem, 529 A', quod præfiguratum erat, 529 D. Quomodo patiens obedientiam didicerit, 490 D', et impleverit usque ad mortem crucis, 339 A', atque propter hoc exaltatus sit, 339 D'. In cruce suspensus, de Matre sua sollicitus fuit, 424 C. Pro nobis mortuus est, 42 A', 455 B, ex mera caritate, 285 C'. Velum templi ipso moriente scissum, quid figuraverit, 224 A'. — Sanguis ejus, quo empti sumus, 151 B, 156 A, quam idoneus ad salvandum, 506 D', et quanto melius loquens quam sanguis Abel, 526 D, ita ut minima ejus gutta potuisset humanum genus liberare, 417 A. — Ecclesia formata est ex latere Christi, 203 C', ex quo fluxerunt sacramenta, 44 C', 126 D', atque efficaciam sortiuntur, 507 C'. — Christus crucifixus quo sensu Judæis sit scandalum, 129 B', et gentibus stultitia, 129 C'. Quare dicatur mortuus ut omnium sit Dominus, 105 C, 161 C. Quo sensu pro omnibus mortuus sit, 480 B, 629 A', et propter quem finem nos redemerit, 455 A'. Cum illo crucifixus est vetus homo noster, 48 D, et mors Christi figurat vitiosæ conversationis occisionem, 48 C.

Quando in limbum descenderit, 313 C'. — Tertia die resurrexit, 196 C, propria virtute, 198 A, id est, ut Deus suscitavit se ipsum ut homo est, 39 B, 48 A, 630 B. Traditus est propter delicta nostra, 39 C, 179 C, 266 B, et resurrexit propter justificationem nostram, 39 A', 305 A, factus in spiritum vivificantem, quo sensu, 203 B'. Ejus resurrectio signat spiritualem mentis renovationem, 48 C, et ex illa probatur futura generalis resurrectio, 197 B, 617 C et seq. — Quibusnam post resurrectionem suam apparuerit, 196 D. — Quare in cœlum ascenderit, 508 D, captivam ducens captivitatem, 313 B', super omnes cœlos elevatus, 313 D', super omnes angelos, 658 C', excelsior cœlis factus, 501 B. — Quomodo ad dexteram Patris sedeat, 70 D', 365 C', 476 D, etc., vel stet, 473 C, in gloria ejusdem exsistens, 340 D, et mortem deglutiens, 658 A'. In sæculum sæculi thronus ejus, 475 C, qui cœlum implevit, mundum redemit, infernum spoliavit, 340 D, 363 D'.

De Christo sanctificatore et judice. — Christus divina virtute et ordinatione habuit sacerdotium, 499 A', quod describitur, 489 D', et excellentius sacerdotio Levitico demonstratur, 500 A, 502 D'. Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, quo sensu, 498 C' et seq., 502 A', sub speciebus panis et vini cor-

pus suum offert et sanguinem, 499D, etsi sacrificium ejus in cruce oblatum non indigeat iterari, 501A', 508B', 511D. Quomodo interpellet pro nobis, 500D', ostendens Patri latus et vulnera, 490A, et incessabiliter offerens carnem suam propter nos immolatam, 502D. Claves mortis habet, hoc est potestatem relaxandi peccata, 481C'. — Ejus incarnatio deificatio nostra est, 239D, 281B'. Christus, qui est caput nostrum, 150C, 364B', et caput Ecclesiæ, 303B', factus est nobis sapientia, 131A', justitia, 131B', sanctificatio et redemptio, 131C'. Describitur ejus corpus mysticum, 96C', cum diversis membris, 185C et seq. Membra sumus de carne ejus, et de ossibus ejus, 323A. Una sponsa Christi sunt omnes fideles caritate connexi, 247C'. Quo sensu dicatur omnium caput, 304A', medium parietem maceriæ solvat, 306D, in nobis sanctificetur, 653D, et clarificetur, 401A'.

Quomodo Christus sit gratiæ causa, 124A', 214A, 355B; quanta ejus merita, 130D', ita ut per ea omnes justificati sint, quo sensu, 45C'. Per ipsum benedictio data est cunctis gentibus, 278A, omnia gratiarum munera nobis præstantur, 10A, 40B, 52A', etc., oblationes et orationes nostræ Deo sunt gratæ, 635A, et patefacta est janua felicitatis æternæ, 102A'. Qualiter nos vocaverit, 677A, liberaverit, 285A', susceperit, 110B'; et in illo creati simus, 305A', formati et reformati, 161B. — Per sacramenta effectum redemptionis ejus consequimur, 379A'. Per Baptismum Christum induimus, 280A'. — Oportet illum per fidem regnare in Ecclesia militanti, 200A. Sensus ejus quomodo habeatur, 136A. — Quantum diligendus, 621B, qui unumquemque nostrum diligit, 274C'. Quinam ejus adventum diligant, 444A'. Ejus obsequio nec servitus nec libertas repugnant, 156A. Quam nobilis ejus servitus, 6C, quæ est servitus latriæ, 369A. In illum peccat qui in proximum peccat, 162A'; ipsumque magis honorare non valemus, quam animas deviantes ad illum convertendo, 610A'. — Omnia facienda sunt in nomine ejus, 368C, qui est vita nostra, 366C, in quo est salus, 439B, et omnia instaurantur, 300D'. — Illum patientem sequi debemus, 644C, 664D et seq. Respectu ejus passionis, nullius momenti sunt quæ patimur, 673C. Si commortui sumus cum Christo, cum illo vivemus, 439C, in quo omnes electi vivificabuntur, 198B.

Qualis futurus sit secundus ejus adventus, 455B. Antichristum interficiet, quomodo, 403D. — In die judicii quomodo regnaturus sit, 200B, Patri tamen subjectus, 200A', illique tradens regnum, 198B', atque evacuans omnem principatum et potestatem et virtutem, 199C. Tunc veniet cum omnibus cœli civibus, 384B', descendens super vallem Josaphat, 388A, 513D', judicaturus vivos et mortuos, 443C. — Ut homo, erit exsecutor judicii, 23A'. Ante tribunal ejus omnes stabunt, 105C', et facies ejus reprobis erit horrenda, 400B'. Qualiter eodem tempore ei subjiciendi sint ipsius inimici, 479C', 511A. — Christus heri et hodie, ipse et in sæcula, quo sensu, 528A'. — *Cf.* Ecclesia, Eucharistia, Filius, Jesus, Verbum.

CHRYSOSTOMUS (S.), Constantinopolitanus episcopus, citatur, 19C, 519A', 657A', etc. Allegatur ejus liber, seu homilia, Quod nemo lædatur nisi a se ipso, 652B'.

CIBUS non damnatur, sed concupiscentia immoderata, 107A', 421D. — Quare a quibusdam cibis fideles interdum abstineant, 421A'. — Perfectorum est solidus cibus, quo sensu, 491C'.

CIRCUMCISIO duplex est, 25A'. — Circumcisio carnalis erat quædam professio legis servandæ, 25A, et signum distinguens Israel a gentibus, 36C, 305D'; quomodo profuerit vel non, 25B, et quo sensu nihil dicatur, 155C. — Quid sit circumcisio spiritualis, 25D', 36B', 363A, sine qua nemo salvatus est, 26A. — Quo sensu ex circumcisione justificatus sit Abraham, 36C et seq.

CLAMOR dicitur sermo impetuosus, vel irrationabilis elevatio vocis, 318A'.

CLAUDIUS. Sub ejus imperio Romam venit S. Petrus, 674A', et primam scripsit epistolam, 682A'.

CLAUSTRALES, qui antonomastice « religiosi » vocantur, quomodo silentium servare debeant, 571D. — Claustralis vita prodest, si regula observetur, alioquin obest, 25B; ad eam si quis confugiat, mirantur carnales Christiani, 660B'. — *Cf.* Religiosus.

CLEMENS (S.) Papa refert S. Petri verba de tribus homicidii generibus, 598A'. — Citatur, 682A. — Allegatur ejus Itinerarium, 669C. (Migne *Patrol. gr.* tom. 1.)

CLEMENS, S. Pauli adjutor, 347D, scriptus est in libro vitæ, 347A'.

CLIMACUS (S.) abbas allegatur, 673D. (Migne *Patrol. gr.* tom. 88.)

COELUM. Sic aer sæpius vocatur, 326A, 695B'. Quid sit cœlum tertium, 253C' et seq., octavum, nonum et decimum, 314A. Quid intelligatur per cœlos elementares, 314B; quot sint cœli planetarum, 314A. Cœli superiores ex sua natura incorruptibiles dicuntur, 693A. — Cœlestia corpora quo sensu ingemiscant et parturiant, 66D; utrum propter generationem inferiorum moveantur, 67B. In fine sæculi peritura, 476A, 695A', quomodo innovanda sint, 66A', 476B, 696C', et quando, 67A. In novissimo die iram Dei ostendent cœli ardentes, 14B'. — Cœlum empyreum maxime simplex et immobile, 314B, est locus Beatorum, 229A, 253C'. — Cœleste regnum nequit ingredi qui non est plenarie purgatus, 618A. — Cœlum figuratum est per Sancta sanctorum, 506A'. Quorumnam conversatio in cœlis sit, 346A'. Per cœlestia intelliguntur personæ ecclesiasticæ ad cœlum tendentes, 508C. — *Cf.* Beati, Patria, Sanctus.

COGITATIONES, inter se accusantes vel defendentes, 23C, quomodo in die judicii sint manifestandæ, 23C'.

COGNITIO. Ex parte cognoscimus, 189D, id est per speculum et in ænigmate, quo sensu, 189C'.

COLLECTÆ quomodo factæ fuerint, ut sustentarentur fideles Jerusalem, 206B et seq.

COLOSSENSES. Cur ad eos scripserit S. Paulus, 353.

COMMUNIO quotidiana suadetur, 181B. — Communio spiritualis in quo sistat, 181B. — *Cf.* Eucharistia.

COMPAGES sunt juncturæ corporis, nervis colligatæ, 487C'.

COMPREHENSIO quid sit, et quare Beati dicantur comprehensores, 345A. — Comprehensores in ultimo fine immobiliter conservantur, 198D', eisque Deus est omnia in omnibus, 200B'. — *Cf.* Beati.

COMPUNCTIO. Spiritus compunctionis quandoque in malo sensu accipitur, 88D'.

CONCUPISCENTIA quo sensu ex mandato provocetur, 54A, 55A, et sit causa mali, 55C'. — Interdum accipitur pro cupiditate seu privato amore, 560A', vel pro quovis inordinato affectu, 591C'. — Concupiscentiæ corruptio quomodo fugienda, 678D. — Quid sit concupiscentia spiritualis et munda, 678B'. — *Cf.* Caro, Fomes.

CONFESSIO fidei quid mereatur, 84B'. — Confessio, quæ est pars sacramenti Pœnitentiæ, 237A, soli sacerdoti facienda est, 608D', et in illa omnia lavantur, 235B. — *Cf.* Fides, Pœnitentia.

CONFIRMATIO est sacramentum in quo datur Spiritus Sanctus, 492B'.

CONGREGATIO quæ perversum sustinet, quantum incurrat periculum, 145B'.

CONJUGES quid sibi invicem debeant, 151D'. — Conjuges disparis cultus simul cohabitare poterant in primitiva Ecclesia, quare et quo sensu, 153B', 646A; quod nunc illis prohibetur, 154C, 646B. — *Cf.* Matrimonium, Mulier, Uxor, Vir.

CONSCIENTIA quid sit, 412B, et in quo sistat ejus testimonium, 23B, in die judicii manifestandum, 23D et seq. — Ejus diligens discussio qualem fiduciam dare possit de filiatione divina, 64C. — Utrum conscientia errans obliget, 108A'.

CONSENSUS, coram Deo, pro opere reputatur, 288B. — Consensus in delectationem prohibitam est mortalis, 561D.

CONSILIUM Dei immobile est, 495C. — Per consilia evangelica perficiuntur præcepta moralia V. T., 32A'.

CONSOLATIO æterna qualiter nobis detur, 404D'. — Non potest carnalia vitia vitare qui nihil divinæ consolationis experitur, 633C. — Quomodo Deus afflictos consoletur, 214A', ut possint et ipsi alios consolari, 214B'. — Quid agere debeant qui absque consolatione tribulantur, 215A.

CONSPERSIO quid sit, et quid designet, 145D'.

CONSUETUDO quando vim legis habeat, 177D', 182A'.

CONSUMMATIO dicitur perfectionis plenitudo, 260A.

CONTEMPLATIO, per somnum designata, 386C', non exigit loci determinationem, nisi ex quadam decentia, 124C. — Quomodo ex illa pax procedat, 676D. Vita contemplativa vocatur vita quieta et secreta, 647B. — Mysteria divina quatenus contemplanda, 96C et seq. Contemplator divinorum deiformis efficitur, 225B. Contemplativi, per oculum figurati, indigent opera activorum, 186C.

CONTENTIO qualis sit peccatum mortale, qualis vero laudabilis, 589B. — Contentio ver-

bosa quam nociva, 439 B'. — Contentiosi redarguuntur, 21 B', 22 A.

CONTINENTIA quid sit, et quatenus a castitate differat, 289 A'.

CONTRITIO, ad quam disponit attritio, 582 B, est pars Pœnitentiæ, 237 A. — Per contritionem cordis dimittuntur peccata actualia quantum ad culpam, 35 D', 41 A. — Contritio interdum dicitur omnis boni dissipatio, 29 A. — *Cf.* Pœnitentia.

CONTUMELIA est gravior detractione, 599 A.

CONVERSATIO monstrat legis ac fidei qualitatem, 379 B. — Quorumnam conversatio in cœlis sit, 346 B'.

CONVERSIO. Frequenter post conversionem peccatores ceteris ferventiores sunt, 46 B'. — Qui peccatorem convertit, quanta illi tribuat, 610 A, et sibi mereatur, 610 B.

COR. Quanti facienda sit ejus munditia, 51 C'. Virginitas cordis est fides incorrupta, 247 D'. — Stabilitas ejus in Domino magna est perfectio, 206 A', 528 B'. — Ejus indefessa custodia commendatur, 260 B. — Corde creditur ad justitiam, quo sensu, 84 A'. — Qualiter in tabulis cordis carnalibus scribat Spiritus Sanctus, 222 A'. — *Cf.* Anima.

CORINTHUS erat metropolis Achaiæ, 114 B, 213 A'. — Quoties illuc venerit S. Paulus, 257 C, 258 D', et Corinthiis scripserit, 146 A', 371 C'. Quis fuerit scopus epistolæ ad eosdem primæ, 121, et secundæ, 211, 213 A. — Corinthius incestuosus quantum peccaverit, 144 D', et quomodo excommunicatus sit, 145 D. — Qualiter Corinthii S. Paulum contempserint, 123 B', 174 C', erraverint de Baptismi virtute, 126 C' et seq., et Eucharistiam inordinate sumpserint, 178 A' et seq. Aliqui ex illis idolothyta manducaverunt, 159 D, scientiam non discretam habentes, 159 C', et alios scandalizantes, 161 A', 173 A. — Quomodo Corinthii emendati fuerint, 236 A, et contristati propter Deum, 236 C. — Ad Caium, Corinthiorum episcopum, scripsit S. Joannes tertiam epistolam canonicam, 117 D.

CORONA vitæ quid sit, 558 B.

CORPUS humanum quo pacto a Deo temperatum, 186 A', ita ut ejus membra pro invicem sollicita sint, 186 B'. — Quo sensu dicatur corpus mortis hujus, 57 D, et corpus humilitatis nostræ, 346 C'. Qua discretione mortificandum sit, 95 B, ut fiat hostia vivens, 94 D', et membra ejus non sint arma iniquitatis, 49 C', 50 C', sed justitiæ, 49 D', 50 D'. — Corpus peccati quid sit, et quomodo destruatur, 48 B'. — Corpus mortale induet immortalitatem, 205 D. Qualis futura sit differentia corporum resurgentium, 202 C. Quatuor dotes corporum glorificatorum exponuntur, 202 C', 203 A. Corpora Sanctorum post resurrectionem impassibilia erunt, 57 C', et similia Christi corpori glorificato, 346 C'. — Corpus Christi mysticum describitur, 96 C', et humano corpori assimilatur, 185 C et seq., 315 D. — Corporalis exercitatio ad modicum utilis est, quo sensu, 422 A. — Corporalia ad spiritualia ordinantur, 427 B'. — *Cf.* Caro, Homo.

CORRECTIO fraterna, ad quam omnes tenentur, 610 A', quam utilis, 513 B, et quomodo facienda, 291 A, 320 A', 441 B, 512 B, etc. Ejus omissio quale sit peccatum, 145 B'. — Miseri sunt qui corrigi dedignantur, 653 B; qui autem prælatorum correctionem patienter suscipiunt, divini judicii evadent rigorem, 578 C. — Qui vere diligit, dilecti vitia corripit, 353. — Qualiter corrigendus sit qui ex deliberatione peccat, 291 D. — Correctio divina quantum prosit, 181 C'. — *Cf.* Disciplina.

CORRUPTIO incorruptelam non possidebit, quo sensu, 204 A'.

CREATURA omnis est quidam radius Creatoris, 15 A', a quo plus dependet quam radius a sole, 472 B'. — Quomodo a creatura distet Deus, 596 C', quem nulla creatura potest plene comprehendere, 345 A. Omne creatum aliquo modo mutabile est, 429 C. — Assimilari Creatori est summa perfectio creaturæ, 319 B. In creaturis non est gaudendum, nisi per relationem ad Deum, 348 A. — Exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat, quo sensu, 65 C', 66 D'. — Homo, qui dicitur omnis creatura, 65 C', atque inter creaturas mundi sensibilis primatum tenet, 15 D, ex creaturis Creatorem intelligit, 15 A. Rationali creaturæ non sufficit nisi bonum immensum, 486 D; ipsam qualiter Deus ad se, tanquam ad finem supernaturalem, convertat, 596 B. — Nulla pura creatura pro hominibus satisfacere valuisset, quare, 480 A'. — Omni creaturæ subjiciamur, quo sensu, 640 C et seq.

CRISPUS a S. Paulo baptizatus, utrum fuerit archisynagogus de quo in Actibus, 127 B'.

CRUX. Verbum crucis est virtus Dei, 128 D. — Mors crucifixorum gravissima est, 339 A'.

CULPA. Illi debetur pœna, 643 A', per quam a Deo ordinatur, 28 C. — Qualis ignorantia a culpa excuset, 691 B'. — Quid sit culpa originalis, 44 B. — *Cf.* Delictum, Peccatum, Pœna.

CULTUS dispar quale sit matrimonii impedimentum, 645 D'. *Cf.* Conjuges.

CUPIDITAS est radix omnium malorum, 428 A, 560 A'. — Ex illa oritur aliquando superbia, et econtrario, 428 B.

CURA moderata habeatur, 671 B'. — Qui suorum propinquorum curam non habet, quantum peccet, 424 B.

CURIOSITAS reprehenditur, 406 D, 442 C.

CURSUS fidei describitur, 167 D et seq. *Cf.* Fides.

CUSTODES virginum quinam fuerint in primitiva Ecclesia, 158 A'.

CYPRIANUS (S.), Carthaginiensis episcopus, « doctor, præsul et martyr gloriosus », 672 C', quid dixerit de immoderato mulierum ornatu, 646 A'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 4, col. 451.) — In Decreto inter doctores catholicos primus exprimitur, 672 C'.

CYRILLUS (S.), Alexandrinus episcopus, allegatur non recte, 657 A'. (In I^am^ Petri, III, 19, 20.)

D

DÆMON vel diabolus, quo sensu sit deus hujus sæculi, 226 B, Belial, 234 C, princeps hominum impiorum, 304 C; mortis habuerit imperium, 481 A', et solus dicatur tentare, 559 D'. — Quænam sint ejus insidiæ, 325 A', qui habitat in aere caliginoso, 304 C, 326 A, et quærit quem devoret, 672 C. Laquei ejus sunt peccata et errores, 441 B'. Tentando inclinat, non compellit, homines ad malum, 652 C', et nihil potest nisi a Deo et Sanctis permissus, 414 D'. Utrum motum concupiscibilem in nobis valeat causare, 563 A. Qualiter linguam inflammet, 585 D. Quomodo illi resistendum, 594 C', 672 A'. An victus redeat ad tentandum eumdem, 595 B, de eodem peccato, 595 D. — Post legem homini datam, illum fortius tentavit, 54 A, sed jus quod habebat in nobis amisit per mortem Christi, 58 C', qui illum ligavit ejusque spolia distribuit, 655 B'. A Deo conteritur, 117 A, et in Baptismo expellitur, 150 D'. — De singulis angelorum ordinibus aliqui dæmones creduntur corruisse, 688 C'. Quantæ illorum vires naturales, 688 D, quam periculosum adversus eos bellum, 325 B', et quomodo omnes per principatus et potestates designentur, 325 C', 363 D'. Quo sensu dicantur mundi rectores, 325 D', et in illis inveniatur quædam prælatio, 325 C'. — In idolis morabantur et respondebant, 172 D. — Credunt et contremiscunt, 580 D, ignem suum secum ubique ferentes, 686 B. Eorum ministri sunt inobedientiæ filii, 626 B'. — Qualiter Christum cognoverint ante ejus resurrectionem, 87 A'. — Qua ratione pœnam accidentalem sibi accumulent, 148 C, 686 C. — In divino judicio nos accusabunt, 229 D'. Post diem judicii utrum cruciaturi sint reprobos, 199 C', qui eorum choris sociandi sunt, quomodo, 688 C'.

DAMASCENUS (S. Joannes) allegatur, 28 B, 68 A', 96 C, etc.

DAMASCUS. Qualiter ex illa civitate profugus exierit S. Paulus, 252 C.

DAMNATI, qui citra condignum torquentur, 638 D, nunquam liberabuntur aut salvabuntur, 289 B, 400 A'. — Illorum caput non est Christus, 304 A'. — *Cf.* Reprobi.

DANIEL, visione exteriori Gabrielem angelum vidit, 471 B. Tempus adventus Christi præ omnibus Prophetis clarius determinavit, 622 D'. — Annumerat se injustis Judæis quum pro eis orat, 172 C'.

DAVID Christi figura fuit, 403 A, de quo inclyte vaticinatus est, 622 C', ejus divinitatem testatus, 683 B'. — Per illum aliquando intelligitur Christus, 92 B. — Illi sub tributo servivit Idumæa, 76 B'. — *Cf.* Psalmi.

DECALOGUS ordinatur ad caritatem divinam et fraternam, 101 B', 324 B.

DECIMA decimæ quid fuerit apud Levitas, 497 B'. — Sacerdotes V. L. a quibus decimas acceperint, 497 A'.

DECRETUM (Gratiani) allegatur, 114 A'. — In illo inter doctores catholicos primus exprimitur S. Cyprianus, 672 C'.

DEFUNCTI cur dormire censeantur, 386 B'. *Cf.* Mors.

DELECTATIO. Illam naturaliter appetit homo, 633 C. — Delectatio concupiscentiæ conjuncta utrum sit peccatum, 561 B et seq.

DELIBATIO quid sit, et quid significet, 90 C.

DELICTUM ubi abundavit, superabundavit et gratia, quonam sensu, 46 C. *Cf.* Culpa, Peccatum.

DEMAS, qui S. Paulum reliquerat, 444 B', utrum ad illum reversus fuerit, 465 A'.

DESIDERIA prava quare dicantur desideria erroris, 316 D, vel ignorantiæ, 626 B'. — Desideria carnalia quænam sint, 639 D, quam turpia et nociva, 639 B.

DETRACTIO quid sit, 598 C', et cur gravior furto, 598 D. — Mentem detrahentis excæcat, 599 A. — Qui peccantibus detrahunt, qualem pœnam mereantur, 599 D. — Audiens detractionem quid agere debeat, 599 B. — Contumelia est gravior detractione, 599 A.

DEUS, in essentia simplex, in Personis trinus, 416 C', est summum et incomparabile bonum, 642 A', ipsa essentia bonitatis, mensura et causa totius æquitatis, 27 B', unum necessarium, 200 B', ignis consumens, 527 A', ultimus finis noster, 60 D', 572 A, 620 B, Rex regum et Dominus dominantium, 429 B, Pater noster, 10 C, 124 D, 213 B', Pater misericordiarum, 214 D, et Deus totius consolationis, 214 A', Deus pacis, 115 A', 117 A, 392 A', et dilectionis, 260 A', Deus spei, 111 D', patientiæ et solatii, 110 B. — Divinæ naturæ quænam sint latitudo, longitudo, sublimitas et profundum, 311 B'. — Deus, apud quem non est transmutatio, 564 B, nec vicissitudinis obumbratio, 564 D, lucem habitat inaccessibilem, quo sensu, 429 C; ubique est, 124 B, cuncta penetrans et includens, 313 D; in omnibus est per essentiam, præsentiam atque potentiam, 348 C. Apud illum unus dies sicut mille anni, 694 B. — Qualiter sit beatus, 429 A, benedictus, 616 B', dives, 304 C', 576 A, verax, 26 B', fidelis, 125 D', 392 B', 667 C'. Quid intelligatur per ejus oculos, 651 C', et manus, 476 A. — Quanta ejus sapientia et scientia, 93 D, 118 A. Quænam Deo soli innotescant, 684 A', qui videt se ipsum per propriam essentiam, 190 B, et inspector est cordis, 25 D'. Non fallitur, 292 A, non mutat consilium, 495 C, nec se ipsum potest negare, 439 D. Perdet sapientiam sapientium, quo sensu, 128 A'. — Qualis sit in illo creandi potestas, 37 D'. Quomodo a creatura distet, 596 B'. Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia, 94 B, 177 C, eaque condidit secundum ideas seu exemplares rationes suæ sapientiæ, 515 D, quæ multiformis dicitur, 309 C'. Omnia propter se ipsum operatus est, 15 C', 79 C, cuncta liberrime agens, 300 C, 564 D', ad extra, 301 B. Quomodo die septimo requieverit, 486 B, etsi semper operetur, 486 C. Quæ sit ejus gloria, 663 A'. Ab illo est omnis actus tanquam a prima causa, 560 D, ita ut operetur omnia in omnibus, quo sensu, 183 B'. — Providentia ejus, quæ universa complectitur, 7 D', sed singulariter respicit intellectuales creaturas, 163 D', qua ratione dicatur prædestinatio, 8 A. Deus, qui solus principalis est salvator, 166 D', et omnes homines vult salvos fieri, 416 A et seq., qualiter illos moveat ad finem supernaturalem, 62 D, 596 B. Quare alios prædestinaverit, alios reprobaverit, 79 D. Electos, quos immutabiliter diligit, 42 D', specialiter regit, 62 D, 672 A.

Quanta ejus sanctitas, 628 A, et perfectio, 627 C'. — Justitia ejus quotuplici modo accipiatur, 13 D. Quam incomprehensibilia judicia ejus, 93 A', qui est omni lege sublimior, 657 B', et apud quem non est personarum acceptio, 22 C, 84 C', 270 D. Nil mali impunitum relinquit, 287 A, et nullum bonum deserit irremuneratum, 324 D', 576 D. Quam perfectum ejus judicium, 20 C. — Voluntas ejus bona, beneplacens et perfecta est, quo sensu, 95 C', 96 A. Quid sit in illo voluntas beneplaciti, 95 C', et voluntas signi, 95 D'. — Quanta ejus bonitas, 20 A', 91 C, qui in operibus justitiæ sicut et misericordiæ glorificatur, 79 D. Dives in omnes qui invocant illum, 84 D', liberalissimus, 555 B, misericors et miserator, 606 B, 616 D', est auctor principalis omnis operis boni, 678 D'; qui omnibus dat affluenter, 553 A', et non improperat, quo sensu, 553 D'; cujus infinita est munificentia sicut bonitas, 553 A'. Facienti quod in se est non denegat gratiam, 576 D. Quanta ejus clementia erga pœnitentem, 555 C'. Nemo penitus expers est misericordiæ ejus, 638 C, aut ad illum veniens repellitur, 369 B, 525 C. Per pœnam ordinat culpam, 28 C, et castigat quem diligit, 523 A. Malum omnino impediret nisi ex illo aliquod bonum elicere posset, 28 C, 89 A', 93 C, cui omne bonum tribuendum est, 663 C. — Dona ejus, quæ sine pœnitentia sunt, 92 B', qua mensura distribuantur, 97 A. Sic facit homini quemadmodum homo proximo suo, 369 B'. In omni ejus opere misericordia et justitia commiscentur, 578 C', et relucent, 638 D. — Quo sensu electos per adversa probet, 550 B', et nos tentet, 559 A et seq., ob quam causam, 518 A. Quid intelligendum quum dicitur diligere, odire, 76 C', ad aliquem venire, 513 D', exacerbari, 184 C', oblivisci, 570 A, indurare, 77 D', 78 D, patientiam habere, 20 A'. Quo

sensu eum pœniteat, 92 C'. Quare juraverit, 495 A. Perhibetur aliquid agere, quando facit nos sic agere, 68 B'. Quare superbis resistat, 594 C, humilibus autem det gratiam, 594 A'. Quo sensu pauperes elegerit in hoc mundo, 573 C.

Quomodo per rationem naturalem cognoscatur, 14 D' et seq., 129 A, 516 B, 580 B, et quare ejus exsistentia credenda proponatur, 516 B. — Qualiter sit timendus, 642 A', invocandus, 124 B, honorandus, 575 B', cultu latriæ, 642 C'. Adoratio soli illi tribuenda est, 474 C'. — Quid sit in spiritu Deo servire, 11 C. Aliqui confitentur se nosse Deum, factis autem negant, 453 B'. Ad illum qua via accedamus, 511 C', 596 D, 633 D'. Quo sensu illum nullus hominum viderit, 429 D. Utrum cuilibet fas sit dicere « Deus meus », 124 B', 334 A. Singulariter est Deus fidelium, quo sensu, 234 A', 517 D'. — Omnium bonorum dator, 242 D', de omni bono est laudandus, 620 C, cui servire regnare est, 155 D'. Ejus benedictio est collatio et multiplicatio ipsius munerum, 650 B'. Qualiter a nobis sanctificetur et magnificetur, 640 A', quos vocavit ad consortium Filii sui, 126 A, ineffabili nobilitate nos gratificans, 126 B. Illum diligentibus omnia cooperantur in bonum, quo sensu, 69 B, 70 D. Nec Deus sine proximo, nec proximus sine Deo diligitur, 102 A, 287 C'. — Dei dulcedinem aliqualiter in hac vita gustamus, 633 D, sed illum, qui est felicitas nostra, 301 B', clare videre quam ineffabiliter jucundum sit, 621 C'. Visio ejus, quæ tota est merces et vita æterna, 137 D', qualis futura sit, 189 A', 190 A, et quatenus Dei heredes sint Beati, 64 C'. Comprehensoribus Deus est omnia in omnibus, quo sensu, 200 B'. — *Cf.* Pater, Trinitas.

Dii quinam vocentur, 160 C'.

DEUTERONOMIUM. In illo resumuntur præcepta divina, 276 C'.

DEVOTIO actualis an requiratur ad Eucharistiam digne sumendam, 180 C.

DIACONI quibus virtutibus pollere debeant, 419 C'. — Ad perpetuam castitatem tenentur, 420 B.

DIES quid designet, 102 B', 390 D', 391 B. — Dies Domini dicitur dies judicii, 139 C, 389 A, 695 D, vel dies mortis, 139 B'. — Dies quare dicantur mali, 321 D, aut boni, 650 C'. — Unus dies apud Dominum sicut mille anni, quo sensu, 694 B.

DIFFIDENTIA. Quinam sint ejus filii, 304 C.

DIGNITATES ecclesiasticæ cur servitutes vocentur, 669 A'. — Utrum ad illas eligi debeat melior, 575 C. — *Cf.* Prælatus.

DILECTIO, ex cognitione procedens, 311 D', est primum et maximum donum gratuitum, 258 B. Diligere est alicui bonum velle, 101 C', 454 B. Dilectio sincera in bono honesto fundatur, 283 D, et qui vere diligit, dilecti vitia corripit, 353. An manifestanda sit alicui dilectio quæ erga ipsum habetur, 219 B', 380 B'. — Plenitudo legis est dilectio, quo sensu, 101 D'. Qui diligit proximum, legem implevit, quare, 101 A'. Nec Deus sine proximo, nec proximus sine Deo diligitur, 102 A. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, quo sensu, 69 B, 70 D. — Dilectio, cujus immediati fructus sunt gaudium et pax, 676 A', qualiter oriatur ex voluntate et fide, 412 C. — Dilectio in divinis quomodo accipiatur, 357 C. — *Cf.* Amor, Caritas.

DILUVIUM prædicatum fuit antequam eveniret, 656 A' et seq. — Superiorem aeris partem occupavit aqua diluvii, 693 D, in quo periit mundus, quo sensu, 693 B'.

DIOCLETIANUS Antichristi figura fuit, 403 A.

DIONYSIUS (S.) Areopagita, qui vocatur « princeps theologorum », 124 B', 135 A', aut per antonomasiam « theologus », 183 C, « magnus atque divinus », 121, propheta fuit, 187 A, et Joanni evangelistæ vaticinatus est de ejus reductione a Patmos, 314 C. — Illi multa arcana revelasse creditur S. Paulus, 255 B. — Quid referat de Elyma mago, 439 A'. — Allegantur ejus libri de Divinis nominibus, 514 D', de Mystica theologia, 543; epistolæ ad S. Joannem evangelistam, 187 A, et ad Demophilum, 588 B. — Citatur passim, 28 B, 85 C, 96 C, etc.

DIONYSIUS Cartusianus docet B. V. Mariæ immaculatam conceptionem, 44 D', et assumptionem, 204 C'. — Locis facilibus Scripturæ non immoratur, nisi uberem moralitatem contineant, 383 A. — Quanta ejus humilitas, 35 D, 202 D.

DISCESSIO qualis futura sit ante generale judicium, 402 A.

DISCIPLINA, a discendo vocata, in se est jucunda, 524 A. — Disciplina pro correctione accepta, quam fructuosa, 523 D'. — Quare nobis necessaria sit disciplina verborum et verberum, 433. — *Cf.* Correctio.

DISCIPULUS. Ex ejus consideratione innote-

scit perfectio magistri, 222 C. — Discipuli obedientia est fructus magistri, 382 D'. — *Cf.* Magister.

DISCRETIO est virtutum mater, custos, fotrix, 95 C, directrix et auriga, 679 B. — Quid sit discretio spirituum, 184 A'.

DISSENSIONES. Qui illas fovent quomodo vitandi sint, 116 A'.

DIVES sicut flos fœni transibit, quo sensu, 557 A. — Divitibus quid præcipiendum sit, 429 B' et seq. — Divites ad pœnitentiam excitantur, 601 C et seq. — Qui divitias suas indigentibus non communicant, qualiter peccent, 601 D', et puniantur, 602 B. — Non condemnantur divitiæ, sed qui eis abutuntur, 602 A. — Divitiæ cur spinis comparentur, 428 C. — Divitiæ veræ quæ sint, 573 B', 646 D'. — Propter spirituales divitias homo honorandus est, 576 A. — *Cf.* Pauper.

DOCTORES post Apostolos et Prophetas locum dignitatis accipiunt, 187 A. — Scholastici doctores in communi allegantur, 696 A. — Quomodo peccent qui quod alios docent, non faciunt, 168 B'. — *Cf.* Pastores, Prædicator.

DOCTRINA christiana non indiget pompa verborum, 128 C.

DOLUS caritati, justitiæ et prudentiæ contrariatur, 632 B. — Prohibentur verba dolosa, 650 D'.

DOMINATIONES sunt angeli de summo ordine hierarchiæ secundæ, 303 C.

DOMINIUM aliud est ordinatum, 669 B, aliud inordinatum, 669 C.

DOMINUS prope est, quo sensu, 348 B. — Domini quid servis debeant, 324 D', 369 A'. — *Cf.* Deus.

DONUM. Primum donum gratuitum est amor, 41 A'. — Dona Dei qua mensura distribuantur, 97 A, et quomodo sint sine pœnitentia, 92 B'. Qui gratias agit, donis potioribus meretur impleri, 367 D'. Hilarem datorem diligit Deus, quo sensu, 242 B'. — Donum linguarum quibus concessum fuerit, 125 A.

Dona Spiritus Sancti, quæ dicuntur arma lucis, 102 C', quid sint, 62 B', qualiter connexa, 125 C, et a virtutibus distincta, 290 C. Quandonam a Deo infundantur, 40 C, 492 D'. Non inveniuntur nisi in habentibus caritatem et gratiam, 356 C'. — Per illa anima efficitur capax motionis Spiritus Sancti, 302 A'. — In quo sistat donum sapientiæ, 135 C', 356 B', intellectus, 356 B', et scientiæ, 356 C'. — *Cf.* Spiritus.

DORSUM. Per illud designatur affectus, quare, 89 D.

DOTES quatuor corporum glorificatorum exponuntur, 202 C' et seq.

DULIA est virtus debitam creaturis reverentiam afferens, 98 A, 642 C'.

E

EBION, hæresiarcha, Christi divinitatem negabat, 685 C'.

EBRIETAS mulieribus præcipue obest, 420 A.

ECCLESIA, quæ dicitur Dei domus, 420 D, et firmum fundamentum, 440 C, regnum Christi, 357 B, 443 D, tabernaculum verum, 502 B, mons, 525 D', columna et firmamentum veritatis, 420 A', qualiter prænuntiata sit, 625 B. — Ex latere Christi formata, 203 C', tanquam ejus corpus mysticum describitur, 185 C et seq. — Ecclesia militans cur vocetur « quæ sursum est Jerusalem », 284 A', et de cœlo descendens perhibeatur, 585 B'. Quo sensu sit mater nostra, 284 B'. Illam nutrit Christus Sacramento altaris, 323 A, ejusque est caput, 303 C', et fundamentum universale, 138 A'; fundamenta ipsius secundaria sunt Apostoli, 138 B'. Hierarchia ecclesiastica quomodo angelicam imitetur, 121. Angelorum et hominum una est Ecclesia, 303 D'. — Quæ acciderunt in Synagoga, figurabant quæ fiunt in Ecclesia, 171 A; quæ autem in Ecclesia geruntur, repræsentant quæ aguntur in patria, 171 A. — Ecclesiæ quæ utilitas proveniat occasione hæreticorum, 178 D. Ejus thesaurus ex quibus constituatur, 359 C'. — Consuetudo generalis Ecclesiæ pro lege servanda est, 182 A'. — In Ecclesia primitiva Christiani quotidie trucidabantur, 666 C; sæpe vir infidelis per mulierem fidelem convertebatur, aut mulier infidelis per virum fidelem, 153 D'; excommunicationem sequi solebat corporalis vexatio dæmonis, 145 D. Quinam in illa fuerint custodes virginum, 158 A'. — Ecclesia quantam persecutionem tempore Antichristi passura sit, 441 C. — Ecclesia materialis quare deputetur orationi fidelium, 124 C. — *Cf.* Christus.

EFFECTUS omnis est quædam participata similitudo suæ causæ, 15 A'. *Cf.* Causa.

ELECTI, vasa misericordiæ appellati, 638 A', et per vasa aurea ac argentea designati, 440 B', perpauci sunt comparatione reproborum, 657 D'. Filii non sunt electi merito

parentum, 76D. Quomodo Deus electos diligat, 42D', singulariter regat, 62D, probet per adversa, 550B', 666B, et per reprobos purget, 604B. — Præcipue fiunt consortes divinæ naturæ, 678C, et per fidem in illis regnat Christus, 198B', cujus passionis merito salvantur, 507C. Multitudo eorum mysticum Salvatoris corpus vocatur, 303D'. Unusquisque illorum proprium donum habet a Deo, 152B', qui eisdem futuræ retributionis prægustum quandoque præstat, 578B. — Per gratiam merentur vitam æternam, 52A. Optant liberari a corpore mortis in die judicii, 57C', quantum tunc glorificandi, 618B'. Nullus illos accusabit, 70C', sed judicabunt homines, 147C' et seq., imo ipsos angelos, quo sensu, 148B, ad quorum singulos ordines assumentur, 688C'. Qualiter in patria requies Dei illis communicetur, 486D, eorumque hereditas quare « sors » vocetur, 357A. Utrum in cœlo illorum omnium futurum sit unum idioma, 189C. — *Cf.* Beati, Cœlum, Patria, Sanctus.

ELECTIO aliquando pro prædestinatione sumitur, 614C'. Quo sensu nobis certa fieri possit, 680C et seq. — Utrum ad dignitates ecclesiasticas eligi debeat melior, 575C.

ELEEMOSYNA, quæ est hostia Deo gratissima, 350C, quatenus facienda sit, 97C, 242C, non ex tristitia, 242A'. — Quænam sit ejus merces, 242D. — Gratiarum actionem provocat, quo sensu, 243A'. — Eleemosynæ pro Ecclesia Jerusalem quomodo collectæ fuerint, 114A, 238A, 271C, et quænam de illis consilia Corinthiis data, 239A', 241C.

ELEMENTA quid sint in naturalibus, 491D, et in grammatica, 491A'. — Quid intelligatur per elementa exordii sermonum Dei, 491D. — Præcepta cærimonialia V. L. quare dicantur elementa mundi, 281C, infirma et egena, 282D. — Elementa hujus mundi utrum in generationibus mixtorum concurrant, 67B, quo sensu ingemiscant et parturiant, 66D, in fine sæculi transitura, 695B', ac innovanda, quomodo, 66A', et quando, 67A. — *Cf.* Ignis, Mundus.

ELEPHANTUS, maxima bestia, qualiter humana industria dometur, 585C'.

ELIAS, putans omnes bonos in Israel fuisse occisos, 88B, quomodo ab errore reductus sit, 88D. — Oratione oravit, quo sensu, 609B'. — Per illum in fine mundi convertentur Judæi, 89B', 92A.

ELYMAS magus quid S. Paulo objecerit, 439A'.

ENOCH, qui erat propheta, 6C', angelico obsequio translatus est in paradisum terrestrem, 515C'. — In fine mundi prædicatione sua Judæos convertet, 92A, et ab Antichristo occidetur, 515D'. — Verba ejus quæ refert S. Judas, unde nota fuerint, 442D. — Quid de libro Enoch sentiendum, 6C'.

EPAPHRAS, S. Pauli discipulus, ex Colossis oriundus, 353, laudatur, 356B, 371D.

EPAPHRODITUS diaconus. Per eum ad Philippenses scripsit S. Paulus, 331, qui eumdem commendat, 342C et seq.

EPHÆNETUS ex Asia primo regeneratus est in Christo, 116A.

EPHESUS, metropolis Asiæ minoris. Ibi adversarios multos invenit S. Paulus, 207B, qui in eadem civitate scripsit ad Corinthios, 207D', et ad Colossenses, 359D, 370B. — Quare ad Ephesios idem Apostolus epistolam miserit ex Roma, 297, ubi incarceratus erat, 308C.

EPIMENIDES poeta a S. Paulo allegatur, 453A.

EPISCOPUS, cujus nomen explicatur, 418C', 645A, quibus virtutibus ornari debeat, 419A, 452B et seq., ut etiam a perversis laudetur, 419B'. Ad perpetuam tenetur castitatem, 420B. — Ejus est falsam doctrinam exstirpare, 411C. — An episcopatus sit alius ordo a presbyteratu, 452B, et liceat ad illum anhelare, 418C. — A solis episcopis consecrari potest oleum infirmorum, 608B'. — In primitiva Ecclesia episcopi erant custodes virginum, 158A'; utrum tunc fuerint a presbyteris distincti, 333A', 418C', 452A. — Christus est episcopus animarum, quo sensu, 644D'.

EPISTOLÆ. Quare post Evangelia, B. Pauli scriptæ fuerint epistolæ, 4D, 5C', numero quatuordecim, 5A, et quanta illarum profunditas, 35D. — Epistolæ septem canonicæ cur ita vocentur, 543.

ERASTUS quo sensu fuerit arcarius Athenarum, 117A'.

ERROR. Errori cui non resistitur, consentitur, 610C'.

ESAU qualiter honorem sacerdotii vendiderit, 524D', in simoniam lapsus, 525A. Non vere pœnitens fuit, 525C. — Quo sensu illum odio habuerit Deus, 76C'. — Quomodo fratri suo Jacob servierit, 76B'.

ESCA spiritualis fuit manna, quo sensu, 169B. — Escæ idolis immolatæ non consecratio-

nem vel abominationem inde consequuntur, quare, 160 D.

ESDRAS annumerat se injustis Judæis, quum pro eis orat, 172 C'.

ESSÆI austerissimæ vitæ fuerunt, sed idiotæ, 343 B'.

EUCHARISTIA, per manna præfigurata, 169 B, est cibus animæ, 179 C'. In novissima Cœna instituta est, 178 A', quomodo, 179 A et seq. Tunc Christus fregit species vel dimensiones panis, non corpus consecratum, 179 B. — In illa quomodo sint corpus et sanguis Christi, 179 D', per conversionem panis et vini, 171 B', ita ut unum sit sacramentum, 179 C'. — In illa quotidie immolatur Christus, 529 A, in cujus sacrificii celebratione quatuor consideranda sunt, 180 A'. — Ad sacerdotes tantum pertinet illam consecrare, 179 C. — Quanta ejus dignitas, 180 A', et quinam sint effectus communionis eucharisticæ, 172 A, quæ a jejunis sumenda est, exceptis infirmis, 178 B', 182 A. Per Eucharistiam Christus Ecclesiam nutrit, 323 A. Unus panis et unum corpus sunt qui de illa participant, quo sensu, 171 D'. — Illam quis digne sumat, 180 D et seq., quis autem indigne, 180 B. Qualiter in primitiva Ecclesia puniti fuerint sacrilege communicantes, 181 C. — Melius est illam quotidie sumere quam ab ea interdum abstinere, 181 A. — Eucharistia usque ad finem mundi consecrabitur, 180 B. — *Cf.* Missa, Sacrificium.

EUSTOCHIUM (S.), virgo Christi « doctissima », quid S. Hieronymo objecerit, 29 C, et quam acceperit responsionem, 29 D.

EVANGELIUM quid sit, 11 C. Quo sensu dicatur virtus Dei, 13 A. Evangelium pacis, 326 A', Evangelium Christi, vel Matthæi aut Pauli, 23 A'. — Quomodo fructificet et crescat, 355 C'. Quinam Evangelistæ vocentur, 314 D, et a Deo electi sint ad prædicandum Evangelium, 131 A et seq. Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, 85 D. Qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivant, quo sensu, 165 A. — Omnes pares sunt in gratia Evangelii, 28 A', 31 B. — Lex Moysis non destruitur sed impletur per evangelicam legem, 33 A, cujus status medius est inter statum V. T. et patriam, 509 C. Per evangelica consilia perficiuntur præcepta moralia V. T., 32 A'. — Ad quid tendat evangelica doctrina, 331, et quo sensu verbum Evangelii sit consummans et abbrevians in æquitate, 80 B. — Baptismum suscipiens obligat se ad præcepta Evangelii, 286 B.

EVODIA, devota matrona, laudatur, 347 C.

EXCOMMUNICATIO. Illam in primitiva Ecclesia sequi solebat corporalis vexatio dæmonis, 145 D, 414 C'.

EXEMPLARIA cœlestium quid sint, 508 B.

EXEMPLUM quomodo differat ab exemplari, 502 C'.

EXHORTATIO sine virtuosa conversatione inefficax est, 454 D.

EXPIATIO. In festo Expiationis quid egerit pontifex Judæorum, 505 D', et ad quid significandum, 506 A et seq.

EZECHIAS qualem certitudinem de se habuerit, 64 B. — Quamvis in Domino confisus sit, fecit quod in se erat, 252 C'.

EZECHIEL. Ejus ultima visio communiter de Ecclesia exponitur, 625 B.

F

FACIES notitiam significat, 226 C'. — Facie ad faciem Deum videbimus, quo sensu, 190 A et seq.

FAMA. De illa qualiter curandum sit, 370 D. — Qui illam negligit, crudelis est, quare, 240 C'.

FASCINATIO quotuplici modo accipiatur, 275 D.

FELICITAS æterna, est catholicæ fidei finis, 621 B'. *Cf.* Beatitudo.

FEMINÆ sunt nimis loquaces et ad vanitatem proclives, 418 A, sed solent esse viris devotiores, 88 A'. — Honorandæ sunt intuitu et amore B. V. Mariæ, 648 C'. — Spiritualiter se ornent decore virtutum, 648 C, et sobrietati studeant, quare, 418 B'. — *Cf.* Mulier, Uxor.

FERMENTUM quomodo signet doctrinam evangelicam, 145 D', vel culpam quæ alios corrumpit, 146 A, 286 C'. — Quid sit fermentum malitiæ et nequitiæ, 146 D.

FIDES qualiter definiatur, 514 C'. — Est prima virtus, 273 D, sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium, 514 C; fundamentum justitiæ, 31 A, seu universarum virtutum, 11 B, 344 D, 492 D, vel totius spiritualis vitæ, 649 D, et ædificii, 40 B; omnis meritorii actus principium, 34 C', 305 D. — Quo sensu una sit, 14 C, 313 B, 675 A'. Ejus objectum quid sit, 31 A, 32 D'. — Quomodo illi obediendum, 9 B'. Quanta ejus certitudo, 4 B, 113 C, 554 D; quænam sint

ejus argumenta, 3 A', 478 A' et seq., 653 C' et seq. Naturalibus rationibus demonstrari nequit, 132 C'. Ex Prophetis patet ejus veritas, 624 A. Infirmus in fide, qualiter instruendus, 103 C'. Quærentibus ejus rationes quid respondendum, 653 B', 654 B, et ad quos pertineat illam defendere, 654 B. Omnia ejus testimonia sunt connexa, quo sensu, 14 B. De ejus veritatibus quanto cum timore loquendum sit, 654 D. Quomodo fides probetur ex devotorum experientia, 379 D, atque ex justorum tribulationibus, 666 B'. Fidei articulos quilibet scire debet, 491 D. — Eadem fides est in fidelibus utriusque Testamenti, 32 C', 227 A', 273 A', et ab exordio credendus erat adventus Christi, 582 A, qui est fidei auctor et consummator, 522 C. — Sine fide impossibile est placere Deo, 516 A, et nunquam aliquis homo salvatus est, 273 D. Omne quod non est ex fide peccatum est, quo sensu, 108 A' et seq. Fides quomodo justificet, 32 B', 39 D, 84 C', vel reputetur ad justitiam, 34 A'. Quid sit fides viva, 579 D', et fides informis, 579 C. Mortua est fides sine operibus, 286 A', 579 B' et seq., aut sine caritate, 582 B', nec ad salutem sufficit, 34 B, 102 A'. Omnes actus nostri procedere debent ex fide, 554 D. Justus ex fide vivit, quo sensu, 14 D, 276 D'. Fides formata per dilectionem operatur, 12 C, et in Deum fertur, 34 B'. — Ex fide quid mereatur homo, 84 A'. Ipsam fidem nullus meretur, 34 C', 92 D'. Utrum aliquis possit scire se esse in fide, 259 A'. — Quum fides primo infunditur, conceduntur simul virtutes ac dona Spiritus Sancti, 40 C. Ex fide quomodo procedat dilectio, 412 C, et consolatio, 12 B. Fides, per quam Deus nos custodit, 618 D, salutem docet et proponit, 97 B, ejusque finis est felicitas æterna, 621 B'. Ejus habitus et actus se mutuo ornant ac roborant, 581 B. Ejus cursus describitur, 167 D et seq. — Fides quæ inter gratias gratis datas numeratur, quid sit, 184 D. Virginitas cordis, est fides incorrupta, 247 D'. Scutum fidei quomodo sumatur, 326 B'. Fides est propugnaculum contra insidias dæmonum, 672 D. Quid intelligatur per opus fidei, 401 A. Ædificatio Dei est in fide, quo sensu, 412 A. — Lex evangelica dicitur « lex fidei », 32 B. Fides ex auditu est, quomodo, 85 B et seq. Tanto plus invaluit quanto plus a tyrannis impugnata est, 654 A. — *Cf.* Justificatio, Opus.

FIDUCIA qualis haberi possit filiationis divinæ et prædestinationis, 64 B.

FILIATIO adoptiva electorum, est similitudo filiationis naturalis divinæ, 69 A'. — Quænam sint signa filiationis divinæ, 63 D' et seq.

FILII non debent parentibus thesaurizare, sed parentes filiis, quo sensu, 257 C'. — Filii Dei dicuntur Beati, 40 D, omnes electi, 40 A', prædestinati, 69 A', et Judæi, 75 A.

FILIUS Dei, quem Pater genuit sibi consubstantialem, coæternum et coæqualem, 130 A, 265 B', illabitur omnibus rerum essentiis, 487 B', estque intimior omni rei, quam ipsa aut pars ejus sibi, 487 B'. — Quomodo illum diligat Pater, 683 B, et in illo sibi complaceat, 683 C. — Illi attribuitur sapientia, 94 C, 130 B, et gratia, 260 B'. — Qualis sit ejus missio visibilis, 281 D, et invisibilis, 281 C'. — Filius subjectus erit ei qui sibi subjecit omnia, quo sensu, 200 A'. — *Cf.* Christus, Pater.

FINIS plus amatur quam media, 165 A'. — Forma est finis materiæ, 202 D. Salus est finis quem proponit fides, 97 B. — Finis ultimus est Deus, 60 D', sive visio Dei per speciem, 77 D, id est supernaturalis felicitas, quæ non agnoscitur nisi per fidem, 14 D, nec per naturalia obtinetur, 77 D, sed per supernaturalia media, 393 A'. — Frui proprie est ultimo fini inhærere, 113 D'. — *Cf.* Deus.

FLAGELLATIO qualiter apud Judæos reis inflicta sit, 251 B.

FLETUS alius est inordinatus, alius ordinatus, 98 D'. — Quomodo oporteat flere cum flentibus, 98 C'. — Qui flent, sint tanquam non flentes, quo sensu, 157 C.

FOENUM quid designet, 138 D', 139 A.

FOMES peccati, quare dicatur peccatum, 49 B', aut lex membrorum, 56 D', et sit causa mali, 55 C'. — Lege nondum data minus viguit, quo sensu, 54 B. — Per Baptismum debilitatur, sed non penitus tollitur, 35 D', 50 A. — *Cf.* Caro, Concupiscentia.

FORMA. Juxta diversitatem formarum substantialium, requiritur diversitas materiarum, 202 D.

FORNICATIO quid sit, cur fugienda, 150 B', et quantum Christianos dedeceat, 150 C. — Est mortale peccatum, 385 B, 528 B. — Fornicationem simplicem gentiles licitam reputaverunt, 384 D. — Propter fornicationem non

solvitur matrimonium quoad vinculum, 153 C. — Est spiritualis fornicatio qua Deus relinquitur, 524 C', 592 C'.
FORTUNATUS inter primitias Achaiæ commendatur, 207 A'.
FRANCISCUS (S.) dicere consuevit : Fratres, incipiamus Deo servire, 681 B'.
FRENUM corporis quid sit in perfectis, in proficientibus et in incipientibus, 584 D.
FRUCTUS temporaneus et serotinus, quid sit ad litteram et mystice, 604 D. — Fructus Spiritus Sancti quinam sint, 289 B et seq., 290 B, quo ordine distinguantur, 289 B', et quatenus a beatitudinibus differant, 290 C.
FRUITIO Dei est felicitas nostra formalis, 301 B'. — Frui proprie est summo bono seu ultimo fini inhærere, 113 D'.
FUNDAMENTUM Ecclesiæ quodnam sit, 138 A' et seq.
FURTUM, ex suo genere mortale, quando veniale fiat, 317 D'. — Rapina est gravior furto, 599 A.

G

GALATÆ unde oriundi ; ad quos cur scripserit S. Paulus, 263, qui illos iterum parturiit, quo sensu, 283 B'. — Ipsorum increpatur ingratitudo, 282 B, sed deinde pristinæ virtutes laudantur, 282 C' et seq. Quanta cum reverentia et caritate S. Paulum receperint, 283 A et seq.
GALEA salutis quid sit, 326 C', 391 C.
GAUDIUM aliud est bonum, aliud malum, 289 C. — Gaudium est dilectionis fructus, 676 A'. — In quibus gaudendum sit, 256 B'. — Qui gaudent, sint tanquam non gaudentes, quo sensu, 157 D. — In Domino semper gaudendum est, 347 C', 597 D'.
GEDEON pœnitentiam egit, quia contra legem fecerat sibi ephod, 520 D.
GENEALOGIÆ quales in Talmud Judæorum referantur, 411 B', 456 D'.
GENERATIO interdum pro creatione in Scripturis accipitur, 564 A'. — Post diem judicii cessabit generatio et corruptio in rebus corporeis, 527 A.
GENTILES, quorum peccata exponuntur, 15 D' et seq., 315 C' et seq., quare « non gens » dicantur, 86 D, et quo sensu Deum ignoraverint, 385 C. Fornicationem simplicem reputaverunt licitam, 384 D. Quinam ex illis damnandi sint, 22 A'. — Implicitam de adventu Christi fidem habere debuerunt, 516 C. — Ex Judæis spiritualiter nati, 90 C', gentiles conversi contra illos superbire vetantur, 90 D', 91 B et seq. Judæorum obstinatio quomodo gentilibus occasionem salutis præbuerit, 89 A', 92 A'. — Prænuntiata est Evangelii prædicatio ad gentiles directa, 360 A, nec non ipsorum conversio, 111 C et seq. Gentilium conversorum fides qualiter a Deo comprobata sit, 30 C'. — Per Græcos significantur gentiles, 13 B, 84 C'. — *Cf.* Idololatria, Imago, Judæi.
GENUA soluta quo sensu erigenda sint, 524 C.
GLADIUS designat potestatem judiciariam, 101 A. — Quid sit gladius spiritus, 326 C'.
GLORIA quid sit, 21 C, 118 A', 479 D. — Gloria vana quam grave sit peccatum, 338 C. — Quæ sit Dei gloria, 663 A'. — Omnia in gloriam Dei facienda sunt, 173 C'. — Qui gloriatur, in Domino glorietur, quo sensu, 246 C'. — Quid sit lumen gloriæ, 190 B', et gloria æterna, 65 C.
GLOSSA (Walafridi Strabi) passim citatur, 63 A, 83 D, 108 D', etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 113 et 114.)
GOMOR, mensura qua manna singulis æqualiter concedebatur, 240 B.
GORRA (Nicolaus de), Ord. Præd. theologus XIII° sæculo, allegatur, 390 B'.
GRÆCI, subtilitate ingenii præfulgentes, 21 D', philosophiæ inventores fuerunt, 12 B'. — Per illos gentiles significantur, 13 B, 84 C'.
GRATIA quotuplici sensu accipiatur, 305 D. — Quid sit gratia proprie sumpta, 9 D, 10 C, 213 B', 531 A', seu gratia gratum faciens, 615 A', 616 A, et utrum realiter a caritate differat, 187 D, 615 C'. — Immediate a Deo creatur, 45 A, qui per Christum illam nobis largitur, 45 B. A tota Trinitate infunditur, 293 B', ejusque infusioni annectuntur fides, spes, caritas, 617 A, et dona Spiritus Sancti, 62 C'. — Gratia Dei quam necessaria sit, 182 B' et seq. Est causa formalis nostræ justificationis, 31 C, omnium operum meritoriorum principium, 438 A, 563 A', 615 C', conferens homini esse deiforme, 631 A, et sine ejus lumine nemo salvatur, 22 D', 59 D. Ante ejus infusionem, peccator veniam promereri non potest de condigno, 34 D. An sine illa adulti valeant omne peccatum mortale vitare, 50 A. — Gratiam fidei, seu ipsam fidem, nullus meretur, 34 C'. Ad gratiam disponimur faciendo quod in nobis est, 35 C', 576 D, sed ad illam promerendam non sufficiunt

opera humana et legalia, 35B'. — Utrum quis in hac vita certo scire valeat se esse in gratia, 64A', 680D. — Lex vetus spopondit, non contulit gratiam justificantem, 59B, cujus sacramenta novæ legis sunt signa et causa, 33C'. — Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia, quo sensu, 46C. Gratiæ divitiæ quænam sint, 305C. Vita gratiæ ex bonis operibus comprobatur, 64D. — Gratia quomodo se habeat ad liberum arbitrium, 197B, quod ipsa indiget, 222D'. Fortior est quam natura, 551B, quæ ab ea perficitur, 5A', 677A'. Per gratiam electi merentur vitam æternam, 52A. — Multiformis est gratia Dei, 662C', quam contemnens, 20B', quomodo puniatur, 20D'. Deus, quando vult, infundit gratiam quæ omnem obicem tollit, 667A'. Magna gratia solet esse elationis occasio, 255A'. — Optimum est gratia stabiliri cor, quo sensu, 528B'. — Quid sit gratia gratis data, 615D', 616A, quæ ad proximum ordinata, 12C', 96D', et sæpe malignis collata, 183D', vocatur manifestatio Spiritus, quare, 183C'. In quo differat a gratia gratum faciente, 183B. Tria requiruntur ut sit Ecclesiæ utilis, 183C. — Gratiarum actio quantum prosit, 369C'. Qui gratias agit, donis potioribus meretur impleri, 367D', 415A'. — *Cf.* Lex, Sacramenta.

GREGORIUS (S.) Papa citatur, 50D', 64D, 88C, etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 75-79.)

GULA, cujus vitia valde sunt inhonesta, 103A, melius fugiendo quam colluctando vincitur, 150C'.

H

HÆRESES. Oportet esse hæreses, quo sensu, 178C.

HÆRESIARCHÆ et Hæretici. — Hæresiarchæ, qui denuntiantur et depinguntur, 684D' et seq., qualiter peccent, 688D', et puniendi sint, 688B'. — Scripturas secundum proprium ingenium præsumunt exponere, 688C, et per eos via veritatis blasphematur, 685C. Potuerunt inclinare, non cogere, homines ad errores, 652C'. Multi eorum concupiscentiis frena laxabant, 685C. — Hæreticus proprio judicio condemnatur, 457A. — Hæretici quasi canes contra veritatem latrant, 343B, a quibus præcavendum est, 698C. Qualiter a Catholicis superati sint, 442B', et occasione eorum quæ utilitas Ecclesiæ proveniat, 178D. — Hæretici Asiæ a S. Paulo et a S. Joanne evangelista impugnati fuerunt, 442A'.

HAYMO, Halberstatensis episcopus, quid narret de S. Pauli penula, 444D'. — Aliqua ejus glossa contra objectiones vindicatur, 389D', 390B'. — Passim citatur, 8D, 13C, 333C, etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 117.)

HEBRÆI, ab Heber vocati sunt, 24B. — Nec pueros nec feminas solebant numerare, 88A'. — Lingua Hebraica utrum aliquando ab omnibus fuerit usurpata, 24C. — Epistola ad Hebræos, communitati, non rectoribus, scripta, 531A, S. Paulum habet auctorem, 5C, 469, 470, qui in ejus principio nomen suum tacuit, quare, 5C. Qua occasione illam scripserit Apostolus, 469, cur eloquentior in ista epistola quam in ceteris, 470. Hebræorum qualiter laudet caritatem, 494D, et patientiam, 513C. — *Cf.* Judæi.

HERBA opportuna designat opera virtuosa, 494A.

HERCULES quid instituisse feratur, 167B.

HEREDES Dei quomodo sint Beati, 64C'.

Hereditas cœlestis, quæ est beatitudo æterna, describitur, 617B' et seq. — *Cf.* Beatitudo.

HERMES Trismegistus allegatur, 160A'.

HERMOGENES fraudulenter S. Paulum accessit, 437B'.

HIERARCHIA angelorum triplex, quosnam contineat ordines, 254C. — Hierarchia ecclesiastica quomodo angelicam imitetur, 121.

HIERONYMUS (S.), « Prophetarum studiosissimus explanator », 80B', qualiter solverit objectionem quam proposuerat S. Eustochium, 29D. Quid referat de S. Hilarione, 595B', et de S. Paulo Simplice, 74C. — Citatur, 75B', 117C, 166D, etc. — Allegatur ejus liber de Viris illustribus, 114A'. — (Migne *Patrol. lat.* tom. 22-30.)

HILARION (S.) abbas a dæmonibus violenter impugnatus est, 595B'.

HILARITAS. Proximo succurrendum est in hilaritate, quo sensu, 97A'.

HIRCUS in festo Expiationis præfiguravit Christum pro nostris peccatis oblatum, 529C.

HODIE significat æternitatem, 473C', vel tempus evangelicæ prædicationis et gratiæ, 483C', 484A', 486B'.

HOLOCAUTOMATA quid fuerint, 510B.

HOMO, inter mundi sensibilis creaturas primatum tenens, 15D, 565A, quomodo sit imago Dei, 176A et seq., 357C', 366D', seu

Trinitatis, 60 C, 267 B', 563 A'. Quare dicatur omnis creatura, 65 C', consors divinæ naturæ, 677 A', Dei agricultura, 138 A, et templum, 140 B. — Omnis homo est honorandus, 575 C', 640 D, honorificentia duliæ, 642 C'. — Duplex pars in homine est, nempe ratio et sensualitas, 55 D'; secundum priorem agit ut homo, secundum posteriorem, ut jumentis communicans, 56 A. Non tamen in nobis sunt duo homines, 228 B. Homo, in ordine intellectualium substantiarum novissimus, 78 D, quam impotens sit ad judicanda Dei opera, 78 A', quamvis ex creaturis Creatorem intelligat, 15 A. — In paradiso qualiter conditus fuerit, justitia originali donatus, 57 B. Quo sensu sit venundatus sub peccato, 55 D, et mendax, 26 C'. Qualiter ingemiscat et parturiat, 66 D, fluat, effluat et perffluat, 477 D. Cur agere dicatur quod tamen non agit, 56 A. — Vetus homo quid designet, 316 A', 366 C', quomodo deponatur, 316 C, ad novum hominem assumendum, 316 B', 366 C', et simul confixus sit cum Christo, 48 D et seq., per cujus humanitatem natura humana fuit reparanda, quare, 480 B'. — Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, quo sensu, 135 A; spiritualis autem judicat omnia, et a nemine judicatur, 135 D. Quantum ad hominem interiorem, nulla reputatur exterior diversitas, 367 A. — Homo diu esse non potest sine dilectione vel delectatione, 633 C. Illi naturale et proprium est esse risibilem, 597 D'. Humanum auxilium non est contemnendum, 252 A'. — Per hominem interdum perfectio, 267 B', interdum vitiositas designatur, 137 A, 174 B. Quod discretum et pium est, dicitur humanum, 136 D'. — *Cf.* Anima, Corpus, Creatura.

HONOR, qui debetur virtuti, 636 B, 665 D, quid sit, 479 D, et quibusnam deferendus, 575 C'. Cur et quomodo nos invicem honore prævenire debeamus, 97 C', per actum duliæ, 97 D'.

HOSPITALITAS quatenus sectanda sit, 98 D, 662 C.

HOSTIA vivens qualiter fiat corpus, 94 D'. — Quid sint hostiæ spirituales, 634 D'.

HUGO de S. Victore allegatur, 542, 587 A'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 175-177.)

HUMILITAS. Ex illa unusquisque putet se alio viliorem, 338 C, et cuilibet aliquo modo subjiciatur, 640 C', etsi propter illam a veritate non sit recedendum, 309 C. — Multi facilius vincuntur humilitate quam rigore, 638 C'. — Glorietur humilis in exaltatione sua, 556 C', dives autem in humilitate sua, quo sensu, 556 D'.

HYMENÆUS, qui resurrectionem jam esse factam dixit, 440 A, quomodo traditus sit Satanæ, 414 C'.

HYPERBOLICUS sermo in quo sistat, 74 D.

HYPOCRITA qualiter sit duplex animo, 556 B.

HYPOSTASIS quid significet, et quo sensu accipienda sit, 430 A'.

I

IDEÆ seu exemplares divinæ sapientiæ rationes. Secundum illas omnia condita sunt, 515 D.

IDOLOLATRIA, quam vesana, 16 A', 86 C. — Idololatrarum peccata exponuntur, 15 D' et seq. — Quare idololatriæ comparetur avaritia, 319 C', 366 A'. — *Cf.* Gentiles.

IDOLOTHYTA, id est ea quæ idolis immolabantur, 159 C, quomodo manducata fuerint, 159 D, a quibusdam Corinthiis qui scientiam discretam non habebant, 159 C', et alios scandalizabant, 161 A', 173 A. — De illis quænam ponatur regula, 173 B et seq.

IDOLUM quo sensu nihil sit, 160 D, 172 C. — Idola, in quibus morabantur et respondebant dæmones, 172 D, alii coluerunt tanquam animata, 160 A', alii tanquam deorum imagines, 160 B'. — *Cf.* Imago.

IGNATIUS (S.), Antiochenus episcopus et martyr. Ad illum scripsisse dicitur B. V. Maria, 547 B'.

IGNIS conflagrationis ultimæ, quid operaturus sit, 139 D, 204 C', 388 C', 443 C, 693 C. Per illum alterabuntur cœli aerii, 695 A', et solventur elementa, quo sensu, 695 B'. — Homo sola venialia habens salvus erit quasi per ignem, 139 B'. — In igne purgatorii revelabitur quale sit opus hominis, 139 C'. — Quomodo Deus faciat ministros suos flammam ignis, 475 B. — *Cf.* Mundus, Purgatorium.

IGNORANTIA qualis a culpa excuset, 694 B'. — Ignorantia, quæ est privatio veritatis, alienat intellectum a via Dei, 315 D'. Quantum sit vitium, 680 A. — Si quis ignorat, ignorabitur, quo sensu, 195 B'.

ILLITTERATI cur in prædicatores Evangelii fuerint electi, 131 A.

ILLYRICUM mare in fine Græciæ situm est, 113 B.

IMAGO. Ad ejus rationem quid requiratur, 357 B'. — Quo sensu imago Dei sit Christus, 357 A', et homo, 357 C', 366 D'. Quomodo in imaginem divinæ majestatis transformemur, 225 B. — Quidam gentilium imagines, quidam vero res significatas per imagines coluerunt, 16 A'. *Cf.* Idolum.

IMBER quid designet, 494 A.

IMPIUS et Iniquus. In nullo stabili radicatur impius, 331. — Illum non simpliciter judicemus, quare, 104 A'. — Quomodo impii experiantur Dei misericordiam, 638 C, angelorumque custodiam, 638 D, et ad conversionem sollicitentur, 20 C'. — Gravissime puniuntur quum desideriis suis traduntur, 16 D'. Ut tales, sunt contemnendi, 642 D. Qualiter fugiendi iniqui, 234 B, qui dæmonum voluntati obediunt, 325 D'. — Impiorum prosperitas futurum Dei judicium præmonstrat, 399 B'. — Impii divina Christi virtute resurgent, 198 C, quantis pœnis plectendi, 696 A'. — *Cf.* Damnati, Reprobi.

INCARNATIO Verbi, quo sensu fuerit sacramentum absconditum a sæculis in Deo, 309 D et seq.; qualiter revelata sit, 117 B', sapientiam divinam manifestet, 130 C, et ad gloriam nostram ordinetur, 133 C. Quis ejus finis, 7 A', et cur Spiritui Sancto tribuatur, 8 A'. Ipsa est nostra deificatio, 239 D. — Utrum illam a principio sæculi præcognoverint angeli, 310 B et seq. — Verbum Dei incarnatum, est magnum pietatis sacramentum, 420 A'. — *Cf.* Christus, Verbum.

INCESTUS sub pœna mortis prohibetur, 145 A. — Corinthius incestuosus quantum peccaverit, 144 D'. Excommunicatione percussus, 145 D, juxta S. Pauli mandata a suis fratribus correctus est, 237 A.

INCORRUPTELA. Illam non possidebit corruptio, quo sensu, 204 A'.

INCREMENTUM signat salutem et gratiam, 137 C.

INDIGNATIO procedens ex ira et superbia, vitanda est, 318 A'.

INDULGENTIÆ e quonam Ecclesiæ thesauro emanent, 359 C'.

INFANTIA qualis sit bona, 632 A', qualis vituperanda, 632 B'.

INFIDELIS utrum bonum opus facere valeat, 108 C'. — Infideles jam judicati sunt, quare, 106 C. Utrum sint vitandi, 146 B', 147 A. — Quid censendum de matrimonio inter fidelem et infidelem, 153 B' et seq. Infideli conjugi cohabitare licite poterat fidelis in primitiva Ecclesia, 154 C, nunc vero prohibetur, 154 D. — *Cf.* Conjuges, Gentiles.

INFIRMUS in fide, quomodo instruendus, 103 C'. — Infirmi quanta caritate suscipiendi, 391 D'.

INIMICUS qualiter tractandus, 99 B'.

INJURIA. Pro illa gratiam reddere, optimum est, 650 D.

INJUSTITIA locum non habet in his quæ gratis dantur, 77 A.

INNOCENS, ceteris paribus, plus a Deo amatur quam peccator conversus, 46 C'. — Per innocentes, aliquando intelliguntur inexperti et incircumspecti, 116 B'.

INOBEDIENTIA a prævaricatione distinguitur, 477 D'. — Ejus filii sunt diaboli ministri, 626 B'.

INQUIETI quinam sint corrigendi, 391 C'.

INSIPIENTES quatenus tolerandi, 250 B.

INTEGRITAS spiritualis in quo sistat, 552 B'.

INTELLECTUS, qui est donum Spiritus Sancti, definitur, 356 B'.

INTENTIO quomodo meritum in omni actu parere queat, 173 D'.

INVIDIA, quæ est tristitia de bono alterius, 18 A, quantum fugienda sit, 287 D', ut mors animæ, 290 C'. — Luctando et resistendo superatur, quare, 150 B'. — Qualiter per fascinationem intelligatur, 275 A'. — Quod quis sibimet cupit, hoc invidere aliis solet, 592 B. Invidus non optat correctionem ejus quem odit, 353. — Quid sibi velit illud : Ad invidiam concupiscit spiritus qui habitat in vobis, 593 A'.

IRA et Iracundia. — Quid sit ira, 366 B'. Alia est per vitium, 566 D, alia per zelum, 317 C, 566 A' : prior dupliciter metas rationis excedit, 317 A', et fit mortalis, 566 D' ; posterior est moderanda, 317 D. — Ira luctando et resistendo superatur, 150 B'. Ad illam proniores sunt superbi, 567 A'. — Quomodo interpretanda hæc effata : Irascimini et nolite peccare, 317 A et seq.; homo tardus sit ad iram, 566 D ; sol non occidat super iracundiam vestram, 317 B'.

ISAAC, filius Abrahæ et Saræ, quo sensu per repromissionem natus, 284 B, filius promissionis fuerit, 76 B. — Quomodo illum persecutus sit Ismael, 285 A. — Aries pro illo immolatus quid præfiguraverit, 518 D. — Isaac de futuris benedixit Jacob et Esau, 518 D. — Christi figura, 518 C, designat etiam Ecclesiam, 284 D'.

ISAIAS visione imaginaria vidit Dominum sedentem super solium excelsum, 471 B. An angelus ad illum missus, de ordine Seraphim fuerit, 477 A. — Isaias apertissime prophetavit de Christo, 622 C', præsertim patiente, 623 A'. Vaticinatus est etiam de Ecclesia, 625 B, de illuminatione gentium, de Judæorum cæcitate, 86 B', et conversione, 80 A et seq. — A Manasse sectus est, 521 A.

ISIDORUS (S.), Hispalensis episcopus, citatur, 54 B', 496 B, 599 C, etc. — Allegatur ejus liber de Ortu et obitu Sanctorum, 114 A'. — (Migne *Patrol. lat.* tom. 81-84.)

ISMAEL, filius Abrahæ et Agar, quo sensu secundum carnem natus sit, 284 A, et cum Isaac luserit, 285 A. — Expulsus cum matre, quid figuraverit, 285 C.

ISRAELITÆ. Quare sic vocati Judæi, 24 C. — Filii Israel, id est decem tribuum, solebant immolare in excelsis, 88 A. — *Cf.* Judæi.

J

JACOB quo sensu fuerit filius promissionis, 76 A, et a Deo dilectus, 76 C'. — Non simoniace egit, quum acquisivit primogenita Esau, 525 A. Ante fratrem sortitus benedictionem, quid signaverit, 518 A'. — Visione exteriori vidit angelum secum luctantem, 471 B. — Adventum Christi qualiter prænuntiaverit, 623 A'. — Quare præposuerit Ephraim juniorem Manassæ seniori, 518 A'.

JACOBUS (S.) Major in Hispania prædicavit, 114 C'.

JACOBUS (S.) Minor, frater Domini dictus, 196 C', 268 B', 271 B, filius erat sororis B. Virginis Mariæ, 547 B. Illi post resurrectionem suam Christus apparuit, 196 A'. — Ecclesiæ Jerosolymitarum præfuit, 114 A, 268 B', 547 A. — Quare se servum Christi, non apostolum nominet, 547 C et seq., nec, potius quam Petrus, perhibeatur ordinatus Judæorum apostolus, 271 D. — Quo sensu epistolam scripserit duodecim tribubus dispersis, 548 A' et seq. — Quomodo cum S. Paulo concordet de justificatione Abrahæ, 581 D'. — Allegatur ejus Legenda, 547 A.

JANNES, magus Pharaonis, unde notus sit, 442 C, et qualiter Moysi restiterit, 442 D.

JASON fuit S. Pauli cognatus secundum carnem, 117 C.

JEPHTHE utrum pœnitentiam egerit propter filiam oblatam, 520 D.

JEREMIAS in utero sanctificatus est, 44 C. — Visione imaginaria vidit ollam succensam, 471 B. — De B. V. Maria prophetavit, 281 A'. — Ex illo probatur necessitas novi testamenti, 503 B et seq. — In Ægypto lapidatus est, 521 A.

JERUSALEM aliquando Synagogam designat, 284 D. — Quo anni tempore a Romanis fuerit obsessa, 89 C. — Ecclesia Jerosolymitana, cui præfuit S. Jacobus Minor, 114 A, facta est forma perfectionis christianæ, 114 A. — Ecclesia militans dicitur « quæ sursum est Jerusalem », quare, 284 A'.

JESUS. Quo sensu nemo possit dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto, 182 C'. — Quis dicat anathema Jesu, 182 D. — *Cf.* Christus.

JOANNES (S.) Baptista, novi testamenti minister et præco, 521 B', quibus vestibus indutus fuerit, 521 B. — Prædixit Christum pro peccatis nostris moriturum, 655 C.

JOANNES (S.) apostolus, qui frater Domini vocatur, 163 D, Asiam implevit Christi Ecclesiis, 86 A. — Ab exsilio Patmos reversus Evangelium scripsit, 549 A.

JOB omnium virtutum sed præsertim patientiæ est forma, 605 D', 655 A. Omnia dupla illi reddidit Deus, quo sensu, 386 D'.

JOEL de eminentia gratiæ Spiritus Sancti specialiter prophetavit, 623 A.

JOSAPHAT. Super vallem Josaphat Christus descendet in die judicii, 388 A.

JOSEPH filius Jacob, figura Christi fuit, 403 A, propter multorum salutem permittente Deo venditus, 464 B'. — In qua spelunca voluerit se sepeliri, et quare, 518 D'.

JOSEPH (S.) vir Mariæ, de tribu Juda processit, 499 C.

JOSUE dictus est Osee et Jesus, 487 A.

JUDÆI, a Juda vocati, 24 C, quare etiam Hebræi dicti fuerint, 24 B, et Israelitæ, 24 C. — Quomodo idololatriæ subjacuerint, 16 A', sacrilegium fecerint, 24 C', spirituale commiserint furtum, 24 C', justitiam Dei ignoraverint, 82 C, et suam justitiam quæsierint statuere, 82 A'. — Signa petere solebant, quare, 129 C; sacram Scripturam carnaliter intelligebant, 89 B, errabant de inimicorum odio, 99 C', ad corporalia adulteria erant proclives, 593 A, timore pœnarum potius quam amore justitiæ legem servabant, 481 D'. — Gravius quam gentiles peccaverunt, 21 C', 24 A, quos ut canes reputabant, 86 D. — Quo

sensu omnes baptizati fuerint in nube et in mari, 168 C'; quid figuret illorum punitio in deserto, 169 C'. — In quibus sint gentilibus anteponendi, 26 B et seq. Specialiter appellati sunt filii Dei, 75 A, et sæpe infideles ad Deum converterunt, 24 A'. Quomodo Christianorum patres spirituales fuerint, 168 C. Non potuerunt salvari nisi habendo fidem de Christi adventu, 280 A. Illorum obstinatio gentilibus occasionem salutis præbuit, 89 A' et seq., 92 A'. Status et populus Judaicus figurabant statum et populum christianum, 171 A. Temporalis requies illis promissa, 485 C', signabat requiem cœlestem, 485 D' et seq. — Qualiter in illos pervenerit ira Dei, 382 A, et mensa eorum facta sit coram ipsis in laqueum, 89 B. — Eis lapis offensionis factus est Christus, 81 B', in quem pauci ex illis, respectu aliorum, crediderunt, 80 B, 133 A', ut prædictum fuerat, 85 B'. Quo sensu illum cognoverint, 86 D' et seq. Quam bonus Christus in hos ingratos, 86 C'; quandonam illis testamentum novum proposuerit, 503 C; qualiter ad ejus invidiam et occisionem moti fuerint, 603 B'. — A Romanis obsessi fuerunt quum congregati essent in Jerusalem ad Pascha celebrandum, 89 C. — Capsarii nostri sunt, qui nobis libros apportant, 76 C', etsi eos non intelligant, 224 A'. — Per Eliam in fine mundi convertentur, 89 B'. — Talmud eorum quid contineat, 411 B'. — Conjugi infideli Judæo cohabitare licite poterat fidelis in primitiva Ecclesia, 154 C, nunc autem prohibetur, 154 D. — *Cf.* Gentiles, Hebræi.

JUDAS (S.) apostolus, qui frater Domini vocatur, quo sensu, 163 D, unde cognoverit verba Enoch quæ allegat, 442 C.

JUDICIUM quid sit, 19 A, et quibus conditionibus licitum, 19 B et seq. — Judicium inordinatum quam irrationabile, 104 C et seq., 105 B', 599 D'. Quandonam perversum, usurpatum vel temerarium dicatur, 19 C. Qualiter a Deo judicentur qui temerarie judicant, 20 B. — Non debemus alterius personam absolute judicare, quare, 19 B', nec de occultis ac dubiis judicium ferre, 19 B', 600 A, sed quilibet se ipsum judicet, 19 A', 141 B', 181 A'. — Non semper expedit omnia repetere in foro judiciali, 149 C'. Quinam judices eligendi sint, 148 C'. Quo sensu peccatum sit, judicium habere contra fratrem, 149 A. Utrum apud judices infideles liceat fideli adversus fidelem contendere, 147 C et seq., 149 A. Prælati qui in magnis peccatis sunt, an judicare debeant, 19 C, 600 B. — Aliud est judicium discretionis, aliud remunerationis, 19 C', quod duplex est, scilicet approbationis et reprobationis, 19 D', 578 A. — Explanantur hæc verba : Judicium sine misericordia illi qui non fecerit misericordiam, 578 D et seq.; superexaltat misericordia judicium, 578 D'.

Quam incomprehensibilia Dei judicia, 93 A'. — Quid cognoscatur de judicio particulari, 389 B', quod fit statim post mortem, 229 D', 508 D'. — Judicium ultimum, quod durissimum erit, 696 A', cur æternum appelletur, 492 B', et a Deo differatur, 695 C. Quid sciatur de ejus tempore et momento, 389 C. Ante illud quænam discessio futura sit, 402 A, et in illo qualis audienda sit vox archangeli, 387 A', vel tuba Dei, 387 C'. De ejus duratione quinam exorti sint errores, 694 C, 695 B. Dies judicii dicitur dies Domini, 139 C, quare, 389 A, 695 D. Tunc qualis quis moritur, talis Deo præsentabitur, 145 A'. Eodem die illuminabit Deus abscondita tenebrarum, 141 D'; aperientur conscientiarum libri, 23 D; uniuscujusque opus manifestum erit, 139 B, et per ignem probabitur, 139 C et seq.; glorificabuntur electi, 618 B', et sancti de hoc mundo judicabunt, 147 C'. In divino judicio satagemus respondere ad ea quæ contra nos proponent dæmones, 229 D'. — Post diem judicii cessabit generatio et corruptio in rebus corporeis, 527 A.

JUGUM Christi est dilectio; jugum diaboli, peccatum, 234 A.

JULIA quo sensu fuerit nobilis in Apostolis, 116 B.

JURAMENTUM quatenus prohibeatur, consulatur vel permittatur, 11 D, 268 C', 606 A' et seq. — Debite prolatum, est actus latriæ, 11 A', 72 C', 606 C'. — Quænam tria requirantur ad jurandum, 606 B', 607 B. Utrum per creaturas liceat jurare, 606 C'. — Cur Deus juraverit, 495 A. — Homines per majorem sui jurant, quo sensu, 495 A.

JUSTIFICATIO, cujus causa directa et effectiva est Deus, 78 D, quomodo animam transformet, 45 C, et in prædestinatis quid agat, 70 B. — Quo sensu ex operibus justificetur homo, 582 A. — *Cf.* Fides, Opus.

JUSTITIA est præclarissima virtus, 335 A, 440 D', cujus duæ quasi integrales partes indicantur, 651 B. Alia est commutativa, alia distri-

butiva, 572 C', cui contraria est personarum acceptio, 572 D'. — Quid sit justitia quæ ex fide est, 344 C, et lex justitiæ, 81 B. — Omnis virtus quædam justitia est, 676 A. — Quo sensu corde credatur ad justitiam, 84 A', fructus justitiæ in pace seminetur, 590 B', et justitia habitatura sit in novis cœlis et nova terra, 696 D'. Qui patiuntur propter justitiam, qualiter sint beati, 652 D'. — Justitia Dei, quæ frequenter veritas nominatur, 14 C', quotuplici sensu accipiatur, 13 D et seq.; quare illi adscribatur justificatio infidelium et impiorum, 13 B'.

JUSTUS ex fide vivit, quo sensu, 14 D, 276 D', 514 B. Contristatur de vitiis impiorum, 687 B', a quibus quomodo distinguatur, 331. — Multum valet ejus oratio, 609 D. — Justi quo sensu legi sint subjecti, 413 B, et tota die mortificentur, 71 B'. De illorum oppressione quinam scandalizentur, 310 D'. — Antonomastice « Justus » vocatur Christus, 603 C'. — Liber Justorum de Evangelio Christi saltem mystice loquebatur, 6 D'. — *Cf.* Perfectus, Sanctus.

JUVENCULÆ qualiter obsecrandæ, 423 C'.

JUVENES quomodo instruendi, 423 D, et cur ad sobrietatem hortandi, 454 D. — Quando debeant seniores interrogare, 565 D'.

L

LABOR manualis commendatur, 317 D', 386 C, 406 C.

LAC signat innocentiam, vel carnalem voluptatem, aut imperfectam doctrinam, 136 C', 491 C'.

LAODICIA, civitas Asiæ, 361 A, ad cujus incolas S. Paulus epistolam misit, 371 B'. — Ibi scripta est prima ad Timotheum epistola, 409.

LAPIS. Quo sensu Christus sit lapis vivus, 633 D', super quem fideles ædificantur, 634 A'.

LAPSUS. In alterius lapsu non est ridendum, 649 D'.

LAQUEI diaboli sunt peccata et errores, 441 B'.

LATRIA. Servitus latriæ soli Deo debetur, 369 A, 642 C'. — Actus latriæ est juramentum debite prolatum, 268 C'.

LATRO. Quinam conformentur latroni pœnitenti, quinam impœnitenti, 656 A.

LAUS. Quid sit hostia laudis, 529 D'. — Utrum liceat laudare se ipsum, 247 C, et alios, 247 D.

LEO (S.) Magnus Papa citatur, 325 A', 339 D, 588 D, etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 54-56.)

LEPRA quatenus conjugatos dividat, 153 D.

LEVITÆ inferiores, sacerdotibus decimas dabant, 497 A'. — Sacerdotium Melchisedech excellentius fuit quam sacerdotium Leviticum, 497 D et seq., quod imperfectum ac figurativum exstitit, 498 D', et per sacerdotium Christi evacuatum est, 498 A', 499 A et seq. — *Cf.* Melchisedech.

LEX a ligando, vel a legitima latione, nomen accepit, 57 A. Justo non est posita sed injustis, quo sensu, 412 C'. — Quotuplex sit ejus actus, 412 D'. Ejusdem est legem condere et exponere, 599 B'. — Lex naturalis a Deo data est, 22 A', et quæ dictat sunt conformia legi scriptæ, 23 A, 56 B', per quam facta est cognitio peccati, quo sensu, 30 A'. Lex scripta, tam divina quam humana, est quædam explicatio legis naturalis, 56 B'. — Lex, etsi bona sit, 53 B', 412 B', sancta, 54 B', spiritualis, 55 C, iram operatur, 37 C, augetque peccatum, quo sensu, 37 D, 55 B, 279 C'. Quomodo, quum lex non esset, peccatum non fuerit imputatum, 44 A. — Lex vetus tribus modis accipitur, 30 C, et triplicis generis habet præcepta, nempe moralia, judicialia et cærimonialia, 32 D, 306 B'. Qualiter justificati fuerint, qui servabant ejus præcepta moralia, 30 A'. Lex vetus erat lex timoris, 63 D, 525 D, pœnæ, 569 C, ac servitutis, 102 B, lex litteræ, 223 C, gratiam justificantem spondens, non implens, 59 B, umbram tantum habens futurorum bonorum, 509 B. — Quo sensu lex Moysis dicatur lex factorum, 32 B, lex mortis, 53 C, et mortem operata sit, 276 D', ita ut illa data, delictum abundaverit, 46 A; quomodo tamen profuerit, 44 D, 279 B. Pleraque in sanguine mundanda decrevit, 508 A. Peccatum auferre non potuit, 43 D', et nihil ad perfectionem adduxit, 499 B', 506 C. Qui ejus præcepta cærimonialia custodiebant, gratiam non accipiebant nisi ex opere operantis, 30 A', 33 B'. — Lex vetus promulgata est ministerio multorum angelorum, 279 D, quandonam, 278 C. Pædagogus noster fuit in Christo, 280 A, qui est finis legis, 82 B', et nos redemit de maledicto legis, quo sensu, 277 B. — Lex nova seu evangelica quomodo prædicta sit, 469, et ad perfectionem ducat, 379 C. Per illam non destruitur lex vetus, sed impletur, 33 A, atque perficitur, 506 D. Dicitur

lex fidei, 32B, lex amoris, 63A', vel caritatis, 102B, lex spiritus vitæ, 58B, 223C, lex pietatis et gratiæ, 525D, lex libertatis perfectæ, 569B et seq. Gratiam per sacramenta confert, 33C', 35B, 273D', et liberat a lege peccati et mortis, 58C. — Qualiter puniti fuerint in utroque Testamento, qui statim post legem datam, illam transgrediebantur, 181C. —Legalia V. T. quando cessaverint, 364D, vel mortua et mortifera evaserint, 272B', 343C'. —, Quid sit lex justitiæ, 81B, et lex regalis, 574B. — Qui diligit proximum, legem implevit, quare, 101A'. — Quid intelligatur per pugnas legis, 456D'. — Lex membrorum quid sit, 56D', et quatenus hominem captivet, 57A; eadem est ac lex peccati, 57D', cui servire est inclinationibus fomitis consentire, 57D'. — *Cf.* Gratia, Mandatum, Præcepta, Testamentum.

LIBER vitæ quid sit, 347A'. — Quo sensu in capite libri scriptum sit de Christo, 510D.

LIBERTAS vera seu christiana in quo sistat, 51C, 285A', 287D, 426D, 641D'. — Ubi Spiritus Domini, ibi libertas, quo sensu, 224D'. — Lex evangelica cur vocetur lex libertatis perfectæ, 569B et seq. — Libertas fit velamen malitiæ, 641D', 642B, multisque peccandi occasio est, 287A'. Quomodo circa illam erraverint quidam hæretici, 287A'. — Liberum arbitrium qualiter gratia indigeat, 222D'.

LIBIDO per corporalem intuitum provocatur, 689C'. *Cf.* Luxuria.

LIGNA quid designent, 138D'.

LIMBUS secus infernum situs est, in medio terræ, 313C'. — In illo omnes sancti ante Christi adventum, 102A', detinebantur propter reatum originalis peccati, 44C, 59C', absque pœna sensus, 31C', usque ad passionem Salvatoris, 521B', qui huc descendit secundum animam, 657C, in puncto mortis suæ, 313C'. — Quid insipienter dictum sit de ejus prædicatione in limbo, 657A'.

LINGUA quomodo et quare sit refrenanda, 584A' et seq., omnibus Christianis, 571C, sed præsertim claustralibus, 571D. — Quo sensu sit ignis, 584D', a diabolo inflammetur, 585D, nec domari possit, 586A. Plena veneno mortifero, 586A', universis peccatis originem præbet, 585A. — Linguarum genera sunt septuaginta duo, 192C. — Donum linguarum, minus dono prophetiæ, 191A, per se non instruit intellectum, 191B. Quibusnam datum fuerit, 125A. — Apostolis concessa est omnium linguarum notitia, 187D. — Linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus, quare, 193B'. — Donum linguarum in patria cessabit, 189B.

LINUS (S.) Papa, utrum a S. Paulo nominetur, 445B'.

LITTERA quid significet, 53A'. — Littera occidit, quo sensu, 223C.

LITTERATI ad quid specialiter obligentur, 600D'. — Ex illis quidam in prædicatores Evangelii electi sunt, quare, 131B.

LOMBARDUS. *Vide* Petrus.

LONGANIMITAS dicitur longa et certa exspectatio futuræ beatitudinis, 232D'.

LOT. Ejus justitia laudatur, 687B et seq.

LUCAS (S.) evangelista, 240C, et comes S. Pauli, 240D, medicus fuit, 371A'. — In Græcum transtulit Epistolam ad Hebræos, 469. — An idem fuerit ac Lucius, de quo in Epistola ad Romanos, 117C.

LUCIFER. Cur hoc nomine vocetur Christus, 684B.

LUMBI qualiter succingantur in veritate, 326C, 625C'.

LUMEN et Lux. Lumen gloriæ quid sit, 190B'. — In quo sistat lucis fructus, 320D. — Filii lucis quomodo conversari debeant, 320C, et quænam sint arma lucis, 102C'.

LUXURIA, quæ in vino est, 321B', et gulam sequi solet, 603B', melius vincitur fugiendo quam colluctando, 150C'. — Quatenus divites inquinare possit, 603C. — *Cf.* Libido.

LYRA (Nicolaus de), Ord. Min. notissimus postillator, identidem non approbatur, 29C', 83D, 111D, 577B. — Sub hoc nomine « Quidam », refellitur, 390B'.

M

MACEDONIA, Græciæ provincia, 217B'. — Qua occasione in illam venerit S. Paulus, 221A, quantas tribulationes ibi passus sit, 235C', et quam consolationem acceperit, 235D'. — Macedones largas eleemosynas dederunt pro Ecclesia Jerusalem, 238A, ita ut etiam ipsi postmodum egerent, 238D.

MACERIA quid sit, 306A'. — Medium parietem maceriæ solvit Christus, quo sensu, 306D.

MAGISTER. Ex consideratione discipuli innotescit perfectio magistri, 222C, cui coronam dat bona ejusdem conversatio, 382D'. — Magisterium appetitur inordinate, 583A, vel ordinate, 583D.

MAHOMETUS « sceleratissimus » quid asserat de ultimi judicii duratione, 695 B.

MALEDICTIO ex zelo justitiæ procedere potest, 587 B. — Qualiter ab illa benedictio corrumpatur, 587 C.

MALITIA. Per illam alter alteri damnum inferre conatur, 18 A. — Uniuscujusque malitia in ipsum redundat, 26 B', 652 D.

MALUM non agitur nisi sub ratione boni, 55 A'. — Deus nihil mali impunitum relinquit, 287 A. — Mala in bonum cooperari valent, quo sensu, 69 B. — Prius confirmandi sunt boni, quam mali torquendi, 245 A. — *Cf.* Bonum.

MAMBRES, magus Pharaonis, unde notus sit, 442 C, et quomodo Moysi restiterit, 442 D.

MANDATUM est sanctum, justum et bonum, 54 B'. — Ex illo quatenus provocetur concupiscentia, 54 A. — *Cf.* Lex, Præcepta.

MANICHÆUS (id est Manes) perfidiam Marcionis auxit, 685 C'. — Dixit incarnationem Christi fuisse phantasticam, 197 C. — Manichæi diabolum reputabant creatorem et rectorem mundi sensibilis, 325 D'. Asserentes a dæmone datam esse legem Moysis, 53 A', per S. Paulum refelluntur, 54 B' et seq.

MANNA, quod omnes æquali mensura accipiebant, 240 A, erat figura Sacramenti altaris, 169 B.

MANSUETUDO, quæ hominem facit Deo ac proximo amabilem, 588 B, quid sit, 567 D'.

MANUS, organum organorum, 186 B, designat potestatem et operationem, 596 D'. — Quo sensu remissæ manus sint erigendæ, 524 C. — Manuum elevatio in oratione quare consulatur, 417 D. — Per manus Dei quid intelligatur, 476 A.

MARANATHA interpretatur, Dominus venit, 208 B.

MARCELLINUS comes, historicus, allegatur, 585 D'. (In Chronicon, ad annum 496. Migne *Patrol. lat.* tom. 51, col. 935.)

MARCIANI quomodo erraverint circa Christi incarnationem, 197 C.

MARCION, cujus perfidiam auxit Manes, quid docuerit, 685 C'.

MARCUS (S.), a S. Petro baptizatus et instructus, 674 A', evangelium suum Romæ scripsit, 549 B, et Alexandriam missus est, 682 A'.

MARCUS, aliter dictus Joannes, consobrinus Barnabæ, 371 A, S. Paulo reconciliatus est, 371 B.

MARE Mortuum Pentapolis terram operuit, 686 D'. In illo nihil vivere potest, 687 A. Quæ poma ibi inveniantur, 687 A. — Mare Rubrum, cujus aquæ steterunt donec pertransissent filii Israel, 168 C', Baptismum significavit, 169 A. — Mare Illyricum in fine Græciæ situm est, 113 B ; huc usque S. Paulus per circuitum Evangelium prædicavit, 246 B.

MARIA, Virgo Christifera, 131 D', Deifera, 134 C', 338 A', inviolata, 281 A', qualiter prænuntiata fuerit, 281 A'. — De tribu Juda orta est, 499 C. — In illam non transiit peccatum originale, 44 D'. — Ex illa Christus humanam assumpsit naturam, 7 B, 44 B', ejusque vere est filius, 7 C'. — Quomodo in Domino glorìata sit, 246 C', et gavisa, 348 A. — De ipsa sollicitus fuit Christus in cruce suspensus, 424 C. — Ad S. Ignatium dicitur scripsisse, se ancillam Christi nuncupans, 547 B'. — Certum est illam resurrexisse resurrectione consummata, 204 C'. — Ejus intuitu et amore honorandæ sunt feminæ, 648 C'.

MARIA, de qua loquitur S. Paulus, ipsi nuntiavit Romanorum discordiam, 116 B.

MARTINUS (S.) laborem non recusavit, 73 A'.

MARTYRES. Illorum constantia ex crudelitate tyrannorum manifestata est, 28 D. *Cf.* Tyranni.

MATERIA prima, utrum ejusdem sit rationis in omnibus corporibus, 202 C'. — Juxta diversitatem formarum substantialium requiritur diversitas materiarum, 202 D.

MATRIMONIUM, quod est sacramentum magnum in Christo et in Ecclesia, 323 A', quomodo definiatur, 153 C. — Divinitus institutum est, 421 C, quare, 151 D', 152 C. — Tria sunt ejus bona, 152 A', 528 A. — Ejus indissolubilitas statuitur, 153 A et seq. Quatenus liceat ejus solutionem quærere causa intrandi religionem, 156 D'. — Quænam sint illius impedimenta, 153 C. Quid censendum de matrimonio illorum quorum dispar est cultus, 153 B', 154 D, 645 D'. — Quænam sint officia eorum qui matrimonio conjunguntur, 151 D' et seq. — In matrimoniali statu, cujus incommoda notantur, 156 B', 157 A, 158 A et seq., devote possunt vivere conjugati, 158 A. — *Cf.* Conjuges, Mulier, Uxor, Vir.

MATTHÆUS (S.) apostolus ubi prædicaverit, 86 A, 549 B.

MEDITATIO frequens novissimorum, peccata expellit, 681 A.

MELCHISEDECH unde nomen acceperit, 496B', et utrum idem fuerit ac Sem, 496B, 497A. — Quo sensu dicatur sine patre, sine matre, 496C'; neque initium dierum, neque finem vitæ habens, 497A; quod quidam male intelligentes, ipsum immortalem fuisse putaverunt, 498B. — Qualiter Abrahæ benedixerit, 496A', 497D', et ab eo decimas acceperit, 496B', 497D. — Christum figuravit, 496B' et seq., et sacerdotium ejus excellentius fuit sacerdotio Levitico, 497D et seq., non autem christiano, 498A'. — *Cf.* Sacerdotes.

MELOTA quid sit, 521B.

MEMBRA corporis non sint arma iniquitatis, 49C', 50C', sed justitiæ, 49D', 50D'. — Figurant Christi fideles, 185C et seq., 315A', 316D', quorum unio quam arcta esse debeat, 186C', 649C'. — Membra superiora egent inferiorum auxilio in Ecclesia sicut in corpore humano, 186B et seq.

MENDACIUM est falsa vocis significatio cum intentione fallendi, 218A. — Mendacium officiosum, jocosum, et maxime perniciosum, vitandum est, 316C'.

MENS quomodo instabilis efficiatur, 555D. *Cf.* Anima.

MENSA propositionis qualiter facta et ubi sita fuerit, 505B.

MERCES. Qui operariorum mercedem retinent, quantum peccent, 602B'. — Visio Dei est tota merces et vita æterna, 137D'. — *Cf.* Præmium.

MERITUM. Ejus principium simpliciter a Deo est, 596C. — Sine fide, spe et caritate, nulla actio meritoria est, 524D, 630D. — In omni actu, etiam in somno, meritum haberi potest, 173D'. — Nemo propter meritum proprium fidem et gratiam primam sortitur, 92D'. — *Cf.* Caritas.

MESSIS qualis futura sit ejus qui parce seminat, 242A, vel qui seminat in benedictionibus, 242C.

MICHÆAS de loco nativitatis Christi prophetavit, 622D'.

MICHAEL (S.) archangelus an Antichristum sit interfecturus, 403D. — Quid ante ultimum judicium dicturus sit, 387B'.

MILLENARIUS numerus perfectionem designat, 88D.

MINISTRATIONES dicuntur officia ecclesiastica, 183D, vel effectus gratiæ gratis datæ quantum ad alios, 183A'.

MINISTRI Dei, quales se exhibere debeant, 232B' et seq. — Non sine grandi peccato potestate sua abutuntur, 245D.

MIRACULUM omne dicitur virtus, quare, 257A'. — Quænam miracula vocentur signa, vel portenta, 478C, aut prodigia, 113A, 257B, 403C'. — Per miracula stabilitur fides, 132C'. — Per diversa miracula Deus declaravit fidem gentilium conversorum esse sibi acceptam, 30C'. — Miracula quo sensu non sint petenda, 129C.

MISERIA alia est culpæ, alia pœnæ, 597B.

MISERICORDIA. Quo sensu Deus sit Pater misericordiarum, 214D, et dives in misericordia, 304C'. Ejus misericordiæ nullus est penitus expers, 638C. — Quo pacto superexaltet misericordia judicium, 578D'. Judicium sine misericordia illi qui non fecerit misericordiam, 578D. — Opera misericordiæ commendantur, 570D, 578D', 662A'. — In dubiis casibus ad misericordiæ partem est declinandum, 579A.

MISSA. Quomodo in illa fiant obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, 415A. *Cf.* Eucharistia.

MODESTIA qualis suadeatur, 348B.

MODUS agendi sequitur modum essendi, 568D'.

MONTES. Ultra montes Caspios constitutæ sunt decem tribus, 548B'.

MORALIA, quum versentur circa particularia, mutabilia sunt, quo sensu, 247B.

MORS per peccatum in mundum intravit, 43D, 44C, 51D', 205B'. — Tota hæc vita est quasi cursus ad mortem, 661C. — Mortis imperium diabolus habuit, 481A'. Quali servituti timore mortis subjecti sint homines, 481C', et quomodo liberati fuerint, 481D', a Christo, qui regnum mortis abstulit, 44D, ita ut absorpta sit mors in victoria, 205A'. — In die novissimo, inimica destruetur mors, 200C. — Quatenus habeatur responsum mortis, 216D. — Mortem temporalem cur Sancti optaverint, 57A', et qualiter accipiant perfecti, 682C. — An liceat illam desiderare propter adversitates, 216B. — Qualis quis moritur, talis Deo in die judicii præsentabitur, 145A'. — Mors æterna pro peccato mortali infligitur, 51D'. — Mortui cur dicantur « dormientes », 197D'. — De morte proximorum utrum fas sit tristari et flere, 386D'.

MOTUS concupiscibilis dupliciter in nobis insurgit, 563A; an diabolus possit illum cau-

sare, 563 A. — Motus primo primi utrum rationem peccati habeant, 256 A.

MOYSES, qui inter Deum et populum Israel mediator fuit, 279 D, fide reliquit Ægyptum, quo sensu, 519 D. — Deum qualiter viderit, 429 A'. — Illi data est lex ministerio multorum angelorum, 279 D, ipsumque docuit angelus de construendis et offerendis in tabernaculo, 502 C', quod describitur, 504 D' et seq. — Petra quam virga percussit Moyses, cur spiritualis vocetur, 169 C. — Quo sensu oraverit ut de libro vitæ deleretur, nisi Deus Judæis parceret, 73 C' et seq. — Facies ejus quomodo splenduerit, 223 B', et quid figuraverit velamen super eamdem positum, 224 D. — Quid scripserit Moyses de justitia quæ ex fide est, 83 B, 84 B. — Christus excellentior demonstratur quam Moyses, 483 B et seq., cui præstant etiam Apostoli, 223 D'. — *Cf.* Lex.

MOYSES (Rabbi) fertur dixisse tot esse mandata in lege, quot sunt ossa in humano corpore, 306 C'.

MULIER gloria est viri, 176 D, qui potius quam illa est imago et gloria Dei, 176 C. — Quo sensu viro subjiciatur, 322 C, 368 D, et quare, 418 A, 645 B. — Si primatum habeat, contraria est viro suo, 454 C. — Salvabitur per filiorum generationem, 418 A'. — Si vir ejus resurgeret, an teneretur eum accipere, 52 B'. — Naturaliter verecunda, inclinationem habet ad comam nutriendam, 177 D. — Illi prohibetur docere publice, non in privato, 175 C', 417 D'. — Mulier orans aut prophetans debet velatum caput habere, 175 B', 176 C', in veste decenti, non curiosa, 417 B'. — Mulieres immoderatum ornatum vitent, 646 D, quo utentes qualiter peccent, 647 D. — Eis præcipue obest ebrietas, 420 A. Mulieres circumducebant Apostoli, exemplo Christi, 163 D. — In Ecclesia primitiva sæpe vir infidelis per mulierem fidelem convertebatur, 153 D'. — *Cf.* Feminæ, Matrimonium, Uxor, Vir.

MUNDI. Omnia munda mundis, qua ratione particulari, 453 C, et generali, 453 A'.

MUNDUS duplici sensu accipitur, 147 D'. — Describitur ejus status præsens et futurus, 478 D'. Per elementa hujus mundi quid intelligatur, 362 D, 364 D'. — Præterit figura hujus mundi, quo sensu, 157 B'. Mundus, cujus ultima ætas in nos pervenit, 170 D', semel per diluvium periit, et rursus in igne peribit, 693 B et seq., in fine sæculi innovandus, 157 C', 198 A'. — Mundi conversio qualiter miracula apostolica perpetuet, 4 A'. — Quomodo utendum hoc mundo, 157 B', et diligendi mundani homines, 593 D. — Corripimur ut non cum hoc mundo damnemur, 181 C', quem judicaturi sunt Sancti, quo sensu, 147 C' et seq. — *Cf.* Elementa, Ignis, Sæculum.

MYSTERIUM Incarnationis quomodo revelatum fuerit, 117 B'. — Mysteria divina quatenus contemplanda, 96 C et seq. — Per mysteria Dei intelliguntur sacramenta, vel ecclesiastica officia, 141 B.

N

NARCISSUS, de quo loquitur S. Paulus, presbyter fuisse dicitur, 116 C.

NATURA paucis minimisque contenta est, 349 B', et gratia perficitur, 5 A'.

NAZARÆI quare comam nutrire jussi fuerint, 177 A'. — Hæresis Nazaræorum unde orta sit, 469.

NEQUITIA est perversitas, seu temeritas nefaria, 18 A.

NERO, per leonem designatus, 445 A', occidit S. Petrum et S. Paulum, 402 D'. — Quidam ejus ministri a S. Paulo conversi sunt, 350 C'. — Ejus persecutio Antichristi persecutionem præfiguravit, 402 D'.

NESTORIUS hæresiarcha, Christi divinitatem negavit, 685 D'.

NICOPOLIS. In illa civitate scripta est Epistola ad Titum, 449.

NOE, qui erat propheta, 6 C', qualiter diluvium futurum prædicaverit, 656 A'. Quo sensu dicatur octavus justitiæ præco, 686 D, et Christus in illo fuerit, 657 A. — Centum annis occupatus fuit in arca fabricanda, 656 B'. Oravit pro hominum emendatione, 516 D, et mundum damnavit, 516 A'. — Utrum aliqui ex ejus coætaneis pœnitentiam egerint, 657 D.

NOMEN Domini tetragrammaton nonnisi vero Deo convenit, 75 D.

NOVATIUS, Romanæ Ecclesiæ diaconus, de sacramento Pœnitentiæ erravit, 493 B'.

NOVITATES vocum profanæ quomodo vitandæ, 430 C.

NOX quid significet, 102 B', 390 D'.

NUBES quæ Judæos obumbravit in deserto, 168 D, gratiam Spiritus Sancti figuravit,

169 A. — Quare nubibus assimilentur Sancti, 521 D'.
NUPTIÆ debent esse spontaneæ, non coactæ, 159 A. *Cf.* Matrimonium.
NYMPHA, devota mulier, laudatur, 371 A'.

O

OBEDIENTIA commendatur, 530 B. — Animam Deo immolans, 49 D', debet esse prompta ac humilis, 100 B. Maxime decet omnem fidelem Christi, 626 A', qui didicit, ex his quæ passus est, obedientiam, quo sensu, 490 D'. — Obedientia perfecta delectabiliter agit, 256 A'. — Qualis obedientia viris perfectis exhibenda sit, 220 D. — In malis non est obediendum, 455 D.
OBSECRATIO quid sit, 326 D', 348 B', 415 B, et quantæ efficaciæ, 82 A, 638 C'. — Casta vita efficit hominem aptum ad obsecrandum Deum, 158 D.
OBSEQUIUM rationabile in quo sistat, 95 A.
OCEANUS est abyssus magna de qua in Genesi fit sermo, 693 C'.
OCULUS. Ubi amor, ibi oculus, 651 B'. — In oculis præsertim apparet mentis lascivia, 689 C', et oculi quorumdam teneros lædunt parvulos, 275 A'. — Per oculum exprimitur qui habet gratiam sapientiæ, 185 C', et contemplativus, 186 C. — Oculi Domini sunt ejus intellectus et sapientia, 651 C'.
ODOR. Quo sensu S. Paulus fuerit odor Christi bonus, 221 C, aliis odor mortis in mortem, 221 A', aliis odor vitæ in vitam, 221 B'.
OLEASTER quomodo gentilem designet, 90 A', 91 A'.
OLEUM infirmorum a solis episcopis potest consecrari, 608 B'. — Oleo exsultationis unctus est Christus, quo sensu, 475 C'.
OLIVA figurat Apostolos, vel electos Judæos, 90 B', aut Patriarchas, 91 B'.
ONESIMUS acolythus, fuerat servus Philemonis civis Colossensis, 370 D', ad quem scripsit S. Paulus, quare, 461, 464 C. — Per eum idem Apostolus epistolas misit ad Colossenses, 353, et ad Thessalonicenses, 375, 397. — *Cf.* Philemon.
ONESIPHORUS præconiis extollitur, 437 C'.
ONUS. Quid sibi velint hæc : Unusquisque onus suum portabit, 291 B' ; alter alterius onera portate, 291 B.
OPERARII. Qui illorum mercedem retinent, quantum peccent, 602 B'.
OPERATIO virtutum quid sit, 184 A'. — Quid per operationes intelligatur, 183 A'. — Si quis non vult operari, nec manducet, 406 C.
OPUS naturæ ac intelligentiæ, est opus causæ primæ, 202 B. Quomodo agatur opus bonum, 678 D', cujus a Deo est inchoatio, continuatio et consummatio, 334 C. Opus Dei quisnam delectabilius faciat, 137 B'. — Verba sine opere, sunt folia sine fructu, 144 A'. — Quid sit opus fidei, 401 A. Fides sine operibus mortua est, 579 B' et seq., si tamen opportunitas operandi occurrat, 286 A', nec perducit ad vitam æternam, 102 A'. — Ex bonis operibus vita gratiæ comprobatur, 64 D, et perficitur, 305 B'. — Opera legis quænam sint, 273 B'. Opera legalia et humana per se non sufficiunt ad promerendam gratiam, 35 B', 273 D. — Gratia gratum faciens est principium omnium operum meritoriorum, 438 A, quorum initium indicatur, 223 A, et quæ per pœnitentiam reviviscunt, 276 C. Ratio meriti atque demeriti in opere exteriori, dependet ab interiori, 561 A. — Quomodo emundanda sint opera nostra, 596 D'. — Opera misericordiæ commendantur, 570 D, 578 D'. — Quæ sint opera carnis, 288 C', vel opera tenebrarum, 102 C'. — *Cf.* Fides, Lex.
ORATIO quid sit, 68 A', 71 B, 152 B, 415 C, et quotuplicis speciei, 348 B', 415 A et seq. — Qualiter illi instandum, 369 C, et quam libenter, 369 D, omni tempore, 327 A, 392 B. Orantes quo sensu non debeant multum loqui, 571 C', sed manus elevare, 417 D, et genua erigere, 524 C. In orationibus vigilandum est, 661 A'. Spiritu et mente orandum est, 192 C', sine hæsitatione, 555 B, sub directione Spiritus Sancti, 68 D, qui orare nos facit et orantes exaudit, 68 C'. — Oratio non exigit loci determinationem, nisi ex quadam decentia, 124 C. — Est remedium contra tristitiam et acediam, 607 C'. — Qualis oratio exaudiatur, 68 C', 341 A, 348 D', 417 A', vel a suo privetur effectu, 649 B. Quæ sint in oratione determinate petenda, 68 A et seq., et pro quibus orandum sit, 415 B', 609 B. Oratio justi quantum valeat, 609 D. Oratio Sanctorum aliquando non exauditur secundum votum ipsorum, 256 D, sed quantum ad aliquid melius, 256 A'. — Qualis Christi oratio exaudita fuerit, 490 C'. An vocaliter in cœlo pro nobis oret Christus, 71 B, per quem orationes nostræ sunt Deo gratæ, 635 A. — Orationes injustorum ministrorum Eccle-

siæ utrum efficaciam quamdam sortiantur, 609B'. — Orationis suffragium postulemus, 370A, etiam a subjectis, 530D. — Quo sensu possimus orare ut ab importunis hominibus liberemur, 405C.

ORDINATIO divina, omnium rerum prima est regula, 246A.

ORDO duplex est, 203D'. In quo sistat, 183C. — Peccatum non est nisi recessus ab ordine, 195C'. — Quid requirat ordo caritatis, 173B. — Ordinandi prius examinentur, 425C'.

ORIGENES passim citatur, 7B', 8B, 91C', etc. — Refellitur, 77A. — Notatur error qui ipsi tribuitur, 49B. (Migne *Patrol. gr.* tom. 11-17.)

OSCULUM sanctum quid sit, 116D, 208A, 260A', 674B'.

OSSA quot sint in humano corpore, 306C'.

OTIA dant vitia, 386C.

OVIDIUS allegatur, 46B, 205C'. (III Amor., IV, 17.)

P

PÆDAGOGUS quis dicatur, 280B. — Lex quomodo pædagogus noster fuerit in Christo, 280A. — *Cf.* Lex.

PANIS dicitur corpus Christi in Eucharistia, quo sensu, 180A.

PAPA, « summus Antistes », 688A, est princeps pastorum, et totius militantis Ecclesiæ prælatus, 670B. — Ex ejus ordinatione ad perpetuam castitatem tenentur episcopi, presbyteri et diaconi, 420B. — *Cf.* Pontifex.

PARADISUS quare vocetur cœlum tertium, 254A'. — Utrum in paradisum terrestrem raptus sit S. Paulus, 254A'.

PARASCEVE. In die Parasceves crux adoratur ex ordinatione Apostolorum, 182A'.

PARENTES qualiter honorandi sint, 324A, ut longævitas super terram habeatur, 324C. — Illis qualiter sit obediendum, 323D', 368A'. — Non debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis, quo sensu, 257C'.

PASCHA dicitur transitus, 146B. — Pascha nostrum immolatus est Christus, 146A et seq.

PASSIO Christi quosnam habeat effectus, 306D', ejusque meditatio quam utilis sit, 659C'. *Cf.* Christus.

PASSIONES quid sint, 53B, et quatenus operentur in membris nostris, 53C. — Passiones hujus temporis non sunt condignæ ad futuram gloriam, quo sensu, 65B.

PASTORES quomodo diligendi sint, 391B'. — Contra eos nunquam rebellandum, 391C'. — *Cf.* Papa, Prælatus.

PATER æternus, ex quo omnis paternitas in cœlis et in terra nominatur, 311A, qualiter se habeat respectu Filii et Spiritus Sancti, 214C. — Genuit Filium sibi consubstantialem, coæternum et coæqualem, 130A; illum quantum diligat, 683B, et in illo sibi complaceat, 683C. Qualis sit unio Patris et Christi, 411A, qui est virtus et sapientia Patris, 130A et seq. Christum mittens Pater, de peccato damnavit peccatum, quo sensu, 58C', ipsumque tradens, 70A', cum illo omnia donavit, 70B'. — Quantum nos diligat Pater, 42A', qui voluntarie genuit nos verbo veritatis, 564A', et fiducialiter in spiritu adoptionis invocatur, 63A. — Qua ratione sit salvator, 411A, et Pater luminum, 563D'. — Ipsi attribuuntur potentia, 94C, 630B, atque caritas, 260B'. — *Cf.* Christus, Trinitas.

PATERFAMILIAS. In illum redundant virtus et vitium familiæ, 419D.

PATIENTIA est virtus moralis passionem tristitiæ ordinans, 20A', 40D', seu reprimens, 513B'. — Est infusa vel acquisita, 550D', et triplex est ejus gradus, 644A. Quomodo acquiratur virtus patientiæ, 550C'. — Commendatur, 391D', verbisque ac exemplis a Scriptura docetur, 109D', quam mercedem consecutura, 21A'. Opus perfectum habet, quo sensu, 551A' et seq. — Patientia qualis Deo accepta sit, 643A', et in quibus servanda, 232B' et seq. Castis et sobriis valde est necessaria, 679C. — Patientia in tribulationibus habenda, 98C, quam fructuosa, 619D'. Quo sensu patientiam operetur tribulatio, 40C', vel patientia operetur probationem, 40D', quæ et ipsa patientiam operatur, 551C. — Caritas patiens est, qua ratione, 188D. Patientia electorum quare auro comparetur, 620B'. — Unus alium ad patientiam provocet, 605A. — *Cf.* Adversa, Tribulatio.

PATRES quid filiis debeant, 324D, 368A', 523B'. — Patres boni maxime gaudent de filiorum profectu, 217D. — Allegantur Vitæ Patrum, 562B'. — *Cf.* Parentes.

PATRIA. Quæ geruntur in Ecclesia, figurant quæ aguntur in patria, 171A. — In illa cessabunt prophetiæ, 189A, et linguæ, 189B, fides et spes, 301D', perfecte autem implebitur caritatis præceptum, 189A. — Ibi utrum

unus alium docturus sit, 503D'. — *Cf.* Beati, Cœlum, Sanctus.

PATRINUS respondet pro infante baptizando, 658C.

PAULUS (S.) apostolus, quare Saulus et Paulus vocatus sit, 6A, qui insuper dicitur Vas electionis, 633A, gentium magister, 121, et apostolus, quo sensu, 89D', 112B', 270B', et quare, 271A. — De tribu Benjamin, 74D', 87D, 343A', a Tarso Ciliciæ oriundus, 268C', erat pharisæus, 343A', ad pedes Gamalielis instructus, 4B', 164D, in lege et Prophetis eruditissimus, 164D. Quomodo pater ejus factus fuerit civis Romanus, 444D', ita ut ipse talis natus sit, 445A. — Qualis fuerit ante conversionem suam, 267D', et quid postea egerit, 268C, ex crudelissimo persecutore in fidelissimum prædicatorem mutatus, 3C', quare, 413B', 414A. — Raptus in cœlum, 3A, 4A, quomodo Deum viderit, 254B, 429A', 697D, et quatenus tunc vixerit, 253B', 254B. Quænam arcana verba tunc audierit, 254D', et utrum omnia illa memoriter tenuerit, 255A. Utrum bis raptus fuerit : semel in cœlum tertium, et semel in paradisum terrestrem, 254A'. Quando Christum adspexerit, 162C'. — Quomodo profugus evaserit Damasco, 252A'; Jerosolymam deinde venerit ad videndum S. Petrum, 268B', et rursus eamdem urbem ingrediens, 269B, de doctrina sua tractatum habuerit cum Petro, Jacobo et Joanne, 269C et seq., qui illum ad societatem suam receperunt, 271B.— Antiochiæ restitit Petro legalia servare simulanti, 271D et seq., qui humiliter illi acquievit, 590D. Quid sentiendum de utriusque Apostoli facto, 272B, 273A. — Quoties Corinthum venerit, 257C, 258D'. — Quare Cæsarem appellaverit, 11D', 113B'. — Romæ retrusus in carcerem, multa fecit prodigia et quamplurimos convertit, 335D. — Totum pene orbem Ecclesiis Christi implevit, 86A, 113B, 246B.

Qualis fuerit ejus prædicatio, 132A et seq., 134D', 196A, quam laboriosa et efficax, 113D, 132B'. — A Domino immediate in apostolum consecratus, 6C, Spiritu Sancto copiosissime adimpletus, 106B, Evangelium Dei sanctificavit, 112B', per signa, 113A, 378B, et miracula, 3B, 257B, non in sapientia verbi, 128B, ita ut in ejus prædicatione apparuerit ejusdem Spiritus potestas, 113B. Non missus est baptizare sed evangelizare, quo sensu, 127D'. — In captivitatem redegit omnem intellectum in obsequium Christi, 244C', cujus bonus odor fuit, 221C, quem summa dilectione prosecutus est, 274B', in cujus cruce gloriabatur, 292D'. Illi vivere Christus erat, 336A', et in ipso loquebatur, 259B. — Nihil docuit Paulus quod non ipse fecerit, 112D'. — Quanta ejus caritas, 11B, 219A', 230B', 233C', fiducia, 224C, 229A', humilitas, 6D, 196A', 215D', discretio, 144C', circumspectio, 167A, mortificatio, 227B, simplicitas et sinceritas, 217A, 218A. — Quomodo se habuerit erga Judæos, 72C, 166C, Samaritanos, Sadducæos, 166A', et gentiles, 166B', ita ut omnia omnibus factus sit, 166D', et omnibus placuerit, 174A, exceptis tamen carnalibus et injustis, 267A'. Quo sensu optaverit anathema esse a Christo pro Judæis, 73A et seq., se primum inter peccatores affirmaverit, 414A, et abundantius laboraverit quam ceteri Apostoli, 196D', 251A. — Cur a Corinthiis non receperit stipendia temporalia, 164B', 165B et seq., ac manibus laboraverit apud eosdem, 406B, et apud Thessalonicenses, 406A. — Quam fortiter pugnaverit, 168A, et corpus suum castigaverit, 168B, pane et aqua contentus, 465B, paucissimo dormiens tempore, 251C'. — Quantas tribulationes passus sit, 235C', in quantis periculis versatus, 251D, et quas consolationes gustaverit, 235D', 334A'. Quare non quadraginta, sed tantum triginta novem plagas flagellatus acceperit, 251C. Sollicitudine omnium Ecclesiarum angebatur, 251D'. Quo sensu aliquando vitam tædio habuerit, 216B, atque mortem optaverit temporalem, 67D. — Per revelationem certo scivit se esse in gratia, 64A, et de numero electorum, 445B'. Quo stimulo carnis afflictus sit, 255B', et quare, 255D'. Forte venialibus interdum non caruit, 57D'. — Quanta ejus potestas in excommunicando, 414C'. — Utrum in Hispania prædicaverit, 114D.

Quare epistolas scripserit, 4D, 5C', numero quatuordecim, 5A. — In quibus emineant ejus epistolæ, 4A', quas specialiter commendavit S. Petrus, 698A; quanta earum profunditas, 35D, 155A'; ipsasque intellectu difficiles, 697B', qualiter depravent hæretici, 697C'. — Copiosissima ex Prophetis et lege testimonia Paulus introduxit, 4B', et præ ceteris gratiam Dei laudavit, quare, 4C'. —

Solet a gratiarum actione incipere, 10 C'; frequenter mutare præpositiones et modum locutionis, 32 D', quem tamen sobrium servat, 65 B; translatione Septuaginta uti, 76 B, necnon sæpe jurare, 11 C, 72 C'. — Cur se ipsum commendaverit, 123 B, 222 A, 230 C, 247 C, et narraverit persecutiones quas passus est, 215 C'. — Qua de causa nomen suum tacuerit in principio epistolæ ad Hebræos, 5 C, et in ipsa eloquentior sit quam in aliis, 5 A'. — Propria manu in fine epistolarum salutationem scripsit, quare, 208 B, 371 D', 406 C'. — *Cf.* Epistolæ.

PAULUS (S.), primus eremita, quotidie spiritualiter communicavit, quo sensu, 181 B.

PAULUS (S.) Simplex, quali oratione ægrum sanaverit, 74 C.

PAUPER ob suam inopiam non est spernendus, 573 C, nec illi dives præferendus, quo sensu, 573 C, 575 D. — Qua ratione pauperes honorandi sint, 573 D', eosque Deus elegerit in hoc mundo, 573 C. — Pauperibus ipsa paupertas quotidianum invenitur purgatorium, 573 A'. — Cur multi priventur voluntariæ paupertatis munere, 592 A. — *Cf.* Dives.

PAX interna in quo sistat, 10 C, 22 B, procedens a caritate, justitia, prudentia, 60 B', et sapientia, 590 A. — Pax quomodo obtinenda, 616 D, vel inquirenda et persequenda, 651 C, atque ad Deum habenda, 40 A. In contemplatione fundata, 676 D, qualiter adimpleatur, 676 C. — Est pax pectoris, temporis, et æternitatis, 616 C. Quid sit pax pectoris, 651 C, pax Dei increata, 348 D', et creata, 349 B, pax Christi, 367 C', pax sempiterna, 406 C'. — Fructus justitiæ in pace seminatur, 590 B'. — Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, 85 D. — Pax patriæ in pace viæ radicaliter continetur, 594 B'.

PECCATUM quid sit, 28 B, 195 C', et unde oriatur, 560 D', 561 B. — Peccatum originale, quod erat actuale et personale quantum ad ipsum Adam, 45 B', posteris ejus imputatum est, 43 B', sine injuria, 43 C', et in omnes transiit, 44 D', si excipias Christum, 43 C', ejusque Matrem, 44 D'. Quatuor vulnera animæ imprimit, 35 D'. Propter illud nobis debebatur pœna damni, non sensus, 304 C'. In Baptismo quomodo ipsum deleatur, 35 C'. — Peccatum, quod fit sive per commissionem sive per omissionem, 576 B', est jugum diaboli, 234 A; mentem corrumpit et in nihilum redigit, 204 B', illam a Deo dividens, 441 A'. Per illud mors generatur, 560 D', et in mundum intravit, 43 D, 51 D'. — Lex peccati eadem est ac lex membrorum, 57 D'. Quid sit fallacia peccati, 484 A', et qualiter peccato serviatur, 48 C', 50 D. Unum peccatum ad aliud trahit, 16 D', 50 D', 681 D, idemque peccatum est culpa et pœna culpæ, 17 A. — Omne quod non est ex fide, peccatum est, quo sensu, 108 A' et seq. Qua ratione tentatio non sit peccatum, 255 D'. — Peccata, etsi sint opera tenebrarum, 102 C', manifestant Dei gloriam, 27 C, 28 C. Quænam resistendo superentur, 150 B', quænam autem fugiendo, 150 C'. Quo sensu universa ex linguæ irrefrenatione nascantur, 585 A. — Per peccatum mortale quænam amittantur, 577 C. Pro illo mors æterna infligitur, 51 D'. Utrum sine gratia gratum faciente adulti possint omne peccatum mortale vitare, 50 A. Quæ peccata sint graviora, 602 D', 688 C', 691 D. Qui in peccata recidunt, quantum culpabiles inveniantur, 691 B, 692 A. — Peccata venialia, per lignum, fœnum et stipulam figurata, 138 D', caritatem non exstinguunt, 139 B; omnia, saltem diu, vitari non possunt, 50 A, 171 C, 681 B. Melius esset mori quam unum peccatum veniale committere, 165 C. Sola venialia habens, salvus erit quasi per ignem, 139 B'. — Peccato mortui sumus, 47 B, 49 A, et ab illo liberati, quo sensu, 51 A'. Corpus peccati quid sit et qualiter destruatur, 48 B'. Quatenus tecta sint peccata, 35 D'. Per contritionem peccata actualia dimittuntur quantum ad culpam, 35 D'. Meditatio frequens novissimorum expellit peccata, 681 A. — « Peccata » vocabantur sacrificia V. L. pro peccatis oblata, 59 A. — Omnis peccans dicitur ignorans, quare, 568 C', 626 C'. Peccator, ante gratiæ infusionem, non potest veniam promereri de condigno, 34 D, nec valet per se ipsum resurgere, 35 B'. — Qui peccatorem convertit, quanta illi tribuat, 640 A, et sibi, 640 B. — Frequenter peccatores post conversionem ferventiores sunt quam ceteri, 46 B', 69 C.

PELAGIUS hæresiarcha erravit de inchoatione operum meritoriorum, 222 D', consentientibus ejus asseclis, 563 B.

PENTAPOLIS in cinerem redacta, per mare Mortuum occupata est, 686 D'.

PENTECOSTE. In illo die datum est testamentum novum, et diffusa sunt Spiritus Sancti munera, 677 C.

PENULA qualis a S. Paulo apud Carpum relicta fuerit, 444 D'.

PEREGRINATIO est vita præsens, quo sensu, 664 A.

PERFECTUS minus laborans quam imperfectus, plus mereri valet, 137 C'. — Perfecti quinam dicantur, 345 B'; quomodo proficiant, 583 B', et mortem accipiant, 682 C. An illis liceat sua repetere coram judice, 149 A. — Perfectorum est solidus cibus, 491 C'. — In statu præsenti, nullus ita perfectus est ut ultra progredi nequeat, 360 B'. — Viris perfectis qualis obedientia exhibenda sit, 220 D. — Secundum ordinem naturæ, imperfecta a perfectis procedunt, 204 A. — Ad perfectionem exigitur indefessa cordis custodia, quare, 260 B. — Perfectio quanto est major, tanto est rarior, 187 A'. — *Cf.* Justus, Sanctus.

PERIPATETICI de Deo multa agnoverunt, 15 B'. — Quid dixerint de primæ causæ cognitione, 190 A'.

PERIPSEMA quid sit, 143 B'.

PERSECUTORES, absolute loquendo, non compulerunt fideles ad sacrificandum idolis, 652 C'.

PERSEVERANTIA sola coronatur, 228 A, 362 B, 569 D'. — Quantum laudanda sit, 297.

PERTINACES in suo sensu, sunt sapientiæ expertes, 590 D.

PES Ecclesiæ est homo habens gratiam inferiorem, 185 B', vel subditus, 186 C. — Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, 85 D. — Pedes moraliter sunt affectus, 117 A, 326 A'.

PETITIO quale sit orationis genus, 348 C'.

PETRA quam Moyses virga percussit, cur spiritualis vocetur, 169 C; quo sensu Judæos consecuta sit, 169 D, et Christum figuraverit, 169 A'.

PETRUS (S.) « archiapostolus », 163 D, 271 A, 616 C, quem Christus suum vicarium constituit, 613 A, ipsi conferens plenitudinem potestatis super universalem Ecclesiam, 675 C, quandonam post resurrectionem Jesum viderit, 196 D. — Ubi prædicaverit, 114 A', et quo sensu missus sit Judæis, 270 B', 271 A, quorum specialiter fuit apostolus, 613 A. — Romæ sedit, 113 C', Italiamque implevit Christi Ecclesiis, 86 A. — Omni memoria et imitatione dignissimus, 682 D, qualiter fuerit gloriæ communicator, 668 B. Ejus quantus fuerit fervor, 681 A', quanta humilitas, 590 D, 698 A, et caritas, 682 A. — Quid dixerit de tribus homicidii generibus, 598 A'. — Quibus missa sit prima ejus epistola, 613 B', 614 A, sub Claudii imperio scripta, 674 A'. — Quando secundam scripserit epistolam, 682 A'. — Quare epistolas S. Pauli peculiariter commendaverit, 698 A. — *Cf.* Cephas.

PETRUS Lombardus ab impugnatione Lyræ vindicatur, 390 B'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 192, col. 306.)

PETRUS de Tarentasia (B. Innocentius V) allegatur, 596 B.

PHARAO, rex Ægypti, suscitatus est ut potentia Dei manifestaretur, 77 B'.

PHARISÆI unde nomen acceperint, et in quo Sadducæos et Essæos antecesserint, 343 B'.

PHILEMON, civis Colossensis, pater Archippi, 463 B. Cur illi S. Paulus epistolam scripserit, 461. — Quanta ejus fides et caritas, 463 A'.

PHILETUS dixit resurrectionem jam esse factam, quo sensu, 440 A.

PHILIPPENSES quibus præconiis digni fuerint, et cur ad eos scripserit S. Paulus, 331. — Eorum liberalitas manifestatur, 349 A' et seq.

PHILIPPI, metropolis Macedoniæ, 114 B, a rege Philippo constructa, 333 B. — Ibi quanta passus sit S. Paulus, 337 C', 379 D'.

PHILOSOPHI quomodo Deum cognoverint, 15 B', 129 A, et peccaverint, 15 D' et seq., in stultitiam lapsi, 16 B. — Erraverunt de supernaturalibus Dei operibus, 362 A', et de naturali hominis potestate, 563 D. — Contra aliquos eorum asseritur libertas Dei in creando, 564 D'. — Quidam ex illis non dignabantur a suis discipulis aliquid temporale exigere, quare, 164 A'.

PHŒBE, mulier nobilissima, a S. Paulo commendatur, 115 C.

PHOTINUS hæresiarcha, qui Christi divinitatem negavit, 685 D', confutatur, 75 C.

PIETAS quid sit, 421 D', 696 C, quo sensu ad omnia utilis, 422 B, et quomodo erga proximum habenda, 679 D. — Explanatur illud : Est quæstus magnus pietas cum sufficientia, 427 C.

PIGNUS quid sit, 301 B'. — Spiritus Sanctus per modum pignoris nobis confertur, 218 A', 301 A'; utrum convenientius dicatur arrha quam pignus, 301 C'.

PLATO de Deo multa agnovit, 15 B'. — Quidam insipienter autumant illum in limbo conversum fuisse, 657 A'. — Ejus Timæus allegatur, 564 D, 565 A. — Platonici quid dixerint de primæ causæ cognitione, 190 A'.

PLINIUS, Historiæ naturalis auctor, citatur, 585 D'.

POENA culpæ debetur, 643 A'. — Per pœnam Deus ordinat culpam, 28 C. — Pœna corporis in animam redundat, et econverso, 21 C'. — Pœnam aufert adversitatis perpessio, 41 A. Quo sensu meritorium sit pœnam pro peccatis propriis pati, 643 C'. — Pœnam accidentalem quomodo sibi accumulent angeli mali, 148 C.

POENITENTIA. Ejus partes sunt contritio, confessio et satisfactio, 237 A, et per illam reviviscunt opera meritoria, 276 C. — Pœnitens armat se contra causas peccandi, 236 C', et peccata sua in se ipso ulciscitur, 236 D'. — Sacramentum Pœnitentiæ est secunda post naufragium tabula, 564 C'; in illo confertur gratia Spiritus Sancti, 456 D, et Christi meritum applicatur, 629 D'; de ipso qualiter erraverit Novatius, 493 B'. — De lege communi, post vitam præsentem non est reditus ad pœnitentiam salutarem, 657 B'. — Sine pœnitentia sunt dona et vocatio Dei, quo sensu, 92 B'.

POMA qualia circa mare Mortuum inveniantur, 687 A.

PONTIFEX ad quid ex hominibus assumptus sit, 489 A et seq. Quæ populi sunt, offert Deo; et quæ Dei sunt, impetrat populo, 502 D. — Pontifex Judæorum quid egerit in festo Expiationis, 505 D', 529 B, et ad quid significandum, 506 A et seq. — Pontifex Romanus appellat se servum servorum Dei, quare, 669 A'. — *Cf.* Papa.

POPULUS Dei quotuplici sensu accipiatur, 638 B.

PORPHYRIUS philosophus, qui blaspheme arguit S. Petrum et S. Paulum, 272 B, refellitur, 273 A.

PORTENTA. Quænam miracula ita vocentur, 478 C.

POSTULATIO quale sit orationis genus, 348 C'.

POTENTIA activa et virtus realiter idem sunt, 303 A. — Posse peccare non pertinet ad veram potentiam, 439 A'.

POTESTAS non est nisi a Deo, quo sensu, 100 B. — Potestas sæcularis portat gladium materialem; ecclesiastica, spiritualem, 101 A. — Potestates quo sensu intelligendæ sint tam in angelis quam in hominibus, 199 D'. — Potestates sunt angeli de infimo ordine secundæ hierarchiæ, 71 D', 303 B, 358 B.

PRÆCEPTA dicuntur esse de conclusionibus, non de primis principiis, 56 B'. — Testimonia et præcepta sunt duæ partes legis divinæ, 126 D. — Omnia præcepta disponunt et referuntur ad præceptum caritatis, 101 D', quod nullus viator perfecte implere potest, 112 B. — Qui unum præceptum transgreditur, quo sensu factus sit omnium reus, 576 B' et seq. — In Scripturis aliqua traduntur non per modum præcepti, et tamen præcepta sunt, 627 A. — Præcepta V. L. erant triplicis generis : moralia, judicialia et cærimonialia, 32 D. — Qui præcepta moralia custodiebant, quomodo justificati sint, 30 A'. — Præcepta cærimonialia, quæ dicuntur elementa mundi, 281 C, infirma et egena, 282 D, ad quid data, 56 C', cur et quando cessaverint, 32 D, 103 D, 104 A, 412 A'. Qui illa servabant, gratiam non accipiebant nisi ratione operis operantis, 30 A'. — Præcepta moralia in novo Testamento manent, et ad salutem requiruntur, 32 A'. — Præcepta judicialia ad quid data, 56 C'. Omitti vel observari possunt in N. T., 32 D. — *Cf.* Lex, Testamentum.

PRÆDESTINATIO quid sit, 8 A, 614 D', et qualiter fiat, 300 A et seq.; quænam detur ejus ratio, 79 C; quænam sint ejus signa, 63 D', 64 B', 549 D'; quæ bona illam consequantur, 70 A et seq. — Liber vitæ nihil aliud est nisi prædestinatio Dei, 347 B', quæ est causa gratiæ et gloriæ, 77 D'. — Prædestinati, qui sunt vasa misericordiæ, 79 B, et finaliter a Deo separari nequeunt, 72 A', quomodo facti sint ad gloriam ejus, 79 A', et Filio Dei conformentur, 69 A'.

PRÆDICATOR mittendus est a Deo vel ab ejus vicem gerente, 85 D. — Qualiter se exercere debeat, 566 C, et importune loqui, 443 D, quosnam arguens, 443 C'. — Spiritualis est arator, 164 B, et more triturantis agit, 164 C. — Non finaliter operetur propter stipendium, sed propter Deum, 164 B, 165 B'. — Quales Evangelii prædicatores elegerit Deus, 131 A et seq. — Utrum mortaliter peccent qui non agunt quod docent, 583 D, 640 C. — *Cf.* Pastores, Prælatus.

PRÆJUDICIUM, seu prævium rationis examen, in quibus necessarium sit, 425 D' et seq.

PRÆLATUS talentum sibi concessum non debet abscondere, 12 A, sed præesse humiliter, 670 C', et in sollicitudine, 97 D, 241; gregem Dei pascere, 668 C, non coacte sed spontanee, 668 B'; inferiores purgare, illuminare et per-

ficere, 121; non indignari dum a subditis juste corripitur, 273B. — Quid illi sit vitandum, 220C', 668B', vel quid agendum quum contemnitur, 123A', 213B. Forma gregis qualiter fiat, 669B'. — Oportet illum a subditis timeri, amari ac honorari, 123A', 213A, etsi ab ipsis excitari possit, 371D'. — Quibus sumptibus sustentetur, 438B'. — Prælati per caput significantur, indigentque inferioribus, 186C, quorum opera meritoria ad superiorum gloriam cedunt, 341D, necnon ad consolationem, 530C. Pro illis orandum est, 415B', ipsisque obediendum, 100A et seq. — Prælati tanto humiliores sint quanto pluribus præsident, 669B'; quomodo inferioribus se subdant, 322A. — Qui correctionem illorum patienter suscipiunt, divini judicii evadent rigorem, 578C. — An judicare pertineat ad prælatos qui in magnis sunt peccatis, 19C. — In fine mundi cessabit omnis prælatio, quo sensu, 199C et seq. — *Cf.* Prædicator, Præsidentes, Subditi, Superiores.

PRÆMIUM aliud est essentiale, aliud accidentale, 558B. — Præmium essentiale, quod per denarium diurnum designatur, 240A, est Dei visio, 137D', et fruitio, 240A. Respondet caritatis divinæ fervori, 137B'; præmium vero accidentale, exteriori labori, 137C'. In præmio accidentali quomodo proficiant angeli boni, 148C. — Unusquisque Beatorum contentus est præmio suo, 242D. — Certitudo præmii minuit vim flagelli, 168A, 377B'. — *Cf.* Merces.

PRÆPUTIUM, id est status et ritus gentilium, 155B, « nihil » dicitur, quo sensu, 155C.

PRÆSCIENTIA aliquando sumitur prout est præambulum ad prædestinationem, 69D', sed generaliter ad reprobos refertur, 614C'.

PRÆSIDENTES personam Dei repræsentant, 641B. — Quomodo illis subjici debeamus, 641A. — Præsidentes boni qualiter præmiandi, 670D, mali qualiter damnandi, 670A. — *Cf.* Prælatus.

PRÆSUMPTUOSI ubique optant suam scientiam demonstrari, 132C.

PRÆVARICATIO quid sit, 55B, et quatenus ab inobedientia distinguatur, 477D'.

PRESBYTER. Adversus illum qualis accusatio admittenda sit vel non, 425D. — Presbyteris debent subditi obedientiam et stipendia vitæ, 425C. — Utrum presbyteri in Ecclesia primitiva ab episcopis distincti fuerint, 333A', 418C', 452A, et ad castitatem perpetuam obligati, 420B.

PRINCIPATUS quo sensu intelligendi sint tam in angelis quam in hominibus, 199D'. — Principatus seu angeli sic vocati, ad quam pertineant hierarchiam, 303B, 358B.

PRINCIPES. Quodnam sit illorum officium, 100B'. — Dei sunt ministri, 100D', 101C, quibus obedientia debetur, 100A et seq. — Pro illis orandum est, 415B'. — *Cf.* Prælatus, Præsidentes.

PRISCA, quæ et Priscilla vocatur, cum viro suo commendatur, 115C', 208A.

PROBATIO, quam operatur patientia, 40D', spem producit, quo sensu, 41A.

PROCLUS Platonicus in Elementatione theologica quid de Deo loquatur, 15C', 564B. — Sub ejus nomine allegatur liber de Causis (David Judæi, sæc. XI), 62D.

PRODIGIA. Ita vocantur miracula majora, 113A, 257B.

PROFANUS quis dicatur, 524D'.

PROMISSIO. Quinam sint filii promissionis, 76A.

PROPHETÆ ante diluvium quinam fuerint, 6C'. — Prophetæ V. T., post legem Moysis cur scripserint, 4D', et quomodo futura cognoverint, 684A'. Per angelos Deus illis loquebatur, 471A'. — Non semper neque de omnibus illuminata sunt corda eorum, 88B, 684C'. — Ipsis collata fuit gratia miraculorum, 75B. — Erant valde patientes et longanimes, 605B'. — Omnes super dies Messiæ vaticinati sunt, 6D'. Qualiter exquisierint de salute per Christum procuranda, 622D et seq. — Ex illis patet veritas christianæ fidei, 624A. — Prophetæ N. T. post Apostolos locum dignitatis accipiunt, 187A; qua ratione Ecclesiam ædificent, 191C et seq. In N. T. « prophetæ » appellantur Scripturarum explanatores, 314D.

PROPHETIA quid sit, 97B, 184A'. — Donum prophetiæ, quod majus est dono linguarum, 191A, non inest per modum habitus, 88B, 684C'; ad illud reducitur interpretatio sermonum, 191C'. — Gratia prophetiæ ad aliorum ordinatur utilitatem, 624A. — Per angelos factæ sunt revelationes propheticæ, 623B.

PROPINQUUS et Proximus. Qui propinquorum curam non habet, qualiter peccet, 424B. — Explanatur illud : Diliges proximum tuum sicut te ipsum, 574C. Qui diligit proximum,

legem implevit, quare, 101 A'. — Deus est finis et ratio diligendi proximum, 190 D, ita ut nec Deus sine proximo, nec proximus sine Deo diligatur, 102 A, 287 C'. — Quicumque peccat in proximum, peccat in Christum, 162 A'. Sic Deus facit homini, quemadmodum homo proximo suo, 369 B'. — Per mortem non pereunt nobis proximi nostri, 386 D'.

PROPITIATORIUM quid fuerit, 505 A'.

PROSELYTI quinam apud Judæos dicti sint, 613 B'.

PROVIDENTIA Dei, universa complectitur, 7 D', singulariter respiciens intellectuales creaturas, 163 D'. — Quo sensu prædestinatio vocetur, 8 A.

PRUDENTIA spiritus quam fructuosa, 60 A'. — Prudentia carnis mors est, 60 C. — Deus prudentiam prudentium reprobabit, quo sensu, 128 B'.

PSALMI quomodo de Christo loquantur, 109 A', 111 D, 474 A, 490 D, 623 A'. *Cf.* David.

PSALMODIA est remedium contra tristitiam et acediam, 607 C'.

PSEUDOAPOSTOLI quid docuerint, 27 D', 151 C, 266 D', 292 C'; et quid contra S. Paulum dixerint, 162 C', 244 B, 245 A', interdum scribentes epistolas ejusdem Apostoli nomine intitulatas, 402 A. — Delinquentium vitia palpabant, 245 C'. — Quid de illis senserit S. Paulus, 113 A, 249 C.

PUDOR optimus, turpitudinem peccati erubescens, ex sapientia oritur, 589 C'.

PUERI teneri qualiter oculis fascinari queant, 275 A'.

PUNITIO Judæorum in deserto quid figuret, 169 C'.

PURGATORIUM. Cœlum ingredi nequit qui non est plene purgatus, sive in sæculo isto, sive in purgatorio, 618 A. — Ejus pœnarum comparatione parva est omnis afflictio vitæ præsentis, 619 A', et in ejus igne revelatur quale sit opus hominis, 139 C'. — Christus veraciter appellatur caput exsistentium in purgatorio, 304 A'. — Pauperibus ipsa paupertas quotidianum invenitur purgatorium, 573 A'.

PURITAS mentis jugiter exquirenda est, 568 A', 597 A.

PYTHAGORAS, qui dixit se sapientem non esse, sed philosophum, 16 D, allegatur, 647 C. — Pythagorici auditores suos per quinquennium silere jusserunt, 566 B.

R

RADIX designat Patriarchas et Prophetas, 90 C. — Radix amaritudinis qualis evellenda sit, 524 B'.

RAHAB meretrix, quæ fide non periit, 520 A, qualiter ex operibus justificata sit, 582 C, genealogiæ Salvatoris inseri promerens, 582 B'.

RAMI figurant plebem Judæorum, 90 C.

RAPINA est gravior furto, 599 A.

RATIO quatenus homini competat, 56 A, et quænam dictet agenda, 23 A, naturaliter malum reprobans, et approbans bonum, 23 B. — Ejus judicium in omnibus sequendum est, 288 A, nec illi prævalere debet sensualitas, 49 B'. — Ratio naturalis quantum obtenebrata fuerit in multis hominibus, 53 C'. — Utrum ratio errans obliget, 108 A'. — *Cf.* Homo.

REBECCA qualem promissionem a Deo acceperit, 76 C.

REDEMPTIO humani generis quam convenienter ordinata sit, 480 D.

REGES. Illis ad quid collata sit potestas, 641 A', et subjici qualiter debeamus, 641 C, 642 C'. — Quinam inter fideles « reges » dicantur, 637 B. — *Cf.* Prælatus, Principes.

REGNUM Dei in quo sistat, 107 A'. — Non est in sermone, sed in virtute, 144 A', nec dormientibus, sed vigilantibus provenit, 391 A.

RELIGIO quid sit, 570 D', et quotuplicis generis actus ejus, 571 B. — An causa intrandi religionem liceat matrimonii solutionem quærere, 156 D'.

RELIGIOSUS quid designet, 570 C'. — Religiosos oportet silentium servare, 571 D, 587 C', huic sæculo mortuos esse, et soli Deo vivere, 572 A'. — Utrum religiosi sua repetere possint coram judice, 149 B. — Religiosi peregrini et pauperes præsertim hospitandi sunt, 662 C.

REPROBATIO non est causa culpæ, sed pœnæ propter culpam, 78 A. — Quæ sit ejus ratio, 79 C.

REPROBI, per vilia vasa designati, 440 B', vasa iræ dicuntur, 79 A, 638 A', et præsciti, 69 D', 614 C'. — Illis Deus multa bona impendit, 78 D', et citra condignum in infernis ipsos punit, 578 C'. Qualiter dæmonum choris sociandi sint, 688 C'. — Resurgent in pejus, 204 D', 205 C, eisque in die judicii gloria electorum innotescet, quare, 618 B'. — Respectu supplicii illorum, modica est omnis afflictio vitæ præsentis, 619 A'.

REQUIES proprie vel improprie sumitur, 487 C. — Requies temporalis Judæis promissa, 485 C', figura fuit requiei cœlestis, 485 D' et seq.

RESURRECTIO mortuorum, cujus possibilitas per exempla naturæ ostenditur, 201 C', probatur ex resurrectione Christi, 197 B, 617 C et seq. — Quo ordine peragenda sit, 198 D, 387 C. In momento fiet, 198 A', 204 D', 387 D. Omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur, 204 C'. — Mortui resurgent incorrupti, quo sensu, 205 B. Qualis futura sit corporum resurgentium differentia, 202 C, et mensura, 315 A. Post resurrectionem an defecturus sexus muliebris, 314 D'. — Resurrectio Christi figurat spiritualem mentis renovationem, 48 C. — *Cf.* Christus.

REVELATIO a visione distinguitur, 253 C.

RICHARDUS de Mediavilla, Ord. Min. theologus, allegatur, 596 B.

RIGOR. Multi facilius vincuntur humilitate quam rigore, 638 C'.

RISUS alius est inordinatus et vitandus, 597 D, alius moderatus et licitus, 597 C'.

ROMA erat caput mundi, 113 B'. — Cur Babylonis nomine a S. Petro designetur, 674 C.

ROMANI, qui toti mundo præsidebant, 11 A, quando Jerosolymam obsederint, 89 C. — Fides illorum quomodo per omnes Ecclesias divulgata sit, 116 C'. Ecclesia ipsorum, in qua erant quidam de familia Imperatoris, 115 C', coalescebat ex Judæis et gentilibus, qui se mutuo judicabant, 19 D', quo sensu, 20 A. — Epistola ad Romanos quare scripta fuerit, 5 B', et ceteris præordinetur, 5 A'.

RUFUS, ad sacerdotium electus, matrem habebat sanctitate insignem, 116 D.

S

SABBATISMUS dicitur plena quies in cœlo, 487 B.

SABELLIUS hæresiarcha, qui multos seduxit, 652 B', unam dixit esse personam Patris et Filii, 548 D, et Spiritus Sancti, 685 D'.

SACERDOTES quinam fuerint tempore legis naturæ, 496 D, 524 D'. — Sacerdotes V. L. a quibus decimas acceperint, 497 A'. — Sacerdotium Melchisedech excellentius fuit sacerdotio Levitico, 497 D et seq. — Sacerdotes N. L. quanta dignitate polleant, 637 A'. Ad eos tantum pertinet Eucharistiam consecrare, 179 C, 637 A', et sacramentalem confessionem audire, 608 D'. — Quale sacerdotium fidelibus competat, 634 D', 635 C, 637 A.

SACRAMENTA legalia, quo sensu sint exemplar et umbra cœlestium, 502 B'. Non operabantur quod significabant, 33 C', nec continebant gratiam, 569 B'. Qualem emundationem procuraverint, 58 A', 504 C. — Sacramenta N. L. de latere Christi morientis fluxerunt, 44 C', 126 D', cujus sanguinis meritum per illa nobis applicatur, 507 A, 615 C, ita ut consequamur effectum redemptionis, 379 A', 491 A. Sunt instrumenta divinitatis Christi, 59 D', signa et causæ gratiæ justificantis, 33 C', 35 B, 59 B, 499 C'. In omnibus illis confertur gratia Spiritus Sancti, 456 D. — Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum, 322 D. — Matrimonium est sacramentum magnum in Christo et in Ecclesia, quo sensu, 323 A'. — *Cf.* Gratia, Lex.

SACRIFICIUM. In omni sacrificio, præsertim in sacrificio Missæ, quatuor consideranda sunt, 180 A'. — Sacrificium Christi in cruce non indiget iterari, quare, 501 A'. — Sacrificia V. L. qualiter oblata fuerint, 505 C'. Vim purgativam peccati non habebant, 509 C', nisi devotione offerentis, et propter orationem sacerdotis, 509 D'; propter suam insufficientiam quotidie iterabantur, 501 A', 508 B'. Sacrificia pro peccatis oblata « peccata » dicebantur, 59 A. — *Cf.* Eucharistia.

SADDUCÆI, qui dicebant se esse de semine Sadoc pontificis, 166 B', solos quinque libros Moysis receperunt, 166 A'. — Nec spiritum nec resurrectionem admittebant, 343 B'.

SÆCULUM quid designet, 95 C, 312 A', et quinam sint ejus principes, 133 A. Per sæculum nequam quid intelligatur, 266 B. — Quicumque voluerit esse amicus hujus sæculi, inimicus Dei constituitur, quo sensu, 593 B. — *Cf.* Mundus.

SAL sapientiam seu discretionem exprimit, 370 A'.

SALEM civitas ubi sita fuerit, 496 B.

SALOMON, qui vocatus est Amabilis Domino, erat figura Christi, 474 A'.

SALUS, finis quem docet fides, 97 B, quid sit, 549 B; quo sensu difficilis, 667 C. — Deus omnes homines vult salvos fieri, 416 A et seq. — Nemo propriis viribus potest salvari, 618 D', sed salus in Christo est, 439 B. — Plus tenetur homo providere propriæ saluti, quam alienæ, 106 B'.

SAMARITANI, qui non erant natione Judæi

sed Persæ, 166 A', non receperunt libros Prophetarum, 85 B, sed tantum quinque libros Moysis, 166 A', nec veraciter adoraverunt, 85 B.

SAMSON, de cujus sanctitate non est dubitandum, 520 D, Christi figura fuit, 403 A.

SANCTIMONIALES tondentur quia Christo immediate desponsantur, 175 D'.

SANCTUS quo sensu unusquisque esse debeat, 627 B, et quis proprie vocetur, 627 C. — Sancti quomodo sint testes Dei, 522 A, peregrini et advenæ, 308 A', accipientes fructum temporaneum et serotinum, 604 D. Cur nubibus assimilentur, 521 D'. — Non proprias laudes sed animarum salutem quærunt, 698 B. Parva peccata quasi magna in suis subditis reprehendunt, 593 D'. Quando soleant loqui de se ipsis velut de aliis, 253 A'. — Illorum oratio interdum non exauditur secundum votum ipsorum, 256 D, sed quantum ad aliquid melius, 256 A'. — Quare mortem temporalem optaverint, 57 A'. — Omnes ante Christi adventum ad limbum descenderunt, 102 A'. — In patria, etsi Deo perfecte assimilentur, 678 B, cupiunt corporibus glorificandis conjungi, 229 C. Post resurrectionem corpore impassibili gaudebunt, 57 C', quod simile erit corpori Christi glorificato, 346 C'; probabilius vocali laude utentur, et cunctas linguas cognoscent, 189 B. — Sancti dicuntur, universi veraciter christiani, 355 A', speciatim pauperes Ecclesiæ Jerusalem, quare, 238 A'. — In Sanctorum catalogo quinam a S. Paulo ponantur, 520 B. — Sanctitas nostra qualiter a Dei sanctitate differat, 628 A. — *Cf.* Beati, Electi, Justus, Perfectus.

SANGUIS. Sine ejus effusione non fit remissio, quo sensu, 508 B. — Ad quid figurandum postes sanguine agni paschalis deliniti fuerint, 519 C'. — Meritum sanguinis Christi per sacramenta nobis applicatur, 507 A, 615 C. — *Cf.* Christus.

SAPIENTIA multipliciter intelligitur, 553 C. Quomodo acquiratur vera sapientia, 140 A', 589 B' et seq., et per sapientiam naturalem Deus cognoscatur, 129 A. Verba sapientium sunt sicut stimuli et clavi, quo sensu, 121. — Sapientia falsa describitur, 588 B'. Sapientia carnis quam perversa, 60 C', et stulta, 140 A'. Elucidantur hæc : Deus stultam fecit sapientiam hujus mundi, 128 D', et perdet sapientiam sapientium, 128 A'. — Sapientia æterna sponsa est hominis justi, 592 D'. Sapientia Dei quomodo manifestetur in Christi incarnatione et passione, 130 C. — In quo sistat sapientia quæ est donum Spiritus Sancti, 135 C', 302 D, 356 B'. — Quid sit sermo sapientiæ, 184 A.

SARA nunquam Abrahæ ancilla fuit, quamvis illum dominum appellaverit, 284 A. — Fide filium concepit, quo sensu, 517 A, et in exemplum datur mulieribus conjugatis, 648 D. — Post ejus mortem Ceturam duxit Abraham, 38 D.

SATANAS quomodo transfiguret se in angelum lucis, 249 D. — Quo sensu excommunicati Satanæ traditi sint, 145 D, 414 C'. — Angelus Satanæ S. Paulum colaphizavit, quo sensu, 255 C'. — *Cf.* Dæmon.

SATISFACTIO est pars Pœnitentiæ, 237 A. *Cf.* Pœnitentia.

SCANDALUM quam grave sit peccatum, 162 B, 640 A', et quantum fugiendum, 162 B'. — Aliud est activum, aliud passivum, 106 D, 636 C', quod dividitur in scandalum Pharisæorum, et scandalum pusillorum, 106 A'. — Quænam omittenda sint propter vitandum scandalum, 106 B', 127 C'.

SCHOLASTICI doctores generatim allegantur, 696 A.

SCIENTIA in humilitate fundetur et caritate perficiatur, 160 B; alioquin inflat, 159 C'. In patria destruetur, quo sensu, 189 C. — Aliquando pro discretione sumitur, 679 B. Scientia moralis ad opus ordinatur, 568 C. Quid sit sermo scientiæ, 184 B. — Scientia quæ est donum Spiritus Sancti, in quo sistat, 334 D', 356 C'.

SCIOLI quid agant ut docti putentur, 132 C.

SCRIPTURA inspirata est a Spiritu Sancto, 443 A', qui in illa loquitur, 422 B'; verba enim Scripturæ sunt verba Spiritus Sancti, 593 A'. — Quanta ejus utilitas, 443 A'. Animam nutrit, 421 C', 541 et seq., consolatur, 110 A, 220 B, inflammat, 221 B, ejusque sermo est gladius spiritus, 326 C'. — Perpetua est ejus veritas, 631 B'. Probatio per illam secundum quemnam sensum valeat, 80 B', 111 D. Non semper citatur secundum sensum totalem, 84 A. Christus et Apostoli sæpe ejus sensum potius quam verba allegant, 475 C. — Quomodo perscrutanda ejus loca difficilia, 96 D. Scripturæ eo spiritu sunt intelligendæ quo et primum sunt revelatæ, 688 C. In N. T. Scripturarum explanatores appellantur « prophetæ », 314 D. —

Scriptura sæpissime utitur hyperbolico sermone, 74 D, et non semper servat ordinem rerum gestarum, 268 A'.

SCUTUM fidei qualiter sumatur, 326 B'.

SEGOR, una ex Pentapolis urbibus, 686 D'.

SEMINARE. Quid messurus sit qui seminat in carne, et qui in spiritu, 292 B; qui parce seminat, 242 A, vel qui in benedictionibus, 242 C.

SENECA philosophus citatur, 94 D', 586 D.

SENIOR quatenus instruendus, 423 C. — Omnibus senioribus aliquis honor debetur, 670 B'. — Seniores dicuntur prælati et presbyteri, 668 A.

SENSUALITAS quomodo homini competat, 56 A, et unde orta sit ejus rebellio adversus spiritum, 57 C. — Rationi prævalere non debet, 49 B'. — *Cf.* Ratio, Spiritus.

SENSUS omnes in capite vigent et continentur, 501 D. — Per illos designantur interiores actus intellectus, 193 D. — Sensus Christi quomodo habeatur, 136 A. — Quid sit reprobus sensus, 17 B'.

SEPTENARIUS numerus universitatem exprimit, 88 D.

SEPTUAGINTA interpretes. Quando illorum translatione usa fuerit Ecclesia, 76 B. — Allegantur, 25 A, 29 C, 80 C', 81 D', etc.

SEPULCRUM patens est guttur peccatorum, quo sensu, 28 C'.

SERAPHIM flamma ignis ignisque urens vocantur, 475 B. — Ad Isaiam missus est unus de ordine Seraphim, 477 A.

SERGIUS Paulus an S. Paulo nomen dederit, 6 B.

SERMO quali sale sit condiendus, 370 A'. — Qui sit sermo sapientiæ, 184 A, et scientiæ, 184 B. — Si quis loquitur, quasi sermones Dei, quo sensu, 663 A. — Interpretatio sermonum, quæ reducitur ad donum prophetiæ, 191 C', definitur, 184 B', 187 A'. — *Cf.* Verbum.

SERVITUS, ob culpam inducta, 368 D', patienter ferenda est, 324 B', propter Deum, 156 C. — Servorum quænam sint officia, 324 B', 368 B', 426 C, 454 C', erga dominos etiam dyscolos, 642 D'. — Servitus alia est servilis, alia filialis, 675 B, id est alia timoris, alia caritatis, 6 B. Quid sit servitus corruptionis, 66 B, et spiritus servitutis, 62 D' et seq. Lex vetus erat lex timoris ac servitutis, 102 B. — Servitus hominum quomodo utilis ad sanctificationem, 155 B', 156 A. Allegatur exemplum cujusdam sancti Patris, qui a servitute liberari noluit, 156 A. (In Vitis Patrum, lib. V, c. XV, n° 31; Migne *Patrol. lat.* tom. 73, col. 960.) — Tam liber quam servus sunt servi Christi, 156 A. Servitus Christi quam nobilis, 6 C, 155 D'. — Cur dignitates ecclesiasticæ « servitutes » vocentur, 669 A'. — *Cf.* Dominus.

SIGNA. Sic vocantur miracula minora, 113 A, 257 B; quæ describuntur, 478 C.

SILAS (S.), qui nominatur apostolus, 116 B, 673 D', an fuerit idem ac Silvanus, 218 B, 377 B, 673 C'.

SILENTIUM religiosis quatenus observandum, 571 D', 587 C'.

SILVANUS, S. Pauli cooperator, a quibusdam dicitur esse Silas apostolus, 218 B, 377 B, 673 C'. — Vir sanctus fuit, 674 A.

SIMEON justus quotidie orabat de Christi adventu, 622 B'.

SIMILITUDO est causa amoris, 166 C', 385 B'.

SIMON magus, Antichristi erat figura, 403 A.

SIMPLICITAS laudabilis quid sit, 217 B, 243 B. — In quo sistat simplicitas columbina, 556 B, aut asinina, 556 B'.

SINA mons ubi situs, 284 D. — Signat legis servitutem, 284 A'.

SION interpretatur speculatio, 525 D', 635 A'.

SOBRIETAS feminis specialiter commendatur, quare, 418 B'. — Oportet sapere ad sobrietatem, quo sensu, 96 A'.

SOCIETAS cum Deo quam nobilis, 126 B.

SOCRATES de oratione erravit, 68 B.

SOL. Explanatur illud : Sol non occidat super iracundiam vestram, 317 B'.

SOLLICITUDO quænam sit bona, quænam superflua, 98 A, 157 C', 348 A', 671 C'. — Sollicitudo prælati qualis esse debeat, 97 D.

SOMNUS qualiter meritorius efficiatur, 173 D'. — Somnus quadruplex in Scriptura notatur, 386 C'. — Quare somnus torporem et negligentiam significet, 102 C.

SORS. Cur ita vocetur divina electio, 301 A.

SOSIPATER fuit S. Pauli cognatus secundum carnem, 117 C.

SOSTHENES, pro Corinthiorum correctione multum sollicitus, 123 B', cum S. Paulo ad eos scripsit, quo sensu, 124 A.

SPECIES. Quid sit videre Deum per speciem, 190 B et seq., 229 B'.

SPECULUM. Videmus nunc per speculum in ænigmate, quo sensu, 189 C'.

SPES, virtus theologica, 41 B, est certa exspectatio futuræ beatitudinis, 555 A. — Quod-

nam sit ejus objectum, 626 C. Qualiter spes nostra ad Deum certitudinem sortiatur, 554 D'. — Quomodo spes sit spiritualis ancora, 495 A', incedens usque ad interiora velaminis, 495 B'. — Spes non confundit, 41 B, 336 D, sed salvat, 500 A. Illam operatur probatio, quo sensu, 41 A. Spe gaudemus, 43 C, 98 B, et salvi facti sumus, 67 A'. — Spes aliquando pro bono sperato sumitur, 246 D, 286 D, 455 A. — Spes et timor quare duæ molæ dicantur, 555 A.

SPINÆ quid designent, 494 B, et cur illis assimilentur divitiæ, 428 C.

SPIRITUS quotuplici modo accipiatur, 62 A, 63 B', 192 B', 288 A' et seq. Spiritus ab anima distinguitur, 392 A'. — Caro spiritui non dominetur, 49 B', sed serviat, 62 B. Unde orta sit rebellio carnis contra spiritum, 57 C, qui concupiscit adversus carnem, 288 C. — Spiritus hominis quando sit quietus, 647 A, et modestus, 647 B. — Quid sit in spiritu Deo servire, 11 C, 53 D, et secundum spiritum ambulare, 59 C. Multi a spiritu ordiuntur, et carnaliter terminant, 276 A. — Spiritus non exstinguendus est, quo sensu, 392 C, et unitas spiritus servanda, 312 D'. Corporalia ad spiritualia ordinantur, 427 B'. Spiritualia bona præstanti, ministrentur temporalia, 350 A, 380 A'. — Quid sit discretio spirituum, 184 A', spiritus servitutis, spiritus adoptionis filiorum Dei, 62 D' et seq., spiritus hujus mundi, 134 B'. Utrum aliquo modo de spiritualibus judicare possit homo carnalis, 135 B'. Spiritualis homo judicat omnia, et ipse a nemine judicatur, 135 D. — Sermo sacræ Scripturæ est gladius spiritus, 326 C'. — Deus facit angelos suos spiritus, quo sensu, 475 A. — *Cf.* Anima, Caro.

Spiritus Sanctus, qui ex Patre et Filio tanquam ex uno fonte procedit, 134 B', 281 C', 665 A', verus Deus est, 248 C, 318 C. Quomodo probetur ejus divinitas, 134 D, 185 B, 594 B, 624 C. — Est amor, nexus et osculum Patris et Filii, 10 B', 333 B', dator ac donum, 41 D; digitus Dei, quo divina scribuntur, 222 D, in tabulis cordis carnalibus, 222 A'. Omnia scrutatur, etiam profunda Dei, 134 B. Illi appropriatur bonitas, 94 C, caritatis infusio, 41 D, sanctificatio, 615 A, communicatio, 260 C'. — Nobis datus est in pignus et arrham futuræ beatitudinis, 277 A', 301 A' et seq., in se ipso unus et simplex, quamvis in donis sit multiplex, 184 D. Quid sint ejus dona, 62 B', et pignus, 218 A'. Fructus ejus quinam ponantur, et quo ordine distincti, 289 B' et seq.; qualiter a beatitudinibus differentes, 290 C. — Quo sensu dicatur Spiritus promissionis, 301 D, et Spiritus Christi, 61 C, 623 B. Cur illi tribuatur Verbi incarnatio, 8 A'. — Per ejus infusionem quomodo omnia nova fiant, 231 C. Quis illum habeat, 61 C, vel super quem requiescere dicatur Spiritus, 665 B'; qui testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei, 63 D', et missus in corda fidelium clamat : Abba, Pater, 281 D'. — Spiritus habitat in anima per gratiam sanctificantem, 61 B, nos vivificat vita gratiæ, 223 D, infirmitatem nostram adjuvat, 67 D', 336 C, pro nobis postulat gemitibus inenarrabilibus, 68 A', orare nos facit et orantes exaudit, 68 C'. Ejus gratia confertur in omnibus sacramentis, 456 D. Actualis ejus motio quomodo necessaria sit, 62 A', 222 D', 302 A', 616 C. Quo sensu nemo possit dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto, 182 C'. — Quid sit doctrina Spiritus, 134 D', qui non est contristandus, 318 B. Spiritus loquitur cum homine in Scriptura, 422 B', quæ ab ipso inspirata est, 443 A', 623 B, et cujus verba sunt verba Spiritus Sancti, 593 A'. Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, 135 A, sed quicumque Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei, 62 C. Ubi Spiritus Domini, ibi libertas, 224 D'. Templum Spiritus Sancti est corpus Christiani, 150 D'. — Quare « manifestatio Spiritus » dicatur gratia gratis data, 183 C'. — In die Pentecostes quid egerit Spiritus in cordibus discipulorum, 503 C'. Frequenter illum in signo visibili accipiebant fideles Ecclesiæ primitivæ, 132 B', 275 B'. — *Cf.* Donum, Trinitas.

STABILITAS cordis in Domino, magna est perfectio, 206 A'.

STADIUM continet centum viginti sex passus, 167 B.

STATUS a quo, distinguitur a statu in quo, 154 D'.

STELLÆ. Cur illis boni comparentur, 38 C.

STEPHANA, matrona a S. Paulo laudata, 207 A', forte ab ipso baptizata est, 127 C'.

STEPHANUS (S.) protomartyr. Illo lapidato, qualis facta sit fidelium dispersio, 548 C'.

STIMULUS carnis S. Paulum afflixit, quo sensu, 255 B', et quare, 255 D'.

STIPULA quid designet, 138 D'.

STULTITIA. In Scriptura quid designetur per stultum et stultitiam, 692 A'. — Stultitia est apud Deum sapientia hujus mundi, 140 A'.

SUAVITAS dicitur mentis dulcedo, et blanda quædam applicatio ad proximum, 232 D'.

SUBDITI per pedes exprimuntur, illisque indigent prælati, 186 C. — Quænam sint illorum officia, 100 A et seq., 455 D, 670 A'. — Debent pro prælatis orare, 415 C', et bonos superiores laudare, 256 D'. — Quomodo prælatos suos hortari valeant, 371 D', et absentibus illis, quid agere moneantur, 283 A'. — *Cf.* Prælatus.

SUPERBIA quam nociva, 291 D, 428 A. — Superbia spiritualis virtuosos fortius tangere solet, 255 B', et per tentationem libidinis reprimitur, 255 D'. — Superbi, qui redarguuntur, 142 D, 549 D, honores appetunt, 18 A'.

SUPERFLUITAS rerum temporalium mentis profectum impedit, 427 B'.

SUPERIORES. In confusionem illorum cedit defectus inferiorum, 201 C'. — Increpantur qui nimium proni sunt « filios » vocare subditos suos, 215 D'. — *Cf.* Prælatus.

SUSURRATIO qualiter a detractione differat, 598 D'. — Susurrones sunt discordiæ seminatores, 18 A.

SYNAGOGA domus Dei dicitur, 483 B, et per Jerusalem designatur, 284 D. — In legis susceptione Deo fuit desponsata, 284 D'. — Quæ acciderunt in illa, figurabant ea quæ fiunt in Ecclesia, 171 A. — *Cf.* Judæi.

SYNDERESIS remurmurat malo, et tendit in bonum, 56 C.

SYNTYCHE, matrona devota, commendatur, 347 C.

T

TABERNACULUM a Moyse factum, angelo docente, 502 C', describitur, 504 C' et seq. Qualiter figuraverit Ecclesiam, 505 A, quæ tabernaculum verum dicitur, 502 B.

TABULÆ Decalogi duæ, ad quid ordinentur, 101 B', 324 B, 412 D. — Quid intelligatur per tabulas cordis carnales, 222 A', et quomodo in ipsis a Spiritu Sancto scripti sint fideles, 222 B'.

TALENTUM non est abscondendum, 12 A.

TALMUD Judæorum de quibus agat, 411 B'.

TARSUS, urbs Ciliciæ, patria S. Pauli, 268 C'.

TARTARUS est aer caliginosus, aut infernus sub terra situs, 686 B.

TEMPLUM Dei quinam dicantur, 140 A et seq., quinam autem illud violent, 140 C. — Corpus Christiani est templum Spiritus Sancti, quo sensu, 150 D'. — Sacrilegus est qui materiale templum violat, 140 D.

TEMPUS gratiæ vocatur tempus præsens, 102 C, seu tempus evangelicæ legis, 622 D'. — Quid intelligatur per tempora sæcularia, 451 C, et æterna, 117 C'. — Quomodo redimatur tempus, 321 C, 370 A', et temporalia habenda sint, 157 A'. — Tempus dicitur agere vel pati, quod exsistentes in tempore agunt aut patiuntur, 660 B. Quo sensu sit malum, 650 C', vel bonum, 650 D'. — Tempus præsens, comparatione æternitatis brevissimum est, 514 A. — An in patria post diem judicii futurum sit tempus, 429 A.

TENEBRÆ quid significent, 390 D'. — Caligo tenebrarum est obscuritas inferni, 690 C'.

TENTATIO alia probat, alia fallit, 562 C; alia exterior est, alia interior, 559 C. — Quid sit tentare, 560 A ; quo sensu Deus nos tentet vel non, 559 A et seq., et diabolus dicatur solus tentare, 559 D'. Mundus et caro non nisi instrumentaliter et materialiter tentant, 560 B. — Utrum tentatio sit peccatum, 255 D', 562 B'. An sit appetenda, 561 A' et seq., vel fugienda, 171 D. — Qualis sit ejus processus, 561 A, et quando ad victoriam nobis proveniat, 561 C. Tentatio quænam humana vocetur, 171 B. Tentationibus mortiferis viriliter resistamus, 171 C. — Tentatio libidinis superbiam spiritualem reprimit, 255 D'. — Beatus vir qui suffert tentationem, 558 A.

TERMINUS. Angeli boni et mali a principio mundi in termino positi sunt, 148 C.

TERRA. Describitur status orbis terræ præsens et futurus, 478 D'. Novam terram exspectamus, quo sensu, 696 C'. — Omnia terrena ordinantur ad hominem, 478 C', per terram designatum, 494 A. — Terra promissionis, ut fertur, bis in anno fructificat, 604 D ; ejus possessio mystice significat possessionem patriæ Beatorum, 277 D'. — *Cf.* Mundus.

TERTIUS, tanquam notarius S. Pauli, epistolam ad Romanos scripsit, 117 D.

TESTAMENTUM hominis qua auctoritate gaudeat, 277 C'. — Ante mortem mutari potest testamentum, 507 A'. Nomine testamenti interdum exprimitur bonum quod per testamentum præstatur, 500 A'. — Duo Testamenta quomodo per Saram et Agar figu-

rentur, 284 C. — Vetus Testamentum, per noctem designatum, 102 B', cur pluraliter vocetur testamenta, 306 A. Ejus præcepta triplicis erant generis, 32 D. In illo multi acceperunt spiritum adoptionis filiorum Dei, 63 A'. Arca testamenti qualiter facta sit, et quid in ea asservatum, 505 D. — Vetus Testamentum, quod non sine sanguine dedicatum fuit, 507 B' et seq., figura erat novi Testamenti, 506 B, quod confirmatum est in Christi sanguine, 179 B', et morte, 507 A'. — In V. T. bona temporalia, in N. T. bona cœlestia promittuntur, 179 A', 500 D, 503 A. In N. T. revelantur quæ velata erant in V. T., 177 A'. Qualis sit dignitas ministrorum N. T. comparatione ministrorum V. T., 223 A' et seq. — Ex Jeremia probatur necessitas N. T., 503 B et seq., quod æternum dicitur, 530 B', atque lex spiritus, quare, 223 B, et quod Judæis propositum in sermone facto in monte, et in Cœna, 503 C, die Pentecostes datum est, 503 C'. — *Cf.* Lex.

TESTES. In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum, 258 D'.

TESTIMONIA et præcepta sunt duæ partes legis divinæ, 126 D.

THABOR mons sanctus vocatur, propter transfigurationem Christi, 683 A'.

THEODOTION. Allegatur ejus translatio, 515 B'.

THESAURUS Ecclesiæ ex quibus constituatur, 359 C'.

THESSALONICA, metropolis Macedoniæ, 114 B, 375. — Cur ad ejus incolas scripserit S. Paulus epistolam primam, 375, et secundam, 397. — Quam perfecta fuerit conversio Thessalonicensium, 378 C', quorum laudantur virtutes, 377 A', 381 D et seq.

THOMAS (S.) apostolus in India prædicavit, 86 A.

THOMAS (S.) Aquinas sæpe citatur, 19 D, 41 B', 130 A', 168 B', etc.

THOMAS (S.) Cantuariensis episcopus repetivit bona Ecclesiæ cum ingenti scandalo regis, 106 D'.

THRONI, de infimo choro summæ hierarchiæ angeli, quare sic vocentur, 358 A.

THURIBULUM aureum, quo sensu fuerit in Sanctis sanctorum, 505 C.

TIGRIS mansuefacta ab India Anastasio principi missa est, 585 D'. *Cf.* Marcellinus.

TIMOR naturalis adversitatum et mortis, a culpa excusatur, 653 C. — Timore mortis quali servituti subjecti sint homines, 481 C'. — Deo cum timore serviendum est, 340 B', 628 C', 629 A, 642 A'. — Non dedit nobis Deus spiritum timoris, quo sensu, 436 B. — Quomodo timendi sint domini temporales, 643 B. — Quid sit timor filialis, 628 D'. — Spes et timor cur duæ molæ dicantur, 555 A.

TIMOTHEUS (S.), Ephesiorum episcopus, 117 C, 436 B, qualiter fuerit in fide filius S. Pauli, 411 B. — Quænam de illo prophetia facta sit, 422 D'. Quo sensu ordinatus sit cum impositione manuum presbyterii, 422 D'. — Cur ad Corinthios missus fuerit, 144 A, et quantum illis commendatus, 207 B. Ejus virtutes laudantur, 341 C'. Admonitus est ut resuscitaret in se gratiam Dei, 435 B', quare, 436 A. — In carcere jacuit, 530 D'. — Nominatur in principio plurium epistolarum S. Pauli, 213 B, 333 A, 355 A, 377 A, 463 A, qui ad ipsum bis scripsit, qua de causa, 409, 433.

TITUS (S.) Græcus gentilis ex utroque parente, 269 C', postea Cretensis episcopus, 221 A, 449, imo archiepiscopus, 452 B, 669 C', quomodo S. Paulum consolatus sit, 235 D', ipse gaudens de correctione Corinthiorum, 237 C. — Quanta ejus sanctitas, 258 D, et caritas, 237 B'. — Quare ad eum epistolam scripserit S. Paulus, 449, 455 B'.

TOBIAS ad quid tanta passus sit, 655 A.

TRIBULATIO quantum prosit, 652 C, et cur Deus nos tribulari permittat, 528 D. — Tribulatio est signum probabile prædestinationis, 549 D', et dilectionis divinæ, 558 B'; excitat nos ad futuræ consolationis fiduciam, 67 C'; operatur patientiam, 40 C', æternumque gloriæ pondus, 228 A', 558 A'. — Quid agendum in tribulationibus, 40 B', 98 C, 549 C', 604 A', præsertim deficiente consolatione, 215 A. — Quænam consideranda sint ut tribulatio lætanter sustineatur, 653 D. Quomodo Deus nos consoletur in omni tribulatione nostra, 214 A', 215 C, quæ, æternæ felicitatis respectu, permodica est, 65 B, 619 A'. — Tribulationes justorum, judicium Dei futurum præmonstrant, 399 B'. — *Cf.* Adversa, Patientia.

TRIBUTUM quid sit, 101 D.

TRINITAS, cujus fidem docuit Christus, 47 A', est unus simplicissimus Deus, 160 C', unum lumen, sicut et una essentia, 563 D'; vitæ æternæ causa efficiens et objectum, 52 A'; prima causa conversionis nostræ, 266 C'. Quo sensu sit salvator, 422 D, et in nomine

Christi intelligatur, 127 A'. — Trium Personarum est una deitas, virtus, 10 A', natura et potestas, 124 A', indivisaque operatio ad extra, 124 A', 293 B', 630 A. Qui credit in unam divinam Personam, credit in tres, 39 B. Unaquæque Persona Trinitatis est rerum causa efficiens, exemplaris et finalis, 94 B'. Una Persona expressa, alia intelligitur, nisi in his quæ relative dicuntur, 134 D, 199 C. — Trinitatis imago in homine relucet, 60 C. — Quomodo Trinitas ex verbis S. Pauli innotescat, 94 A', 260 C'. — *Cf.* Christus, Pater, Spiritus.

TRISTITIA duplex est, 607 C. — Quænam sit tristitia bona, 73 A, 607 D, et qualiter pœnitentiam producat, 236 D. — Sæculi tristitia mortem operatur, quo sensu, 236 B'. Tristitia immoderata in sapientem non cadit, 219 C'. — Qui tristatur, oret et psallat, 607 A', 608 A.

TROAS. Ibi prædicavit S. Paulus, 220 D'.

TUBA novissima qualis futura sit, 204 D', 387 B', et in quo similis tubæ V. T., 387 C'.

TULLIUS (Cicero) allegatur, 551 A. (De Inventione lib. II, n° 34.)

TUTORES antiquitus quanto tempore heredibus præfuerint, 281 A. — Legalia Judæis quasi tutores fuerunt, quo sensu, 281 C.

TYCHICUS diaconus. Ad quos per illum scripserit S. Paulus, 297, 353, 370 C', vel epistolam miserit, 327 A', 375, 397.

TYRANNI. Ex illorum crudelitate Deus manifestavit martyrum constantiam, 28 C.

U

UNCTIO. Extremæ unctionis sacramentum quando et quomodo ministrandum sit, 608 B et seq. Quænam de necessitate ad illud concurrant, et quales sint ejus effectus, 608 B'.

UXOR quid viro debeat, 151 D' et seq., 323 C', 368 D. — Illam adulteram non semper dimittendi jus viro competit, 153 A', qui potest eam retinere vel jam repulsam recipere, 153 C. — Uxor fidelis virum habens infidelem quid agere moneatur, 153 C'. — Qui habent uxores, sint tanquam non habentes, quo sensu, 157 C. — *Cf.* Mulier, Vir.

V

VALERIUS Maximus, historicus, allegatur, 68 B, 160 A', 603 B.

VANI ex laudibus deteriores fiunt, 375.

VASA misericordiæ sunt prædestinati, 79 B; vasa iræ, reprobi, 79 A.

VECTIGAL quid sit, 101 D.

VELAMEN et Velum. Velamen quod Moyses super faciem ponebat, 224 C, quid figuraverit, 224 D, et mystice quomodo Judæis maneat non revelatum, 224 A'. — Velum inter duas partes tabernaculi extensum, quid significaverit, 506 B. Velum templi Christo moriente scissum, quid expresserit, 224 A'. — Per interiora velaminis, quid intelligatur, 495 C'. — Velamen est signum subjectionis, 175 B'. — Caput suum velare non debet vir orans aut prophetans, 175 A', sed mulier econtra, quia mulieres subjectæ sunt viris, 175 B' et seq.

VENENUM aspidum designat verba detractoria, seu odium insanabile, 28 D'.

VERBUM aliud cordis est, aliud oris vel operis, 182 D. — Verba efficacius, scripta perseverantius animas informant, 549 A. — Verba sine opere, sunt folia sine fructu, 144 A'. — Quænam verba sint vitanda, 599 C, 651 A, et quam periculosum sit mala verba audire, 566 A. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir, 583 D' et seq. — Verbum Domini manet in æternum, quo sensu, 631 A'. Quam efficax et penetrabile verbum Dei, 487 A'; quinam illud adulterent, 221 C', vel ejus obliviscantur, 570 A. — Prædicatio S. Pauli non fuit in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, 132 A'. — Verbum Dei incarnatum, est magnum pietatis sacramentum, 420 A'.

VERITAS quotuplex sit, 349 B, et quibus modis a Deo revelata, 15 B. Odium parit, 425 A'. — Quinam veritatem Dei in injustitia detineant, 14 C'. — Qui veritatem impugnant, tandem ab illa vincuntur, 259 D'; illis resistendum est, 270 B, nec propter humilitatem a veritate recedendum, 309 C. — Unitas in veritate qualiter fiat, 110 D.

VESTES. In illis quomodo peccetur, 646 D, 647 D'.

VESTIGIA. Cur ita vocentur actus exteriores, 258 D.

VIA pacis, 29 B, et via veritatis, quid sit, 685 C. — In via Dei non proficere, est deficere, 633 A. — Quam investigabiles Dei viæ, 93 C'. — Per vias intelliguntur actus humani, 21 B.

VIATOR nullus potest perfecte implere præ-

ceptum caritatis divinæ, 112 B. — Viatores qualiter a Deo regantur, 198 D'.

VIDUA. Quænam vere vidua sit, 423 C', eleemosynis Ecclesiæ sustentanda, 424 D, et quatenus orare debeat, 424 A. — Quo honore habenda sit, 423 C'. — Vidualis continentia commendatur, 159 B.

VIGILIÆ in orando protrahendæ sunt, 661 B'. — Quo sensu vigilandum sit, 672 A.

VINDICTA quando sit inferenda, 650 B, aut omittenda, 650 C. — Quænam quæri possit, 317 D.

VINUM immoderate sumptum nocet etiam corpori, 321 B'. — Quo sensu luxuria in illo sit, 321 B'.

VIR imago et gloria Dei est, 176 A, potius quam mulier, 176 C, magisque cum Christo convenit, 175 D; sed ad eamdem felicitatem ambo creati sunt, 648 C'. — Quo sensu sit caput mulieris, 322 B. Utrum comam nutrire prohibeatur, 177 A'. — Viri quomodo debeant orare, 417 C. Vir orans aut prophetans non debet velare caput suum, 175 A'. — Quid uxori vir debeat, 151 D', 322 B', 368 D, 648 B' et seq.; illam adulteram potest retinere vel jam repulsam recipere, 153 C, nec semper dimittendi jus habet, 153 A'. — Vir fidelis conjugem habens infidelem quid agere moneatur, 153 B'. In Ecclesia primitiva sæpe vir infidelis per mulierem fidelem convertebatur, 153 D'. — Viri magis quam feminæ peccant si ornatu immoderato vestiantur, 647 D'. — Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis, 556 A et seq. — Viris heroicis qualis obedientia exhibenda sit, 220 D. — *Cf.* Mulier, Uxor.

VIRGA rigorem justitiæ designat, 144 B'. — Qua virga Christus Ecclesiam regat, 475 D.

VIRGINITAS carnis et cordis quid sit, 247 D'. — Virginitas non de præcepto, sed de consilio est, 156 D; cur commendanda, 156 A', et quam excellens, 156 C'. — Virginitas mentis potest quotidie recuperari, 646 C'.

VIRGO non debet immoderato ornatu vestiri, 646 A'. — Major est victoria virginum quam angelorum, quo sensu, 156 C'. Virginibus debetur aureola, 156 C'. — Quinam in primitiva Ecclesia fuerint virginum custodes, 158 A'.

VIRTUS stabilit animum in Deo, 204 B', et in infirmitate perficitur, quo sensu, 256 B. Laudata augetur in bonis, 349 D', 375. — Una actio virtuosa præstat fiduciam de alia, 237 D', ad quam trahit, 681 D. — Potentia activa et virtus realiter idem sunt, 303 A. — Non in sermone est regnum Dei, sed in virtute, 144 A'. Omne miraculum dicitur virtus, quare, 257 A'. — Virtutes, quæ dicuntur arma lucis, 102 C', quomodo connexæ sint, 125 C, et a donis differant, 290 C; per caritatem agentes quid mereantur, 35 C. De illis judicare non potest nisi virtuosus, quo sensu, 135 C'. Virtuosi quatenus in nullo deficiant, 552 D'. — Virtutes theologicæ, quæ digniores sunt ceteris donis et virtutibus, 190 C', ad salutem requiruntur, et in omnibus electis fuerunt, 273 A'. — Virtutes infusæ et acquisitæ qua ratione tollant reliquias vitiorum præteritorum, 550 D'. — Per virtutes designantur qui miracula operantur in rebus extra hominem, 187 B. — Quid sit operatio virtutum, 184 A'.

Virtutes sunt angeli de medio ordine secundæ hierarchiæ, 71 D'.

VISIO, a revelatione distincta, 253 B, alia est corporalis, 253 D', alia imaginaria, alia pure intellectualis, 254 A, 471 B. — Visio Dei, quæ est tota merces et vita æterna, 137 D', qualis futura sit, 189 A', 190 A et seq.

VITA præsens, multum fugitiva, 600 D, 661 C, est militia, 167 B'. — Casta vita efficit hominem aptum ad obsecrandum Deum, 158 D. — Vita æterna, quæ justis datur pro præmio, 52 A, est visio Dei in patria, 51 C', 137 D'; ejus causa efficiens et objectum est Trinitas, 52 A'. Quinam illam quærant, 21 D. Ipsam de condigno meretur qui stat in caritate, 65 D. — Quid sit liber vitæ, 347 A'. — Vitæ Patrum allegantur, 156 A.

VITIA. Quantum patiatur qui vitia sua cernit ab omnibus odio haberi, 220 B. — Otia dant vitia, 386 C.

VITULUS in festo Expiationis præfiguravit Christum pro nostris peccatis oblatum, 529 C.

VOCATIO duplex est, 507 C. — In prædestinatis quid agat, 70 B. — Sine pœnitentia sunt dona et vocatio Dei, 92 B'. — Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat, 155 D.

VOLUNTAS antecedens vel consequens quid sit, 416 A'. — Ex voluntate procedit dilectio, 412 C. — Quare per spiritum voluntas significetur, 192 B'. — Aliquando voluntas sumitur pro actu voluntatis, 82 A.

VOLUPTAS alia est bona, alia prava, 689 D. — Quid sit voluptas diei, 689 C.

Z

ZACHARIAS, filius Joiadæ, inter templum et altare lapidatus est, 521 A.

ZELUS amarus damnatur, 588 D, 589 D. — Ira per zelum quid sit, 317 C, et qualiter moderanda, 317 D. — Ex zelo justitiæ procedere potest maledictio, 587 B. — Gratissimum Deo sacrificium est zelus animarum, 610 A'. — *Cf.* Ira.

ZENA dicitur legisperitus in synagoga, 457 B.

INDEX GENERALIS

ENARRATIONES
IN OMNES BEATI PAULI EPISTOLAS.

Proœmium xiii

ENARRATIO IN EPISTOLAM BEATI PAULI
AD ROMANOS.

Articulus I. De veritate, firmitate ac certitudine christianæ sapientiæ 3
Articulus II. De prologo Hieronymi super epistolas Pauli 4
Articulus III. Expositio primi capituli epistolæ ad Romanos. 5
Articulus IV. Prosecutio expositionis hujus primi capituli, ab eo loco quo dicitur : Non enim erubesco Evangelium. 12
Articulus V. Expositio capituli secundi : Propter quod inexcusabilis es, o homo. 18
Articulus VI. Elucidatio capituli tertii : Quid ergo amplius est Judæo ? . . . 26
Articulus VII. Explanatio capituli quarti : Quid ergo dicemus invenisse Abraham? 33
Articulus VIII. Declaratio capituli quinti : Justificati ergo ex fide 39
Articulus IX. Expositio capituli sexti : Quid ergo dicemus ? 47
Articulus X. Expositio capituli septimi : An ignoratis, fratres, etc. ? 52
Articulus XI. Explanatio capituli octavi : Nihil ergo nunc damnationis est, etc. . 58
Articulus XII. Prosecutio expositionis hujus capituli octavi, ab eo loco quo dicitur : Existimo enim quod non sunt condignæ, etc. 65
Articulus XIII. Declaratio capituli noni : Veritatem dico in Christo, etc. . . . 72
Articulus XIV. Expositio capituli decimi : Fratres, voluntas quidem cordis mei, etc. 82
Articulus XV. Elucidatio capituli undecimi : Dico ergo : Numquid repulit Deus populum suum ? 87
Articulus XVI. Elucidatio capituli duodecimi : Obsecro itaque vos, fratres, etc. 94
Articulus XVII. Expositio capituli tertiidecimi : Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit 100
Articulus XVIII. Expositio capituli quartidecimi : Infirmum autem in fide assumite. 103
Articulus XIX. Expositio capituli quintidecimi : Debemus autem nos firmiores, etc. 109
Articulus XX. Declaratio capituli sextidecimi et ultimi : Commendo autem vobis, etc. 115

ENARRATIO IN EPISTOLAM I BEATI PAULI
AD CORINTHIOS.

Præfatio 121
Articulus I. Expositio capituli primi : Paulus vocatus apostolus, etc. . . . 123
Articulus II. Expositio capituli secundi : Et ego, quum venissem ad vos, fratres. 132
Articulus III. Elucidatio capituli tertii : Et ego, fratres, non potui vobis loqui. 136
Articulus IV. Expositio capituli quarti : Sic nos existimet homo ut ministros Christi. 141
Articulus V. Expositio capituli quinti : Omnino auditur inter vos fornicatio. . 144
Articulus VI. Elucidatio capituli sexti : Audet aliquis vestrum habens negotium, etc. ? 147
Articulus VII. Declaratio capituli septimi : De quibus autem scripsistis mihi. . . 151
Articulus VIII. Elucidatio capituli octavi : De his autem quæ idolis sacrificantur, etc.. 159
Articulus IX. Explanatio capituli noni : Non sum liber ? 162
Articulus X. Expositio capituli decimi : Nolo enim vos ignorare, fratres . . . 168
Articulus XI. Expositio capituli undecimi : Imitatores mei estote. 174
Articulus XII. Elucidatio capituli duodecimi : De spiritualibus autem nolo vos ignorare 182
Articulus XIII. Explanatio capituli tertiidecimi : Si linguis hominum loquar, etc. 187
Articulus XIV. Declaratio capituli quartidecimi : Sectamini caritatem 190
Articulus XV. Expositio capituli quintide-

cimi : Notum autem vobis facio, fratres, Evangelium 195
Articulus XVI. Prosecutio explanationis hujus capituli quintidecimi, ab eo loco: Si secundum hominem ad bestias pugnavi Ephesi. 201
Articulus XVII. Elucidatio capituli sextidecimi : De collectis autem quæ fiunt in sanctos. 206

ENARRATIO IN EPISTOLAM II BEATI PAULI AD CORINTHIOS.

Præfatio 211
Articulus I. Expositio primi capituli : Paulus apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei 213
Articulus II. Explanatio capituli secundi : Statui autem hoc apud me, etc. . . . 219
Articulus III. Declaratio capituli tertii : Incipimus, etc. 221
Articulus IV. Elucidatio capituli quarti : Ideo habentes hanc administrationem. 225
Articulus V. Elucidatio capituli quinti : Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur . 228
Articulus VI. Explanatio capituli sexti : Adjuvantes autem exhortamur . . . 232
Articulus VII. Expositio capituli septimi : Has igitur habentes promissiones. . . 235
Articulus VIII. Declaratio capituli octavi : Notam autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei 238
Articulus IX. Expositio capituli noni : Nam de ministerio quod fit in sanctos. 241
Articulus X. Expositio capituli decimi : Ipse autem ego Paulus, etc. 244
Articulus XI. Elucidatio capituli undecimi : Utinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ 247
Articulus XII. Expositio capituli duodecimi : Si gloriari oportet, non expedit . 253
Articulus XIII. Expositio capituli tertiidecimi : Ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos 257

ENARRATIO IN EPISTOLAM BEATI PAULI AD GALATAS.

Proœmium 263
Articulus I. Expositio capituli primi : Paulus apostolus, non ab hominibus, neque per hominem. 265
Articulus II. Elucidatio capituli secundi : Deinde post annos quatuordecim, etc. 269
Articulus III. Declaratio capituli tertii : O insensati Galatæ ! 275
Articulus IV. Elucidatio capituli quarti : Dico autem : Quanto tempore heres parvulus est. 280
Articulus V. Explanatio capituli quinti : State, et nolite iterum jugo servitutis contineri 285
Articulus VI. Expositio capituli sexti : Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto 290

ENARRATIO IN EPISTOLAM BEATI PAULI AD EPHESIOS.

Proœmium 297
Articulus I. Expositio primi capituli : Paulus apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei. 299
Articulus II. Elucidatio capituli secundi : Et vos quum essetis mortui in delictis et peccatis 304
Articulus III. Explicatio capituli tertii : Hujus rei gratia, ego Paulus vinctus, etc. 308
Articulus IV. Declaratio capituli quarti : Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino. 312
Articulus V. Explicatio capituli quinti : Estote ergo imitatores Dei 319
Articulus VI. Elucidatio capituli sexti : Filii, obedite parentibus vestris . . . 323

ENARRATIO IN EPISTOLAM BEATI PAULI AD PHILIPPENSES.

Proœmium 331
Articulus I. Elucidatio capituli primi : Paulus et Timotheus servi Jesu Christi. 333
Articulus II. Explanatio capituli secundi : Si qua ergo consolatio in Christo. . . 337
Articulus III. Expositio capituli tertii : De cetero, fratres mei, gaudete in Domino. 343
Articulus IV. Expositio capituli quarti : Itaque, fratres mei carissimi, etc. . . 347

ENARRATIO IN EPISTOLAM BEATI PAULI AD COLOSSENSES.

Proœmium 353
Articulus I. Expositio capituli primi : Paulus apostolus Jesu Christi, etc. . . . 355
Articulus II. Elucidatio capituli secundi : Volo enim vos scire qualem sollicitudinem habeam pro vobis 361

Articulus III. Declaratio capituli tertii : Igitur si consurrexistis, etc. 365
Articulus IV. Explanatio capituli quarti : Orationi instate, vigilantes in ea . . . 369

ENARRATIO IN EPISTOLAM I BEATI PAULI AD THESSALONICENSES.

Procemium 375
Articulus I. Elucidatio capituli primi : Paulus et Silvanus et Timotheus. . . 377
Articulus II. Expositio capituli secundi : Nam et ipsi scitis, fratres, etc. . . . 379
Articulus III. Expositio capituli tertii : Propter quod non sustinentes amplius . . 383
Articulus IV. Expositio capituli quarti : De cetero ergo, fratres, rogamus vos et obsecramus, etc. 384
Articulus V. Expositio capituli quinti : De temporibus autem et momentis non indigetis ut scribamus vobis 388

ENARRATIO IN EPISTOLAM II BEATI PAULI AD THESSALONICENSES.

Procemium 397
Articulus I. Expositio primi capituli : Paulus et Silvanus et Timotheus Ecclesiæ Thessalonicensium. 399
Articulus II. Explanatio capituli secundi : Rogamus autem vos, fratres, etc. . . 401
Articulus III. Explanatio capituli tertii : De cetero, fratres, orate pro nobis . . 405

ENARRATIO IN EPISTOLAM I BEATI PAULI AD TIMOTHEUM.

Procemium 409
Articulus I. Expositio capituli primi : Paulus apostolus Jesu Christi, etc. . . . 411
Articulus II. Expositio capituli secundi : Obsecro igitur primo omnium fieri obsecrationes 415
Articulus III. Expositio capituli tertii : Fidelis sermo : Si quis episcopatum desiderat, etc. 418
Articulus IV. Declaratio capituli quarti : Spiritus autem manifeste dicit, etc. . . 421
Articulus V. Explanatio capituli quinti : Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem. 423
Articulus VI. Expositio capituli sexti : Quicumque sunt sub jugo servi. 426

ENARRATIO IN EPISTOLAM II BEATI PAULI AD TIMOTHEUM.

Procemium 433
Articulus I. Expositio capituli primi : Paulus apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei 435
Articulus II. Elucidatio capituli secundi : Tu ergo, fili mi, confortare in gratia . 438
Articulus III. Declaratio capituli tertii : Hoc autem scito, quod in novissimis diebus, etc. 441
Articulus IV. Explanatio capituli quarti : Testificor coram Deo et Christo Jesu. . 443

ENARRATIO IN EPISTOLAM BEATI PAULI AD TITUM.

Procemium 449
Articulus I. Expositio capituli primi : Paulus servus Dei, apostolus autem Jesu Christi 451
Articulus II. Expositio capituli secundi : Tu autem loquere quæ decent. . . . 453
Articulus III. Explanatio capituli tertii : Admone illos principibus et potestatibus subditos esse 455

ENARRATIO IN EPISTOLAM BEATI PAULI AD PHILEMONEM.

Procemium 461
Articulus unicus. Expositio unici capituli : Paulus vinctus Jesu Christi, etc. . . . 463

ENARRATIO IN EPISTOLAM BEATI PAULI AD HEBRÆOS.

Procemium 469
Articulus I. Expositio capituli primi : Multifarie multisque modis, etc. 471
Articulus II. Explanatio capituli secundi : Propterea abundantius oportet observare nos, etc. 477
Articulus III. Elucidatio capituli tertii : Unde, fratres sancti, vocationis cœlestis participes. 482
Articulus IV. Expositio capituli quarti : Timeamus ergo ne forte relicta pollicitatione, etc. 485
Articulus V. Declaratio capituli quinti : Omnis namque pontifex ex hominibus, etc. 489

Articulus VI. Explanatio capituli sexti : Quapropter intermittentes, etc. . . . 492
Articulus VII. Elucidatio capituli septimi : Hic enim Melchisedech, rex Salem, sacerdos, etc. 496
Articulus VIII. Declaratio capituli octavi : Capitulum autem super ea quæ dicuntur. 501
Articulus IX. Expositio capituli noni : Habuit quidem et prius justificationes, etc. 504
Articulus X. Expositio capituli decimi : Umbram enim habens lex futurorum bonorum, etc. 509
Articulus XI. Expositio capituli undecimi: Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. 514
Articulus XII. Elucidatio capituli duodecimi : Ideoque et nos tantam habentes impositam nubem, etc. 521
Articulus XIII. Expositio capituli tertiidecimi : Caritas fraternitatis maneat in vobis 527

ENARRATIONES IN SEPTEM EPISTOLAS CANONICAS.

Epistola nuncupatoria 537
Prooemium 541

ENARRATIO IN EPISTOLAM CATHOLICAM BEATI JACOBI.

Articulus I. Expositio primi capituli : Jacobus, Dei et Domini nostri Jesu Christi servus 547
Articulus II. Prosecutio elucidationis hujus capituli primi, ab eo loco : Beatus vir, etc. 558
Articulus III. Elucidatio residui hujus capituli primi : Estote autem factores verbi 568
Articulus IV. Expositio secundi capituli : Fratres mei, nolite in personarum acceptione, etc. 572
Articulus V. Explanatio capituli tertii : Nolite plures magistri fieri. 582
Articulus VI. Expositio capituli quarti : Unde bella et lites in vobis ? 591
Articulus VII. Elucidatio capituli quinti : Agite nunc, divites 601

ENARRATIO IN EPISTOLAM PRIMAM BEATI PETRI.

Articulus I. Enarratio capituli primi : Petrus apostolus Jesu Christi 613
Articulus II. Prosecutio expositionis hujus capituli primi, ab eo loco quo dicitur : Quem quum non videritis, diligitis . . 621
Articulus III. Elucidatio residuæ partis hujus primi capituli, ab eo loco quo dicitur : Et si patrem invocatis eum . . . 628
Articulus IV. Explanatio capituli secundi : Deponentes igitur omnem malitiam. . 632
Articulus V. Explanatio residui hujus capituli secundi : Subjecti igitur estote . 640
Articulus VI. Expositio tertii capituli : Similiter et mulieres subditæ sint viris suis. 645
Articulus VII. Prosecutio expositionis hujus capituli tertii, ab eo loco : Et quis est qui vobis noceat ? 652
Articulus VIII. Expositio capituli quarti : Christo igitur passo in carne 659
Articulus IX. Explanatio capituli quinti : Seniores ergo qui in vobis sunt . . . 668


ENARRATIO IN EPISTOLAM SECUNDAM BEATI PETRI.

Articulus I. Enarratio capituli primi : Simon Petrus, servus et apostolus Jesu Christi. 675
Articulus II. Explanatio capituli secundi : Fuerunt vero et pseudoprophetæ, etc. . 684
Articulus III. Expositio capituli tertii : Hanc ecce vobis, carissimi, secundam scribo epistolam 692
Index locorum S. Scripturæ 701
Index analyticus 711

Emendanda. Pag. 15 B', lin. 3 : Et uniformi, *lege* Ex uniformi ; — 273 D', lin. 2 : sic opera,... si opera ; — 404 D, lin. 10 : condescentiæ,... condecentiæ ; — 569 D, lin. 5 : continentiva,... contentiva.

Dubia. Pag. 124 D, lin. 9 : Pater Christi, *forsan* Pater Verbi ; — 153 D, lin. 12 : torum,... vinculum ; — 176 D', lin. 11 : Cherubim,... Seraphim ; — 688 D', lin. 8 : interim,... iterum.

Notandum. In volumine I, pag. liv, n. 36, catalogis quibusdam decepti, citavimus editiones Colonienses ann. 1540 et 1565, quæ revera non exstant. Ceteræ autem Colonienses editiones ibidem laudatæ, sine dubio in lucem prodierunt : imo apud nos asservantur.



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Monstrolii.
J. Arnauné typographus.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.
3923